CL. VIRI D. PETRI MICHAELIS

DE HEREDIA,

COMPLVTENSIS PRIMARII, ET DECANI;

Atque PHILIPPI IV. Hispaniarum Catholici Regis Archiatri

OPERVM MEDICINALIVM TOMVS TERTIVS:

IN QVO COMPLETE TRACTATVR

DE MORBIS ACVTIS

TOTIVS CORPORIS HVMANI.

Adiiciuntur in fine eiusdem de ***SOMNO & VIGILIA****, nec-non de* ***NATVRA DELIRII****, & eius Causis Tractatus.*


Editio altera perquàm accuratè recognita, ac emendata curâ & diligentiâ D. PETRI BAREA DE ASTORGA, Regij Medici.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



D. PETRI BAREA DE ASTORGA MEDICI COMPLVTENSIS & Regij, in Tomum tertium Operum sui Magistri.

PROOEMIVM.

DE Morbis Acutis hîc absolutè (finita, completáque ad amussim de Febribus oratione) sermonem Author pathologicum instituit, & quod pro almæ Complutensis Academiæ instituto teneretur enodare quæ ad hanc pertinerent rem, & quod & ipsa negotij magnitudo cùm qui semper in arduis versatus esset, in gratiam discentium medicam disciplinam inuitaret, aut cogeret. Quanti verò momenti sit Medicis omnibus exactissimè *de Acutis* disciplinam callere, neque vsque nunc aliquis negauit, neque illustris vllus ab antiquo Medicus eorum naturam, conditionem, morem & curationem omiserit; quinimò ab Hippocrate summo Medicæ artis Parente argumentum hoc veluti magnum Medicinæ mysterium acceperunt, qui vt summus posteris Magister haberetur, integrum de Acutis reliquit scriptum volumen, in cuius proœmio hoc sacrum Apollinis dictauit oraculum: *Maximè autem Medicum laudauero, qui in Morbis Acutis, vi quorum plurimi hominum enecantur, præ aliis insigniter ad meliorem partem excellat.* Quod etiam promulgatum iam reliquerat *lib. de Affect. text.* 11. dicens; *Ex morbis fermè maximè Acuti, & occidunt, & laboriosissimi sunt, & opus est ad* ipsos

ipsos plurima tutela, & exactissima curatione, & à curante nullum malum accedere oportet. Sufficiunt enim quæ ab ipsis morbis adsunt; verùm vt bonum quid præstet pro viribus conetur. Hanc etiam Medicis commendauit Galenus diligentiam & curam *lib. de dynam. 2. cap. 2. quia acuti sunt*; qui cùm cito interimentes sint, & plurimos statim rapiant, in quorum auxilium si Medicus velox in occasione remediorum lucranda non sit (cum & ipsa præceps sit) ægrum cum vita, & Medicum cum honore vnà velocissimè & infeliciter subripient: *Itaque maiori laude digni sunt* (ait Diuinus Vallesius *text. 1. Acut.*) *Medici, qui horum morborum curatione aliis præstant Medicis, quàm aliis morbis.* Idem etiam Hieremias Triber supra hunc locum *de Morbis Acutis*, encomium fassus est, atque Medicis cautionem tulit. Argumentum quidem sicut ad ægrotantium diris morbis custodiam, ita ad Philiatrorum eruditionem scientificam admodum necessarium, sine quo peruetusta scientiæ nostræ violaretur authoritas, obtruncaretur integritas, minueretur plenitudo. Quin potius horum morborum intelligentiam tanti fecerunt Antiqui, quod Aretheum Cappadocem integrum exarare volumen *de Acutis*, Cæliúmque Aurelianum similiter non paruum conficere opus obligauerit aut necessitas, aut vtilitas, aut (vt melius) vtrumque. Quorum Authorum Noster sequutus est vestigia, vt illorum aliquam, etsi non æqualem imitaretur laudem docendi iuuentutem. Ergo in Complut. publicis vigiliis Opus, quod sedulò, etsi paulatim composuit, nunc cumulatum & correctum publicum facimus, vt quæ Authori ex componendi labore, & edocendi charitate lucratur gloria, ea etiam nobis propter beneficium publicum, quod in editione desideramus, transfundatur. Nec vanè hoc speramus venturum, cum planè Lectoribus luce clarius apparebit, quod multa quæ ab aliis vel tepidè, vel diminutè explanantur, accuratius multò, atque acutius in peruium, planúmque iter aperta sunt, vt legentibus cum lucro placitura fore non desidimus. Sed quia Auctor aliàs scripturus de Morbis Acutis capitis, in quibus præcipua Somni & Vigiliæ præternaturalium symptomata connectuntur, vt quæ pòstea edocerentur, intellectu faciliora fierent, *de Somno* atque *Vigilia*, vti & *de Natura Delirij atque eius causis* philosophicè scripsit, ne deficeret quæ ad integram doctrinam requirebatur oratio: Ideo nos in hoc tertio Tomo binos hos Tractatus immediatè post Opus de Morbis Acutis collocamus, vt diligens atque scientiæ

tiæ amator inescatus suauitate doctrinæ, fructum ac vtilitatem quam speramus, ipsique ex animo optamus, ad votum nanciscatur. Cætera quæ in hoc Opere continentur, laudare, aut tumidis commendare dialogismis superuacaneum est, cùm legentibus statim doctrina suauissimam exhalabit auram. Interim nos Studiosis hæc opera lecturis dicimus cum Quintil. *lib.* 4. *institut. cap.* 2. *Nos breuitatem in eo ponimus, non vt minus, sed ne plus dicatur quàm oportet.* Vale ex Musæo Matriti, die quarta Iunij anni millesimi sexcentesimi sexagesimi quarti.

Tuus obseruantissimus

D. P. BAREA DE ASTORGA
Medicus Complutensis & Regius.

ELENCHVS



ELENCHVS DISPVTATIONVM.

Sectionum, & Capitum, quæ in hoc Tertio Tomo continentur.

DE MORBIS ACVTIS
totius corporis humani.

TRACTATVS I.

De Somno, & Vigilia.

X. Qua

TRACTATVS II.

De Natura delirij, & eius causis.



D. PETRI MICHAELIS DE HEREDIA, DOCTORIS MEDICI, DE MORBIS ACVTIS TOTIVS CORPORIS HVMANI OPVS PLANE COMPLETVM.

PROOEMIVM HVIVS OPERIS.

PRINCIPALIS finis Medici eſt deperditam ſalutem reſtituere; & cùm nunquam deperdatur citiùs & periculoſiùs quàm per morbos acutos,quia & celeris motus ſunt, & nunquam periculo vacant: placuit in veſtrum commodum in labore huius anni naturam morborum acutorum, cauſas, præſagia, & curationem exponere. Sunt nimirum acuti morbi tenaci memoria tenendi, quia & celerrimam cognitionem & promptam medelam expoſcunt: vnde eorum natura & auxilia quibus pericula moderantur, nunquam obliuioni tradenda, ſed aſſidua cogitatione omnia pertinentia ad acutos morbos Medicus tenetur recolere, vt celeritati periculorum, quibus perpetuo inſigniuntur, occurrat breuiſſimè.

Circa quod munus exequendum, colligemus in cumulum acutos morbos, quos per totum librum tertium Princeps noſter Auicenna ſparſim tetulit; mentem illius aperiemus, & nulli ſectæ addicti ſolam veritatem venabimur: inutilesquæſtiones & cauillationes omnino omittemus, & cum iis claritatem amantes faſtidium tollemus,quod ſi deficiat, opus cupidè dilatabitur,tractabitur auidè, & nunquam vſque ad nauſeam procedet.

SECTIO PRIMA.

De Morbis Acutis cerebri.

HANC nobiliſſimam partem,in qua vt in proprio domicilio anima vt rationalis inhabitat, multæ & perniciosæ affectiones ſolicitant, arcanam Philoſophiam & Medicinam continentes. In quarum expoſitione etſi breuitatis ſtudioſiſſimos eſſe velim, cogor aliquantulum immorari ob arduas eorum morborum controuerſias; vt certum tamen accipito, quod A qui morbos cerebri, ſigna, cauſas, præſagia & medelam exquiſitè,& ad amuſſim percalluerit, tam facilè reliquam Medicinæ praxim pertinentem ſuperabit, vt tota ſibi vt via militaris appareat, vt hinc ſit vobis ſatis commendatum indefeſſum ſtudium circa cerebri paſſiones acutas.

DISPVTATIO PRIMA.

De Phrenitide.

CAPVT I.

In quo consistat eius essentia?

ACVTORVM morborum Capitis primum connumerat Auicen Phrenitidem, quam definiens *fen.1.tertij tract.3.c.1.* dicit, *Est apostema calidũ in velamine subtili & grosso cerebri absque corpore ipsius, quamuis corpori quandoque accidat apostema*: Relatis verbis essentiam phrenitidis & locũ affectum exponit. Essentia eius consistit in apostemate: partem affectam dicit esse piam & duram matrem, has enim intelligit per velamen subtile & grossum, nam pia mater est subtilis; dura verò crassa: mediant verò hæ duæ membranæ inter substantiam cerebri & craneum; craneo propinquior existit dura, substantiæ verò cerebri tenuis seu pia mater; intelligit verò apostema idem quod nos inflammationem.

Inflammatio sumitur, aut pro incendio solo, aut pro tumore sanguineo sine putredine, prout distinguitur contra erysipelam, scyrrhum aut ædema, aut pro quouis tumore contra naturam ex succo putrescente, & sic intelligitur in præsenti ab Auctoribus. Est autem dubium, qua ratione sit intelligenda: sed re vera tenendum est, inflammationem prout dicit tumorem præter naturam, esse pertinentem ad essentiam phrenitidis. Est assertio communis in nostra schola, & tradidit Vallesius noster 5. *controuersiar. cap.* 20. & Magister noster *lib. de locis affect. disp.* 7. *cap.* 1. Ratio à priori est efficax: Nam omnia symptomata essentialia phrenitidis dantur absque tumore præter naturam; ergo est impertinens tumor. Antecedens constat, quia signa essentialia quibus natura phrenitidis monstratur, & ab omni alio morbo distinguitur, sunt delirium perpetuum, continua febris, & respiratio magna & rara; ad nullum verò ex relatis signis necessarius est tumor: Patet manifestè, quia delirium & febris causantur ex distemperie calida cerebri & sicca, vt confitentur omnes. Quod verò phreneticus magnam & raram efficiat respirationem, pendet ex consensu cum delirio; nam phreneticus, dum intensè contemplatur obiecta circa quæ delirat per defectum concursus animæ, non imperat motum thoracis, vt per naturam solet; quia cùm sit distractus ob intensam obiectorum contemplationem, non sentit obiectum molestans, à quo determinatur ad respirandum, & sic quousque crescat nimia molestia thoracis, non reuocatur mens ad obiecta irritantia ad respirandum; toto verò tempore requisito vt intendatur obiectum incitans ad respirandum, cessat ab eo opere, & sic ex longioribus interuallis respirat, & maiori indiget respiratione, vt attemperet summum incendium thoracis, quod increuit nimis interim dum intensè contemplabatur obiecta circa quæ delirat. Demonstratione ergo constat, superuacaneum esse tumorem contra naturam in cerebro, vt omnia signa essentialia phrenitidis adsint, quod confirmat quodlibet accidens seorsum, nam continua febris sine tumore excitatur quotidie; delirium etiam non minus; nam in delirio per consensum, nullus docuit esse tumorem in cerebro; ad respirationem verò magnam & raram nihil minus conducit, quàm tumor contra naturam. Nam si in instrumentis respirationis sit, paruam & crebram inducit, & vt tumor est, nihil ad respirationem maiorem facere,

A probatione non eget, cùm sit morbus in magnitudine, & respiratio maior quàm per naturam, non fiat nisi aucto vsu, qui non variatur ob morbor in magnitudine.

Dicendum ergo est essentiam phrenitidis consistere in calore contra naturam cerebri pendente ex humoribus putrefactis in illo, aut in membranis; sic enim causantur essentialia symptomata cum perpetuitate, nam febris continua sine humore putrescente non datur, & cùm calor contra naturam sit ipsa febris, & ab eo causetur delirium, vtrumque symptoma à sola distemperie calida pendet. Respiratio magna, & rara eodem ex capite pendet, & quia vsus est auctus contra naturam maiorem respirationem exposcens, & quia æger delirat: In præsenti verò passione solum delirium

B est satis vt maior sit respiratio: vt impertinens sit calor contra naturam. Constat clarè, quia vsus auctus crebram respirationem causat ex se; ergo si sit rara propter delirium, ob illud magna efficietur, quia vt antea diximus, increscit vsus, dum nimis detinetur thorax in quietibus, & per consequens magna sequitur respiratio ad attemperandum incendium & calorem auctum, dum thorax nimis quiescebat; & hinc fit respirationem magnam, & raram in omnibus cogitabundis inueniri, etsi non febricitent, imò quamuis habeant intemperiem frigidã, vt in Melancholicis cõstat.

Quod verò humor putrescens debeat esse in membranis cerebri, aut in eius substantia, docent omnes, idque petit delirij perpetuitas; nam dum ex alia parte communicatur causa delirij, non putant Medici esse

C perpetuum, vt de paraphrenitide docuit Galenus, de quo dicemus inferius. Quod diximus de distemperie calida cerebri, intelligendum est respectu distemperiei, quam necessariò exposcit phrenitis: nam cùm requirat continuam febrem, requirit necessariò distemperiem calidam, si verò adiungatur siccitas, vt solet, quando humores vsti phrenitidem causant, concurrit ad delirium siccitas illa, sicut concurrit calor: quia verò ad inducendum, per accidens se habet, quod sit vstio aut putredo in humore, ideò per distemperiem calidam explicatur optimè essentia phrenitidis; nam sanguis putridam phrenitidem causat, & non constat exsiccari cerebrum morbosè.

Sed dices; humores causantes hoc malum, confluunt in cerebrum aut illius membranas: ergo neces-

D sariò excitant tumorem contra naturam. Patet consequentia, quia tumor non fit alia occasione, nisi quia copiosius quàm per naturam in partem aliquam confluunt humores, vt sic eleuent illam. Respondetur, omnem tumorem ex fluxione causari, quia copiosius influit humor quiuis in partem; non tamen semper quod influit copiosiùs eleuat partem. Ratio est, quia potest per superficiem partis applicari, quin ingrediatur poros, & sic contingere in cerebro, nam si ex vasis excidat humor inter tenuem membranam, & substantiam ipsam cerebri, irrigabitur cerebrum absque eo, quod in tumorem assurgat. Secundò si dispergatur humor, & disseminetur per poros substantiæ cerebri, ita vt non distendat illam, erit phrenitis sine

E tumore; nam hic non causatur, nisi quando humor confluxit in partem in tanta quantitate, vt pororum capacitates superando illam distendat, & tumidam faciat. Hunc modum phrenitidis appellauit Galenus 1. *Prorrhet. comment.* 33. hecticum; & assimilari dixit lanis tinctorum. Vt enim hanc tincturam accipiunt perfectam, quando per poros imbibunt in se liquorem & substantiam tingentem: ita si cerebrum irrigetur per poros imbutum, quod fit confinentibus succis, hectica laborabit phrenitide, sine tumore contra naturam; sed sola obstructione causabitur. Tertio modo excitatur phrenitis sine tumore in parte, vt excitatur quotidie quæuis alia continua febris. Vt enim ad focum

cum continuæ febris confluunt putrescentes humores, quin tumorem aut inflammationem propriam excitent; ita confluere possunt in cerebri & membranarum vasa, ibique concipere putredinem absque tumore contra naturam, eritque vera phrenitis in obstructione vasorum, & per propriam passionem: quia sicut dum membranæ cerebri inflammantur, putatur phrenitis, per propriam passionem erit; itaque quomodocunque contingat phrenitis sine apostemate, necesse est, vt focus putredinis sit in substantia cerebri, aut in membranis illius, habeteque permanentem causam circumfusas: quod Galenus & Tralianus appellarunt, debere esse causam phrenitidis fixam seu impactam.

Quia verò rarissimum est succos in cerebrum copiosius confluere, quin vera inflammatio causetur, ideo antiquitas tota per verã inflammationem definiuit phrenitidem. Et quamuis Magister noster *loco citato* in bonum sensum trahere contendat Auctores, ex lectione eorum cõstat magna difficultate & vi interpretari; nec Princeps noster idoneam patitur interpretationem, cum claré per apostema intelligat tumorem præter naturam, & non incendium, aut distemperiem calidam. Constat: quia postquam docuit in definitione aliquando substantiam cerebri apostemari, acriter reprehendit putantes, quod lene sicut cerebrum, & durum sicut ossa non extenditur, & quod non extenditur, non apostematur. &c. Itaque ratio claré demonstrat, esse impertinentem tumorem contra naturam ad essentiam phrenitidis; quia verò rarissimum est tumorem non superuenire, ideò per illum definitum fuit malum ab antiquis Doctoribus; aut dicendum est, quod per inflammationem non intellexerunt nisi flogosim & ardorem, vt apud Galenum sæpe contingit, præcipuè 2. *ad Glauc. c.* 8. & quando Galenus posuit 4. *de Præs. ex Puls. c.* 14. pulsum durum inter signa phrenitidis, non fuit loquutus de essentialibus signis, sed de superuenientibus, nec esse mortalem passionem arguit, inflammationem veram adesse; nam ratio tam clari periculi in loci affecti præstantia, non in tumore consistit.

Sed quod de duro pulsu interpretatur Magister, habet contra se doctrinam Galeni 5. *de locis, cap* 3. vbi tradens signa antecedentia phrenitidem confirmatam, ita loquitur: *Atque ij omnes exiguo vtuntur potu, spiratio ipsis rara est, & magna, pulsus minores, magisque neruosos habent*, &c. Stant apud Schenxium aliquæ Historiæ phreneticorum, quorum capita dissecta nullam continebant inflammationem.

Sed dices. Phrenitis vera, vt quid essentiale requirit continuam febrem, & delirij perpetuitatem: hæc verò assequetur nunquam nisi inflammationem propriam habeat adiunctam; patet quia tumor solus contra naturam est qui perpetuò durare potest & sine intermissione causare essentialia symptomata. Respondetur negando quod infertur; nam sicut in aliis corporis partibus continua febris causatur absque eo quod humor confluens in focum tumorem contra naturam efficiat, ita si confluat in cerebrum, & eius membranas, continuam febrem causabit, & continuum delirium. Sed instabis, sequitur dari posse intermittentem phrenitidem; patet manifestè, quia vt datur febris intermittens in quauis corporis parte, ita dari non repugnat, quando cerebrum aut eius membranæ sunt verua focus putredinis, quod in nostra opinione negari non potest, cum docuerimus *tract. de febribus*, in quauis corporis parte putrescant humores, posse esse intermittentes & continuas febres: idem ergo eueniet in cerebro. Cùm ergo nullus dixerit, dari intermittentem phrenitidem, necessariò habet coniunctum tumorem, vt continua sit passio & perpetuum delirium cum incessante febre. Respondetur facilè, aliud esse quod phrenitis habeat perpetuum delirium vt signum; aliud verò quod ipsa possit esse intermittens. Primum docuit antiquitas, Secun- A dum verò non repugnat fieri, neque est contra dicta. Supponamus ergo, humorem biliosum in cerebrũ moueri, ibique putrescere, causabit febrem & delirium simul; resoluatur commota portio totaliter, cessabit febris & delirium; & si rursus moueantur, de nouo febrem & delirium causabit, eritque vera phrenitis. Nimirum de ratione phrenitidis non est, quod ipsa sit continua, sed quod dum affligit, non detur sine febre, nec sine delirio, omni morbo. Docuit Hippocr. 1. *Ep. d. sect.* 3. competere posse esse continuam & intermittentem; postquam enim docuerat febres aut esse intermittentes aut continuas, ita reliquit scriptum: *Accidit autem hæc fieri, & in omni febre, & in omni morbo*. In cuius loci commentario docuit Valesius, se vidisse intermittentem pleuritidem repetentem per tertios dies, nihil in diebus B intermediis remanente morbosum. Si ergo in pleuritide, quæ propriè inflammatio est, potest dari intermissio, facilius multò intermittet phrenitis, cùm solam motionem in cerebrum petat, & nullo modo tumorẽ requirat.

Ex dictis constat huius mali essentia: constat & affecta pars, substantia scilicet cerebri; nam cum delirium ponatur inter signa essentialia, & hoc nequeat causari, si substantia cerebri non patiatur, quia in ea resident interni sensus, quorum est actio depravata delirium; hinc fit sine passione & malo in substantia cerebri phrenitidem causari non posse, ita vt si nullo modo paterentur membranæ, esset vera phrenitis; quia verò causa huius mali est sanguis tenuis, aut bilis, & isti humores à cerebro facilè dilabuntur, in membranis verò densioribus detinentur, & imbibuntur; ita Antiquitas tota per C inflammationem membranarum definiuit hoc malum, quia membranæ sunt partes, intra quas ferè semper existit putredinis focus: non sufficit tamen, vt diximus, quod patiantur membranæ vt vera detur phrenitis, nisi malum cerebro communicetur, quantum ad distemperiem calidam, nam alioqui non erit delirium. Et quamuis membranæ sint partes distinctæ à cerebri substantia, non dicitur phrenitis per consensum, etsi humor intra illas contineatur, quia omnes Auctores phrenitidem per propriam passionem appellant illam, etsi causa sit in parte diuersa, quia signa essentialia non minus causantur ex inflammatione membranarum, quàm ex inflammatione cerebri.

D

CAPVT II.

De causis Phrenitidis.

GAlenus 2. *de causis symptom. cap. vltim.* dixit ex calidis succis causari phrenitidem. Vnde ex doctrina Galeni, bilis omnes species & sanguis prædictum causabunt malum. Idem docet 6. *Aph. comm.* 53. exponens sententiam Hipp. dicentis: *Desipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio, periculosiores*. Expositores verò intelligunt per desipientias factas cum risu, quæ pendent ex sanguine, ob idque securiores; ob idque Auicenna *fen.* 1. 3. *tract.* 3. *c.* 2. dicit: *Dicimus ergò quod primum signorum facti à sanguine est, quod communitas accidentium eius accidit cum risu*. De bile verò pal- E lida & flaua nullus dubitauit; & docuit Gal. 3. *de locis c.* 5. Idem tradidit Tralianus *lib.* 1. *c.* 12. qui etiam addidit fieri ex bile supra modum exusta; idemque docuit Paulus *lib.* 3. Vnde quando Galenus sanguinis obliuiscitur, comprehendit illũ nomine bilis, cùm debeat putrescere vt phrenitidẽ causet, & sic in bilem suo modo mutari.

Aduertit tamen Magister noster *in lib. de locis affect. disp.* 7. *c.* 4. quod quando ponunt inter causas flaua bilis præassata, non est intelligendum, quod ille humor iam sit factus atra bilis, nam tunc potius maniam induceret, sed potius antequam transeat in atram. Vnde colligit Doctor iste esse humores causantes hoc malum, sangui-

nem scilicet, bilem pallidam, flauam, & hæc etiam quando vitionem patitur, non tamen nimiam, sed quæ in via est, vt in atram bilem exquisitam mutetur. Quæ doctrina mihi non placet. Ratio est clara, quia phrenitis nullo modo exposcit determinatam speciem delirij, sed cuiusvis generis fuerit delirium perpetuum cum continua febre, erit vera phrenitis; vnde existimo non tantùm ex bile nimium exusta causari posse, vt docuerunt Auctores citati, & Auic. *loco citato*, sed etiam ex melancholia & ex salsa pituita: & si aliquis etiam alius liquor serosus, acer & calidus in cerebrum moueatur, & putrefiat, idem malum efficiet. Ratio adducta me conuincit, nam si phrenitis requirit determinatum modum delirij, solùm causabitur ab vnico humore: si verò requirit nullum, sed omnibus copulatur eius natura, cum quouis delirio & continua febre erit vera phrenitis. Vnde Gal. non distinxit phrenitidem à melancholia morbo; id clarè docuit idem Auctor 2. *de causis Symp. cap. vltimo*, dicens: *Cum deliria omnia, tum prauì motus sunt facultatis regentis, tum vel ex vitiosis contracta succis, vel eorum quæ sunt in cerebro intemperie, nominantur autem ex his quæ quidem cum febre sunt phrenitides.* Ecce quam clarè docuit omnia deliria phrenitides vocari, quando cum febre inueniuntur; imò Galenus nullo signo meliùs agnoscit phrenitidem esse per propriam passionem, quam quia æger delirat cum ferocia & temeritate: vt constat ex 1. *Pror. comm.* 2. Et *lib. 5. de locis, cap. 3.* de propria phrenitide disputans, dicit: *Nonnulli interdum audiendo falli videntur, ac interdum rapti vix quidquam respondentes, &c.* Constat verò tristitiam & taciturnitatem esse accidentia melancholica. Constat verò vel me tacente, quod vt dicatur vera phrenitis debent oriri tria symptomata, relata ab eodem humore in cerebro putrefacto. Nam si melancholicus, v.g. aut maniacus incideret in febrem continuam putridam, humoribus intra vasa putrescentibus, & non intra cerebrum, talis æger non esset verè phreniticus, quia delirium, & febris non pendent ex eadem numero causa. Vnde loquendo in rigore: *Phrenitis est distemperies calida cerebri, orta ab humore putrido, aut vsto in cerebro, aut eius membranis cum tanta vi, vt totalem causet febrem simul cum delirio perpetuo.* Et ex delirij perpetuitate cognoscitur esse humorem in cerebro, aut eius membranis. Vnde febris non est symptoma in rigore demonstrans phrenitidem, sed est pars essentiæ Phrenitidis, symptomata verò sunt signa, quibus febris agnoscitur; quæ si rectè considerentur, cessabit labor inanis inquirentium, qualiter febris possit esse symptoma phrenitidis; nam re attentè consideratâ, nullatenus febris rationem symptomatis obtinere potest in opinantibus non requiri tumorem, vt essentia phrenitidis constituatur. Probatur, quia aut est symptoma respectu distemperiei calidæ cerebri, ita vt calor illius febrilem producat in corde; & hac ratione immeritò putatur symptoma: aut quia identificatur cum distemperie calida cerebri, seu verè continuatur, constituiturque vnica totalis entitas ex calore cerebri, & calore cordis. Constat verò morbum & symptoma illius vniri non posse, nec esse eiusdem speciei infimæ: & confirmatur vrgenter, quia distemperies calida cerebri est verè febris partialis capitis; nam cum febris omnem corporis partem ex se occupare possit, quia est vniuersalis morbus & distemperies, quando totum occupat, qualibet pars verè dicetur febricitare; ergo calor capitis ita est febris illius, sicut calor cordis & iecoris, partiumque reliquarum. Implicabit ergo calorem cordis esse symptoma caloris cerebri, cùm potius vterque calor vnicum morbum constituat vt pars, & physicè vniantur. Si verò consideretur calor cordis, vt productus à fuliginibus putridis, habet veram morbi rationem, & nullo modo symptomatis; quia inter fuligines & distemperiem cordis nulla entitas mediat habens morbi rationem, respectu cuius dicatur symptoma. Et ita loquuntur impropriè Auctores omnes, appellantes febrem continuam phrenitidis symptoma, si sustineant essentiam phrenitidis non consistere in vero tumore; nam putantes contrarium, nil mirum appellare febrem accidens phrenitidis, cùm præsupponat morbum cum magnitudine, respectu cuius verum accidens dici potest, vt putauit Antiquitas tota.

Dices: Phrenitis est cerebri morbus; ergo omnia constituentia illum debent pendere ex cerebri morbo; at verò febris non est morbus cerebri, sed cordis, nec dependet ex aliquo morbo capitis; ergo nequit essentiam phrenitidis adintegrare. Respondetur, quod quia febris pendet ex causa malè afficiente primò cerebrum, ideo dicitur constituere essentiam morbi capitalis, ita vt causa phrenitidis teneatur non solùm in cerebro existere, sed talem habere vim & naturam, vt cerebrum, & totum corpus afficere possit distemperie calida; & per consequens, & delirium, & febrem causare, vt dicatur causa phrenitidis.

CAPVT III.

An delirium perpetuum in sola inueniatur phrenitide?

Nihil magis distinguit veram phrenitidem à quauis alia affectione inducente delirium, quam delirij perpetuitas & continuatio: putant nimirum Medici omnes cum Galeno, quod quando cerebrum non patitur per propriam passionem, sed per consensum; tunc repugnet delirare continuò & sine intermissione, in qua doctrina duplex assertio continetur; & quod verè phreniticus nunquam cesset à delirio, & quod paraphreniticus, seu delirans per consensum, nunquam possit delirare perpetuò. Vtrumque docuit expressè Gal. 5. *de locis*, *capite* 3. dicens: *Quippe per cæterarum partium passiones, atque per febres ardentes delirium mitigari solet, quoties morbus declinare videtur: at phrenitidis propria, perspicuáque nota est, nec in declinatione febrium delirium quiescere.* Oportet verò intelligere per quietem delirij quod omnino deficiat, nam remitti ferociam & tumultuosam loquelam dubium non est, quando remittitur causa veræ phrenitidis. Ratio autem à priori est, quia cùm in vera phrenitide semper sit causa approximata cerebro, quia illud, aut eius membranæ sunt putredinis focus, quamuis remittatur causa, semper tamen existit cum sufficienti vi vt causet delirium; at verò quando per consensum patitur cerebrum, quia causa prioris affectionis distat à cerebro, indiget potentissima vi, vt continuò partem distantem trahat in consensum, quam non participat nisi in incrementis & vigoribus accessionum; & ideo neque in principiis, neque in declinationibus sufficienter alterat cerebrum ad delirandum. Requiritur nempe magna permutatio intemperiei cerebri, vt deprauentur internæ potentiæ, quam non patitur cerebrum nisi per incrementa & vigores accessionum. Hoc contemplans Galenus 2. *de locis*, *capite vltimo*, ita reliquit scriptum: *Vnde si in laterali morbo permanens eueniat delirium caput habere, proprium morbum existima, ita vt quamuis lateralis morbus quiescat, possit tamen capitis morbus permanere.* Vbi clarè colligitur, ex permanentia & continuitate delirij, quod in capite propria sit passio, & non laboret solùm per consensum cum pleura.

Sed in resolutione huius dubij dicendum existimo, non repugnare quod dum ex passione aliqua partis diuersæ à cerebro cœpit delirium, continuetur, & perpetuum fiat. Id probatur efficaciter in omni inflamma

flammatione, si semel trahat cerebrum in consensum; nam si terminetur in mortem, quia perpetuò augetur, euidens est semper augeri malum cerebri, & per consequens si cum remissiori delirare cœpit, delirabit magis quando intenditur primum malum: ergo si ex ventriculi inflammatione, pulmonis aut iecoris, delirare incipiat ægrotans, & relata inflammatio crescat continuò vt potest, crescet non minùs delirium, & vsque ad mortem comitabitur suam originem. Sic quotidie experimur in malignis febribus, dum terminantur in mortem, nunquam cessare delirium. Ratio est, quia si inflammatio aut febris per continuam alterationem trahant cerebrum in consensum, repugnat minui calorem capitis dum intenditur causa, & inde implicabit minui delirium. Idem clarè constat si ob communicatas fuligines delirium causetur: B nam in continentibus febribus perpetuò crescentibus si traheretur cerebrum in consensum, quomodo remitteretur delirium, aut intermittere posset, si prima causa illius augetur continuò? Nec in hoc existimo posse esse dissidium inter Auctores. Quam partem apertè probat doctrina Galeni inferius adducenda de delirio septi transversi.

Dico secundò: A nulla parte, in qua cerebrum dicitur pati per consensum, causatur delirium perpetuum, ita vt sit signum essentiale illius, & incipiat cum primo esse morbi illius partis. Hæc est expressa sententia Galeni locis in principio adductis: & tradidit clarissimè *lib. 5. de locis affect. cap. 3.* dicendo: *A nulla aliarum partium perpetuum delirium procedit, dempto solo Septo transverso, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo distat.* Ratio est, quia vt trahatur C pars distans in consensum, requiritur in parte primariò patiente magnus morbus; nam si leuis non sufficit in cerebro vt deliret, & magnus requiritur in parte trahente illud in consensum, cùm debeat esse maior multò; totum ergo tempus requisitum ad primi morbi incrementum, erit cerebrum sine delirio. Rursus postquam idoneum incrementum primus morbus suscepit, vt in partem distantem distribuat fuligines, aut producat temperiem requisitam ad delirandum, tempus etiam exposcit, cùm medio motu locali, aut alterationis trahatur cerebrum in consensum. Repugnabit ergo morbum cuiusque partis, cum qua consentiat cerebrum, habere vt signum essentiale, D & pathognomonicum delirium.

Hæc est communis doctrina Medicorum ex Galeno desumpta, quam amplectitur Magister meus *lib. de locis affectis disp. 7. cap. 9.* Eam verò difficilem reddit sequens obiectio. Quod aliquod signum dependeat ex consensu alterius partis, non tollit quod sit essentiale & pathognomonicum signum partis primariò patientis: ergo distantia non tollit quod sit delirium essentiale signum affectionis aliarum partium. Maior probatur in tussi respectu pleuritidis: est nimirum tussis signum essentiale illius, & non excitatur sine compassione alterius partis: pulmonis scilicet: ergo aut dicendum est tussim non esse pathognomonicum signum, aut putandum est fieri posse idem respectu cerebri. Tum etiam secundò; quia quando sola dura E membrana inflammatur, est vera phrenitis, & per propriam passionem; & tamen distat à substantia cerebri satis conspicuè: ergo distantia non tollit quod sit signum essentiale inflammationis duræ matris delirium perpetuum: impediret verò si tradita ratio efficax esset. Ad primum respondetur, quod tussis non est perpetua in pleuritide, licet sit perpetuum ad esse; sed accidit per interualla certa, & ita potest esse signũ essentiale, in quantum necessariò accidit per interualla, & cum quadam intermissione. At verò delirium in phreniticis debet esse perpetuum, & continuum, & ita accidere nequit ex consensu alterius partis: præterquam quod non est certum, esse necessariam compassionem pulmonis, vt ex pleuritide excitetur tussis, de quo capite proprio disputabitur. Ad secundum respondeo, quod ex inflammatione solius duræ matris non fit phrenitis per propriam passionem, ob quod Galenus non dicit, nisi quod sit inflammatio membranarum, ita vt non sufficiat inflammatio duræ membranæ; bene tamen sufficiet inflammari solam piam matrem, hæc enim ita est cerebro adiuncta, quod repugnat dari tempus sensibile Medico inter illius inflammationem & delirium, atque impertinens duram membranam inflammari, si inflammetur pia. Nec obstat quod iam erit complicatio phrenitidis, & paraphrenitidis, si inflammetur vtraque membrana; nam etsi hoc sit verum quantum ad physicam rationem, non tamen in ordine ad curationem & Medicum, cum nihil curatiet, etsi inflammentur ambæ, & inflãmatio piæ omninò obscuret inflammationẽ duræ.

Notabitis tamen diligenter, impropriissimè loqui Authores dicentes in paraphrenitide dari delirium cum intermissione; in phrenitide autem esse perpetuum: errant enim planè, nam intrinsecum est paraphrenitidi delirium perpetuum, vt est phrenitidi veræ, quia non minus repugnat dari phrenitidem sine delirio, quàm paraphrenitidem. Et constat ex ipsa nominis etymologia, nullúsque verè dicitur paraphreniticus sine delirio, cum sit naturæ paraphrenitidis delirium per consensum. Differentia igitur constituta inter paraphrenitidem & phrenitidem veram, est quod morbus causans phrenitidem, tenetur continuè & sine intermissione, & à principio sui delirium inducere; at morbus causans paraphrenitidem, repugnat continuum delirium inducere, quod iam explicuimus.

Ex dictis constat non sine fundamento & ratione Valesium refelli à Magistro nostro *lib. de locis affect. disp. 7. cap. 10.* Putauit quippe Valesius septum non verum inflammatum tam perpetuum delirium inducere, vt inducit phrenitis. Contra quem ratio adducta à nobis est efficax. Probauimus enim ex natura alterationis cum contrario factæ, vt ex natura motus localis pendere, quod nulla pars trahens cerebrum in consensum possit a principio sui morbi causare delirium, idémque contingere ex Septi inflammatione. dubium non est, nec minùs certum, chimæricum esse eam analogiam, quam fuit machinatus Valesius inter septum transversum & cerebrum, & vt fundamentum assumit, vt septum inflammatum causet delirium perpetuum: nec minus imaginarium fecisse fundamentum, cum intendat rationem adducere rei alioqui falsæ, dari nimirum perpetuum delirium Septo inflammato, quod Galenus *3. de locis, capite 3.* citato docuit, dicens: *Sed quæ ob Septi transversi accidunt deliria, non multum à phreniticis distant.* Quia verò per non distare multum, intelligendum sit in tempore, & non alia ratione; constat ex alio loco eiusdem Authoris dicentis: *Ab aliarum partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto solo Septo, transverso, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo distat.* Quibus verbis non sine improprietate adductis apertè significat delirium Septi à continuo differre.

Et si inquiratis, vnde pendeat cerebrum compati magis cum septo transverso quàm partibus reliquis, vt inde deliret promptius & magis. Respondeo pendere ex communicatione harum partium cum magno neruo, habet enim Septum neruum insignem procedentem ex propaginibus neruorum vertebrarum ceruicis, & inde cerebrum facillimè & nimis in consensum trahitur. Est enim doctrina Galeni *3. de locis, capite 5. & 1. progn. comm. 28.* neruosas partes promptissimè lædere cerebrum: nec obstat obiectio Valesij, plus debere lædi cerebrum inflammato ventriculo, quia nerui huius partis immediatè originantur ex cerebro, non verò qui implantantur in Septum: nam magnitudo plus facit

quàm immediata processio & rectitudo maior. Quomodo autem delirium ex Septo distinguatur à vera phrenitide, *cap. proprio de inflammatione Septi* tradetur. Illud verò vel me tacente constat, verissimum esse quod dixi, posse scilicet dari delirium perpetuum, id est sine intermissione, per consensum, postquam semel incepit: nam Galenus *loco allegato*, docet delirium Septi parum à continuo distare, quæ doctrina interpretari non potest aliter, quàm quod etsi statim à principio inflammationis Septi non detur delirium, detur tamen paulò post, & postquam incepit, non desinit, sed continuo durat, & hoc est parum à continuo distare.

CAPVT IV.

De signis antecedentibus phrenitidem veram, & distinguentibus causas.

IN *cap.* 2. plurima signa traduntur à Princ. ostendentia futuram phrenitidem; desumpsit illa tum ex Galeno 5. *de locis cap.* 3. tum ex doctrina Hippocratis. Est verò magni momenti imminentem phrenitidem agnoscere, & ad præcautionē tanti mali, & ad Medici honorem, & ægrotantis commodum: hoc verò est duplex, & spirituale, & corporale, nam præcognita ventura phrenitide aut impeditur à perito Medico, & si id non assequatur omnino, saltem impedit ne tam fæviter ingruat. Confert non minus ad salutem animæ, nequit enim sine intellectu disponi, & repugnat aliquid agi meritoriè cum mentis deprauatione & errore. Vt ergo gratus Deo discedat ægrotans, agnoscere oportet imminentem phrenitidem, iubendusque statim vt impleat omnia Ecclesiæ sanctæ præcepta, quod præcipiendo implebit, & Medicus vulgo admirabilis fiet.

In primis ergo tenebit memoria periculosos affectus, quibus cerebrum consentit citissimè; eos partim Galenus retulit 5. *de locis cap.* 3. dicendo: *Fiunt & desipientiæ ex his qui ore ventriculi malè habent, & ardentibus febribus & pleuritide & peripneumonia: quæ verò ob septum, propriè phrenitides sunt.* Docuit etiam experimentum frequentissimè delirare ægrotantes per febres malignas, & hoc sine aliquo signo delirium venturum signante: in morbis enim malignis inopinatam & subitam transmissionem humorum sæpe tentat natura, & erroneè operando mittit in principem partem, quam debilē esse contingit: sicque stimulata veneno & turgida cerebrum lædit, & desperatas phrenitides causat.

Primum ergo signum delirij venturi sumitur ex defectu somni, quod retulit Hipp. 1. *progn.* dicendo: *Pessimum verò nec diu nec noctu dormire, nam aut dolore aut labore vigilabit, aut delirium succedet huic signo.* Itaque non dormiens citra manifestam occasionem doloris aut laboris, ratione quorum aliam quamcunque intelligere oportet, periclitatur delirare. Ratio à priori est, quia ab eisdem causis originatur delirium à quibus vigilia contra naturam, calore scilicet & siccitate cerebri, nomine verò laboris prout contra dolorem distinguitur, intelligere oportet lassitudinem spontaneam, ob hanc enim phrenitudine grauati ægrotantes remanent vigiles, quia à lassitudine ipsa expergefiunt.

Aliud signum sumitur ex motibus conuulsiuis brachiorum, quod in litera refert Auicenna dicens; *Et tremor & saltus membrorum cum ipso & ante ipsum, nuntiat ipsum, id est charabitum, seu phrenitidem.* Desumpsit ex Hip. octaue 6. *Aph* 25. dicente: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.* Galenus *in commento* docet, quod quando causa efficiens ardentis febris ad neruos transfertur, primùm tremores facit, deinde verò compatiente cerebro, & delira: nomine verò tremoris motum conuulsiuum intelligere oportet, causatum contractis partibus ad expellendam molestantem causam dum cerebrum petit; cessant verò tremuli motus superueniente delirio, quod tota materia cerebrum occupat, & neruos partesque musculosas non offendit. Hunc Aphorismum exposuimus latius *cap. de febre ardente*, vbi contra Galenum notauimus, non dixisse Hippocratem quod febris ardens soluatur superueniente tremore, sed quod tremores essent superueniente delirio, quia materia in transitu offendens partes sentientes, colligitur tota in cerebro, & natura amplius non mittit ex vasis: rarum tamen est non manere tremulos motus, etsi delirium adueniat, vt experimentum docet: contingit tamen aliquando, quod dixit Hippocrates *in Coacis prænotionibus*: ita in febribus ardentibus delirium soluit tremores. Ratio est quia quando mittit natura in partes neruosas & cerebrum, mittit symptomaticè & errans, & ita per totum morbum semper ferè mittit, quia rarò non sunt mortales, & ita in symptomatibus durat malignè, vnde etsi mittat quod sufficit ad causandum delirium, non cessat à transmissione, quia cùm in venis semper existat prima morbi origo, quandiu manent in illis humores maligni, mittuntur superius, vt inde videatur mihi probabilissimum per illam particulam *soluuntur delirio*, non solùm intelligi perfectam tremorum cessationem, sed terminationem in delirium, etsi maneant tremores; quasi diceret Hippocrates, qui in febribus ardentibus tremores fiunt, terminantur in delirium: legite circa hoc Manardum *lib.* 2. *epist. Epistola* 5. Hinc doctissimè Holerius dixit; si quis in ardente febre intremiscentem ægrum videat, qui sanus non tremebat, & à tremore deliret, conuulsionem potius præsagiat, quàm cessantem tremorem. Habetur *fol.* 381.

Galenus 5. *de locis* 3. tradens signa antecedentia phrenitidem, ita reliquit scriptum; *Ac antea quam inualescat præcedunt accidentia non pauca; eáque omnia phrenitica indicia vocantur. Videas enim aut vigilias, aut quosdam somnos manifestis imaginibus conturbatos antecedere. Vt clament nonnulli & exiliant, interdum verò irrationalis accidit oblimo, vt aliqui laborantes cum matellam petiuissent, meiere tamen neglexerint, & cum lotium emitterent matellam ipsam nequaquam prodere meminerint; interdum cum maiori tumultu & temeritate respondent, præsertim vbi aliquis antea fuerit mansuetus, atque ij omnes exiguo vtuntur potu; respiratio ipsis rara est & magna, pulsus minores magis quàm neruosos habent; nonnunquam dolor occiput infestat. Cùm verò iam proximè ad phrenitidem accedunt, oculi euadunt vehementer squalidi, aut ex altero eorum acris lacryma effunditur, atque inde lippitudo innatat, & venæ ipsorum sanguine plena videntur, & sanguis stillat ex naribus, quo tempore nihil quod exactè ad prudentiam pertineat respondent, & floccos auellunt, & festucas carpunt, atque aridiori febri, cui non ita magnæ mutationes in alterutram partem accedunt, torquentur, quemadmodum in aliis quibusdam febribus videre est, quæ per vigorem quidem grauissimè infestant, inclinationes verò habent mitiores. Ad hæc lingua quoque salebrosa est, nonnulli interdum audiendo falli videntur, ac interdum mœsti iacent, vix quidquam respondentes: hoc ergo modo* (inquit Galenus) *per cerebri affectum paulatim phrenitis euenire solet.* Hactenus Galenus, cuius doctrinam ad vnguem transtuli, quòd contineat omnia symptomata antecedentia phrenitidem, & illam etiam plura comitentur. Dependent quidem plurima ex attenta contemplatione obiectorum circa quæ delirant, deficiente verò animæ concursu & idonea aduertentia circa reliqua obiecta phreneticis proposita, ea nec concipiunt, nec sentiunt. Hinc procedit, quod etsi matellam petant, lotium tamen non emittant, quia distrahitur mens ob delirium, & sic non applicat necessaria ad mictionem: inde exiguo vtuntur potu, quia non sentiunt obiectum sitim mouens & potus appetitum, etiamsi aridiori febre torqueantur & satis siticulosa. Ob eandem causam re-

spirant

spirant magnè & tarè, & quia inflammatio incipit fieri, pulsus redditur neruosus & durus, & inde minores fiunt, quia inobediens redditur instrumentum: caput dolere antequam illud arripiat phrenitis, communissimum est ob raptum humorum antecedentem phrenitidem; quia vt dicitur *in Aph. Si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus firmatur.* Sic oculi squalidi fiunt vigilia & cerebri ardore exiccati; quod & acris lachryma ex sero humoris biliosi & exusti emanans, non leniter causare solet; sæpè verò retentrice oculorum insigniter læsa, humiditatem liberè permittit exire, & sic nolentes illacrymant, quod signum terribile appellauit Hippocrates. Ex repleto capite in oculorum venas regurgitare aliquid sanguinis calidioris, & per nares guttatim expelli nil mirum: acrimonia nimium irritat naturam, & oscula venarum recludit. Cur verò carpant festucas & floccos auellant, ex delirio, cum visus depravatione dependet, de quo in Prognosticis dicemus. Salebrosam & difficilem reddi linguam frequentissimum est, antequam adueniat phrenitis; nam vt exsiccatur præter modum, & grauatur fuliginum copiâ ascendentium in cerebrum, & ita malè tractabilis & difficulter mobilis redditur, & inde loquuntur tremulè.

Addit Auicenna *in hoc cap. Quod si sint signa agritudines acuta & praua febris, & stringitur natura, tunc illud nuntiat phrenitidem, & est ex fortibus nuntiis.* Hoc est, si adsit acuta febris & praua, & cum hoc aluus nimis sicca reddatur, nec excrementa deponat, signum fortè est futuræ phrenitidis & delirij. Aluum exsiccari per acutas febres, rationabile est, & inde absolutè non est tam timorosum signum: nam cùm tenui victu alatur ægrotans, & incendium febrile humiditatem qua redditur aluus lubrica, absumat, & quiescat æger pigrè, expelli alui excrementa analogum est & consonum acutis febribus, dummodo non colliquent. Solùm ergo meo videri est fortissimum signum futuræ phrenitidis quando ob duas causas stercora non deponuntur. Prima est, quando ob mentem iam incipientem detrahi, non sentitur excrementi molestia, habètque eandem vim hoc signum sicut non appetere potum, vt dixit Galenus. Secunda est, quod aluus ob raptum bilis ad partes supernas, non recipit consuetam bilis portionem irritantem naturam vt excrementa pellat, tunc enim est fortissimum signum, habètque eandem vim cum vrina alba & perspicua, ob eandem motionem bilis ad cerebrum, quam inter signa phrenitica constituit Auicenna dicẽs: *Quod si vrina aut alui excrementa extra vasis positionem in lectulo deponuntur, perniciosum signum existit, & ex fortissimis signis putandum*: arguit enim extremam mentis distractionẽ, & in rebus tam consuetis à communi modo expellendi discedere, & operari tam sordidè, sine multa læsione fieri nequit: vt ob id putauerit Auicenna in hoc capite iam esse præsentem phrenitidem, quando sic expellitur vrina. Vrinæ sublimamentum aliquando significat delirium. Ita Hippocrates *in Coacis*, dicens: *Deliria quæ circa necessaria contingunt, pessima.* Idem significat esse iam præsentem causam dolendi, & non sentiri dolorem, iuxta *Aph. 6. secunda sectionis. Quicumque* (inquit Hippocrates) *aliqua parte corporis dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.*

Idem Auctor in Coacis ex surditate phrenitidem præsagit dicens: *In acuta febre aures surdescere furiosum*: quod signum necessarium non est, quia sine surditate delirant quammulti & plurimi surdi; è contra nullo modo delirant, sed sæpe terminantur in bonum. Ex adiunctis ergo tenetur Medicus distinguere quod portendat surditas, nam omnia signa ambigua ex adiunctis distinguenda sunt: nam Apollonius, virgo Abderitæ, Heropitus, & Hermocrates cum surditate nullo modo delirarũt in Epidemiis. Significat verò delirium ob proximitatem cerebri: frequentius parotidas innuit, interim verò sanguinis fluxum: ex surditate verò & sublimamento vrinæ delirium præsagit Hippocrates *in Coacis*, dicens: *Progressu morbi surditas cum vrina subrubra fuerint, quæ nihil deponant sedimenti, & sublimamentũ habeant, emouendæ mẽtis est signum.* Sæpe enim sanguis febri calefactus, colliquatur, colliquatus verò in bilem rubiã degenerat, quæ reuera serum sanguinis eliquati existit. Dum verò sanguis calefit, flatus & vaporis multa copia eleuatur ex parte crudiori sanguinis, flatus verò crassior sursum tendens duo facit; & secum vehere in cerebrum quo potest impulsu, & caput replere; altera est distemperare, vnde deliriũ timetur. Hanc copiam flatus significat sublimamentum in vrina, impedientem descensum crassioris partis ad matellæ fundum, & ideò capiti timendum est. Idem Hippocrates 1. *Progn.* ex dentium stridore per febres delirium & phrenitidem præsagit & mortem, dicit enim: *Dentibus stridere in febribus, quibus non est consuetum à pueritia, furibundum & mortale.* Fit enim dentium stridor motu conuulsiuo, contractis musculis maxillam infernã mouentibus, eo quòd ab atræ bilis malignis vaporibus petentibus cerebrum irritentur nimis, & ad eorum expulsionẽ contrahantur.

Sunt ergo duo generalia signa, comprehendunt tamen in se multa particularia, ex quibus tenetur Medicus futuram & eminentem phrenitidem pertimescere. Ea tradidit admirandus Hippocrates *in Coacis prænotionibus*, dicens: *Facere quid præter consuetudinem, velut instituere, velléque quæ prius non consueuerat, aut contrarium iis quæ fuerunt consueta, malum & dementia proximum.* Multa ad hanc præcognitionem pertinentia tradidit idem Auctor *in eodem opere & prorrheticis.*

Deinde Auicenna ex læsione potentiarum internarum conatur inuestigare partem magis affectam cerebri, & dicit quod quando aposthema fit in parte anteriori, corrumpitur & deprauatur imaginatio; & si fit in medio cerebri, deprauatur cognitio, & loquitur plurima cum alienatione & defecto discursus; & si afficiatur pars posterior cerebri, obliuiscitur eorum quæ videt, petit matellam & obliuiscitur mingere: quæ doctrina dependet ex opinione ponentium internas potentias in diuersis partibus cerebri, & ita læduntur prout organa in quibus collocantur, afficiuntur; & quia imaginatio collocatur in parte anteriori, cogitatiua in medio, memoria in postica parte, ideo læduntur istæ potentiæ eo modo quo Auicenna retulit. Quia verò probabilius iudico, quamlibet internã potẽtiam esse in toto cerebro, licet vigeat magis in vna parte quàm in alia; ideò putandum est, non contingere deprauationem in vna potentia & non in alia, quia sit diuersa pars affecta, sed ob maiorem, vel minorem intensionem caloris aut siccitatis: vt quia imaginatio ad opus minorem calorem requirit, deprauetur antea quam cogitatiua, & memoria: & quia memoria requirit plus caloris quàm reliquæ, deprauetur tardiùs, de quo latissimè egimus *tractatu de Deliriis.*

Tandem Auctor adducit signa ostendentia phrenitidem ortam ex alio primo morbo, vt ex pleuritide, pulmonia, ore ventriculi malè affecto: Sunt verò ea quæ ostendunt pleuritidem & reliquas passiones, & tradentur à nobis *propriis capitibus.*

Deinde tradidit signa ostendentia humorem causantem phrenitidem, & dicit, quod si à sanguine pendeat, delirant cum risu, & accidunt distillationes sanguineæ ex naribus, & magnificatur eius spiritus, & oculi illacrymant, & non habet vigiliam superfluam, lingua redditur aspera cum rubedine tendente ad nigritiem, cum insigni grauitate, ita vt pigrè loquatur ob linguæ grauitatem: venæ oculorum & frontis sanguine plenæ apparent, & accidit eis frequentia sedendi absque necessitate.

Delirare cum risu sanguini conuenire docet communis Schola Medicorum, & colligit ex doctrina Hippocr. 6. *Aph. sect.* 53. dicentis: *Desipientia quæ cum*

risu fiunt, securiores: quæ verò studio, periculosiores: non enim securiores putantur, nisi quia pendent ex causa benigniori, sanguine scilicet. Stillat sanguis è naribus ob multitudinem grauantem cerebrum: respiratio seu spiritus magnificatur, id est fit magnus. Rationem reddit Gentilis, quia calor sanguinis incitat ad hoc, & non indurat instrumenta vt impediantur. Vnde inquit, quamuis sit magnus anhelitus in aliis speciebus phrenitidis, est tamen maior in sanguineo. Quæ doctrina mihi non probatur, quia instrumenta respirandi nullo modo læduntur in phrenesi, præsertim in principio, & ita in quauis specie erunt satis idonea ad magnitudinem debitam: Præterquam quod calor biliosæ phrenitidis intensior est, exposcens maiorem dilatationem thoracis. Addit Iacobus quod in sanguineis seruatur maior robur in facultate, in reliquis debilitatur; quod minùs probo, cum id non sit perpetuum, deficere scilicet virtutem in biliosa ad magnam dilatationem, imò tales vehementes motiones elicere constat. Potius ergo putandum est, non loqui comparatiuè Auicennam, sed absolutè; sed neque hoc videtur verum, cùm tradat signa distinguentia causas à causis.

Dicendum existimo, quod biliosi retardant minus respirationem, quia etsi delirent, vt reliqui, habent molestissimas fuligines ob naturam acerrimam, & ita calor molestus minus permittit distrahere vim mouentem thoracem contra objecta deliriorum, & ita non indigent tam magna respiratione vt sanguinei: nam isti ob mulcebrem naturam fuliginum minus irritantur ab incendio & calore, & ita detinentur diutius sine respiratione circa objecta deliriorum: quò autem plus detinentur, indigent postea majori motione thoracis. Itaque ex accidenti calor cordis augetur magis in sanguineo quàm in bilioso, & ita plus magnificatur eius spiritus, oculi distillant ob nimiam humiditatem cerebri: est enim sanguis abundans humidus, lingua aspera redditur ob calorem exsiccantem, tendit primò ad rubedinē; deinde nigrescit, quia sanguinis vapor primò rubens est, deinde, detentus assatur & nigredinem concipit, vt in externis apparet; & quia sanguis replet venas linguæ & multum euapotat, lingua grauatur vt pigiè & tardè mouaatur ad loquendum Phantasiæ eius sunt rubeæ, quia cùm moueatur vapor sanguinis, multitudo fit ante oculos, & rubra conspiciant, delirëntque; alioqui facilè putant omnia rubra esse, quia vaporibus decipiuntur, & inclinantur ad iudicandum quod alia objecta rubra appareor. Vigiliæ non superfluunt in sanguinea phrenitide, quia vapores sunt humidi, vnde etsi propter calorem ad vigilias inclinentur, ob humiditatem inclinantur ad somnum. Sedent & stant absqoe occasione, quia ratione delirij sæpe surgunt, grauati verò ob multitudinem sanguinis coguntur sedere, & ita modò vnum, modò aliud operantur, Dices contra Gentilem, sedere ob grauitatem & lassitudinem, non est sedere sine necessitate. Respondetur ita esse, sed quia sine necessitate surgunt, vterque motus sine illa putator.

Si verò causa mali sit bilis. Vigilia superflua infestat, quia ex siccitate & calore causatur, oculi mouentur facillimè, quia non grauat bilis; & absumendo excrementa, promptissimos reddit musculos eorum ad motum: asperitas linguæ ob intensam siccitatem, ob nimiam resolutionem humiditatis nimia est, cum colore pallido bili analogo. *Deinde fit nigra* (inquit Auicenna) quia exsiccatio immodica cum calore talem colorem producit in carne; *febris est fortis*, quia nimis accenditur bilis ob defectum frigoris resistentis. *Et multiplicatur amor tergendi oculos*, quia icores aut fuligines acres perpetuò irritant; *& ingreditur in mores eorum rapacitas & audacia*, eo quod adusta & putrefacta bilis incipit illos efficere maniacos, & temerarios, & audaces, cum contentione & iracundo sermone, sicque cum ferocia præsentes aspiciunt, quasi iracundi; *nares attenuantur*, quia ob superfluam vigiliam & impetuosos assiduósque motus exsiccantur & resoluuntur. Demonstratur verò huiusmodi extenuatio in parte extrema narium, quia ibi sunt crassiuiculæ, & aliquid carnis participant, quod contabescere potest, & sic extenuationem innuere; ob eandem causam *tenditur frons seu trahitur ad superiora*, quia exsiccata caro vnitur magis in se.

Si verò ex cholera adusta causetur phrenitis, omnia dicta intenduntur, & ferociores fiunt, vt maniaci, & spiritus magnificatur. hoc est, respiratio fit magna. Rationem reddit Gentilis, quia tales sunt fixi in imaginationibus & deliriis, & ita obliuiscuntur respirationis, & cum cresсat vsus immodiцè, tempore obliuionis coguntur respirare magnè ad attemperandum incendium, quod tempore obliuionis increuit Quam doctrinam probare non possumus, nam esse fixos in imaginationibus, nullis minus conuenit quàm biliosis adustis; quia cum multa cerebri caliditate coniungitur semper agitatio perpetua vaporum & spirituum, & cōtinua permutatio obiectorum, vt *in tract. de deliriis* abundè diximus. Nec sibi constat Gentilis, & clare refragatur Auicennæ: ponens enim signa ad cognoscendam maniam ex bile adusta, dicit in ea fieri permutationes ad contentionem velocius, & non recordatur odij, sicut recordabatur maniacus ex melancholia adusta, cuius diuersitatis rationem reddens Gentilis, docet naturam bilis adustæ esse multæ mobilitatis, & sic non firmantur in ea species, & ita non recordantur, propter multam mobilitatem in suis imaginationibus.

Putandum ergo est, magnam esse respirationem, quia in adusta bile est insigne incendium; & acrimonia fuliginum vehementer lancinat, & molestat, & cum sint ita affecti, iracundi & contentiosi, cor exardescit animi passione & vehementibus motibus, & ita magnam allíciunt respirationem. Addit Auicenna, *quod in phrenitide ex cholera adusta magnificatur inquisitio, & oculi sunt conturbati.* Ratio prima est, quia velox imaginatio & depravatio semper proponit externa objecta, quæ manibus conantur apprehendere, & sic cùm non inueniant magno conatu inquirentes illa, diuersis motionibus agitant manus & brachia, quasi palpantes iam & apprehendentes objecta exterioa proposita: quia verò hæc solent proponi expulsis exterius per oculos portiunculis humoris adusti & agitati, ideo conturbantur eorum oculi: amittunt etiam splendorem natiuum, & denigrantur ex vaporibus bilis adustæ; sicque conturbati apparent. Inquit tandem Auicenna, quod *sibare est causa huius phrenitidis*; id est mania furiosa quæ Dæmonium ab hoc Auctore appellatur, & ex atræ bilis adustione dependet: terminari solet in apostema cerebri, & est affectio composita ex mania & phrenitide; aut causa aorea efficiens maniam fluens copiosius in cerebrum, inflammationem & phrenitidem causat. Tandem docet Auicenna, quod phrenitis terminari solet aut permutari in lethargum & in cerebri corruptionem, & in hecticam febrem, traditque signa has permutationes monstrantia, quæ abunde docentur propriis capitibus.

CAPVT V.

De Prognosticis phrenitidis.

Optimè docuit Tralianus capite proprio, phrenitidem esse acutissimum morbum & periculo plenum; vnde & Galenus testatur 1. *Prog. comm.* 23. omne genus phrenitidis esse exitiale; sicque exponens Hippocratem 6. *Aph. text.* 53. dicentem: *Desipientia cum risu securiores, quæ verò cum studio fiunt, periculosiores*: quasi

carpens

carpens Hippocratē dicit: Nulla desipientia secuta est. Cùm verò differant omnes ex causis, minus periculosæ putantur excitatæ cum risu, quia pendent ex sanguine, maligniores censentur pendentes à bile, sed exitiales omnino quas atra bilis causabit. Est etiam summa pernicies vrinas albas & perspicuas adesse, vt *Aph. 72. lib. 4.* tradidit Hippocrates, quem imitatus Auicenna dixit; *Et nullus Phreneticorū visus est, cuius vrina fuerit sicut aqua, qui euaserit; significat enim totalem bilis raptum in cerebrum:* estque extrema distantia in bilioso morbo aqueas apparere vrinas, & cum extrema cruditas longum tempus ad materiæ coctionem requirat, quod non concedit acuties phrenitidis, lethale omnino signum putatur. Vnde Galenus *in commento: Nullum,* inquit, *vidi delirantem, in quo talis vrina apparuisset, saluatum.* Idem iudicium ferendum, si albæ sint dejectiones, significat enim tam deprauatam esse attrahentem cerebri aut expellentem vasorum, quod superent naturalem attrahentem vesicæ felleæ aut renum consuetas, alioqui per totam vitam attrahere. Vndo *primo Prorrhet. text.* 13. albas dejectiones in phrenitide damnat Hippocrates; virgo Larissa in Epid. Idem Auctor 3. *Epid. sect. 3. commento* 55. dixit, acutissimam phrenitidem esse incipientem statim à primo die febris, & semper ante septimum interficere.

Perpetuò vigilare licet vt signum multam perniciem non innuat, est enim symptoma morbo analogum, quia vt petit continuum delirium, petit similiter continuam vigiliam, quia delirium vigilia quædam est; at verò vt causa est nimis perniciosa, quod non minus vires labefcant sub illa, quàm sub quouis alio labore, teste Galeno, vnde somni conciliatio optimum signum, præcipuè si ab eodem delirium mitescat; vt docuit Hippocrates 2. *Aph. text.* 2. dicens. *Vbi somnus delirium sedat bonum*; si verò dormiendo adhuc tremulè agitentur, manibus palpent & delirè loquantur, pessimum est: non enim ita conciliatur somnus suaui euaporatione ad cerebrum, sed multitudine potius succi maligni cerebrum obstruente sensus obcæcantur, sicque non minus delirant quàm si vigilarent: quod si inter dormiendum, aut si vigilando dentibus stridéant Phrenitici, desperata res est, vt in 1. *Progn.* scriptum reliquit Hippocrates: *Dentibus stridere in febribus, quibus non est consuetum à pueritia, furibundum & mortale; si verò & mente commotus hoc faciat, admodum exitiosum iam fit.* Ratio est, quia firmari causam significat, & malum in deterius tendere; nam si stridor antecessit delirium, & non cessat delirio superueniente, quod minuere solet, aut tollere omnino objecti molestiam, malignè irritantem causam significat, & magnam vim sortiti; si verò stridor non præcessit delirium, sed superuenit potius, significat non minus morbi incrementum, & malum augeri, & iam incipere conuulsionem musculorum mouentium inferiorem maxillam. Delirare enim prius sine stridore, & deinde stridere, contingere nequit sine morbi augmento, & ita non minus graue est vnum quàm aliud, quidquid dicat Valesius. Alia quamplurima præsagia notabitis per *lib. prædictionum* Hippocratis, & *in Coacis Prænot.*

Soluitur sanguinis fluxu ex naribus, & sudore copioso à capite emanante, si simul etiam totum inundet, vt testatur Galenus 3. *de Crisibus*, & calidus sit; esse tamen vehementissimos motus in phreniticis experimento constat, & Galenus notauit 3. *de causis symptomatum, cap.* 3. & reducit causam in siccitatem & calorem neruorum, sed non parum facit iracundia & doloris defectus, & quia totum animum applicant.

A

CAPVT VI.

De curatione Phrenitidis.

IN *capite* 3. tradidit Auicenna curationem huius mali. Dicit primò communem curam esse in omnibus speciebus veræ phrenitidis sanguinem mittere ex vena cephalica; ita docent Galenus 13. *methodi, cap* 21. Paulus *lib. 3. cap.* 6. Tralianus *lib. 1. cap.* 13. estque communis Medicorum consensus, etsi non desint aliqui putantes contrarium. In hanc partem tradidit Celsus Asclepiadem dicentem, nihil aliud esse sanguinem mittere in phrenitide, quàm trucidare eos. Fundamentum

B erat quia sanguinis missio in declinatione febris efficienda est; at phrenitici carent declinationibus, qui alioqui non delirarent perpetuò. Mercurialis alia adiungit fundamenta, scilicet quod phrenitici careant dolore, quod facilè cadant in syncopem, quod corpus infrigidatur, indéque crassiores redduntur humores, & minus discussionis capaces, quæ omnia desumpsit ex Aureliano egregiè contra Asclepiadem pugnante. Gentilis super hoc caput pertinaciter sustinet in biliosa phrenitide sanguinem mittendum non esse, quia duceretur æger ad cholericorum efferuescentiam, & deterior redderetur affectio, & acerrima causa; & confirmat, quia in Erysipelate puro sanguinis missionem Auicenna vituperat: ergo & in phrenitide ex sola bile vituperanda est.

C Sed sententia Auicennæ sequenda est, quam tradunt omnes classici Græci, & Aurelianus acriter Asclepiadem carpit, quòd tanto auxilio phreniticos priuat *Cum videamus* (inquit) *in ipso remedij vsu sæpe passionem fecisse compendium.* Indicatio remedij sumitur ex humoris affluxu in partem tam nobilem, & cùm missio sanguinis tam potenter reuellat, vt celebre auxilium putatur. Item quod cerebrum obsidet magnopere vrget, cuius euacuatio in morbi principio alio auxilio methodicè fieri nequit, & cum humor quicunque fluit per vasa communia, commodissimè reuellitur & extrahitur secta vena, cerebrum attemperatur, ventilatio maior inde eitur, & cerebrum & vasa deobstruuntur. Est autem sanguis extrahendus in majori, vel minori copia, considerata natura corporis, virium consensu & causa efficien-

D te malum; audacius nimirum extrahimus in sanguinea minus in biliosa, & minus in melancholica Mercurialis imponit falsò Aretheo negasse missionem sanguinis in biliosa phrenitide, cùm nec verbum faciat de hoc. Sed dum tradit hic Auctor esse extrahendum plus sanguinis dum præcordia afficiuntur, quàm dum cerebrum patitur; dicit igitur si membrum hoc fuerit affectum, venam cubiti scindere non conuenit, vbi videtur negare missionem sanguinis, quando caput per propriam passionem laborat, sed id non dicit, sed quod non secetur vena interna seu basilica, quando caput primaria passione infestatur, sed cephalica aut communis, vt mox dicemus.

Asclepiadis ratio fallacissima est; alioqui in conti-

E nentibus febribus assiduè crescentibus & seruantibus eundem tenorem, arcenda esset sanguinis missio, quia nunquam inclinant. Respondet ergo eleganter Celsus *lib. 3. cap.* 18. dicendo: *Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda*: & continua quoque febris habet tempora quibus etsi non remittit, non tamen increscit, estque hoc vt non optimum, sic tamen secundum remedij tempus, præterquam quod est absurdum phreniticos non habere febrium suarum remissionem; verùm si contingat illa priuari, fiet nihilominus auxilium, quia in periculo præcipiti alius locus operandi non datur; quod careat dolore non obstat, ad mittendum sanguinem, nec esse syncopi expositos; nam ob hanc indi-

cationem

cationem cessamus à remedio, quando instat syncope, & id Auicenna præcipit, & metu futuræ syncopis extrahimus minus, vt docent omnes Practici. Incrassari verò humores cerebri detracto sanguine, sine ratione dicitur: non enim quæuis infrigidatio incrassat, magna enim requiritur ad nouam densitatem causandam. In erysipelate cerebri sanguinem mittendum esse constat ex dictis, cum fluat humor per vasa communia; & licet concedamus seorsum mitti biliosum humorem, tamen cum mittatur ex loco, in quo cum sanguine coniunctus existit, optimè extrahitur cum aliis humoribus, suntque plurimæ indicationes ad hoc remedium, etsi biliosus humor expurgationem desideret.

Sed ex qua vena extrahendus sanguis, magnum dissidium est inter Medicos, tum ob dispositionem corporis, tum ob vehementes motiones phreneticorum. In hominibus existente plenitudine optimè secatur primò communis, respicit enim totum & cerebrum; in quo mihi videtur manifestus error doctissimi Holerij, putantis esse mittendum sanguinem ex basilica si plenitudo grauet. Idem docuit Alsarius: contrarium enim ratio adducta suadet. Est enim amethodum, in vrgentibus morbis simplicem reuulsionem moliri, cum semper vrgeat suo modo quod in parte mortalem passionem generat: constat verò, basilicam nihil ex capite extrahere. Quod docemus tradidit expresè Aëtius *Tetrab. 2. sermone 2. c. 2.* & consulit Aretheus *c. proprio*: mox verò ad Cephalicam veniendum, vt extrahatur quod phlegmonem generat, hócque faciendum eodem die, nam in tam acutis passionibus tardum putatur auxilium, semel tantùm in die sanguinem mittere, si vires sustineant; æstuat enim cerebrum, vnde & calore & sensatione continua sanguinem rapit ad se, & ocyssimè impletur, & per consequens celeriter euacuandum.

Si verò menstrua defecerint & phrenetica reddatur mulier, docet Eustachius primò esse secandam venam cephalicam, ne auxilium sit tardum; nam inter initia, inquit, magis potest capitis inflammatio ad iudicandum: deinde post sex aut septem horas pro integra diuersione, & quia durat fomentum ex mensibus suppressis, venæ infernæ aperiendæ sunt aut scarificandæ cucurbitæ: idéoque faciendum est in mariscis suppressis. Idem docet Heurnius *tractatu de morbis capitis cap. 10.* Platerius *lib. 1. obseruat*, in phrenitica ex partu malè purgata cum vehementer delitaret, in scapulis & humeris primò cucurbitas scarificauit.

Contrarium putat Ludouicus Mercat. *lib. 1. de internis morbis, cap. 11.* qui non semel, sed bis ex talo sanguinem extrahit. Deinde ex venis cephalicis. Ego verò neutrum censeo perpetuum, sed operandum esse iuxta vrgentiam phrenitidis. Si enim incipiens sit, & quod cerebrum molestat, nimium non sit, tutissimè secatur vena in maleolis bis in die, deinde ad cephalicam confugitur; si verò delirium sit nimium, pulsus durus appareat, oculi rubeant, & caput turgidum percipiatur, sintque alia signa multitudinis collectæ in cerebro, sequenda est opinio Eustachij quantum ad sectionem cephalicæ. Non tamen quantum ad secundum perpetuò, nam si per primam sectionem vrgentiæ & plenitudini capitis satisfactum non sit, non est recurrendum ad talos, cum duret prima indicatio, ob quam menstrua contemnebantur. Si verò per primam sectionem cephalicæ moderetur delirium, & quæ ad caput pertinent, remissa videantur, secabitur vena maleoli; quod si contingat virtutem sustinere posse simul duas euacuationes, sitque nimium quod caput molestat, & quod vterus solet purgare, secabitur commodissimè simul vena in talo, & in brachio: nam in vrgentibus malis celeriter operandum est, & sic optimè satisfit vtrique indicationi euacuando à parte mittente, reuellendóque ad originem fluxionis, & extrahendo per sectionem cephalicæ quod in capite vrget; quod si per bonam valetudinem moderata erat per vterum expurgatio, contemni potest.

Si verò nimia (est verò circa quæstionem eximia varietas) magnam præbet indicationem, quod vterus transmittere potest in cerebrum, & hoc est summè notandum à Medico, vt faciliùs deliberet qualiter secanda sit vena. In recenter enixis eadem seruabitur methodus, licet in his vteri purgamenta maturis sine momenti, quia multum est, quod vterus accumulauit tempore gestationis vteri, & ideò etsi actu fluant lochiales purgationes & copiosè, extrahere oportet. Primò secta vena in talo, quod fluxurum & transmittendum in caput timemus; deinde ad superiores venas occurrendum, seruato communi præcepto, nimirum quod secetur vena superior appositis cucurbitis in partibus inferioribus, & in parte interna inguinum, vt contineant tractionis impetum, quod transferendum in cerebrum sectione venæ partis superioris. Sic molestæ ligaturæ in cruribus, & continuæ frictiones, & appositio medicamentorum mouentium purgationem menstruam, aut à partu, multum conferunt ad impediendum ascensum humorum in cerebrum, quod mirè præstant cucurbitæ partibus internis inguinum, iuxta pubem scarificatæ; reuellunt quidem mirificè à capite, & purgationi vteri mirè & strenuè auxiliantur. Mulieres verò crura assiduè fricantes volas manuum inungant oleo liliorum alborum, irino, rutaceo, camameli, & amygdalarum amararum, vel anethino: sic enim fit attractio maior ad inferiora, & resoluitur aliquid attracti, vt inde capaciores partes reddantur ad suscipiendum quod efficaciâ frictionum attrahitur. Sed doctus Heurnius habuit contra hoc singularem doctrinam; dicit enim, si maxima adest sanguinis vbertas, primò cephalica aperiatur; si parcior copia sanguinis adsit, mediana referetur; si adhuc minutior, basilica; tradit pro se Auicennam nostrum, sed malè: tale enim non docet in hoc capite.

Est commune præceptum, extrahendum esse minus, quàm expostulat morbus, ob superfluam vigiliam, vociferationes, inquietudinem, & motus vehementes, assiduè & multùm debilitatam virtutē; verùm id quod extrahi debet, efficiendū celeriter, quia acutissimus morbus celerrimè etiam mouetur & cum magno periculo.

Est tamen aliquando tanta phreneticorum ferocia, quod brachium negantes & impetuosè mouentes non permittant tam celebre auxilium iis: quo casu docet Auicenna esse secandam frontis venam. Idem docet Paulus *lib. 3. cap. 6.* Tralianus id experimento firmauit, extrahendo semel magnam quantitatem ex recta vena frontis. Idem faciendum docent Medici, quando ob impetuosos motus brachiorum timemus venæ coalitum, ita vt sanguis compesci non possit. Secant enim venam in fronte, quia caput non ita agitatur vt brachia; in quo casu Eustachius distinctione vtitur; inquit enim, quod si biliosa phrenitis sit, & caput æstuet, faciendum quod relati docent Medici; nam timendum est ne calore capitis insignis attractio fiat. Si verò sanguinea sit phrenitis, non egemus (inquit,) auxilio tam celeri, ideo ne sanguis attrahatur in cerebrum, secando primò venam frontis ante illam ad reuellendum, scarificandæ sunt cucurbitæ in partibus inferioribus, deinde supernis applicandæ ad deriuationem, & paulò pòst (nam spatio vigintiquatuor horarum hæc omnia peragenda) venam frontis aperire docet. In qua hypothesi non semel tantùm euacuandum ex frontis vena, sed repetenda est venæ sectio, vt vrgentia indicat, nam cum ex toto nihil euacuatum supponatur, leuissimum erit auxilium semel tantùm vacuare, vt multi faciunt. Secantur etiam venæ in partibus nasi interioribus, licèt vt Gentilis consulit, efficaciùs & meliùs extrahatur appositis hyrudinibus, quæ etiam post aures, & in aliis partibus capitis applicantur

applicantur ad euacuandam materiam internam; suntque multi vsus si applicantur mariscis, quando ex earum suppressione ortum traxit phrenitis, vt per bonam valetudinem erant consuetæ: præsertim si ex sanguine melancholicô causetur. Nec minus conferunt in suppressione enixarum, & menstruorum defectu: dixit enim Hippocrates 6. *Aph. textu* 21. In insanientibus, *si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio*; & ideò adhuc sine suppressione aliqua hyrudines hæmorrhoïdibus applicatæ commendantur. Fallitur tamen Alsarius, putans *in commento* dixisse Galenum esse inutiles hæmorrhoïdas, vel varices, si propter bilem vel alium humorem æger insaniat, cùm nec verbum de hoc tradat. Et 4. *de sanitate tuenda, cap.* 4. docuit totum corpus euacuari per hæmorrhoïdas æquè & per sanguinis missionem.

Docet deinceps Auicenna; *Et pone super caput eius in principio oleum rosaceum cum aceto infrigidatum* aiat. In principio docet esse apponendum oxirrhodinum; Est autem principium fluxionis tempus, & licet communis praxis doceat non esse applicanda remedia topica ante euacuationem totius, non licet in hoc malo perfectam euacuationem permittere ante oxirrhodini appositionem; nam etsi fine frustretur repulsionis, inducit commoda multa eius applicationem accelerantia: primò quia cerebrum calefactum est immodicè, præcipuè vbi bilis adusta in causa est, & ita vt inducat refrigerium. Secundò quia cum delirent ob calorem, mitigatur delirium. Tertiò, quia calor nimius (vt est phreneticorum) trahit potenter, & ita remittendus est. Ob quod Trallianus dicebat, *ne ipsum cum calidum sit liberalius humores trahat & ipsis repleatur.* Quartò, quia ratione caloris vigilant perpetuò, & ita ad somni conciliationem refrigerio egent. Quintò, quia non tantùm delirant, & vigilant ratione caloris, sed etiam resolutione nimia cerebrum & nerui exsiccantur, sicque in conuulsionem desperatam incidunt. Adstringitur etiam cerebrum frigore oxirrhodini vt minus recipiat: spiritus pauciores redduntur, & minus resolubiles. In principio igitur attemperandum; statim, inquam, missione sanguinis. Id docet 3. *meth. cap.* 2. & 11. *cap.* 12. dicit; *& reprimentibus inter initia vtendum.* Idem docet 2. *localium medic. cap. de dolore capitis ex plaga.* Quæ praxis sequenda est præcipuè in biliosa phrenitide, & atrabiliaria exustione, nam in sanguinea minus vrget; & ideo maiorem euacuationem permittemus ante attemperantium appositionem. Communiter paratur oxirrhodinum ex oleo aqua & aceto rosarum, vt sit aceti ℥j. olei ℥ij. aquæ ℥viij. acetum quia acre & siccum & membranis neruisque inimicum, vigilias vrgens, & dolorem non mitigans, non iniicitur vt medicamentum, sed vt vehiculum reliquorum; est enim partium tenuium, & summè adiuuat auxiliorum conuenientium intromissionem, vt eleganter docuit Galenus 2. *local. cap.* 1. & in aliis cap. 6. *Sed quantum per sincipue* (inquit Galenus) *nec enim per aliam quampiam corporis partem transitus patet, pharmaci facultatem intro penetrare volumus, tunc sanè ad admixtionem alicuius eorum quæ propria natura auxiliantur, & in profundum ducunt, deuenimus.* Adiungit Galenus mitigari noxam aceti admixtione aliorum medicamentorum. Est autem aliquorum consilium quos refert Alsarius, loco aceti esse admiscendos succos acidos, limonum aut citri, vel arantiorum; adiuuant enim penetrationem, & sunt minus noxij quàm acetum, quando somnum Medicus conciliat: stimulant nimirum minus naturam & sunt minus sicci, & per consequens minus expergefaciunt quàm acetum.

Est autem tutum consilium semper admiscere conciliantia somnum: nunquam enim non est procurandus in delirantibus, vt si decoctum paretur ex floribus nimphææ, violarum, rosarum rubrarum, lactucæ, & se-

A minis eius, portulacæ, anethi viridis, & cap. papaueris albi: de quo decocto sumatur ℔.j. olei ros. ℥ij. ß. aceti ros. ℥j. ß. quæ agitanda sunt, vt oleum non supernatet, sed bene misceatur cum reliquis. Notat Galenus 13. *Meth. cap.* 21. vim huius aut alterius medicamenti intro magis ferri per impetum, quando ex alto cadit medicamentum, & sic non dubiè faciendum per quartam horæ partem. Deinde caput mundatum in linteo oxirrhodinum accipiat mutandū crebrò ne incalescat: ob quod docet contra Galenum Mercurialis olea non esse admiscenda, quia inflammantur; sed peccat, quia præterquam quod sic durat magis humectatio medicamenti, negari non potest oleum ros. mitigare dolores, conciliare somnum, & contra inflammationes mirè pugnare, & quod magis est, obstat excitationi
B cerebri, membranarum & neruorum, phrenitidis familiari & funestæ. Cauendi tamen oculi ab eo, vt cauendus immodicus vsus, ne phrenitis in lethargum mutetur: ob quod censent multi esse applicanda hæc repellentia actu calida. Sed sine fundamento; nam Auicenna infrigidat niue, & Galenus 2. *localium. cap. cit.* in æstate saltem frigida commendat, & optimè Massarias notauit frustrari fine repellēdi si actu calida applicentur; nam repellentia in rigore frigore potius quàm adstringendo repellunt: in hyeme verò & eunuchis & fœminis timuit Galenus actu frigida applicari, nam mollior natura frigidi occursum non facilè sustinet. Idem in pueris obseruandum. Quod si spuria sit phrenitis ex admixtione pituitæ aut melancholiæ, cum bile, moderandus vsus frigidorum repellen-
C tium, & minus frigida admouenda, eis solis tamen vtendum per primos duos dies, nam tardò tempus fluxionis, seu principium vniuersale ad plures extenditur: deinde resoluentia modicè admiscenda, vt postea tradetur. Notat tamen Auicenna, quod si apostema, seu inflammatio partibus externis communicatur, non sint applicanda repercussiua, tum quia frustrantur fine ob materiæ multitudinem, tum etiam quia interdum malum augetur repulsa intro materia, quæ externa molestat.

Non tantùm sincipiti, sed etiam collo applicant oxirrhodinum, & dorsum inungunt multi vnguento refrigerante cucurbitæ aut rosarum, sæpius loto aqua & aceto; sic enim putant feruorem vasorum moderari prope dorsum existentium, à quibus cerebrum fre-
D quentius patitur, impediturque simul halituum eleuatio in cerebrum. De appositione oxirrhodini in collo fecit mentionem Galenus 11. *in fine*, dicens: *Sed potiùs ex rosaceo capiti, colloque imponere*; ex cuius doctrina relatum præceptum sumpserunt Auctores.

At Cælius Aurelianus rosaceum vituperat ob adstrictionem, qua & phlegmonem adstringit, meatus occludit, & sic impedit materiæ resolutionem, vnde vtitur ipse misso iam sanguine fomento ex oleo dulci solo, deinde ad maiora resoluentia deuenit; sed indexterè opinatur ob adductas rationes in principio, nec enim tempore fluxionis resolutionem materiæ Medicus intendit, sed repellere & firmare partem tam nobilem, ne recipiat; constat verò debilitari maximè, si
E laxante oleo foueatur. Laudat Alsarius medicamenta vessicantia cruribus & brachiis admota. *Valenter* (inquit) *vapores in cerebrum conscendentes auertunt, & humores fluentes trahunt ad crura & brachia*, docétque esse maiorem vtilitatem quàm damnum, quod ex calore & siccitate medicamentorum inducitur; nam cùm applicentur partibus externis, leuissimè offenduntur viscera. Sed hoc prætermittere magis est naturale, vt lædant per se, iuuent verò per accidens, & quod magis est, impediunt lotiones & continuas frictiones extremarum partium; vtilissima alioqui auxilia, dum assiduè fiunt ad euocandam materiam ad partes extremas.

An verò phrenetici sint expurgandi in principio, satis dubium est? In qua controuersia sit primò certum, in sanguinea phrenitide expurgandum non esse; ratio est, quia materia antecedens non cadit sub obiecto expurgationis. Secundò certum est, non esse expurgandum, quando malum iam est firmatum in cerebro. Ratio est, quia sunt phrenetici distracti nimis ob intensionem delirij, & ita nec sentiunt molestiam humoris, neque accommodantur instrumenta expulsioni dicata, & sic inducta noua agitatione in humoribus mouentur ferociùs, & caput petunt. Vnde & delirium intensum in principio si detur, prohibet expurgationem, ob eandem causam. Idem obstaculum ponit intensus ardor cerebri & totius; sed cerebri magis, quia pars nimis calefacta trahit ad se, & quasi absorbet commotam materiam; idem faciunt calidæ carnes. Præterea alui inferioris siccitas obstat multùm expurgationi, est autem frequentissimum malum phreneticis; inflammatio aliqua in hypocondrio, aut nimius æstus omninò expurgationem tollunt, estque summa pernicies in ita affectis.

Si verò attendamus summam morbi acutiem & breuitatem, qua principium vniuersale percurrit tempus destinatum missioni sanguinis, dum hoc celebre remedium commodè fit, iam est in vigore & augmento phrenitis, quibus temporibus reformidant omnes medicamentum expurgans. Quod si delirent ægri ob efferuescentiam magis, quàm ob cacochymiam biliosam, siue feruor in toto, siue in capite sit, amethodè expurgatio tentatur, cum feruor augeatur & inde delirium. Ex quibus constat expurgationem in phreneticis non esse multi vsus, ob quod Vallesius noster *4. de victus ratione in acutis, folio 457.* ita reliquit scriptum. *In inflammationibus cerebri incipientibus, eis precipuè quæ cum delirio, & quadam conuulsione incipiunt, aut etiam imminent cito incipere parata, expurgatur cum periculo; quia vt dixit ipse Hippocrates calefaciunt caput ipsa pharmaca, calor verò pharmaci superueniens calori febris facit maniam; hanc ob causam ego in lethargo, aut phrenitide expurgandi necessitatem, si quæ appareat, clysteribus, aut saltem medicamentis non calefacientibus suppleri velim.*

Ex dictis constat, quæ sit conferentia ad tentandum hoc auxilium, quod sit nimirum moderatum delirium, non pendeat ex sanguine, non ardeant carnes, viscera, aut cerebrum, sintque hypocondria ab inflammatione, aut erysipelate libera; nec obstructa aluus respondeat leuibus clysteribus, aut sponte in toto sit cacochymia expurgationem petens, & morbus in principio, sintque accessionum remissiones conspicuæ & capaces, vt in eis expurgatio fiat antequam nouum incrementum adueniat.

Indicatio expurgandi sumitur, quia humor directè mouetur in partem principem, vnde si in turgentia expurgamus, timendo ne in partem principem moueatur, quia per partes diuersas diuagatur humor, vrgentius expurgare debemus, quando iam certò & determinatè præcipitatur natura certò mittens in partem principem: quod respiciens Capibaccus dixit, quod motus rapidus bilis in cerebrum magis indicat expurgationem, quàm turgens humor, *folio 95.* Quæ ratio etsi vera sit, mihi satis efficax non apparet, quia in vera turgentia indifferens est natura; & ita dato medicamento, quasi manu ducitur vt humores commotos mittat in ventrem; at dum deprauatur, & determinatè mittit in caput, retrocedit difficillimè. Credendum enim est, quod quando tam erroneè operatur, aliter operari non potest, & ita difficilius multò, & per consequens periculosius expurgatio tentatur in phreneticis, quàm in propriè turgentibus, quia illius quod mouetur, plurimum mittitur in cerebrum.

Expurgationem consulunt Hecernius Ludouicus,

A Mercatus, Eustachius, Alsarius *libro 2. de morbis Capitis, cap. 15.* Altomarius de medendis malis, *cap. 6.* Princeps noster in præsenti cap. ita dicit: *Choler icus indiget in sua cura eductione choleræ cum solutione plurima, & phlebotomia minori.* Idem tradit Rasis, & amplectitur Mercurialis, quia expurgatio bilis refrigerat & reuellit ex capite: nam & hoc clysteribus acrioribus tribuit Galenus *2. localium.* Verùm rationes adductæ pro contraria opinione, si rectè perpendantur, magni sunt momenti; sunt enim multa in phrenitide expurgationem impedientia, & ita cum magna præmeditatione tentandum est hoc auxilium, illúdque omninò vituperauit Massarias, & lenientibus, attemperantibusque medicamentis, & corpus minùs turbantibus vsus est. Talia sunt serap. ex 9. infusionibus
B ros. aut Regium solutiuum; manna electa in sero lactis dissoluta: Rhabarb. etiam infunditur in decocto cordiali facto in aqua endiuiæ, cum serapio regio solutiuo, & medulla cassiæ fistulæ recèns extractæ, commodè exhibetur sic. Prima formula: ℞. mannæ calabriæ ℥ijß. seri lactis caprini extracti cum aqua niuis, aut serapio acetoso simplici & depurati ℥vij. misce: ℞ decocti cordialis ℥iij. syrupi solutiui Regij ℥iijß. medullæ cassiæ recèns extractæ ʒvj. misce: vel ℞. Rhabarbari electi ℈iiij. foliorum sennæ ʒij. infundantur in decocto cordiali & thamarindorum, facto in aqua cichoriæ cum modico spicæ: expressionis sume ℥iijß. syrupi solutiui rosarum ℥iij. elec. de succo ros. ʒij. misce. Nicolai decoctum est laudabile, recipit autem florum nimpheæ, violarum, vtriusque
C buglossæ, fumariæ ana p. j. pruna pinguia n. x. sem. endiuiæ, & seminum frig. maiorana ℥ß. coquantur simul in aqua, & colaturæ sume quod sufficit: in quo dissoluatur mannæ & medullæ thamarindorum ana ℥ß. elec. de succo ros. ʒij. misce.

Timent Auctores ne lenientia frustrentur fine, quia nisi obiecta molesta non sentiunt phrenitici, indéque elec. de succo rosarum inijcitur, quia vehemens. Hunc timorem discussit Mercurialis fortissimam pillulam præbendo feliciter, qua pulcherrimam mulierem extramè delirantem à præcipiti periculo liberauit; quam etiam præbuit, eo quod inquit, nõ possunt phrenetici in multo decipi, & ita dandum est medicamentum quod in pauca quãtitate operetur, & facilè assumatur. Tale fuit medicamentum. ℞. trosicor. Alhan. ℈ß. diagridij g. ij pulu.
D cariophy. orum g. iij. cum succo rosarũ, fiat pillula: Est quidẽ, inquit hic Auctor, hæc pillula ex fortissimis medicamentis, sed in summa necessitate & corporibus robustis solers Medicus audax esse debet. Eum tamen carpit Alsarius, eo quod est medicamentum maximæ actiuitatis, & quod phrenitici recusabunt eius deglutionem, & quod phrenitis calida & sicca passio intenditur à pillula calida & sicca in forma solida data; & quod pillula detenta in ventriculo, trahit ad illum acres & biliosos humores; & inde euaporant magis in cerebrum, & augetur phrenitis. Inanes quidem rationes, nam alteratio ex tam parua quantitate nimia esse non potest. Est quidem pillula in attrahendo vehemens, & eo ipso amanda in præsenti casu; in alterando non est,
E quia colochyntis attemperatur aliis rebus, & hoc iam vidit Mercurialis. Quod phrenetici recusent eius deglutionem ridiculum est; quia & possunt non recusare, & recusabunt liquida magis; nec exsiccatio in tam parua quantitate timenda, cum sit in controuersia positum an siccitas sit actiua, & si sit, est lentæ actionis; calor verò in tam parua quantitate timendus non est. Quod verò trahat ad ventriculum, non obstat, quia non trahit vt maneant humores, sed vt pellantur vomitu, aut deiectione, & hoc est commune cuilibet medicamento expurganti.

Loco medicamenti traditi à Mercuriali optimum est quod ex sero lactis & diagridio paratur ab Alsario;

quod

qood & Galenus fecit, & in præsenti capite dicit Auicenna;*& quandoque ponunt in eo scamomeam cum cõfidunt de obedientia naturæ,vt si diagridij g.vj.aut viij. in puluerẽ deducta ℥x seri caprini admisceantur*:quod si in prædicto sero infundãtur duæ aut tres drachmæ foliosenæ, & admisceatur in colatura puluis diagridij, celebre meo videri parabitur medicamentum in cacochymia biliosa, & atrabiliaria frequentiùs phreneticos vexante; trahit enim potentissimè bilem à vasis & sanguine. Infundentur verò cum senna in sero flores violarum, maluarum, rosarum rubrarum, buglossæ & borraginum: sic enim securissimè dabitur.

Est tutum consilium transacto tẽpore actuationis medicamenti,si aluus non respondeat,clystere aluum sollicitare,aut suppositorio acrioti excitare expultricẽ ob intensum delirium sopitã,& in fine purgationis aqoã B hordei cum sacharo concedere,frigidã tamen vt attemperetur quod ex fortioribus pharmacis fuit alteratũ.Quod si necessarium fuerit, & vmbilici regio vnguento artanitæ vngetur vel alio simili; expedit enim semel deuorato medicamento expurgante omni ingenio expurgationem mouere,ne commota materia & non educta ferociòs in cerebrum rapiatur. Est tamen notandus Galeni locus 1. *Prorrhet comm.* 2.*in fine tex.* 36.vbi deliros expurgare,delirũ cente 1. *Indoctus*(inquit)*est qui hos purgare aggreditur.*

Sic euacuato corpore missione sanguinis & expurgatione, si fieri debeat, oportet & resoluere materiam contentam in cerebro,& vigilias phreneticorum moderari. Sunt verò operationes oppositæ, quantum ad medicamenta topica, licet quæ resoluunt,ex accidenti somnum concilient euacuando materiam,vrget tamen vigi- C lia immoderata, & ita etsi sit resoluendi tempus, cogimur cerebrum refrigerare & humectare ob vitium instaurationem. Est laudatum auxilium Donati, oleum camemali oxirrhodino miscere; resoluit enim moderato calore. Sed hoc auxilium loco Galeno videbitur ad materiæ resolutionem vteni castoreo, quin etsi sit medicamentum calidius quàm phlegmoni conueniat, tamen locis, inquit, circa cerebrum phlegmonibus ipsis iam inclinantibus vtilissimum est, qoamuis non continuò his dosibus interuenientibus occurrat. Quam doctrinam imitans Faventinus communi oxirrhodino ℥j. castorei admiscet, quando resoluendi est occasio: incipere tamen à leuioribus tutum consilium est, admiscendo oleum camemali,aut anethinum, quod & somnum conciliat,si Galeno credimus. Confert etiã oleum D irinum,seminis lini & amygdalarũ dulcium ad laxationẽ viarum,& emollitionẽ materiæ: spongia illis calidis imbuitur, & capitis suturæ coronali applicatur. Aretheus peucedanum,& spondilũ oleo fermefacta imponit,resoluunt enim magis quàm dicta: Vnde si incoquantur in oleo rosaceo,amygdalarũ dulcium,camemali,& anethi, optimũ parabitur resoluens pro fine augmenti,& vigore morbi. Galenus & spondilũ,& serpillum commendat 11.*meth.cap.* 18.qoo loco cõmendauit etiam castoreum. Eadem simplicia adduxit Dioscorides *lib.* 3.*c.* 84.*&* 86. sunt enim calida & sicca,& tenuium partium, quo Indigemus maximè ob cranei penetrationem.

Hoc etiam tempore vtuntur ad materiæ resolutionẽ pulmonibus Arietis recẽter extractis, & capiti raso calentibus applicantur, nã calore spirituum resoluunt & E roborant cerebrum;vbi verò tepescũt,auferendi sunt,& alij recẽter extracti applicãdi,si possint haberi, & mulcebri humiditate somnum conciliant; si verò recentes sẽper ad manus non sint,immerguntur antea appositi in decocto camemali,melilothi,rosarum rubrarum,seminis lini, serpilli & anethi, florum stecados, & foliorum maluarũ,& leuiter expressi de nooo applicantur capiti: sicque mutantur si refrigescant ad nouum calorem.

Aduertendum tamen diligenter vt semper auferatur à capite sanguis concretus decocto prædicto,vel vino albo calente, vt doctè adnotauit Heurnius. Est enim sanguis A fibrosus & obturans; indéque obstat resolutioni; idem munus præstat pullorũ gallinaceorum,aut columbarum, aut catulorũ appositio: aperiuntur per dorsum, celeritérque euiscerantur,& capiti applicantur donec refrigescant,deinde apponuntur alia de nouo, sed neque hæc sunt indiscriminatim adhibẽda, nam vsque ad vigorem locũ non habent,si sola applicentur; quia sunt resoluentia merè,vnde si ante illum applicare desideret Medicus, vt in augmento, miscenda sunt repellentia, vt notauit Gentilis, vt in decocto rosarũ rubrarum,cap. papaueris, hordei,plantaginis, & violarũ, cum camemali floribus, & modico aceti rosacei: obtinent primatum in biliosa phrenitide pulmones arietis in augmẽto,& vigore, quia prætetquàm quod sine attractione resoluũt,mulcebri humiditate,mitigant acrimoniam, & somnum conciliant. B Catulis verò, Gallis, Columbis aut Canibus vtendum non est,nisi in declinatione,qoia sunt nimis calidi.

Tempore quo materiã resoluere intendimus,collo affigit Auicẽna cucurbitam scarificatã,quod tradidit tota Medicorũ turba,euacuat enim materiam ex venis cerebri.Quòd si adhuc malum non sedetur,docet Lodouicus Mercatus summo capiti cucurbitas affigere,vt ad eutem humor euocatur & per suturas exspiret,& si rubor, inquit,appareat,& tumor sub cucurbita, ipsã scarificabis: quo auxilio mirum non est,si consequaris quod aliis nõ potuisti,maximè si mox vtaris lauacris aquæ dulcis calidæ,vbi ferbuerit aliquod ex discutientibus iã dictis. Aduertẽdo,inquit,ne fiat io phrenitide,in quam febris maligna,aut ardens degenerauit, sed in ea,quæ ex se incepérit: quod si io febribus degenerantibus in phreniti- C dẽ id fiat,qood non semper est totum,præcedunt multæ corporis euacuationes, ita vt nulla plenitudinis, aut redundantiæ cacochymiæ, in corpore,aut partibus inferius, sed in capite tantùm vniuersa materia collecta sit. Quæ omnia auxilia repetẽda sunt pluries, quousqoe deliriũ mitescat,pulsus reddatur mollior, & morbus inclinet. In phrenitide orta ex maligna febre,aut ardẽte putrida periculum datur, etiam ratione ipsarum febrium, vnde etsi capiti occurramus,manet nihilominùs periculũ ab ipsa febre. Est etiam timendum, ne cacochymia vasorum totius moueatur velocius in cerebrum per cucurbitæ tractionem,& inde in his febribus sũma cautione tentandum est hoc remedium ob Medici honorem. Idem auxilium cõmendat Capibaceus *lib.* 1.*cap.proprio*, & miratur temporibus nostris hoc non exerceri reme- D dium. Est verò applicanda cucurbita coronali suturæ.

Hanc doctrinam desumpsit ex Aretheo,eámque longissimè tradit Cælius Aurelianus his verbis. *Alio deinde diatrito rasis partibus cucurbitam apponimus occipitio blandè ac leniter, ac sub ipsa fronte sanguisugas facimus inhærere quatuor vel quinque,vt non ex vna parte sanguinis detractio fiat,sed veluti circularis, vt totum caput respiret & releuetur; & si plurimũ laxamentũ facere voluerimus, totũ caput radimus,& per circulum plurimas cucurbitas affigimus,alteram occipitio, alterã medio capiti, alias duas superius à temporibus,sed neque cum multa flamma,nec multum sinimus morari; arentes enim ac sicca facilè cõmouent, caput implent,ac mentis alienationẽ augent.Ita detractis cucurbitis si partes rubuisse viderimus, leniter scarificamus, sin minus ruborẽ excitamus,vaporantes spongus,& relaxã-* E *tes non minùs calidis,& post temperatam vaporationem,vbi partes rubuisse viderimus,scarificamus*, &c. Idem docuit Celsus c. 18.*lib.* 3.& colligitur ex Galeno 11.*methodi,cap.* 18.dicente: *Eadem ratione,nec in cerebri ac eius mẽbranarum phlegmonis cucurbitis in initio morbi vtemur, verùm vbi nec influit adhuc quidquam, & totum corpus vacuatũ prius est.* Existimo tamen esse impertinens quod rubor aut tumor excitetur ad scarificandam cucurbitã, nec id admonuit Galenus. Constat verò occasionem propriam huius remedij esse in fine vigoris,euacuato iam corpore, & quando non transmittit ad caput: esséque apponendas plurimas cucurbitas in toto dorso & natibus,qoando

do scarificatur caput ad impediendã tractionẽ ex toto, & sex horis transactis repetenda est appositio siccæ cucurbitæ supra locum scarificatũ; extrahit enim quod ex internis ad extima prima cucurbita euocauit, indéque confert oleo aliquo laxante scarificationum impedire coalitum, vt secunda appositio cucurbitæ extrahat plus humorum peccantium. Nec obliuioni tradendum est quod de cucurbitis Tralianus commendat, sunt nimirùm vtilissimæ ante accessiones appositæ, vt impetus materiæ sursum vergentis per reuulsionem coërceatur.

Dicit deinde Auicenna. *Stude vt ipsum facias dormire, & vt fiat hoc, aliquid opij duobus cornibus frontis eius appropinqua, & naso illius, si virtus est fortis, & si non, caue quantum illud est perimens.* Non perimit, quia frigidũ in nostra opinione, sed ob sulphuream qualitatem & malignam, quæ trahitur motu arteriarum. Quæ somnũ conciliant imperat Auctor, sont autem in opinione Medicorũ refrigerantia & humectantia, vt calida & sicca vigilias & deliramenta inducunt. Multa verò machinantur Auctores ad corrigendũ tam exitiosum symptoma, nam & extra, & intra diuersa parant auxilia: tenetur autem Medicus incipere à leuioribus & externis, quia interna putant spiritum vitalẽ extinguere; vnde neque in virtute debili permittũt assumi, cum externa secura sint, vt Auicenna docet, & quãdo illa præbent, interius aliquod medicamentũ admiscent, virtutem & calorẽ vitalem firmãs.

Leue est quod laudat Mercatus, & non contemnendum, si sinciput oleo violaceo frigido inungatur, & desuper oxirrhodinũ commune ponatur: spuma, quæ eleuatur ex lactis sero, dum coquitur, laudatur a Montuo, si capiti raso illinatur, quod semel expertus sum feliciter. Vbi hæc non sufficiunt, soleo miscere ʒj olei violacei, ʒß. olei nenuph. & ʒß. papauerini cum guttulis vini albi generosi, aut aceti ros. caput & tempora inunguntur, & mox oxirrhodinum superponitur. Balneum lactis tepidi securissimũ & optimum censetur, mirè attemperat siccitatẽ, & ardorem cerebri, nihil naturæ inimicum participat, habétque simul aliquid repulsorij, ob quod in augmento laudatur, sit humanum, caprinũ, & asininum: humanũ debilioribus competit, caprinum hominibus mediocris virtutis, asininum verò robustioribus, quia frigidius & humidius, est enim nimis serosum.

Aut paratur decoctum, quo cadente ab alto irrigatur caput per octauam partem horæ, mox exsiccatur linteo & inungitur. Aliquod ex dictis medicamẽtis ita dispẽsari potest. ℞ hordei sine cortice ℥j. coriandri præparati, & corticum papaueris albi an. ℥ß. florum camemali, ros. rubr. & violarum an. p. j. foliorũ lactucæ m. ß. florum nimpheæ p. ß. radicis hyosciami ʒij. coquantur in ℔. quatuor aquæ ad dimidij consumptionẽ, & colatura lauetur caput, deinde vngantur tẽpora & sinciput oleo salicis, quod est mirabile, sícque paratur: Olei communis ℔j. aquæ lactucæ ℔ß. florum & foliorum salicis viridium an. ℥ij. foliorũ papaueris albi m. ß. bulliant in duplici vase ad humiditatis consumptionẽ, & fiat colatura. Hoc oleum tradit Bartholetus *in sua encyclopedia.*

Quia verò Auicenna opio vtitur fronti & temporibus admoto, sic paratur ab Heurnio. ℞. opij. croci an. ℈j vini albi, aquæ ros. ad ℥j misce, linteum madefactum apponitur, & post somnum lauatur pars cui fuit applicatũ oleo anethino, & camemali, vel decocto eorum, vino albo, vel alia re calida. Vbi ardor immodicus cerebri insuperabiles vigilias inducit, capiti raso apponuntur ranæ scissæ aut integræ, & mirè refrigerant, & conciliant somnus, vt tradit Gentilis. Est in officinis vnguentum populeon paratum, quo inunguntur tempora & nares & sinciput, sed optime aduertit Rondeletius debere esse recens, nam antiquum rancidum fit & calidum, & vigiliam inducit; huic miscentur opij g. iiij. ad certiorem effectũ, vt verò ingratus odor obscuretur, g. ij. moschi, aut ambari, vel parum croci admiscet Massarias, quibus cerebrum roboratur & securius redditur medicamentũ.

A Laudat Mercatus vnguentum factum ex vnguento rosaceo, mucag. sem. psillij & oleo violaceo: extrahi potest mucilago in decocto papau, vel aquæ lactucæ. Vt secretum habetur vnguentum factũ ex solo succo coriandri viridis, oleo papaueris, aut rosaceo admixto. Arnaldi secretum est sumere ʒj. sem. hyosciami, succi cimarũ sambuci ℥ij. ponantur in vitro benè occluso illius foramine, & in aqua calida feruente vitrum colocetur donec misceantur, & inspissentur, & cũ succo inspissato inungantur nares, tempora & arteriæ brachiorum & pedum; tradit id vt mirabile. Huc referendæ sunt laudanorum miræ compositiones, quas ad somni conciliationem referunt doctissimus Quercetanus & Crolius.

Interius assumuntur quæ somnũ conciliant. Est commune in iure admiscere lac amygdalarum dulcium &
B seminis cucurbitæ & melonis, & in principio prandij illud sumere. Laudat Massarias emulsionem seminis papaueris albi in ferculis. Extrahitur ex ʒvj. aut ℥j. & cum iure leniter coquitur & sumitur vt aliud relatũ. Optima est ptisana somnifera Bartholeti, quã sic parat. ℞ hordei mundi in iure cocti ℥iiij. amyg. dulc. ʒij quatuor seminum frigidorũ maiorum ana ʒß. seminis papaueris albi ʒj. amygdalæ & semina, macerentur per horas duodecim in aqua lactucæ, deinde cum supradicto hordeo optimè contundantur in mortario marmoreo, & transcolentur per setaceum, addẽdo aliquid sacchari: minui potest qualitas seminis papaueris, satis enim erit ʒß. Trita est lactucæ commoditas ad peruigilium. Serapium papaueris vtilissimè datur ab ℥j. ad ℥ß. cum ℈j. confec. hyacinthorum, & ℥ij. aquæ lactucæ, aut communis niue refri-
C geratæ, vel alio modo Hæc & alia danda sunt hora vna post cœnam, aut prandiũ, vt monet Christophorus Georgius *in commento elect. de aromatibus.* Ego semper iubeo statim à cœna aut prandio, ne intret aliquis in cubiculũ, quod auferantur lucernæ, & quietus contineatur æger, nam sic somnus conciliatur faciliùs. Si verò id non sic satis, aliquid ex medicamentis relatis post dimidiam horam propino: quo tempore aërem cubilis attempero fluentulo aquæ iuxtà cadente, sparsis floribus & foliis accommodatis: flabello ex linteo parato, aqua rosacea & aceto madido aër concutiatur leniter: est enim vtilissimum, & suauissimum remedium. Quod si æstuet nimis phreneticus, euacuato iam corpore, in balneũ aquæ dulcis, si tempus ferat, immittitur, mirè enim attemperatur. Sedata balnei agitatione, caput lacte tepido balnee-
D tur, vel ex mammilla eminente caput irrigatur, quod est vtilius, dummodò post somnum lauetur quod capiti hæret. Est enim pars caseosa exsiccans & poros coarctans, aut decocto conueniente: deinde alimentũ conueniens assumit, & si opus sit, aliquid ex medicamentis internis. Quod si totum corpus balneo attemperari non liceat ob iniuriam temporis, crura lauantur commodè balneo ex decocto violarum nenuphar. fol. salicis, maluarum, lactucæ rosaceæ & camemali. Loquor de phrenitide biliosa, cui maligna febris associata non est, in his enim à balneo vniuersali abstineo. Fauentinus ʒij. seminis iusquiami in ℔ß. vini albi incoquit ad medietatem, & colatura abluit aures & nares. Inspirant enim per illas commodissimè vapores ad cerebri alteratio-
E nem, vnde & euaporationes per nares susceptæ ex decocto violarum, ros. nimpheæ ana m. j. trium capitum papaueris albi, & duarum drachmarum seminis lactucæ à Rondeletio traduntur. Ioannes Colle turundam, seu errhinum parat, ex bombace madefacto in lacte amygdalarum dulcium & opio. Instillare in aurem guttam olei, in quo sinister oculus erycij incoctus fuerit, statim somnum inducere Montuus tradit.

Aquæ lactucæ, nimpheæ, papaueris rubri, commodæ sunt, sed aqua extracta ex floribus croci, dempto semine croci in quantitate ʒiiij. tepidè exhibita tempore somni absque cerebri refrigerio somnum conciliat mirabiliter, & insomnia turbata moderatur, vt

experimento

experimento tradit Montagnana *folio 604.* Ceruical capiti phrenetici immediatum impleatur violis, rosis rubris, anetho viridi, floribus nimpheæ, buglossæ & borraginis, folio hiosciami. Et sommè confert ex doctrina Actij, Celsi, & Arethei. Solus odor quem poma viridia mandragoræ expirant naribus inspiratus, mirabilis est, & in se ipso confirmauit doctissimus Lemnius, cùm benè valeret.

℞ Florum violarum & nenopharis ana ʒij. corticum mandragoræ ʒjß. croci ℈. anethi ʒj. florum buglossæ & borraginis, & seminis lactucæ ana p.ß. puluerata ligentur in serico, olfactu somnum conciliat. ℞ vnguenti pupul. recentis ℥j. olei violarum & nimpheæ ana ʒß. papaueris albi & corticum mandragoræ ana ʒj. opij g.vj. croci ʒß. aceti parum, fiat linimentum, quo inungantur tempora, nares, pulsus brachiorum & pedum, confert extremis vigilijs.

Non pauca vobis proposui auxilia, ad conciliandum somnum, quia vigilia contra naturam perniciosum accidens est, & extremè debilitans non tantùm phreneticos, sed & melancholicos & alios malignè opprimens. Docuitque experimentum, tam vtilem esse aliquando somni conciliationem, quod sola sit satis ad morbi ablationem, vt docuit Rulandus *centuria 1. curatione* 98. In summa notabitis quod dicit Aretheus, cuique vsitata somnum conciliare, quæ à Medico diligenter inquirenda sunt: stomachi impuritas acris vigiliam præter naturam causat, sanguinis feruor phrenitidi & vigiliæ feracissimus est, & causa frequentior, ob quod balneum aquæ dulcis & in toto & in pedibus laudaui, brachiis adhibitum non minus confert. Eundem feruorem extinguit Ioannes Colle refrigerata spina vnguento populeo, & oleo nimpheæ. Præstat etiam vnguentum ex cucurbita aut refrigerans; vnde refert Skenchius, conseruam rosarum rubrarum ore retentam per noctem efficacem esse ad somnum, quia sedat spirituum motiones, & studiosis debere esse frequentem docet, ob turbationem mentis perpetuam, præsertim tempore æstiuo. Auenzoar *lib. 1. tr. 15. c. a.* inter narcotica saccharum rosaceum connumerat, summè commendat ad somnum cordis, refrigerium & robur per epithemata; inde enim attemperatur & firmatur cerebrum. Item vt æger vel musicis instrumentis, vel harmonia vocum humanarum, mens & spiritus in suspensione contineantur & quiete, sicque côcilietur somnus. Diligenter notandum, an sicca intemperies excedat calidam, aut è contra, nam variari debent auxilia secundùm rationem intemperiei, ad maiorem frigiditatem vel humiditatem, quod respiciens Auicenna dicit; *Et in cholera adusta multiplicatur studium cum humectantibus.*

Interim dum hæc fiunt, attemperanda est interna caliditas, & sanguinis feruor reprimendus, sic enim impeditur vaporum ascensus in cerebrum, & magis consistens redditur sanguis, ne impetuosè fluat ad interna, quibus medicamentis miscemus aliquando conciliantia somnum, si premat vigilia; id munus præstât serapia ex acido citri, & limonis, oxisacchara simp. & syrupus granatorum acidorum, quæ in principio magis conueniunt, quia adstringunt moderatè, & sic fluxum cohibent. Serapium rosaceum est mirabile, & nenupharis, præstant enim: etiam serapium de endiuia, de lupulis, & borrag. si adustio sit aut aliquid melancholiæ, & in feruente phrenitide aliquid serapij papaueris admiscere conuenit, in qua vellem magis succos rerum depuratos cum aquis & decoctis conuenientibus dare quàm serapia officinarum, quia ob multam sacchari quantitatem, & coctionem minùs attemperant, & bilescunt magis. Sunt autem concedendæ potiones largiores & niue infrigidatæ, si opus fuerit. Succi aut serapia diluentur largius aquis distillatis lactucæ, endiuiæ oxalidis, buglossæ, borraginis, &

A portulacæ, vt pro libra vna aquarum aut decocti satis sint ℥ij. succorum aut serapiorum. Aqua rosarum rubrarû per alembicum vitreum distillata mirabilis est, quia feruorem attemperat, somnum conciliat & roborat cor, cerebrum & ventriculum: & vbi acrimonia & vstio vigent, aquæ portulacæ, & lupulorum, & lactucæ cum rosacea permixtæ vtiliter dantur. Quod si motus conuulsiui infestant, vt sæpe solent, aqua cerasorum dulcium miscenda est: Aqua hordei cum tantillo lactis eiusdem vtiliter datur si sumatur libra integra cum ℥jß. succi limonis aut citri, aut modico sacchari & ʒß. marg. præparat.

Decocta parantur ex eisdem rebus, si aquæ ad manus non sint, vt ex radicibus cichoriæ & condrilæ, hordeo, nenuphare, acetosa, soncho, radice graminis, borraginis, B buglossæ & florum cordialium, quæ decocta clarificanda sunt, & puluere santhalorum aromatizanda, & imperandum ne fiant ex rebus viridibus recenter extractis, quia multam humiditatem excrementitiam continent, quam in decoctis deponunt facillimè, & maximè lædunt. Obseruandû similiter vt parentur in vitreis vasis, aut testaceis, non ex ære aut ferro, quia venenosa redderentur. Monendi ægroti vt plurimum bibant, quia non sentiunt sitis molestiam. Sunt qui sero lactis caprini depurato aut alembicato vtuntur perpetuò in phreneticis, euacuato iam corpore, quod nobis non displicet, quia attemperat & deobstruit, & aluum lubricam reddit, quo maximè egemus; ita & decoctû thamarindorum vtilissimum est ob easdem indicationes; aut seri libra integra sumitur, medullæ thamarin- C dorum ℥j. sacchari albi aut violacei ℥ß. sumantur frigida in accessionis inclinatione; nam in hac per vrinam & aluum solet natura excrementa dirigere quando benè accessionem terminat. Confert verò hoc auxilium, quia viscera attemperat, sanguinem à putrilagine vindicat, aluum emollit, & si ichores maligni ex cerebro in ventriculi os præcipitentur, vt solent, expurgantur quidem facilè; detenti enim sunt satis molesti, & initium erysipelatis facientes, augent etiam mentis deliria, appetentiam tollunt, & continua anxietate ægros lancinant & commouent; ob quam indicationem existimo Aretheum concessisse phreneticis lac admixtum aquæ largiori potione.

Deinde Auicenna occurrit symptomati cuidam excretionis, scilicet vrinæ, dicens: *Et cum non mingunt pro-* D *pter defectum intellectus & debilitatem sensus, inunge eorum vesicas cum oleo tepido, aut embroca ipsas cum aqua calida, & aqua in qua cocta sit camomilla. Deinde super eas comprime donec vrina prouocetur.* Diligenter tenetur Medicus aduertere id quod Auicenna præcipit. Monendi itaque sunt & persuadendi phrenetici vt lotium emittant, nam ob mentis alienationem neque instrumenta applicant, nec sentiunt molestiam excrementi, ob quod etiam aluus non deponit excrementa. Est autem duplex periculum, & quod impleatur omninò vesica, indéque ischuria causetur, & quod aluus ita exsiccetur, tâmque compacta reddantur excrementa, vt in illum incidant, omniáque mala mutentur in peius à tantis excrementis alterato corpore & morbo. Confert E ergo inunctio vesicæ dictis remediis, & quia inducta sensatio in illius regione memoriam expellendi concitat, & trahitur imaginatio vt molestiam sentiat, sicque extrudat vrinam. In hunc sensum Gentilem intelligo in huius textus expositione dicentem; *Ego vidi conferre eis fricationem in radice virgæ prope anum.* Confert secundò laxando vesicam & orificia eius, nam exsiccantur in phreneticis partes neruosæ, & occluduntur viæ ob densitatem: Rursus laxando corpus vesicæ & musculos ceruicis, inducitur nouum pondus, quia debilitatur retentrix, & sic vrina ponderat magis quàm antea, & nouam infert molestiam, trahitque ad se imaginem, vt inde imperetur vrinæ expulsio. Quia verò

ratio præcipua continentiæ vrinæ consistit in defectu aduertentiæ, summa ratione confert manibus vesicam comprimere, quia vt docuit Galenus 1. *de locis, cap.* 1. quando ob vitium facultatis vrina non redditur, redditur statim compressa vesica, & quia facultas patitur per consensum, aut vt proprius loquamur, per naturalem subordinationem, quia subordinatur irritationi & molestiæ, ideo quæ irritant eam regionem conducere solent, vt si applicetur *allium* contritum, & pudendo immittatur, vt optimè adnotauit Arnald. Fouetur etiam commodissimè regio vesicæ decocto seminis lini, fœnugræci, parietariæ, foliorum maluæ, violariæ, altheæ & meliloti, quod spongia imbutum optimè & vtilissimè applicatur. Post fotum laudat Rondeletius hoc vnguentum. ℞ pinguedinis cuniculi, olei scorpionis ana ℥ij. seminis apij, petroselini, asari, siseleos, ana ʒß. ceræ parum: quo inungatur perinæum.

Eadem methodo aluus continuè sollicitatur à Medicis e ysteribus idoneis præter lenientia, quæ ore sumuntur. Est enim alui siccitas noxia nimis phreneticis. Est autem controuersia, an irritantes conueniant clysteres? Gentilis & Rondeletius illos vituperant, quia febres augent, humores conturbant, & ratione siccitatis quam causant, exsiccatur aluus; deinceps pro alia parte distractio mentis lenem irritationem contemnit, vt emollientia solùm efficacia non sint. Alsarius mediam viam assumit, vt clysteres non sint omninò acres, nec omninò emollientes, & ita conficit: ℞ maluarum, mercurialis, violarum, nimphææ, lactucæ ana m. j. hordei ℥j. coquantur & colaturæ accipiatur ℔j. olei violacei ℥iij. sacchari rubei ℥j. cassiæ recenter extractæ ℥ß. salis ʒj. misce. Aliud eiusdem. ℞ seri lactis in quo bullierit lactuca, portulaca & violaria & nenu. ana ℥ij. Hoc sibi magis placet. ℞ foliorum bliti, maluæ, mercurialis, violarum, lactucæ, scariolæ ana m. j. coquantur in aqua hordei: colaturæ sumatur ℔j. sacchari violacei, & olei violarum ad ℥ij. elect. de succo rosarum ʒij misce. Aretheus oleo, mulsa, & nitro vtitur easdem indicationes complendo. Si stercora nimis exsiccata & indurata sint, præcedat emollientium vsus, deinde acriores iniiciantur, vt Galen. docuit *in arte medica c.* 84. Si receptis clysteribus aluus non respondeat vtiliter, suppositoria imponuntur, quia magis irritant, & minus corpus alterant. Electiora parantur ex melle, hiæra Galeni & sale. Si hæc non sufficiant, parantur ex hiæra lagadij, sale & melle, cum modico nitri aut trosciscorum alhandaal: venter ab vmbilico inferius illiniatur quotidie butyro, axungiis gallinæ recenter extractis, & liquatis oleo amygdalarum dulcium & violaceo, sic enim impeditur siccitas alui & induratio stercorum. Dubium itaque esse non debet, conuenire clysteres irritantes quando æger nimis delirat & leues contemnit, supplent enim vicé bilis descendentis in intestina, quæ in cerebrum rapitur, & sic naturalis irritatio non est; nec obstat ratio Gentilis, nam raro sine noxa aliquod applicatur auxilium, estque vtilitas maior ex reuulsione humoris ad intestina.

Prætermissus est temporibus nostris balnei vsus in phreneticis non sine noxa ipsorum; nihil enim æquè totum corpus & cerebrum ad debitam temperiem reducet, & vigilias compescet vt balneum aquæ dulcis, quando ex bile adusta phrenitis originatur. Vnde Tralianus balneum commendans dicit; *Qui autem febris metu eos non lauant, maximè offendunt, nam ægri vigiliis magis torquentur balnei abstinentia, & magis turbantur animo.* Addimus nos; & tentantur conuulsione & siccitate neruorum, & tabidi fiunt; fit etiam reuulsio humorum biliosorum ad cutem & corporis ambitú, nam si diarrhæas biliosas sanat quotidie hac ratione, non minus reuellet humores fluentes in cerebrum. Conuenit etiam ad impediendam conuulsionem & siccitatem neruorum, & cerebri spinam inungere morbi

A decursu, oleo de semine cucurbitæ, violaceo, amigdalarum dulcium, nenupharino, vnguento cucurbitæ rosaceo, refrig. Galeni, vel resumptiuo. Tanta est medicamentorum farrago qua medemus phrenitidi, & tam magnus indicationum cumulus, vt non sine ratione omnis morbus appellari possit. Restant adhuc duo notanda. Primum ad rationem victus pertinet. Secundum ad cognitionem medicam, an ex alicuius interni visceris malo ducat originem? sine cuius medela sæpius vniuersa curatio frustra suscipitur.

Prima indicatio completur victu refrigerante & humectante, vt iusculis alteratis acetosa, rad. condrilæ, hordeo, borragine, lactuca, scariola, quibus acidum limonis, citri, arantij aut agrestæ miscendum, & gratiâ gustus & attemperationis, & cohibendi putredinem.

B Vega noster succum extractum ex tritico recenti aut hordeo concedit: mihi suspectum, quia & est flatuosus, & inde mentem turbans, & copiosa excrementitia humiditate scatutit. Ptisana tamen, vel cremor hordei aut factum lacte seminum frigidorum maiorum, aut lacte amigdalarum dulcium, & seminis papaueris albi commodè datur, attemperat enim & somnum conciliat: sic cocta cucurbita conceditur. Cælius Aurelius omnes fructus vituperat, quia acescunt in ventre phreneticorum, quem sequutus Mercurialis est. Aretheus è contra omnia oleta concedit sine discrimine, vterque verò errat. Absurdum est enim omnes fructus negandos esse phreneticis, nam granata dulcia, cerasa acria, pira assa, pruna, citoneum, caro melonis & alij quamplures, maximè si niue infrigidentur, & appetitum ex-

C citant, & sitim & febrem extinguunt: omnia verò olera, vt Aretheus, concedere, magis est periculosum; sunt enim plura praui succi: inter ea quæ conceduntur primatum tenet lactuca quia boni succi & somnifera est, vt in seipso fuit expertus Galenus.

Diligenter tamen notabitis, quod etsi phrenitis acutissimus morbus sit, & ei tenuissimus victus conueniat considerata sui constitutione & specie, tamen si contemplemur nimiam acrimoniam succorum, vigiliam, vehementes & incessantes motiones, contemplationem perpetuam, deprauatam loquelam & furorem, videbimus liquidò summè resolui, & animi deliquiis paratissimos esse. Dixit enim Hippocrates vigiliam esse voracem, quia tam assiduè resoluit, vt plurimo egeat alimento ad restaurationem deperditi: non igitur in

D tanta inedia continendi sunt phrenetici vt morbi idea exposcit, quod doctè Aretheus notauit dicens, *ne diu à cibis abstineant.* Sunt enim ob dicta & exsiccantem febrem conuulsionibus ex inanitione paratissimi, cui obstandum cibo maiori humectante & refrigerante. Ob hoc confert blandissimum lectum, quia durum neruis est inimicum & implacidum, & compressione substantiam humidam exprimit, sicque exsiccat; molle verò contraria ratione humectat. Est autem difficile quod Aretheus docet dicens; *Cibi verò humidiores sunto, pauciores que & continui*: nam cibi animum demulcent, occasio autem exhibendi cibi est in vtriusque remissionibus, febris videlicet atque delirij. Est autem dubium, qua ratione cibi possunt esse continui, si in febrium re-

E missionibus & delirij dandi sint, cum remissiones aut non sint in phreneticis, aut tardissimæ veniant, cum habeant accessiones longissimas Et hoc ipse Aretheus testatur, dum dicit inferius accessiones phreneticorum breues esse & latentes. Ego existimo voluisse Aretheum, non semper esse expectandam declinationem ad cibandum, quia vt dicebat Celsus, in ieiunio propter imbecillitatem in cardiacum affectum incidunt phrenetici, exsoluuntur enim facillimè, vt diximus: Ad impediendam igitur exsiccationem & animi deliquia, virésque custodiendas, non amplius intermittatur cibus, quia vires & symptoma petunt, etsi alioqui febris non remittat; nam vt ipse docet inferius, si

ab

ab inedia futant & non desinat febris, cibos dare vtile est. Est ergo duplex præceptum expectare remissionem si vires sustineant; quia verò in phreneticis id rarissimum est, dentur alimenta in quouis tempore, tamen pauca in quantitate, & continuè eodem modo quo vires exposcant.

Potus phreneticorum aqua esse debet hordeo, acetosa, radice condrilæ, succo granatorum aut limonis decocta. Auicenna præcipit cum coriandro, quem sequitur Eustachius: id à recentioribus non admittitur, quia docuit Dioscorides coriandrum mentem alienare. Auenzoar *lib. 1 tract. 4. cap. 14.* dicit: *Et potabis eum cum aqua rosacea & aqua citrulorum, quarum sint partes æquales cum quarta parte de aceto. & cum isto potu potes ponere micam panis lotam ad comedendum, & erit cibus vtilis valde, & longinquus ab omni putrefactione.* Idem Auctor *lib. 1. tract. 3. cap. 6.* aquam infusionis thamarindorum commendat. Est enim vtilissima potio, quia feruorem sanguinis reprimit, sitim extinguit, putredinem cohibet, & aluum lubricat, quod summè necessarium est in phreneticis. Vnde *in fine cap. 5.* aquam thamarindorum satis esse pro cibo & potu dixit, donec quiescant accidentia fortiora. Nec contemnendus potus Iacobi, quem parat ex aqua limpidissima bullitâ cum sacchato, addendo parum aquæ rosaceæ, & si his addatur succus acidus citri limonis aut granatorum acidorum, erit suauissimus & vtilissimus potus. Niue infrigidabitur si oporteat. Est enim nimius scrupulus in tanto incendio & cerebri ardore timere, ne lædantur membranæ cerebri à frigido potu. Vinum in phreneticis, vt venenum putarunt Aurelius & Theodorus. Hippocrates 3. *de morbis, & lib. 6. de internis affectibus,* non longè a principio: Tralianus illud admittit, Auicenna non nisi translacto septimo die. Doctrina certa est, si vires non labescant, prætermittendum, negandumque esse omninò: si deficiant, concedendum; est enim virium indicatio prima. Elegans est sententia Arethei *in fine cap.* dicendo; *Cum metus est, ne in vaporem; humiditatemque homo dissoluatur, vnicum subsidium est vinum, celeriter enim substantiam alendo instaurat, & quoquo versus ad extremitates vsque permeat, senori tenorem apponit, spiritum torpentem expergefacit, frigiditatem calore temperat, laxantem madorem adstringit, extrorsum erumpentia atque diffluentia coercet, olfactu suaui delectat vires fulcitas, ad vitam prorogandam potest, atque in insania ad animum demulcendum optimum est.* Idem Aurelianus docet, etsi prius vinum iudicasset venenum. Paulus in declinatione vinum concedit, quod oligophoron Græci vocant, quasi aquosum dixeris, sed hoc ad virium reparationem quando vrgens debile nimis videtur: quia vt docuit Galenus 2. *Aphor. comment. 11.* vina aquosa sicuti aquæ habent similem formam, ita etiam & similem vim, quare vrinam cient & minimè nutriunt; mediocre igitur vinum propinabitur. Aduertit Eustachius, quod panis in illo mero madefiat, deinde panem immittere in aquam, & concedere, sic enim absque detrimento sumitur.

Secundò notandum est, an viscus aliquod vt iecur, aut lien, ventriculus, aut septum initium phreniridi dederint, nam rarò phrenitis a se ipsa incipit, vt docuit Aëtius. & partem quam affectam esse cognouerit Medicus, diligenter auxiliabitur, auferens vitium illius. Est autem frequens malum ardor, aut inflammatio, vel insignis obstructio à crisiori bile, quæ dum cerebrum in consensum trahunt, læduur continuò. Id vt puto animaduertens Paulus *lib. 3. cap. 6.* dixit, à septimo die si viscera sentiant inflammationem, cataplasmata ex lini semine & farina hordeacea cum hydroleo liniemus, deinde cucorbitulas lenes aut cum scarificatione, tum his ipsis, tum occipitio & spinæ accommodabimus. Aurelianus & Aretheus magnam præcordiorum prouidentiam consuluerunt. quia non solùm malo cerebri occasionem præstant, sed etiam quia cerebro consentiunt facillimè, & sic quasi per circulum fouent adinuicem propria mala. Vnde *capite 11.* dicit Aurelianus: *At si in præcordiis tumor fuerit, erunt ipsa prius scarificanda*: sic etiam inquit & vesicæ partes, vel vicinæ eius, neque prius esse scarificandam cucurbitam in capite quàm sint scarificata præcordia, docuit Quod si ex thoracis ardore foueatur phrenitis, vt solet, epytema Rondeletij summè laudatum ab eo vtiliter applicatur; est autem tale. ℞ hordei scorticati ℔ j. olei violacei quartam vnam, misce fortiter agitando, & supra pectus applicetur, & sæpe remoueatur, valet etiam inquit in septi inflammatione, est etiam vtile ardoribus viscerũ, si aliquod roborans misceatur attemperãs etiã.

DISPVTATIO II.

De aliis tumoribus cerebri.

CAPVT VNICVM.

De Sibare Arab. & Phlegmone & de Erysipelate cerebri.

IN hoc capite breuiter explicabo tres acutas passiones à nostro Auctore adductas *in capitibus 4. 5. & 6. lib. 3.* Sunt autem phlegmon substantiæ cerebri, erysipelas eiusdem, & alia affectio dicta Arabicè *Sibare*. Primus vt in plurimum dependet ex sanguine putrido, faciente tumorem in cerebri substantia, quam aliquando tam vehementer distendit, vt replendo cauitatem, intra quam naturaliter mouetur, craneum attingat, & impulsio commissuras separet & raresaciat: *& forsan* (inquit Auicenna) *caput cum tam vehementi tensione disrumpetur*, adest dolor frontis, oculi fiunt rubei & turgidi, & maximè rubescunt maxillæ; *quandoque verò* (inquit Auicenna) *Spasmus, seu conuulsio superuenit*, quia aut distẽsione cerebri retrahuntur partes immediatæ suscipientes neruos ab illo, aut est tanta repletio quod portio humoris ad musculos & neruos translata conuulsionem efficit, inde etiam vomitus solet adesse in compassionem adducto ventriculo recipiente excrementa ex cerebro regurgitantia; iacent supinè ob debilitatem motiuæ virtutis, tam anxiè tamen se habent, vt nullibi pacati quiescant, sed decubitum mutent assiduè de latere ad latus, de capite ad pedes sine modestia, vt refert Iacobus. Dicit secundò Auicenna, *quod vt plurimum interficit in tertio die, si verò illum pertranseat infirmus, habetur fiducia.* Vnde colligit Auicenna, non esse hunc morbum vehementer malum, quia alioqui non toleraret cerebrum malum prædictum cum hac essentia & cum hac sublimitate; quam doctrinam sic explico.

Causa huius mali non interficit malitia, aut venenosa conditione vel alteratione praua, sed interficit copia; nam si primis rationibus interficeret, antequam cerebrum tam turgidum esset, vt craneum disrumperetur, vitam cum morte commutasset, non enim ferrè posset natura tantum incrementum in parte tam nobili, si materia morbi qualitate interficeret. Quando ergo cerebrum sustinet tantam copiam materiæ, vt turgidum craneum disrumpat, non est materia vehementer praua, quia quæ talis est non quantitate, sed alteratione, & corrumpendo substantiam membri affecti occideret, antequam tantopere cresceret: nec per tres dies posset natura ferre tantam quantitatem materiæ malignæ. Hanc explicationem desumo ex doctrina Galeni 7. *Aph. commento 50.* explicans enim sententiam Hippocratis dicentis; *quibus cerebrum sphacelatum*

latum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint, sani fiunt, in commento docet Galenus, per sphacelum non esse intelligendam mortificationem cerebri, nam ab hac nullus euaderet. Auicenna ergo hanc sequutus explicationem, dicit non esse hunc morbum vehementer prauum (id est) non interficit corruptione partis & naturæ, congenitæque temperiei eiusdem, sed multitudine, etiamsi verba Hippocratis sonare videantur *corruptionem*, quia alioqui nullus ab hoc malo liberaretur. Quia ergo vt *in commento* dicit Galenus, Græci etiam sphacelum nominant, quando pars magnificatur magnitudine inflammationis, ita intelligere possumus dictum Hippocratis, videlicet quod quibus tam grandis fit inflammatio, vt cerebrum sphaceletur, intra tertium diem pereunt; si verò tanta sit virtus quod resistat putredini partis, liberantur; nam vt *in commento* dicit Galenus, sperandum est post tertium diem morbum declinaturum, & vires esse fortes, ita enim omninò ipsum peruincunt.

Alia affectio est cerebri erysipelas & vlcgro, *in qua* (inquit Auicenna) *fit dolor vehemens & inflammatio*, quia hæc passio pendet ex bile sincera. Estque tantum incendium internum aliquando, quod trahens ad se sanguinem & spiritum efficit, vt facies reddatur frigida & appareat citrina, seu pallida, & propterè hoc demonstretur in oculis, deinde subito calefit, & rubificatur: sed vt in plurimum frigida percipitur & citrina, os exsiccatur nimis, & non inclinantur ad dormiendum, vt in phlegmone: sed accidentia sunt terribiliora, & febris est fortior. Addit quod vt in plurimum intra tertium diem interficit.

Aduertit vlterius, pueris quandoque accidere hoc malum, & præter signa docet quod sinciput profundatur, & minorantur oculi, & desiccatur corpus. Profundari sinciput, est trahi ad intra: quod causatur ex siccitate nimia cerebri & membranarum, & quia membrana exterior perycraneon dicta vnitur internis, trahentibus internis ad se tunicam ambientem craneum, trahitur etiam craneum interius, quia in pueris mollissimum est. Ob eandem causam profundantur oculi, si totum cerebrum patiatur æqualiter, si verò vna pars plus quam alia patiatur, oculus ei correspondens minorabitur, & cauior reddetur, itque contabescit corpus, quia mollis & tenera puerorum substantia resoluitur, & exsiccatur facillimè: ob quod dixit Hippocrates 3. *Progn.* pueros incidere facilè in conuulsionem.

Tertia affectio est *sibare*; est autē inflammatio cerebri causata à cholera adusta, *in quo malo* (vt inquit Gentilis) *homo alienatur, & furit vehementer, & rixatur sine aliqua intermissione aut quietatione in mente*: ob quæ appellatur hoc malum *Dæmonium superfluum* ab Auctore, & mania composita cum inflammatione: quasi dicas, *Est inflammatio ex atra bile per adustionem*, vnde feroces & vlulantes redduntur, lacerantes seipsos, & assistentes, si eos apprehendant, & quia tam validè deprauantur in moribus, *Dæmonium* appellatur à Principe Auicenna. Aduertit Auctor quod causatur à cholera rubea, pura & adusta, nam adustio conducit ad furorem & dæmoniacam naturam: puritas est, quia si esset admixtus sanguis, attemperaret malignitatē bilis atræ, & non causaretur Dæmonium, seu *sibare*. Multa inculcantur à Gentile super literam, quæ si vobis exponerem, fastidiosa forent, & paruæ vtilitatis, & ideò prudenter omitto.

Signa demonstrantia *sibare* satis clara sunt, ex conditione & furore maniaco assiduò affligentibus; & cum ex materia tam mordaci dependeat, aut erit perpetua vigilia: & si aliquando dormiunt, erit cum somnis tumultuosis: *Et tumor* (inquit Auicenna) *erit in somno, quia horrenda spectra inter dormiendum ipsis proponuntur ab atra bilis natura*; sic species internas determinante. Hippocrat. 4. *Aphor. text.* 57. sic reliquit scriptum: *In febribus ex somnis timores vel conuulsiones, malum*: Galenus *in commento*: *Itaque nos sæpe vidimus in morbis exitialibus & timores, & labores, & conuulsiones*. Et inferiùs; *Si igitur ea plenitudo magis ad atris bilis naturam vergat, timores fiunt; sed si talis non fuerit, labores & conuulsiones*.

Addit Auicenna *quod respiratio fit magna & frequens* Ratio est, quia vsus est nimis auctus. Si verò inquiratis quomodo erit crebra seu frequens respiratio, cum delirent ita affecti, est autem delirantium respiratio magna & rara, vt 1. *Progn.* docuit Hippocrates, non verò magna & crebra? Respondet Gentilis, quod est tanta vrgentia vsus & caloris acuti in corde, quod coguntur crebrò respirare, etsi delirent; quia est calor intensus causa potentior trahens ad se, propter molestiam thoracis, vim imaginatiuam, & detrahens illam, & alias potentias à reliquis obiectis circa quæ delirabant; & inde thoracem mouent.

Addit Auctor, quod *ita affectis accidit obliuio, & responsio non est similis interrogationi*: Rationem primi reddit Gentilis, quia species non imprimuntur, & ideò non respondent secundum interrogata: quæ doctrina non placet, non enim reddit rationem, cur in ita affectis non imprimantur species obiectorum quæ proponuntur. Dices, quia constant calida & sicca distemperie cerebri; siccitas verò quia causat duritiem in illo, non recipit facilè species impressas sicut in re dura, nec imprimuntur facilè externæ figuræ sigillo. Sed contra est, quia doctrina Auicennæ contrarium significat; nam quod responsio non sit similis interrogationi, apertè innuit patientes *sibare* interrogata percepisse, responsum tamen ad rem non pertinere, & id quotidie experimur, repetere scilicet interrogata ita affectos, per responsum verò reddere disparata. Sed huius problematis solutio est facillima, quia efficacia mali determinat internas potentias ad obiecta sibi proportionata, & circa quæ delirat ægrotus: tollit discursum & rectam rationem, qua interrogatis directè satisfacere tenebatur; tam efficaciter determinantur potentiæ aliquando ad percipiendum varia obiecta, ratione morbosæ intemperiei aut motus inordinati spirituum, quod nullo modo distrahi possint ab illis, nisi per vim magnam, & ita loquuntur sibi proposita ab interna intemperie, & non quæ interrogata petebant. Non me latet, ita affectos aliquando accusari sine ratione, quia non respondent directè, quia nullo modo interrogata perceperunt, nam ob animæ distractionem circa obiecta deliriorum deficit concursus ad percipienda de nouo proposita, & perfectè iudicandum de illis & de requisitis ad responsionem.

Oculi istorum rubent ex nimio incendio, adest agitatio & saltus eorum, id est motio inquieta, requirendo per illos obiecta varia pertinaciter à morbo proposita. Estque proprium irascentium & maniacorum, semper inquirere obiecta vindictæ, & in quæ furorem exerceant; laxati verò ex continua motione debiles facti grauantur, emittunt lachrymas à nimio calore liquatis humiditatibus ipsorum & cerebri, aut quia semper fluunt humiditates ex mala alimenti coctione ob spirituum defectum: aucto malo lingua redditur aspera & siccatur, & in tantam debilitatem virium incidunt, quod qui antea Dæmoniaci & furibundi existebant, consternatis potentiis se mouere nequeant, & remanet ex Dæmonio alienatio intercisa cum defectu sermonis: colligunt festucas, & floccos ex vestibus aut stragulis; pulsus redditur paruus, debilis, & durus, quia & debilitantur extremè, & resolutione exsiccantur.

Indicationes curatiuæ prædictarum passionum ex relatis *in cap. de phrenitide*, satis liquidè constant; tantum enim euariant, prout phrenitis sanguinea biliosa, aut atrabiliaria. Illa enim indicat maiorem euacuatio-

nem

nem per missionem sanguinis, aliæ duæ attemperationem maiorem & minus extractionis sanguinis, & ita loquendo de cura *sibare* Auicenna solum dicit; *& ipsius quidem cura est sirse curam seu apostematis cholerici, cum adustione plura inhumectando & continua extremorum ligatura*, ad reuellendum humores fluentes in cerebrum. Solum notabitis quanta debeat esse celeritas tum cognitionis tam exitialium passionum, tum exhibitionis auxiliorum, cum intra diem tertium certum exitium semper polliceatur, & non nisi solertissima & continuata remediorum applicatione, absque leuissimo errore euadere possint.

Sed meritò dubitabis, si phrenitis est inflammatio cerebri, & omnes relatæ passiones sunt inflammationes illius & apostemata, quomodo peculiaria capita illis Auicenna dicauit: videtur enim quod omnes sint species phrenitidis: quid alij sentiant non curo, quid sentiam, accipite breui. Phrenitis in sua intrinseca ratione includit necessariò putredinem causæ, quia includit vt partem essentiæ continuam febrem & delirium: febris verò non datur sine putredine humoris: at verò de ratione intrinseca apostematis, non est causæ putredo, sed solùm tumor contra naturam, quia sine putredine causæ dari potest. Vnde quamuis sit difficile, non repugnat dari tumorem contra naturam in cerebro, quin detur statim febris, & ita dabitur malum acutum illius sine natura phrenitidis. Ad distinguendum ergo huiusmodi morbos, dicauit determinata capita Auctor, propterea dixit *in cap. de inflammatione*, quod vt in plurimum fit à sanguine putrido, quia potest non fieri ab illo, & quod non fit, non habebit rationem phrenitidis; erit tamen vera inflammatio, quia de ratione istius solum est, quod sit tumor durus & dolens, causatus à sanguine. Et ita Paulus (ex quo quæ diximus mutuauit Auctor) non posuit inter signa inflammationis aut erysipelatis cerebri febrem, nec delirium. Idem cum nobis sentit. Iacotius *commento 1. in lib. 3. sect. 2. Coacarum prænotionum, fol.* 579. Sic Galenus schirros & œdemata in plenia admittit, & non vocat pleuritides, quia succi non putrescunt, & vt apoplexia à sanguine fit & bile aut atra bile, quin febris superueniat, sic tumor sanguineus aut biliosus, & tunc non erit vera phrenitis ob febris & delirij defectum. Idem Iacotius *commento in lib. 1. sect. 2. folio* 439. *&* 446.

Tandem notabitis, quod quando accidit pueris erysipelas cerebri, vetat Auicenna assidua applicatione olei rosacei cum oui vitello permixti, & permutatione continua, ne incalescat: mihi videtur vtilius fore, si totum ouum cum albumine vehementer agitaretur & admisceretur rosaceo, nam existimo frigus rosacei cum vitello calido debile esse auxilium pro exquisito erysipelate. Præcepit etiam Auctor, quod succi frigidi etiam applicentur capiti, vt ex cucurbita & corticibus melonis, & cucumeris; sic autem dispensat Iacotius. ℞ duo vitella ouorum cruda, nos cum albuminibus, sint verò recentia, olei rosacei ℥iij. fortiter agitentur & applicentur sincipiti & temporibus: item ℞ lactucæ, violatiæ, portulacæ, nenupharis recentium ana m. ij. cucurbitam integram, si inueniri possit, aut corticis eius ℥ß. corticum melonis & cucumeris ana ℥j. terantur omnia & fortiter exprimantur, & capiti frigida applicentur in linteo. Ponit etiam corticem melonis, vel cucurbitæ viridis vt galeam, quod mihi videtur vtilius, si molestum non sit medicamenti pondus; neque timenda est emplastica natura albuminum in antea adductis remedijs, quia vehementer agitata & vitellis oleoque plurimo rosarum permixta illam deponunt, & mirè incendium mitigant; nec in exquisito erysipelate ita est necessaria ventilatio, vt ardoris extinctio: præterquam

A quod cerebrum habet plurimas vias, per quas ventiletur.



DISPVTATIO III.

De Lethargo.

CAPVT I.

Quid sit hæc affectio?

B ACVTISSIMA cerebri passio lethargus censetur ab omnibus: hunc definiens Auicenna *lib. 3. fen. 1. cap. 7.* dicit, *Lethargia est apostema phlegmaticum intra cranium, & est sirsen phlegmaticum.* Sunt autem non contemnendæ difficultates in Auctorum doctrina, circa naturam, causas, & partem affectam, signaque huius morbi.

Primum dubium est, an essentia huius mali consistat in apostemate, itavt sit tumor præter naturam? Ad quod respondeo eodem modo atque in phrenitide, esse nimirum impertinentem tumorem vt eueniat integra essentia lethargi: est iam communis doctrina in nostra schola, vt docuit Vallesius *5. cont. auer. cap.* 12. & refert Alsarius *lib. 3. lect. 4.* & Magister noster *lib. de locis affect. disp. 7. cap. 1.* Ratio est à priori, quia C nullum ex essentialibus signis inflammationem requirit; nam talia sunt continuus somnus & profundus cum continua febre. Aliqui addunt delirium, vt in phreneticis: constat verò nullum ex relatis signis tumorem exposcere vt fiat; & constat similibus fundamentis adductis tam *Tractatu de phrenitide*, quæ rursus repetere non licet. *Est ergo lethargus morbus cerebri cum humoris affluxu, ex quo causantur profundus somnus & continuus cum continua febre, delirio & obliuione.*

An verò semper sit idem morbus in essentia? difficultate non caret. In qua dubitatione dico. Primò essentiam huius mali non semper consistere in eodem morbo, quia signa essentialia ex diuersa procedere possunt; & probatur, quod ex morbi distemperie D pendere possint. Primò ex Galeno, qui *3. de locis, cap. vltimo* dicit; *pereunt autem ambo hæc in lethargicis & omnibus soporiferis passionibus, atque affectionum ipsarum opus est vnam esse genere secundum quidem primum genus morbi intemperiem, &c.* Vbi clarè docet, lethargicas passiones & reliquas soporosas habere vt primum morbi genus intemperiem: ergo à morbo illius causabitur lethargus. Quæ verò distemperies sit hæc? maximè controuertitur apud Medicos. Quidam asserunt esse frigidam & humidam, ita constat ex Galeno loco immediatè citato, vbi postquam dixit, primum genus esse distemperiem, secundum dicit, esse frigidam 2. *Aph. comment. 3.* somnum fieri refrigerato cerebro: *si verò adiungatur humiditas, fieri passiones lethargicas*; & *lib. 3. de causis symptomatum, cap. 3.* dicit lethargum E vires effæminare, *quia partes imbuit humiditate & frigiditate copiosa.* Idem *3. de locis 7. cap. & 4. de causis pulsuum, cap. 13.* intermittentem pulsum potius quam intercurrentem lethargo conuenire docet, quia frigidior passio est, quam peripneumonia. Auicenna clarè appellat *Sirsen frigidum*, & communis schola Medicorum cum Galeno 13. *meth. cap.* 21. affectiones contrarias putat lethargum, & phrenitidem; hanc verò calidam & siccam passionem esse docet: ergo lethargus erit frigida & humida, quod non minùs demonstrant plura symptomata, insensibilitas, & immobilitas; torpor in omnibus actionibus, cum per-

petuo veterno, & obliuione. Dixit verò Galenus 13. *meth. cap.* 17. quod cum cerebrum obliuetur à frigido humore, insensibilitas & immobilitas hominem comprehendunt.

Quod verò humiditas malè afficiat cerebrum in lethargo, communis consensus est, & constat ex Galeno 2. *Aphor. commento* 3. iam citato, & clarius ex mollitudine pulsos, cuius differentiam in lethargicis omnes fatentur. Paulus vndosum posuit, qui sine humiditate contra naturam in arteriis non datur, & constat quia pituita à qua causatur, frigidissima & humidissima est omnium quæ sunt in corpore, vt docet Auicenna. Paulus *lib.* 3. *cap.* 7. ex pituita humidiori & frigidiori cerebrum madefaciente causari docet. Tralianus *lib.* 1. *cap.* 14. idem tenet, dum lethargicos prorsus in sopore, qui Græcis Caros dicitur ab humiditate simul & frigiditate, quæ spiritum animalem suffocat & torpidum efficit, terminari posse fatetur. Vnde si malo aucto terminatur, aut transmutatur lethargus in carum, & hunc à frigore & humiditate docent omnes causari, ab eisdem pendebit lethargus. Quam doctrinam sequutus Massarias tam certam putat vt dicat *cap.* 12. neminem dubitare caput pati in lethargo, & causam esse pituitam, quæ nimio frigore & humore cerebrum imbuit, & in somnum impellit. Idem tradidit Rondeletios *cap.* 18. *suæ methodi*; & Mercurialis *lib.* 1. *cap.* 17. qui tam tepidè explicat difficultates huius morbi, vt tanto Auctore videatur indignum. Idem de Massaria mirandum, cum putet vterque pituitam putridam lethargum causare; non tamen examinent quomodo pituita putrescens tam validè refrigeret cerebrum, quod dormiendi inexpugnabilem libidinem excitet. Idem tenet Donatus *cap.* 2. & Hieron. Montuus *cap.* 22. dicit; causa est refrigeratio fortis mixta humiditati: Tandem Hippocrates *lib. de hominis structura*, non longè à principio ita reliquit scriptum *Lethargus verò ipse cerebri passio est. Cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc passio quæ lethargus appellatur, hominem occupat.* Celsus tamen tacuit. Leonardus iachinus 9. *ad Almansorem, cap.* 8. frigidam & humidam distemperiem cerebri tradit; læsique cerebrum vt est pars similaris, minimè verò vt instrumentalis. Idem Holerius *in Scholio*, Duretus & Valesius super Holerium, & longissimè disputauit Villanus *lib.* 3. *in scholio Canonis* 3. pituitam nullatenus in lethargo putrescere.

Contra tot & tam egregios Auctores acerrimè pugnauit Magister noster *libro de locis affectis, disp.* 9. *cap.* 1. vt falsum indicans, quod lethargus vt est morbus consistat in distemperie frigida cerebri; sed potius in calida & humida. Probatur efficaci ratione, quia pituita causans lethargum putrida est, & febrem inducit in vniuerso corpore, ergo necessariò calefacit caput, & non refrigerat. Patet consequentia, quia per putredinem redditur calidior cerebro, & est illi intimè applicata: ergo, &c. Esse verò cerebro calidiorem constat, quia est calidior corde; repugnabit igitur infrigidari cerebrum à pituita putrefacta. Hoc argumentum tanquam Achillem contra totam antiquitatem adduxit, simulque tradit quasdam illius solutiones friuolas satis, ob quod silentio prætermitto.

Posset tamen aliquis respondere, quod in lethargo per propriam passionem tanta est collectio pituitæ non putridæ in cerebro, quod refrigeret illud & resistat inductioni caloris producendi à portione pituitæ putrefactæ: nam portio leuis est quæ putrescit ad faciendam accessionem febrilem, quod indicat tepida febris, vnde non bene colligitur: cor calefit à pituita putrescente in cerebro quod est minus calidum quam cor; ergo intendet etiam calorem cerebri. Hoc argumentum enim vim haberet non dubiè, si non esset in cerebro contrarium agens resistens, copia scilicet pituitæ non putridæ: cùm verò illa concedatur A in magna quantitate, vt materia antecedens in cerebro refrigerat illud contra naturam, & portio quæ putrefit non potest calefacere illud. Dico verò non calefacere vltra id quod exposcit natura cerebri, nam non calefieri implicat, cum sit putrida portio pituitæ intimè applicata, & hæc calefactio remittet aliquid frigoris producti contra naturam in cerebro à pituita non putrida, est tamen nihilominus plus frigoris contra naturā in cerebro, quia est agens validius quod infrigidat quam quod calefacit, & ita sequitur actio victoriosa à pituita non putrescente; requiritur verò hæc admixtio pituitæ putridæ & non putridæ, vt generetur lethargus, & oriantur constituentia integram essentiam illius, nam febris exposcit portionem putridam, & somnus profundus copiam non putridæ, vt alteratione B frigoris ipsemet profundus causetur. Galenus 3. *lib. de Præsag. ex puls. c.* 4. dum cor frigidis succis abundat, & si proxima caleant & febrem inducant in reliquis partibus, cor tamen frigidius esse actu quam per naturam concedit, etsi totus homo febricitet. Nihil ergo mirum in capite esse posse tantam pituitæ copiam, quod etsi aliqua portio putrefiat, resistat quod imputridum est inductioni caloris. Quod si attendatis quod docuit Galenus, esse scilicet cerebrum calidius aere æstiuali, clariùs patebit quod dicimus: nam cum calore tanto, qualis est æstiualis, potest pituita putrescere, & leuissimè cerebrum alterare ex se, in quo si detur copia pituitæ frigidæ, vt in lethargo datur collecta tanquam materia antecedens febris, quid mirum infrigidari contra naturam. In hunc sensum intelligo C Tralianum dicentem; *quando igitur materia, quæ in cerebro continetur, pituitosa est & superans, causa humida & frigida demonstratur*, &c. & Galenum similiter 2. *Prorrhet. commento* 29. dicentem; *cum verò cerebrum ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur in lethargicis affectionibus, Coma erit.* Et 4. *Aphor. commento* 37. dicit: *Contingit enim in tepida febre, etsi modicè frigida multitudo fuerit, non incalefactam permanere.*

Nec putandum est in hac solutione quandam partem pituitæ putrescere, & aliam seruari imputridam, quasi per minima diuisus humor pituitosus, vt in epyala febre docent Auctores. Ego enim existimo esse peculiarem partem ad quam fluit pituita, & habet veram rationem foci putredinis, indéque distribui fuliginosum per totum corpus & cerebrum: quia D verò istud obrutum est alioqui frigida pituita, quæ est materia antecedens, non calefit contra naturam, etsi cor & reliquæ partes febricitent.

Sed dices; non implicat mittere totum corpus in cerebrum portionem solam pituitæ, quæ satis sit ad accessionem faciendam, quin præsupponatur in cerebro materia antecedens collecta: data verò hac hypothesi erit lethargus sine distemperie tam frigida cerebri, quia tota pituita in illud transmissa verè putrescit, & accessionem facit. Respondeo facilè in hac hypothesi nullo modo excitari lethargum, sed febrem solam pituitosam habentem focum in cerebro. Nam cùm in opinione Galeni lethargus sit morbus distemperiei, cum causa & symptomata essentialia debeant pendere ex distemperie morbosa, repugnat E somnum profundum causari ab ea portione, quia cùm mittatur in partem determinatam, & verè sit calida, nequit omnibus actionibus internis & externis animal priuari, quia ad hoc est necessarium totum cerebrum pati à qualitatibus ad febrem & somnum profundum requisitis, quas non potest illa portio producere: tum quia in loco determinato putrescit: tum etiam quia materia cùm sit putrida per calorem, ad vigilias inclinat magis, quàm per humiditatem ad somnum: & cùm hæc sit parum actiua, nequit ex loco, in quo determinatè putrescit, cerebrum totum madefacere, vt somnum profundum causet; sic enim

fatentur

fatentur Auctores esse vnam speciem paralethargi, quando humores biliosi effetuescentes calefaciunt pitoitosos venarum, & reducti vapores pituitæ in antiquam naturam, somnum profundum efficiunt.

His probabiliter defendi potest Antiquorum sententia: quia verò Galenus 4. *de Præsag. ex puls. cap. 7. & 3. methodi, cap. 11.* opinatur clarissimè pituitam causantem lethargum putrescere, vnde illa distinctio partium putridarum & sine putredine in Galeno non inuenitur expressa: Probabilius existimo lethargum non esse morbum solius temperamenti, sed esse affectionem compositam ex morbo calido & conformationis, ita vt somnus profundus non pendeat ex frigore cerebri, nec ex humiditate pituitæ, vt putauit Magister noster, sed ex obstructione cauitatum cerebri. Probatur efficaciter, quia posita obstructione ex pituita putrida, resultant essentialia signa lethargi, scilicet continua febris, cum perpetuo somno: ergo sine refrigerio aut humiditate contra naturam dantur essentialia signa lethargi, & per consequens illius essentia: & confirmatur, quia apoplexia, carus & lethargus quantum ad somnum contra naturam, solùm differunt secundum magis, & minus & per consequens ex parte morbi: at morbus in apoplexia est obstructio, ergo & in lethargo.

Secundò, quia somnus naturalis causatur ex doctrina omnium Philosophorum à vaporibus alimenti, non vt humectant, sed vt occupant vias per quas communicantur spiritus: cum ergo lethargus sit tam profundus, & causetur non à vaporibus, sed à corporatura integra humorum, repugnabit non obstrui cerebrum multò magis quàm in naturali somno; semel verò concessa obstructione necessariò causabitur somnus, & quænis alia intemperies impertinens est ad illum. Quod si dicas, negari non posse quod cerebrum contra naturam humectetur, vt ex Galeno vidimus: quo concesso cogimur simul fateri somnum oriri ex humiditate superflua, nam illum causare publicè cum Galeno confitentur omnes. Respondeo id nos non negare, sed asserere, quod etsi non humectaretur cerebrum, dormiret perpetuò lethargicus, & contra solutionem retorqueo argumentum: negari non potest quod multa pituita collecta in cerebro obstruat crassitie, lentore & copia: sed obstructio cerebri conducit ad somnum contra naturam: ergo repugnat excludi morbum in conformatione à ratione causæ cogentis dormire.

Tertiò vrgentius, idem morbus datur in lethargo legitimo, seu exquisito & notho, quia in quolibet dantur similia symptomata solùm secundum magis & minus differentia; sed in notho non potest causari somnus à distemperie humida: ergo pendebit ab obstructione. Minor probatur, quia si coniungatur simul melancholia & pituita, impedietur humiditas pituitæ ex melancholiæ adustione, quia est plus sicca quàm humida pituita, & nihilominus causant somnum contra naturam: ergo non alteratione, sed obstruendo cauitates cerebri.

Quartò somni profunditas id clarè demonstrat, nam cum cerebrum sit humidum à prædominio, & pituita simul humidior putetur, cùm tamen non sit summè humida, non poterit tantam intensionem producere supra naturalem cerebri, vt tam inexpugnabilem dormiendi necessitatem causet: præsertim cum remissè actiua ponatur ab omnibus, & ratione caloris putredinalis necessariò deperdat multum humiditatis, & quod magis est, causam somni; nam humiditas illum conducit occlusione pororum & concidentia partium: at calor vigiliam inducit rarefactione & distensione & apertione pororum, & inde tam profundus somnus nequit ab humiditate causari, cum obstet semper calor febrilis. Quod etiam confirmat curatio, versatur enim tota illa in incisione & attenuatione crassæ materiæ, in enacuatione per omnes vias conspicuas & occultas; & quamuis sit materia calida à prædominio, id contemnimus, sumentes indicationem maiorem à crassitie & corporatura & obstructione pituitæ, quàm à calore, quem contra naturam concepit; & sic calefacientia, attenuantia & discussoria perpetuò adhibentur, tentando omnem sortem enacuationis ad auferendam multitudinem grauantem cerebrum.

Quintò, quia si somnus profundus causaretur alteratione, vt causatur vigilia in phreneticis, tam facile esset lethargicum alteratione contraria expergiscere sicut phrenetico conciliare somnum: id autem non experimur, nam etsi ignem potentialem applices, dormiunt nihilominus, quod in phreneticis non euenit; nam leuissimo in quantitate dato medicamento dormiunt statim, quod discrimen non pendet ex alia causa nisi quod pituita cogit ad somnum, corporaturaque per alterationem simplicem non minuitur.

Sed ex modo quo expergefiunt aliquando, sextum sumitur argumentum; si enim vellicentur, aut aliqua irritatione molestentur, liberantur à somno, & respondent, quod non eueniret si alteratione causaretur, quia vellicationibus nihil de qualitate minuitur: quia verò sentita molestia conatur natura expellere impedientia sensus, eo modo quo à somnu naturali per vocem aut leue irritamentum liberatur quilibet, expulsa à cerebro causa somnum inducente, ideò lethargici expergifiunt. Nec valet si dicas quod eodem modo lethargicus liberaretur, taliter per clamores aut alia irritantia, nam præterquam quod id fieri non implicat, est tamen contrarium frequentius, quia tantam causam simul expellere non valet; pellit tamen aliquid illius aut intus cerebrum commouet ita, vt magis peruij reddantur meatus spiritibus vt applicentur immediatè substantiæ cerebri ex commotione, ratione cuius deficientis applicationis antea non influebant in cerebrum.

Sed dicetis, si irritatis ægrotis expellunt causam somni, malè probatur hoc sexto argumento quod intendimus; nam etsi in distemperie consistat, cessabit somnus semel expulsa illius origine, & causa conseruante refecta: Respondeo esse diuersam rationem, nam subitanea expergefactio dormientium naturaliter per voces aut irritationem clarè docet non à distemperie, sed à corporatura somnum causari, quia cum debeat cessare per alterationem contrariam post ablationem causæ, non subito excitarentur, sed tardius & successiuè & paulatim, vt fit omnis reductio & motus per contraria. Quod si philosophicè attendatis ad inducendum somnum non esse satis alterationem simplicem, sed mutari in qualitatibus secundis cerebrum & spiritus animales, vt fatentur omnes, (debent enim densari, & poros & vias occludere,) liquidò vobis patebit tam subitam expergefactionem esse impossibilem; quod mutuo pugnent calor & humiditas ad causandum somnum & vigiliam: calor rarefacit, pituita laxat, & concidere facit partes ob laxitatem. Ex qua doctrina sumo argumentum contra Magistrum & putantes lethargum causari ex distemperie sine morbo conformationis; nam ab humiditate non fit somnus nisi quia substantia cerebri concidit nimis laxata, & sic viæ occluduntur per quas est communicandus spiritus: ergo immediatè causatur ex morbo cõformationis vt constat. *Est itaque sententia nostra, essentiam lethargi causari ex morbo distemperiei & conformationis.* Primum petit febris conditio; secundum somni continuatio & profunditas: & hoc secundum colligitur ex Galeno 1. *de causis Symptomatum, c. vlt.* dicente: *Et cum à multo humore frigido grauatur, cum qui in comatis & Lethargis somnus cernitur, affert.* Qui locus notandus, quia non loquitur

quitur in communi de somno, cùm dicat in comatis & lethargis. Esset verò satis dicere in comatis, si de somno in communi loqueretur. Est etiam locus qui fauet sententiæ primæ dicenti à pituita frigida, vt à materia antecedente somnum fieri.

CAPVT II.

De signis lethargi & parte affecta.

EX relatis in præcedenti controuersia signa essentialia constant, somnus scilicet continuus & profundus, cum perpetua febre. Vtriusque symptomatis continuitas intelligenda est, vt in phreneticis respectu febris & delirij perpetui; nunquam itaque cessare debent etsi in declinationibus remittantur, nec obstat quod lethargici interrogati respondeant aliquando; nam hoc dependet ex causa externa, irritatione scilicet aliqua; quod non tollit quantum ad morbi signatam esse somnum continuum, sicut nec phreneticus delirat quando inducentia somnum non frustrantur fine; delirat tamen continuè quantum ad morbi naturam; quia si primum sensitiuum non stupefieret, deliraret, ita vt lethargicus dormiret, si non irritaretur.

Est autem lis magna inter Medicos, an lethargici delirent ita, vt delirium sit accidens essentiale non minus quàm somnus, aut continua febris? Quæstio quidem satis inutilis & fastidiosa; inutilis quia sine delirio à quauis alia soporosa affectione benè distinguitur; fastidiosa quia pro qualibet parte adducitur ab Auctoribus magnus rationum & Auctorum cumulus; nulla verò efficaciter probat esse signum essentiale. Eam latissimè exagitauit Magister noster *disp. 9. de locis affect. cap. vltimo*; delirare itaque lethargicos aliquando non cadit sub dubio, & docuit Hippocrates 2. *de morbis*, & *in fine libri primi de morbis*. Auicenna commixtionem rationis concedit in lethargo; idem Alsarius & Duretus apud Holerium, & Magister noster loco citato, vt signum pathognomonicum tradit delirium perpetuum.

Quorum sententia mihi non probatur, existimóque probabilius delirium perpetuum lethargicorum non esse signum essentiale, sed superueniens. Ratio est quia in quantum essentia huius morbi includit necessitatem somni profundi, tollit delirium, cum opponantur suo modo. Sed hæc ratio non videtur omninò valida, quia dicent contrarij esse adhuc in potentiis internis vim ad percipiendum obiecta deprauatè. Adhuc argumentor contra solutionem, quia in primis est certum, quod distemperies inducens delirium tantò requiritur intensior, quantò potentiæ internæ sunt impeditæ magis: ergo si lethargici vt includunt somnum profundum, includant cessationem aut diminutionem actionum potentiarum internarum, requiritur per consequens obiectum intensius & efficacius, vt excitari cogantur, sed obiectum existens ad delirium est in lethargicis remissum nimis: ergo non tantùm vbi ratione morbi sunt impeditæ potentiæ, nam caussabit delirium verum, sed vbi sunt aliquo modo impeditæ. Maior est clara, nam quantò potentiæ internæ sunt impotentes ad sentiendum, requiritur obiectum acrius & magis stimulans, quod eas excitet ab eo torpore, sic enim lethargici non sentiunt obiecta communia, sed maiora & acriora. Minor constat ex doctrina Galeni & Auicennæ, Galenus enim lethargorum febrem appellat tepidam *cap. de castoreo*, & Auicenna ita loquitur *cap. 8.* de signis huius morbi; *Verum ipsa est lenta quando materia est phlegmatica, & hæc quidem febris quandoque non sentitur.* Gentilis *in commento. Imò dicendum quod quando*

A *quæ est ita lenta quod non sentitur.* Iacobus idem docet, ita vt sit necessarium diu detinere manum, vt Medicus de febre certus reddatur, & cùm hoc sit verum respectu partium reliquarum, verius erit respectu cerebri, quòd & abundat in illo copia pituitæ frigidioris, vt materia antecedens. Quando ergo Auctores referunt delirare lethargicos, intelligendi sunt de superueniente accidente, quando scilicet putredo maior est & non magna obstructio, aut coniungitur bilis cum pituita; tunc enim nil mirum delirare aucto calore per bilem admixtam. Id etiam colligo 1. *Prorrhet. commento* 1. vbi ex eo quod qui dormit contra naturam deliret quando cadit in somnum, colligit mixtam esse affectionem ex pituita & bile, & inferiùs ita dicit: *Ego verò quoties ad finem vsque tum desipientia, tum coma persistunt, affectionem hanc ex phrenitide & lethargo* **B** *mixtam appello*; non ergo datur ex sola pituita perpetuum delirium cum somno; nam si hoc esset possibile statim à principio fieri, malè appellaret Galenus mixtam passionem ex lethargo & phrenitide, & ex bile & pituita.

Circa quod notandus error crassus Alsarij, qui cum putaret delirium à calore caussari, docet quod somnus profundus sit, quia portio pituitæ, quæ in cerebro non putrescit, refrigerat & humectat illud; hoc enim sustineri non potest, quia repugnat substantiam cerebri simul alterari à calore pituitæ putrescentis & frigore non putridæ; vnde dicentes, quod à calore contra naturam delirat lethargicus, nullo modo admittent quod somnus caussatur à frigore contra naturam, sed ab humiditate, vt putauit Magister. **G**

Etiam mihi videtur difficile, quod in nostra Schola docetur, lethargicos scilicet non delirare verè, sed esse obliuionem quandam & aliquando diminutionem, aliquando verò ablationem actionum internarum potentiarum, nam quando lethargici irritantur & expergefiunt, non apprehendunt vnum pro alio, aut ex obiecto ipsis proposito & cognito inferunt aliena & erronea; sed potius dicunt ita docentes, diminutè apprehendunt lethargici proposita, & ex illis aut circa illa ratiocinari incipiunt: cessant tamen statim, & statim obliuiscuntur eorum quæ proposita sunt.

Quæ doctrina dupliciter peccat, & quia in lethargicis memoriam abolitam ponit, contra communem sensum Galeni & Medicorum, & quia docet non de- **D** lirare verè lethargicos aliquando, constat; quia cum doceant sic sentientes, cerebrum calefieri contra naturam, & vnà ex caussis conducentibus ad delirium, & in lethargo notho ex bile & pituita, aut ex melancholia, doctrina eorum satis falsa apparet, & ad hominem est argumentum. Quia læsionem internarum actionum docent non esse ex vi lethargi, sed distemperiei coniunctæ, quia si concipiamus pituitam putridam obstruere cerebrum, intelligimus sine aliqua distemperie, & læsione interna, somnum profundum & febrem; & per consequens lethargum, quia nulla alia affectio esse potest. Ergo læsio internarum actionum non intrat, nec intrare potest in naturam lethargi: Sed contra est, quia isti Auctores ponunt vt caussam lethargi bilem & melancholiam **E** putrefactam: Est autem euidens ab his humoribus putridis produci non posse distemperiem auferentem memoriam aut diminuentem, quia necessariò excitatur & calefit contra naturam: ergo delirabunt necessariò & verissimè, quia memoria diminui non potest primo occursu à calore & siccitate, sed potius intenditur, & eadem ratio est aliarum potentiarum internarum: Quod si pro illis respondeas, diminui memoriam, quia propter obstructionem cauitatum non communicantur spiritus aut species, vt aliqui dixerunt; contra est etiam argumentum ad hominem; quia læsio internarum potentiarum sequitur essentiam & na-

turam

rutam lethargi, cum in sua opinione in obstructione consistat.

Secundò concedere morbum pendentem à causa, & negare læsionem actionum intemperiei causæ debitam, est merum figmentum, & contra communem doctrinam Galeni, præsertim cùm partem essentiæ lethargi collocent isti Auctores in calore contra naturam in cerebro: ergo necessariò læderur aliqua actio illius, alioqui distemperies illa non erit morbus cerebri, quia illi nullam infert læsionem.

Tertiò quia, vt probaui *tractatu de deliriis*, si alicui proponatur discursus circa aliquod obiectum determinatum, & illo apprehenso, tractet de aliis non propositis, verè delirat, quia deprauatur regens facultas in medio tractationis rerum & dispositione naturali & discursu: si enim lethargico proponatur ab aliquo, vt confiteatur peccata ob periculum morbi, & re intellecta statim incipiat de venatione loqui, aut de modo adquirendi pecuniam, vel aliud quodlibet loquatur, etsi vera sint quæ dicit, delirat non dubiè, quia cogitur ratione morbi non respondere propositis; & loco debitæ responsionis ad rem spectantis, loquitur alia non conduceibilia consilio aut interrogationi; lethargicum verò multa loqui extra rem, experimentum docet, & Hippocrates appellauit garrire nugas, & Auicenna commixtionem rationis. Falsò itaque censent sic opinantes, lethargicos diminutè apprehendere sibi proposita, & incipientes circa illa ratiocinari statim cessare à discursu: nam si hoc solum in lethargicis Medici fuissent experti, non controuerterent, an delirium sit essentiale signum eorum; ad quid enim si tantum datur actio diminuta. Peccat tamen adducta doctrina, quia diminutio memoriæ & internarum potentiarum non minus fit ab obstructione, quam à distemperie: patet quia aufert omnino; ergo si læsio internarum potentiarum depeudet ex diminuta memoria, & eam diminuere potest obstructio, quam necessariò requirit lethargus, includet iste ex propria natura læsionem illam duplici ratione, & quia obstruentem causam, & distemperantem exposcit.

Nec minus displicet opinio Mercati, dicentis numquam sufficere calorem lethargicorum ad delirium: hoc enim nullo modo probatur, nec probari potest; tum quia in putredine pituitæ est multa latitudo, tum præcipuè, quia leuis causa adiuncta debili virtuti delirium verum causat, quæ in robusta nullatenus illud induceret; tum etiam quia cùm omnis effectus naturalis dependeat ex passi dispositione non minus quam ex agentis potentia, & latitudo sanitatis tanta sit in indiuiduis, calor qui in ordine ad hoc indiuiduum ad delirandum non sufficit, sufficiet in alio; cum experimentum doceat esse homines, qui quouis calore febrili statim mente deprauantur, & Galenus id docet *3. epidem. sect. 3. commento 45.* vbi dementes euasisse phreneticos docet, qui succi pituitosi ex putredine concipiebant acredinem. Nec minus falsum est quod dicit quidam, non delirare lethargicos vero delirij genere, sed consensu imminutæ memoriæ non suppeditantis species, quibus reliquæ potentiæ indigent ad rectum discursum eliciendum de rebus. Sed contra est primò, quia si imminuta memoria species non præbet, nullo modo deprauabuntur potentiæ reliquæ quantum ad actus positiuos, quia delirium vera deprauatio, & actio positiua est. Vnde necessariò fit mediis speciebus: essent itaque reliquæ potentiæ imminutæ in operationibus, si diminuatur applicatio specierum à memoria; deprauari verò non poterunt. Quod verò memoria præbeat species reliquis potentiis, nullo modo admittitur in vera Philosophia, contra quod placitum egregiè pugnauit Magister *disputatione 6. de locis affectis, cap. 2.* Nec vera ratio delirij in alio sita est quàm in deprauatione facultatis regentis; vnde siue deprauetur ob intemperiem, aut ob defectum memoriæ non concedentis species, errat non dubiè, & verum delirium patitur.

Constat ergo signa essentialia lethargi, esse *febrem continuam, & somnū profundum, & continuum*: delirium verò essentiale signum non esse, quia potest deficere in principio, vt verè deficit, ac per consequens superueniens signum putandum est. Diminui verò memoriam & discursum est certum, tum ab humida distemperie dum fit à pituita, tum etiam ab obstructione. Est circa hoc chimærica ratio Capibacij reddentis causam obliuionis, & inertis imaginationis exemplo spongiæ tumentis aquâ, *fol. 11.* Repletum itaque cerebrum, inquit, non recipit species, quasi obliuio esset respectu specierum quæ recipi nequeunt. Rursus species non sunt corpora, sed accidentia & sine contrario, & ita repletio receptionem non tollit, nec potest, nec per poros feruntur vt putat, sed per propriam substantiam cerebri; quando verò delirare coguntur, primò deprauatur imaginatio, & errat quantum pertinet ad læsionem caloris, vt *tractatu de Deliriis* explicatur latè.

Reliqua signa ab Auctoribus tradita essentialia non sunt, vt supinus decubitus, & oris assidua apertio, sputio, aut saliuæ multitudo, lingua albicans, vrina aquosa, & interim vt iumentorum crassa & perturbata, dependent omnia ex pituitæ copia, quæ etiam inferiorem maxillam relaxans, seu musculos eius debiles reddit ad motum & pigros: sicque semel os aperientes hiant continuò, quia ratione somni non applicant actum imaginatiuæ & appetitus ad motum clausionis, & laxatio musculorum inferioris mandibulæ nisi cùm vi applicantur, *facit quod teneatur apertum.* Addit Auicenna, quod pulsus sunt magni, multum rari, tardi, tremuli, vndosi, & similes pulsibus peripneumonicorum. Comparat Auicenna pulsus lethargi phrenitidis pulsibus, ob quod dicit esse multùm raros: non quidem absolutè, nam febris nullatenus pulsus raros exposcit, sed crebros & magnos, quia sunt differentiæ familiares vsui aucto. Idem de tarditate dicendum est, quia debent esse celeres. Ergo sunt maiores & rariores & tardiores quàm in phrenitide, quia etsi vsus sit magis auctus in illa, & ob id deberent esse maiores, tamen instrumentum est inobediens ob siccitatem & tensionem, si est inflammatio vera, vt putauit Antiquitas; & ideò arteria multùm distendi non potest; in lethargo verò ob mollitiem instrumenti distenditur nimis. Vnde quia in phreniticis compensat facultas celeritate & crebritate, quod per magnitudinem non potuit, hinc redduntur phreneticorum pulsus celerrimi, & crebri; ad quos comparati lethargicorum pulsus sunt multum rari & tardi. Sunt etiam vndosi, quia ob humiditatem pituitæ instrumentum vitiatur, & inæqualis redditur pulsus.

Circa pulsus sibi non constat Mercatus; dicit enim quod fiet dicrotus pulsus si inflammatio membranas attingat, in quo planè errat si de pituita loquatur vt causa; illa enim non indurat, etsi tumorem gignat, vt euidenter patet in ædemate, quia magis emollit irrigatione, & humiditate, quàm tendat corporatura. Qua de causa ædema est tumor mollis, & cadit dum digitis premitur; errauit etiam Capibaceus dum dixit, pulsus est mollis, quia cerebrum est viscus molle; nam & in phrenitide inflammante substantiam cerebri esset etiam mollis, quod est planè absurdum.

De parte affecta loquens Auicenna *in principio cap. 7.* dicit: *Et plurimum quidem eius fit in meatibus substantiæ cerebri absque velaminibus & ventriculis & corpore cerebri*: quæ verba non parum fauent sententiæ nostræ, non esse scilicet alium modum causandi somnum, quàm obstructione media, si enim fit in meatibus substantiæ

substantiæ cerebri repugnat non obstruere. Præterea non videtur sibi constans Auctor, nam ad causandum verum apostema & tumorem contra naturam, vt Auctor in definitione putauit, erat impertinens pati secundum meatus, nam in quauis parte determinata potest esse tumor. Rursus incredibile est, esse tumorem contra naturam, & non pati cerebrum secundum substantiam; nam tumor non fit nisi extrauasato humore ad poros per quos nutritur. Nec ex repletione istorum causatur tumor absque compressione substantiæ cerebri; nec à corporatura humoris: & non est alius modus patiendi secundum substantiam, & entitatem cerebri, quàm repleri secundum poros proprios & distendi, ita vt in tumorem eleuetur. *Quod si viscosum non penetratur à viscoso* (vt ipse dicit) ob quod putauit secundum substantiam non pati corpus cerebri, repugnat apostema fieri aut tumorem contra naturam, quia vt causetur, in minimos poros ingreditur humor; sicque non ventilatus putrescit.

Putandum ergo est, substantiam cerebri obstrui secundum vias per quas alimentum sumit, & communicantur spiritus animales, vt internas actiones eliciat; indéque causari somni profunditatem: quia verò membranæ densiori compagine constant, quàm humor crassus, non facilè penetrat, ideò in lethargo rarò patiuntur membranæ, vt frequenter in phrenitide. Quia verò pituita viscosa est, & lenta, & crassa, rarò penetrat in minimos poros substantiæ cerebri, sed adhærescens maioribus, ibi agglutinatur, & liberum relinquit cerebri corpus; ex quo constat (vt dixi) penitius repugnare naturæ huius morbi quod sit apostema, aut tumor contra naturam cerebri, vt repugnat Cato.

CAPVT III.

De causis & prognosticis lethargi.

PLurimam fecit dubitationẽ circa causas huius mali, quod in Galeni doctrina solùm inueniatur facta mentio vnius causæ, pituitæ videlicet, ex quo constat ipsum putasse non causari somnum ex obstructione, sed humiditate pituitæ, nam si somnus profundus ex obstructione penderet, cum quilibet humor obstruere & putrescere posset, esset quilibet vera causa lethargi; ita constat ex *lib. 4. de causis pulsuum, cap. 13. & 3. Aph. commento 30. & 7. lib. commento 76.* his enim locis solius pituitæ recordatur. *In nostra verò sententia videtur quod sit causa lethargi quicunque humor, ob adductam rationem:* quia quilibet obstruere & putrescere potest, & sic causare signa essentialia huius morbi; hoc verò contra Galenum & Græcos Auctores manifestè pugnat, qui nullam aliam causam exquisiti lethargi, nisi pituitam assignauerunt.

Auicenna noster melancholiam admittit, nam quamuis loquatur ex mente aliorum, non improbat illud placitum, & permittit vt vnusquisque appellet vt ipsi libeat: quam doctrinam confirmat quod diximus, causari scilicet somnum profundum ex obstructione, aut compressione cerebri, & non ratione humiditatis, aut frigoris, cùm putrefacta melancholia, nullam ex dictis qualitatibus obtineat. Huius sententiæ fuit Rasis, quem refert Auicenna dum dicit; *Et quidam Medici sunt qui nominant lethargum omne apostema frigidum in cerebro, siue sit melancholicum, siue phlegmaticum.*

Videtur itaque *à quouis humore generari posse.* Nec quod dicit Magister aliquid valet, scilicet quod si obstructione causaretur somnus, à melancholia aut bile non resultaret lethargus, sed carus, aut apoplexia; & ita non darentur signa distinctiua vnius affectus ab alio. Sed id non probat intentum, quia cum possit obstrui minus cerebrum à prædictis humoribus, quàm sit requisitum ad carum vel apoplexiam, non potest negari possibilitas posita, cum fateantur Medici omnes, dari somnum contra naturam minorem caro, aut apoplexia: & ratio adducta pro confirmatione nostræ assertionis, dum docuimus essentiam consistere in obstructione, satis efficax apparet ad id comprobandum. Fatentur itaque omnes, dari lethargum nothum, quia pituitæ bilis aut melancholia admisceantur, & simul prædictum affectum causent: ergo melancholia, aut bilis conferunt, vt causa partialis somni contra naturam, sed non conferunt qualitatibus: ergo obstruendo, & ratione corporaturæ: sed quilibet obstruere potest, ergo & causare lethargum: nam quælibet causa partialis aucta potest esse totalis, si eodem modo concurrat, & ita si melancholia aut bilis obstruendo sunt causæ partiales somni lethargici, in maiori quantitate erunt totales.

Nec me latet adductam doctrinam esse contra totam antiquitatem, sed ratio me conuincit vt id ingenuè confitear, nec hactenus ratio mihi se obtulit probabilis pro sustinenda doctrina Antiquorum. *Sicque existimo phrenitidem hecticam esse incipientem lethargum*, ex bile aut sanguine: quia ita disseminantur per omnes poros, vt iam non sentiant dormiendo profundè. Itaque Galenus *Prorrhitic. 1. commento 33.* explicans hanc phrenitidem hecticam ita reliquit scriptum. *Cum bilis in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti corpori cerebri permixta confusaque, tumultuosa fiunt desipientia: procedente verò tempore simile quippiam contrahitur lanis, quæ à tinctoribus dictis tincturam accipiunt, nempe vt hæ vix eluibiles redduntur, non secus quam quæ à principio proprium colorem habeant; talis igitur cerebri veluti tinctura desipientium hecticum habet, &c.* Constat ergo ex Galeni doctrina hecticam phrenitidem fieri, vt tota occupetur & quasi tingatur: nam non aliter lanæ tincturam accipiunt, quàm in omnes poros penitissimè distributa substantia tingens, præcedente colore totaliter deobscurato in re accipiente tincturam: quo semel concesso negari non potest potentiarum insensibilitas ratione obstructionis, cum nequeant spiritus animales distribui, nec immediatè applicari substantiæ cerebri, vt internæ potentiæ operentur. Quod clariùs colligitur *in eodem loci commento*, dum dicit Galenus de phreneticis huiusmodi. Hippocrates *in 3. epidem.* ita scripsit: *Nullus phreneticorum vehementer insaniuit, veluti aliis vsu venit, sed alia quadam veternosa in somnum inclinatione capite grauati moriebantur.* Vides quod hecticam explicat per veternosam in somnum inclinationem. Rectè ergo dices hecticos phreneticos sopore quodam ex cerebri obstructione oppressos, non clamare, nec exsilire, sed veluti in silentio esse; quia ob summum augmentum causæ mutantur in soporem, impediente obstructione temeritatem & furorem, quia tollit sensum, & dormire facit. Auctores verò contrarium dicentes, intelligendi sunt de causa principaliori somni contra naturam in communi; quæ sine dubio est pituita, quia & corporatura, & lentore obstruit nimis; & frigore, & humiditate torporem inducit.

Quantum ad prognostica conuenit inter Medicos, esse lethargum perniciosam passionem. Vnde dicebat Celsus; *Celeriter iugulat, nisi ei breuiter succurratur.* Galenus verò *4. de causis pulf. cap. 13.* docuit *esse acutiorem pulmonia*, quia principaliorem partem afficit; desumpsit ex Hippocrate *2. de morbis, circa finem*; vbi etiam dixit, *In septem diebus perire, si verò hoc effugerint, liberari.* Nos verò contrarium quotidie experimur, nam & 11. & 14. & 20. mortem inducit. Idem Auctor *eodem lib.* dixit, quod cùm moriturus est lethargicus

thargicus, multum, & id liquidum infra egerit, esseque per consequens exiguam vitæ spem, nam morbi ratione aluus adstringitur, & ita dum fluit, incontinentia & resolutio naturæ est. Non amat sanguinis fluxum ex naribus, teste Galeno 3. *de crisibus*, quia pendet ex materia crassa & frigida vt antecedente causa. Per parotides tamen terminari posse, & bene iudicari certum est, expulsa materia in partes adenosas, vt docuit Auicenna *cap*. 8. dicens: *Quod plurimum terminatur per apostema post aures & glandulas aurium*; hi enim tumores capitis vitia finire solent, quia glandulosæ partes communicant cum cerebro in venis & arterijs satis conspicuis. Quia verò cerebrum cum thorace magnam communionem habet, solet materiam lethargi in illum expellere, & suppurationem causare. In quem sensum dixit Hippocrates *in Coacis* 387. *Lethargici qui conualescunt, magna ex parte purulenti fiunt*. Quod & 3. *de morbis* scripsit. Iacotius *in commento* dicit; *Lethargus sæpius morte terminatur, interdum superueniente phrenitide, rarò materiæ coctione, sæpius materiæ decubitu ac defusione in thorace, unde suppurati fiunt*. Idem Auctor 7. *Aph. tex*. 21. dicit; *à lethargo tremor malum*; repletionem enim cerebri significat, quæ in neruos excurrens eos grauat & contremiscere facit. Fit enim in lethargicis tremor ab oppressione & materiæ decubitu in neruos. Ex simili oppressione sudores superuenire solent. Notauit tamen Holerius ar 3. quod aliqui ex lethargicis fiunt phrenetici & conualescunt; *lethargum*, inquit, *sanat phrenitis*, non contra, quod difficile est, cum deterior affectio putetur phrenitis. Existimo id euenire non vera phrenitide orta, sed calefacta nimis & attenuata pituita putredinali calore, quo tempore resolutio magna calefacto cerebro & ab obstructione libero, magis vellicatur ab speciebus & delirat, tandémque attenuata & resoluta materia conualescunt. Mutatio verò phrenitidis in lethargum vtiliter fieri implicat, sed additur nouus morbus ob incrementum phrenitidis, vt *in principio huius cap*. diximus. Tandem rectè adnotauit Celsus, quod lethargicus non fit melior vigilando, sed per se si melior est vigilat, auget somnus somnum, vigilia vigiliam, nam vt vigilia siccat, somnus humectat, & suffocatione caloris refrigerat corpus. Est senectus ferax lethargi, vt crapula, vita otiosa, repletio immodica, venus, somnus immoderatus à prandio. Ex aluo intempestiuè suppressa lethargus apud Tralianum recursu materiæ in cerebrum, ita & phrenitis *lib*. 8. *cap*. 7. Addit Auicenna *cap*. 8. quod quando fiunt fortiora accidentia lethargi & multiplicatur sudor, est periculum, quia sudor deijcit virtutem. Si sternutatorio medicamentis intenditur, & nihil excernitur, pessimum est: itaque applicatæ hyrudines si sugere refugiant, lethale signum putatur.

CAPVT IV.

De curatione lethargi.

SI *non fuerit quod prohibeat* (inquit Auicenna) *sanguis extrahatur*; desumpsit ex Galeno 13. *methodi*, *cap*. 21. & in hoc auxilio conueniunt omnes Classici. Aretheus notat non esse faciendum, si lethargus succedat phrenitidi, timet enim virium iacturam ex antecacto morbo: Rursus notat statum ægri, si enim plenus sit sanguinis, secanda est vena, si verò plenus pituitæ, expurgandum statim. Quod præceptum obseruandum est, nam nil magis formidandum, quàm venam secare, vbi succi crudi superabundant; nec tunc potandum est esse virium robur ad ferendum auxilium. Vnde reliqui Auctores id genus auxilij cōsulentes, præ-

A dictum casum excipiunt, cum supponant non debere esse aliquod prohibens, vt notauit Galenus. Est autem vtile remedium, deonerat cerebrum, materiam minuit, nec timenda est refrigeratio, cùm sanguinis missio interim augeat calorem vitalem quando multitudine crassorum suffocatur. Certum est tamen non esse extrahendum in magna copia, quia nec sanguis pituitosus id indicat, nec refrigeratio impediri potest ex multa sanguinis extractione. Seruanda sunt similia præcepta, ac fuerunt adducta *cap. de curatione phrenitidis*; est enim secanda Communis, Cephalica, & vena frontis si opus fuerit, applicandæque hyrudines eo modo quo in cura phrenitidis diximus; naribus præsertim solent esse vtiles.

Deinde imperat Auicenna acuta clysteria. Sunt enim
B magni momenti in cura lethargi. Parentur etiam ex rebus capitalibus, & attenuantibus pituitam, simulque abstergentibus, vt ex decocto florum stechados, mercurialium, parietariæ, betonicæ, folior. lauri, seminis fœniculi, hyssopi, & maluarum cum oleis camemali, rutaceo, & amygdalarum amararum, hiera & sale. Confert mulsa cum succo betæ & hiera & diaphænicone. Es. gr. Mulsæ ℥x. succi betæ ℥ij ß. diaphænicis & hieræ pieræ ana ʒiij. salis ʒj. misce. Si venter flatibus tumeat parabitur ex decocto carminante, oleis rutæ, camemali, & castorei cum electuario indo maiori. Vbi sopor vrgeat & copia pituitæ, addentur decoctis centaurea minor, timus, origanum, prasium, ireos, aut parabitur ita; mercurialium m. j. origani p. ß. calaminthæ, rutæ ana m. ß. folia centaureæ minoris,
C stechadus & camemali ana p. ß. agarici ligati in panno ʒijß. sem. carthami conquassati ʒiij. anisi ʒj. ß. coquantur secundum artem, & in lb. j. decocti dissolue electuarij indi & benedictæ ana ℥ ß. olei camemali ℥ij. rutacei ℥j. salis ʒj ß. misce: Aliud ℞. calaminth. pulegij, rutæ & stechádos ana m. j. bac. lauri ℥j. agarici ligati ʒß. coquantur secundum artem. Decocti sumatur lb. j. in qua dissolue hieræ logadij ʒvj. mellis ros. ℥ij. ß. olei rutæ ℥ij. misce. Sed in vsu clysmatum acrium notandum quod doctè animaduertit Heurnius, inijcienda non esse antequam fæces sint depositæ, vnde emolliens clysma præcedat, quæ expurgandi, & attrahendi vim habeat.

Deinde commendat Auicenna oxirrhodinum, quod etiam Galenus fecit *loco citato*, docens esse repellen-
D dum quemcumque humorem fluentem ad cerebrum, illud parat Auctor ex oleo ros. & aceto; deinde post duos dies admisceatur castoreum, & sit acetum scilliticum. Summa ratione dubitant Medici, an liceat oxirrhodinum applicare sine admixtione alicuius medicamenti calidi; nam præterquam quòd humor pituitosus satis difficulter repellitur, præsertim vbi mediat os caluariæ vim medicamentorum infringens, constat pituitam incrassari, obstructiones augeri, somnum intendi, & neruos frigiditate, & aceto lædi, qui summè debilitantur in lethargicis. Quod contemplatus Aurelius oxirrhodino non vtitur; & Gilbertus *lib*. 5. *cap. proprio*, in nulla lethargia repellentia admittit; & Tralianus statim aliquid castorei admiscet, vel peucedani, vel calaminthæ, quia *Materia*, inquit, *quæ in cere-*
E *bro continetur, pituitosa est*. Paulus caput in principio oleo præfundit, cui castoreum sit adiunctum: & nonnulli, inquit, loco olei oxirrhodinu cum castoreo vtuntur, robur hinc capiti, calorémque simul accersentes. Aëtius serpillum cum oleo & aceto in principio applicat; quæ doctrina mihi videtur tutissima euacuato iam corpore, & consona Galeni placito 11. *lib. simp. capite de castoreo, in fine*, vbi sic reliquit scriptum. *Attamen lethargicos & cataphoricos affectus, qui quidem adiectum habent febrem, præstat non dictorum oleorum macerantes curare, sed potius ex rosaceo capiti, colloque imponere*. Cum ergo Galenus vituperet appo-

sitionem castorei macerati oleo ficcionio aut antiquo pro curatione lethargi, constat non loqui in augmento aut vigore, in his enim commodè applicatur castoreum aliquo ex dictis oleis maceratum; loquitur ergo in principio, & ideò rosaceo admiscet. Præterquam quod vbi datur tam profundus somnus, putandum est iam esse multum factum in capite, quod resolutionem exposcat. Adnotauit Lupetus præceptum Galeni, quod non solùm capiti sed collo oxirrhodinum applicetur, quia medicamenta repellentia collo applicata præclarè faciunt ad repellendos humores ex partibus inferioribus ad caput fluentes, idemque esse faciendum in phrenitide, nec medicamenta collo applicata impediunt repulsionem faciendam à medicamento sincipiti apposito, quia per vias internas repelli possunt, quas enim non claudit medicamentum externum: præterquam quod si totũ mittit in caput, omnibus vijs repugnare oportet ne suscipiat, & oportet cerebrũ calidũ attemperare, ne calore plus trahat, & medicamento collo applicato ascensum humorũ impedire.

Est tamen notanda doctrina Auicennæ, miscentis post duos dies acetum schilitici loco rosacei, quia iuuat vt rosaceum penetrationem medicamentorum; & habet vim attenuatoriam cum resolutione, & acritudine; ad vigiliam inclinat; deinde iubet vt corpus vngatur oleo, & nitro, semine vrticæ, pyretro, & similibus, & capiti applicentur resoluentia, fortia odoramenta, sternutatoria, & gargarismata. Indicatio resoluendi materiam crassam cerebri, & calefaciendi partes neruosas magnum momentum habet in lethargo; nam repulsione leuissima sequitur vtilitas. Desumpsit doctrinam ex Aretæo vngente non solum cerebrum, sed etiam totum corpus, nam & manus vsque ad humeros & pedes vsque ad inguina inungit, quod & Paulus admittit; sic enim a cerebro retrahit, & partes neruosas per consensum laxatas roborat, & calefacit totum corpus, à flatibus liberare procurat, ob id inungit præcordia, & vesicam, & quod magis est, per aluum castoreum cum rutaceo inijcit, quando per os assumi non potest. *Nam præterquam* (inquit Aretheus) *quod supra infraque flatus expellit, & nonnullis stercus & vrinam detrudit, robusti nerui efficiuntur; & habitus ad calidum siccúmque permutat; morborúmque constitutiones permutat & conuertit.*

Est itaque summum auxilium, euacuato iam corpore, continuò brachia, & pedes fricare, inunctis manibus oleo rutaceo, castorei, cum modico olei amygdalarum dulcium, & guttulis aquæ vitæ; sic enim calefiunt extrema, & partes neruosæ; & retrahuntur humores à capite. Sint verò duriores frictiones supernè deorsum, ita Auicenna imperat dicendo. *Et frica extremitates eius & comprime eas, donec rubescant, & doleant, quoniam est magni iuuamenti; & fiat illud assiduè.* Inungit Aretheus ceruicem, & spinam cum oleo anetino, siccionio, aut veteri, in quo castoreum sit maceratum. Nos verò oleo castorei (timeo in lethargo anethini vsum, præcipuè applicatum capiti, quia somnum conciliat, teste Galeno *lib. 6. simplicium c. 41.*) Vim itaque omnium & prærogatiuam contra lethargum sibi assumpsit castoreum; de quo Tralianus multa prædicat, & non tacuit Galenus. Itaque & per os assumptum, & iniectum per sedem, & exterius inunctum commendatur ab omnibus: calefacit, & exsiccat cũ eximia partium tenuitate, media qua neruorum intima penetrat: ob quod dixit Tralianus, corpus quod iam propè est vt frigore emoriatur, recalefacit, fouet & ad vitam reuocat, *quo solo remedio* (inquit) *nouimultos lethargo deuictos, mortem euasisse*; quo præsertim vtendum quando tremores infestant, oppressis neruis crassorum, & frigidorum copiâ, vt testatur Galenus *cap. proprio*; & transtulit Paulus, duos aut tres scrupulos castorei cõcedens; vbi antiquus est morbus & tremor

A fatigat. Semper tamen attendenda febris intensio, nam in minori quantitate dandum, vbi maior fuerit.

Transactis ergo duabus aut tribus diebus morbi, quibus corpus enacuandum est, communi oxirrhodino oleum castorei addendum est, & acetum scillinum loco rosacei, vt si dicatis olei ros. ℥ij. olei castorei ℥j. aceti scillini ʒij. misce, & calidum sincipiti applicetur. Deinde resoluentia augeantur, & quia in castoreo & cinere pilorum humanorum proprietatem contra lethargum confitentur Auctores: Vnguentum parabitur hoc modo. ℞ olei castorei ℥j. olei irini, & rutacei ana ℥ß. puls. castorei & cineris pilorum humanorum ana ʒj. puls. seminis rutæ, & vrticæ ana ℈j. ceræ parum: misce, quo calido inungatur caluaria prius decapilata perfectè, & aspero linteo durtiusculè B præfricata. Ante applicationem huius vel alterius vnguenti, vel oleorum conuenientium, lauandum est caput decocto resoluente facto in vino albo generoso, si caput non æstuet nimis; sin minus in aqua. Parabitur decoctum ex stœchade, betonica, iunco, camemalo, pulegio, satureia, serpillo, thimo, peucedano, tymbra, ruta, & origano & schinanti flore, cũ meliloto: magis enim decocta calida, & ex alto cadentia resoluunt quam olea; quia plus penetrant: & vbi summus profundus existit, securiora sunt, quia olea semper inclinant ad somnum, aut humiditate, aut lentore obstruendo: hebetant etiã aliorum medicamentorum vim exsiccantem & acrem, qua præcipuè in lethargo indigemus: ob quod secutus est post lotionem capitis conueniente decocto spong aquæ recenti C factam, emplastrum aliquod apponere quod ex prædictis medicamentis conficiatur; vt si dicatis castorei ℈iij. costi, nucum cupressi, sabinæ ana ʒj. euphorbij, pirethri ana ℈j. cineris pilorum humanorum ʒjß. redacta in puluerem cum melle incorporentur ad ignem, donec ad emplastri formam redigantur. Dixit enim Auicenna in cura Suber: *humectatio qua est in oleis quandoque vincit virtutem medicinarum, nisi sit valde fortis*; aquæ etiam humiditatem damnat, ob quod nos in vino decocta paramus. Laudat Rondeletius illitum theriacæ, quia calefacit, extenuat, & siccat, & roborat cerebrum. Possumus etiam parare puluerem ex melissa, camemalo, calamo aromatico, gingibere, coriandro præparato, & iride, & in declinationibus loco euphorbij, & pirethri, addere puluerem macis, caryophilorum, D nucis muscatæ, spicæ, schinanti, & ex floribus eius.

Si copia sit pituitæ & somnus profundior, oleum Cephalicum Bauderonij optimum est. Sic paratur. ℞ pirethri, bac. lauri, & iuniperi ana ℥ß seminis rutæ, peoniæ & fœniculi ana ʒij. betonicæ, saluiæ, sampsuci, (id est,) maioranæ, stœchados, roris marini, & spicæ s. ʒjß. castorei ʒiij. tusa omnia aspergantur libra ß. aquæ vitæ donec omninò madescant, deinde effusa ℔.j. olei, coquantur in duplici vase dum liquor omnis ferè sit consumptus: hoc oleo percolato caput totum vnguendum ter, aut quater in die continuando, & desuper stupæ canabinæ admoueantur, aut si opus fuerit, sequentem puluerem supra oleum spargemus. ℞ pulueris diamusci, & diambræ ana ʒj granorum tinctorũ fol. melissæ, calaminthæ, origani, calami E aromatici, & iridis, & caryophilorum ana ʒiij. fiat puluis: resoluit enim, & mirè roborat cerebrum. Idem puluis antiquæ theriacæ magnæ admixtus mirabile erit resoluens, & roborans. nec contemnendum hoc ℞ castorei ℥ß. bulliat in succo rutæ, aceto, & oleo, ex quo fiat fortis capitis fricatio; Heurnij, ℞ mellis ex anacardis ʒij. theriacæ antiquæ ʒvj. pulueris diamusci ʒj. diambræ ℈j misce & applicentur.

Hæc medicamenta tam calida vituperat Aurelianus, vt & sinapismata Antiquorum, quem sequitur Ludouicus Mercado, putans esse Caro vtilissima, lethargo verò inimica; cum pituita putrescat, & cerebrũ

calcat

ualeat contra naturam: at Galen. 13 *meth. cap.* 21. vim medicamentorum resoluentium vsque ad sinapim auget in lethargo. Nec mirum cum castoreum in phrenitide admittat ad materiæ resolutionem, quem sequitur Auicenna dicens: *Et cum stillam super caput eius administras valde humidam, valde ea iuuatur, & administra etiam reliqua rubificantia super caput, & linimentum fac cum sinapi.* Cuius doctrina verior mihi apparet, & tradidit Paulus, quia minoribus resoluentibus nescit pituita domari; & vt dicebat Galenus 13. *methodi cap.* 18. os caluariæ intermedium frangit nimis medicamentorum vires, & cum crassities & copia pituitæ vrgeant magis quam calor, sitque iam periculosum malum, nihil mirum tam vehementia medicamenta applicari, vt inde trahatur ad extra materia mali. In hunc vsum diuersa parant Auctores medicamenta; optimum videtur quod ita tradit Eustachius. ℞ sinapis ʒiij. castorei ℈ij. pilorum humanorum vstorum puluerizatorum ʒj. calamenti montani, stœchados ana m.ij. amoniaci, bdellij ana ℈ij. resinæ therebintinæ ℥iij. misce, quod auxilium in fine conuenit. Arnaldi experimentum est quod saluia, & satureia in aceto acerrimo coquantur, quo caput prius rasum lauatur, deinde herbæ applicantur per horam, quibus ablatis, ex cantharidibus, cinere thimi combusti, & pulu. sinapis cum emplastro Apostolorum parat emplastrum & applicatur occipitio; trahit enim materiam ad extra: auferendum tamen vbi excitatæ fuerint ampullæ, & apertæ seruentur vt virus expiret.

Similia medicamenta spatulis applicata, euacuato iam corpore mire deriuant materiam ex partibus proximis cerebro; huic enim tam valida medicamenta applicanda non sunt, nisi tentatis leuioribus, & omni arte euacuato iam corpore, & vbi res in desperationem tendit, effectus enim ipsorum perficitur tempore breui. Paulus *lib. 3. cap. 9.* ita dicit: *Iam femora & crura medicamentis exulcerantibus rubicunda facta sæpenumero iuuant.* Quod admittit Mallarias: sicut ex partibus dorsi superioribus, accommodanda esse similia medicamenta docet iuxta occiput, ad deriuationem, vt supra diximus. *Nonnulli* (inquit) *audent candente ferro vlcera inurere ipsi occipitio, quo auxilio ego non semel vsus sum, ac memini inter cæteros lethargicum ægrum quendam, qui nulla ratione excitari potuit, beneficio huius remedij fuisse excitatum & liberatum.* Schenkius *lib. 1.* obseruat actuali cauterio in sutura coronali applicato duos lethargicos liberatos; *roborat enim* (inquit) *cauterium cerebrum, & materiam resoluit.* Eustachius post aures exulcerantia applicat. Aurelianus cucurbitam occipitio cum scarificatione commendat. Idem Paulus, & Galenus 13. *meth. cap.* 21. etsi locum vbi sint applicanda taceat. Sincipiti tamen applicari debere, quando euacuare à parte intendimus, dubium non est, si vt vidimus antea conueniebat phrenitidi, nec dubium est huiuscemodi auxilium vtiliter applicari ante appositionem medicamentorum attrahentium extra, vt si somni profunditas vti sinapismo coegerit, nam per fissuras intromittetur melius via medicamentorum, & attractio fiet faciliùs.

Per sternutatoria etiam attenuat Auicenna materiam morbi, & per nares deriuat, éstque remedium multi vsus, & commendat Galenus 11. *methodi. cap.* 21. vtilissimè applicatur castoreum dissolutum in succo fæniculi & rutæ, vt si ita dicatis; succi rutæ ℥j. succi maioranæ & fæniculi ana ℥ß. castorei ʒß. aceti scillini parum, misce, & penna illita in nares intromittatur frequenter, simbra, satureia, & timus aceto albo acri incoquantur, cuius vapor naribus inspiratus optimus est. Soleo per syringam calidum intromittere, nam somnum tollit & pituitam attenuat: efficax est etiam puluis Heurnij. ℞ castorei ʒj. helebori albi madefacti in aqua vitæ & exsiccati ℈ij. piper. g. viij. A redigantur in puluerem, & insufflentur in nares, à quo si non sternutet, desperatus est æger, innuit enim cerebri resolutionem: Est autem claudendum os ægri, sic enim efficaciùs puluerem intromittet.

Eundem vsum præstat inunctio superioris partis palati, vt præcipit Galenus & Paulus tradit: melli rosaceo aut communi paucum sinapis miscetur & inungitur, theriaca magna dissoluitur in serapio stœchados, Prassij, aut Hissopi, & inungitur palati cælum: aut in oxymelle schilitico castoreum dissoluitur: vel mitridatum, diambra aut diamuscum: Hæc enim à cerebro materiam eliquant, & trahunt infernè, commodéque applicatur huiusmodi auxilium, cum semper hient lethargici, digitis tamen pituita eliquata assiduè extrahenda, quia spuere ignorant. Tenui linteo inuoluatur B piretrū, sinapis, & origanū, quæ aceto albo madefiant; iis palatum fricetur, sæpéque irritetur, quia mirè caput alleuiat, Heurnius: aut confectio ex anacardis in aceto schilino dissoluatur, quia optimum est; Sennertus.

Sicut in phrenitide pugnamus & conciliamus somnum, ita in lethargo procuramus vigiliam. Est vera inductio vigiliæ causam obsistentem auferre, vt dicebat Celsus, quia lethargicus redditus melior per se vigilat. Interim tamen quod idonea auxilia applicantur ad infringendam causam, excitandi sunt ægrotantes pilorum euulsionibus, præcipuè in temporibus, molestis ligaturis femorum, illitu plantarum, & pedū cum aceto schillino, & sale. Trallianus docet quod *sola scilla leuigata ex aceto, & cruribus obducta excitat ab alto sopore.* Decoctum timbræ, thimi, & satureiæ in na- C res per siringā immissū id præstat mirificè: acria suppositoria conferunt, quæ sic parabitis. ℞ mellis quod sufficit pro duobus suppositoriis. coquatur addendo salis nitri ℈iiij. radicis pirethri, & trosciscorum alhundal. ʒ. ß. castorei ℈j. fiant duo suppositoria filo appensa. Parentur etiam ex ℥iij. hieræ logadij super sparso colocinthidis puluere & nitri. Rusticum auxilium, non tamen inefficax, quod tradit Arnaldus, nam cùm omnia auxilia irritè tentasset suus Magister, suem suspendens ad lectuli caput horrisono clamore, & tremendo grunnitu reuocauit ægrotum. Magis artificiosum quod refert in alio, qui per septem dies continuos reuocari non potuit: huius veternum fugauit collocando duos scarabeos sub media cortice nucis occipitio raso applicatos, & alios duos in musculis bra- D chiorum ad partem anteriorem, singuli in quolibet pede ligantur fortiter: exitum enim quærentes sub cortice, vellicant mirè & vigilare faciunt irritatione continua. Sic Heurnius melle faciem vngit, vt muscæ rostellis flagellent, & Nephrendium grunnitum imperat, vt Magister Arnaldus.

Auicenna contra veternum pugnans, inquit *cap. 5. de cura Subet. Et ex cura est vt æger audiat & videat res quæ contristant ipsum: tristitia enim in huiusmodi ægritudinibus in quibus debilitatur cogitatio, & extinguitur, est ex eis quæ commouent animam, & reducunt eam ad rectitudinem.* Hoc autem intelligendum est de tristitia, quæ secum habet adiunctum malum aliquod futurum; aut vt propriùs loquamur, est intelligendus E Auctor de malo futuro & tristabili obiecto, quod vt fugiat laborans se reddit sollicitum, & animam applicat, & ingenium ad deliberandum modum euasionis à malo imminente. Iacobus non capiens qualiter tristitia animam roboret, & expergefaciat, exponit tristitiam per iram; ista enim sanguis efferuescit & ebullit, & ita reuocatur anima à sopore, & suffocatione caloris: in quo fallitur non dubiè, nam multò efficacius excitatur animus à malo imminenti quàm ab alio obiecto iracūdiæ: Estque expositio Iacobi violenta nimia Auicēnæ textui. Si hæc non sint satis, vtendū dropacibus: præclarè enim materiam resoluunt & vim sopitam naturæ excitant: parantur ex pice, pipere,

& euphorbio: occipiti raſo & ceruici apponitur, melius ſincipiti, & dum ſemel adhæſit violentia euellatur; ſic enim trahit potenter materiam ad extra.

Incidunt lethargici, ſicut phrenetici in vrinæ ſuppreſſionem ex defectu ſenſus, & ſimilibus auxiliis iam traditis ſubueniendi ſunt; Victus tenuis conuenit, aperiens, calefaciens & incidens, morbus enim auctus & pituitoſus multam inediam ſuſtinet, & ſomni continuitate multò magis, quia *ſi vigilia eſt vorax, quia nimis* reſoluit, vt docuit Hippocrates; ſomnus eſt replens contraria ratione. Potus etiam parciſſimus erit, Vinum in principio vituperatur, quia caput replet, & fluxiones auget, tempore verò reſolutionis materiæ ineptum non eſt; ob quem finem album & vinoſum commendat Hippocrates 1. *de morbis*; iuuat enim pituitoſæ materiæ reſolutionem, vt in doloribus oculorum à pituita craſſa commendatur ab eodem Hippocrate, & Galenus admittit illum exponens: Tempore verò, in quo denegatur vinum, conuenit aqua cinnamomi, ſaxifragiæ indicæ, aniſi & feniculi, aut corticibus citri decocta: mulſa facta dilutior cum cinnamomo optima eſt, aut cum liquiritia. Æger contineatur in loco lucido & moderatè calido; ſic enim contra morbum & ſymptoma pugnamus: & vt in phrenitide exſpargimus refrigerantia aërem; in lethargo calefacientia conueniunt, & incidentia & exſiccantia; vt ſi per cubiculum & lectulum ſpargantur ſtœchas, thimus, ſaluia, ſatureia, meliſſa, flores aranciorum, pulegium, mentraſtum, & alia huius generis, quin & ceruical eiuſdem implendum, quando materiam reſoluere intendimus. Errauit Iachinus ſtirace, & belcoino aërem calefaciens; nam ſtirax ſomnum conciliat non leuiter, vt docuit Dioſcorides, aduertit Auicenna ſtatim à prandio eſſe liganda extrema aliquibus horis, vt vapores caput non repleant, ſed ad extrema trahantur. Dubium erit alicui præceptum, quia vt retrahuntur vapores, retrahetur etiam calor, ſicque vitiabitur coctio; ſed hæc retractio non ſufficit, vt tenuis victus non commutetur, reuiuiſcet calor fortaſsè, quia per ſomnum in viſceribus concluſus ſuffocatur non ventilatus. Summum præceptum eſt ſomni profunditatem & febrilem calorem attendere, vbi enim moderatus eſt calor ferè contemnitur, & contra cauſam ſomni pugnamus: ſi verò febris alicuius momenti videatur, moderanda calefacientia, & quantum fieri poſſit, quæ admiſceantur frigida ob febrem extenuent, & exſiccent, & abſtergant, vt hordeum, rad. graminis, cichoriæ, pentaphili, lapatri, fumariæ adiunctum: ſic in cibis ptiſanæ ſuccus cum feniculo, porro & ſale, vtramque complet indicationem. Hinc ſumenda methodus occurrendi vrgentiori, & variè diſponendi auxilia, notando relatam curationem exquiſiti lethargi eſſe à ſola pituita pendentis. Si verò ex humorum miſcella naſcatur, varianda auxilia, & moderanda; nam ſi omnia particularia ſcribenda forent, immenſum euaderet opus.

Tandem Auicenna dixit: *Quod ſi fuerit neceſſarium propter longitudinem ægritudinis dare ſolutiuum, & propriè quando cum ipſa apparet tremor, quod detur caſtoreum cum pauca ſcamonea, & ſi timetur febris, aliena ſcamoneam, & detur caſtoreum, & permittetur complexio abſque euacuatione, & melior euacuationum eſt quæ fit cum clyſtere.* Tam celebre putatur à Medicis medicamentum compoſitum ex ſcamonea & caſtoreo, vt nullus ferè ſcribat à quo non commendetur. Ita Oribaſius, Paulus, Trallianus, Alſarius, Heurnius, Ludouicus Mercado, & alij multi. Docuit tamen Oribaſius ex Rufo propriè competere huiuſmodi medicamentum in lethargo cauſato, quia bilis admixta pituitæ hunc defert in cerebrum; vt ſit bilis quaſi vehiculum. Mercatus diſpenſat ita; ℞ veluti granorum trium, aut quatuor ſcamoneæ, caſtorei ℈j. ſerapij ſolutiui quod ſufficit, & detur. Videtur mihi ſatis ſcrupuloſa ſcamoneæ doſis in morbo tam pertinaci, & cauſa tam craſſa. Paulus quidem ita reliquit ſcriptum. *Si humoris ineſt copia, nihilque aliud prohibeat, ſcamonea ℈j. caſtoreo temperato exhibebimus.* Tralian. ſcamoneæ ℈j. caſtorei duobus admiſcet: Auicennæ doſis eſt caſtorei ℈ij. hi enim continent aurei duas partes: ſcamoneæ verò concedit minus vnius danci quod ponderat g. viij. & ſecundùm aliam, vt refert Gentil. g. iiij Iacob. ex doctrina Iannenſis, danci g. viij. atque diſpẽſat potionem; caſtorei ʒj. ſcamoneæ, & maſtiches ana g. vij. terantur & incorporentur cum ℥iiij. mulſæ tepidæ, & detur potio.

Diligenter tamen notabis, quod Paulus & Trallianus relato medicamento expurgant, quando morbus pendet ex multa materia; Auicenna verò propter morbi longitudinem eodem medicamento expurgat quem explicat optimè Gentilis, aut propter longitudinẽ quæ timetur ob multam materiam, aut propter longitudinem iam tranſactam. Secundùm primum ſenſum non diſcrepant Auctores; *nec eſt dubium in principio expurgandum, ſi aliud non obſtet ob morbi perniciem, & quia pendet ex craſſis & multis ferè ſemper, qui neſciunt edomari tempore breui, & longum requirunt, quod grauitas mali non ſuſtinet, ob quod in principio purgandum.* Caſtoreum noſtris temporibus ſatis ſuſpectum eſt, ob quod rarò per os exhibetur hiſce temporibus, & ſic ſecurius eſt aliis medicamentis ciere aluum: quod ſi dare velitis, in forma pillularum concedetur, quia ſic efficacius trahitur pituita ex cerebro ita. ℞ pillularum cochiarum ʒj. agarici troſciſcati ℈j. caſtorei ℈ß. cum aqua ſaluiæ, aut betonicæ, vel oxymelite, fiant pillulæ, & deaurentur, & ſi deglutire eas difficile videatur, diſſoluentur in decocto capitali. Conferent pillulæ caſtorei Nicolai cum cochiis, aut pillularum aurearum & cochiarum ana ℈ij. caſtorei ℈ß. miſce. Foreſtus cum cochiis ſolis & ℈ß. caſtorei optimum fuit expertus. In potione rectè dabitur hæc. ℞ diagridij g. vj. aut viij. ſi fuerit robuſtus, caſtorei ℈j. ſerapij ſolutiui roſ. ℥ij. decocti cinnamomi, & florum cord. & ſtœchados quod ſufficit, fiat potio. Confert etiam agarici trociſcati ʒj. ſeminis carthami ʒiß. infundantur in decocto cordiali florũ ſtœchados & ſaluiæ, & cinnamomi: Expreſſionis ſume ℥iiij. ſerapij ſolutiui roſarum ℥ jß. electuarij Indi maioris ʒiiij. miſce; dari etiam poſſunt ʒij. pulueris xalapæ in aqua mulſa cum granis viij. caſtorei, & modico cinnamomi, ſi robuſtus ſit æger. Expurgare itaque conuenit in principio lethargi antequam ſomnus inexpugnabilis ſit; intentus enim omnem ſenſum excrementorum tollit, & fruſtra expurgatio tentabitur. Illa verò intenta, ſi non moueatur aluus, ſuppoſitorium acre applicabitur, vt irritata natura pellat quod medicãmentum mouet.

Malè torſit Auctores, cur ſcamonium cum caſtoreo permixtũ tam extremum auxilium putetur pro extirpatione lethargi, cùm ſcamonium ſit bilis eductiuũ, & non pituitæ? Magiſter *ſuper 3. librum Pauli* dicit ex medicamento non purgante, vt eſt caſtoreũ, & expurgante bilem, vt eſt ſcamonium, fieri tertium, quod pituitã expurgat admixtione vtriuſque: quod mihi non placet, quia ad tertij reſultantiam cum noua proprietate debebent ſe corrumpere ſimplicia, quod non eſt in hoc caſu: nam nec extrà applicata id experimur. Secundò quia ad tertij reſultantiam eſſet cognoſcenda proportio, ita vt adinuicem ſimul ſe corrumperent in eodem tempore: quod à Medico eſt impoſſibile ſcire. Tertiò, quia eſſet neceſſaria fermentatio vtriuſque, vt mutuò ſe diuiderent per minima, & mutarentur in tertium: exhibent verò Auctores talia ſimplicia ſine fermentatione præcedente, vt ſe alterent & corrumpant.

Reſpondeo ergo hoc medicamentum, vt ex Oribaſio conſtat, dari præcipuè in lethargo, cuius pituita

ex

ex bilis permixtione succensa & fermentata sursum fertur, ac per consequens est opus medicamento expurgatore bilem pituitæ adhærentem, & inde opus est medicamento fortissimo; quia aliter bilis pituitæ agglutinata non cedet. Detur ergo scamonium, quod bilem potenter educit, vt sic trahendo illam trahat per consequens gluten; admisceatur verò castoreum, quod disseeans & attenuans pituitam, viasque recludens eximia partium tenuitate tractionem vtriusque facilitabit. Præterquam quod scamonium pituitam purgare Dioscorides & Mesnes docuerunt.

Serapia, & medicatæ potiones dentur ad incisionem, attenuationem & abstersionem pituitæ. Sic Tralianus extollit castoreum exhibitum per horam antè accessionem, vt pituita, aut vapores illius, qui tunc mouentur in cerebrum, secum deferant vapores castorei à quo corrigantur, & cerebrum ante accessionem roboretur, vt minus recipiat; quo tempore optimè dabitur Theriaca magna cum decocto florum saluiæ, aut stechados. Tralianus castoreum cum oxymelite extollit, quia oxymel strenuè incendat & abstergit: Dabitur ergo potio ex granis viij. aut ℈ß. castorei cum ℥iß. oxymelitis, & ℥ij. aquæ saluiæ, aut feniculi, vel betonicæ, vel peoniæ. Conferunt serapia de stechade duarum & quinque radicum cum aceto, de corticibus citri, adiantinum, mel rosaceum, & acetosus simplex: quibus miscendum semper aliquid castorei, theriacæ magnæ, aromatici rosati, aut diarrhodonis, aut diambræ, si febris permittat; patitur enim nimis ventriculus, qui perpetuò roborandus est intus, & extra cum cerebro. Solent enim esse istæ duæ partes causæ sibi mutuæ in hoc malo: coquit male ventriculus, inde crudi vapores eleuantur in cerebrum, ex quo descendunt per modum euripi in ventriculum, sicque mutuò se oppugnant.

Consulunt tandem Medici, vt aluus laxa teneatur omni arte, ob quod laudauit Mercatus tertio quoque die in conuenientibus serapiis miscere decoctum trium drachmarum foliorum sennæ: parat Serapium hoc modo. ℞ radicis graminis, petroselini, & asparagi ana ℥ij. adianti m. j. hyssopi, melissæ, betonicæ ana m. ß. seminum anisi, & feniculi ana ʒij. florum camemali & stechados ana p. j. fiat decoctio. & in ℔. vij dissolue mellis rosacei ℥iiij. sacchari quod sufficit, fiat syrupus: huic addit per tertios dies expressionem foliorum sennæ dictam, & post irritat aluum suppositorio acri, vt expellat natura, quod medicamentum mouit; sic enim docet non paucos liberatos vidisse.

Conuenit non minus vbi abundat pituita, sequens decoctum loco serapij. ℞ ligni saxifragiæ, radicum helenij, peoniæ ana ℥ß. acori vulgaris ʒvj. betonicæ, sampsuci, satureiæ, cichorei, ana m. j. stechados m. ß. squinanti ʒij. ß. dauci ʒiij. florum saluiæ, roris marini, & borraginis s. p. j. malsæ ℔iij. coquantur in vase vitriato angusti orificij operculato ad tertias: colatura clarificetur cum oxymelle, & melle rosaceo ana ℥iß. & aromatizetur cinnamomo & nuce muscata, vel cariophilis, aut modico ambræ, cuius sumantur ℥ij. aut ℥iij.

Quia verò diximus vessicantia conuenire, optimè excitantur sequenti medicamento. ℞ vnguenti basiliconis ℥ß. pulueris cantharidarum ℈j. euphorbij ℈ß. piperis grana vj. ameos g. viij. misce, & applicetur inter spatulas, & facta exulceratione seruentur aperta, supposito vnguento basilicone, vel folio brassicæ inuncto butyro, aut hederæ, aut betæ.

Si malum remittatur, vtilissima sunt masticatoria & vsus theriacæ magnæ antiquæ, vel mitridati, cum aquis saluiæ, betonicæ, peoniæ, vel feniculi, absumunt enim excrementa, temperiem humidam corrigunt, & roborant cerebrum: estque magni vsus statim à cœna aliquod ex dictis medicamentis exhibere; sic enim in cerebrum melius feruntur, & impediunt humectatio-

A nem nimiam ex alimento. Forestus verò *lib. 10. obseruat. obser. 9.* theriacæ ℥j. cum ℥jß. conseruæ buglossæ, vel borraginis sex horis ante prandium præbet, aut sic opiata parabitur. ℞ conseruæ florum, saluiæ, roris marini, & stechados ana ℥j. theriacæ magnæ & mitridati ana ʒjß. diamuschi ℈ij. aromatici rosati ʒß. cum serapio borraginis, & de stechade simp. fiat opiata, cuius sumat cochlear vnum, vel duo post cœnam tempore somni. Ex serapiis capitalibus cum succo feniculi theriaca & mithridato, confectione hyacinthorum, & alchermes, extrahitur aqua per instillationem pro delicatioribus & diuitibus, cuius sumuntur duo cochlearia ieiuno corpore, & in cibariis vtiliter aliquid miscebitur.

Succus consolidæ maioris in quantitate ℥ij. bibitus,
B vt secretum commendat Schenchius: Satureia cum floribus vino incocta, & calens occipiti admota, & auribus eiusdem decocti instillatæ guttulæ lethargicos reuocant certissimo experimento; idem refert ex Heudeschio.



DISPVTATIO IV.

De vigili Comate, seu Tiphomania.

C
CAPVT I.

Quid sit?

DE hac affectione agit Auctor *lib. hoc 3. tract. 3. fen. 1. c. 12.* eam appellat *Subeth alabari*, quasi dicas, superuigilans, aut dormitio vigilatiua, seu coma vigil. Eam ita diffinit: *Est ægritudo composita ex sirsen calido, & frigido, quando apostema est factum ex duobus humoribus simul, scilicet ex phlegmate, & colera.* Desumpsit ex Gal. *lib. 1. Prorr. comment. 1.* dicente: *Quoties igitur vterque humor cerebro molestus fuerit, prehendunt hominem tria tantum symptomata; ita vt tum vigilet, tum leuiter in somnum deferatur.* Tum tradit *4. de causis puls. cap. 15. & 3. de locis, cap.*
D *5.* Paulus *lib. 3. cap. 6.* ita dicit: *Quod si humor pituitosus sit temperatus bilioso, vt iam ita appellationem quoque compositam habeat, nam vigilans coma nominant.* Est ergo vigil coma affectio composita ex phrenitide, & lethargo, & hoc per participationem; nam vtriusque morbi symptomata habet, scilicet, delirare, & vigilare cum febre ex vna parte, & ex alia in somnum contra naturam moueri cum continua febre; hæc enim communis est phrenitidi, & lethargo. Est ergo in rigore vigil Coma, seu Tiphomania, *aggregatio duorum morborum oppugnantium mutuò ægrotantem.* Itaque vigil coma non constatur ex duobus humoribus veluti ad vnam formam redactis, vt rediguntur pituita, & bilis in tertiana notha: in hac ita vniuntur, vt simul
E conspiret vterque humor ad causandam vnicam, & eandem accessionem, quod in vigili comate nullatenus est admittendum: sed pituita facit suum proprium morbum, somnum, inquam, & febrem: bilis ècontra, delirium, & vigiliam cum febre, ita vt nullo modo vniantur. Hi duo humores non in se, & ad vnicã redigantur naturam, sed contra potiùs quilibet suam formam, & naturam seruet, faciátque malum sibi analogum sine dependentia ab alio humore, vt contingit in hemitritheo, in quo pituita quotidianam facit, bilis verò tertianam, ex quo intelligitur Auicennæ doctrina, dum dicit: *& quandoque conueniunt in ægritudine vna cum numero, vt vnusquis-*

quæ eorum impugnet alterum, & quandoque vincat phlegma, & quandoque colera, scilicet *hic morbus ex aggregatio e humorum resultans*, ita componitur ex illis, quòd quilibet illorum numerari possit, vel secerni ab alio per propria accidentia, quibus mutuò se aggregant. Vnde meo videri non fuit assequutus Magister noster mentem Gentilis in huius loci expositione; non dixit, quòd ita sint permixti humores, vt possint numerari; sed èconta, vt constat ex verbis Gentilis, mihique videtur impertinens, & dubium Magistro propositum, quomodo hæc ægritudo dicatur vna numero ab Auicenna, si constat ex duobus morbis diuersis? certò non tollit esse vnam numero, quòd ex diuersis constet, si illas ægritudines diuersas respicit, vt partes essentiales integrantes naturam compositi morbi. Itaque tam vnica, & indiuidua est essentia vigilis comatis, etsi ex duobus morbis coalescat, sicut est vna natura cuiuslibet morbi, ex quo componitur, licet non sit tam simplex, quia ea diuerso principio sumitur vnitas essentiæ ab eo, ea quo simplicitas.

Dubitat Gentilis, qua ratione huiuscemodi compositio euenire possit: & ratio dubitandi est, quia priuatio, & habitus simul esse non possunt: sed somnus, & vigilia opponuntur priuatiuè: ergo existere nequeunt simul ad integrandam essentiam huius morbi. Respondet, id esse possibile, & sic explicat, nimirum, quòd somnus aliquando est coniunctus quibusdam modis inquietudinis, & signis vigiliæ, vt cùm homo dormit apertis oculis, & èconta; aliquando est somnus, cùm clarè vigilat, vt qui oculis clausis, & impedita imaginatione & ratione, quantum ad alia obiecta ambulat, nihilominus & aliqua loquitur; cuius doctrina rectè impugnatur à Magistro *disp. 10. de locis affect. c. 1.* quia dormire remissè, & per consequens posse aliquid minus vigilantium elicere, contingere potest in vnica simplici affectione, quia somnus, & vigilia suscipiunt magis, & minus. At verò Coma vigil est composita passio ex duabus, quarum vna vigilare facit, & alia dormire, & nunc dubitatur, qua ratione hæc euenire possint in vigilante sopore.

Ad quod respondeo primò, non esse de intrinseca ratione tiphomaniæ, quod simul sint somnus, & vigilia, sed satis esse, quòd sub eadem figura morbi per mutuam vicissitudinem eueniant illa symptomata, ita quòd bilis certo tempore vincat pituitam, & appareat delirium cum vigilia, & maiori febre: in alio pituita bilem superet, & somnus accedat, & remittatur delirium, aut cesset omninò, sitque febris remissior: & ita licet quantum ad radicem semper sit composita passio, quia semper infestant humor biliosus, & pituitosus; tamen quantum ad accidentia, non sunt simul, quia opponuntur contrariè, aut priuatiuè, & ita non apparent nisi signa dominantis humoris, licet in minori intensione, quia si non esset oppositus humor, reprimeret vim actiuam alterius. Sic intelligo Paulum *lib. 3. cap. 6.* dicentem: nam vigilans Coma nominatur, in vniuersum quidem cùm biliosus superauerit, quippè tales ægri vigiles phrenetide laborant: cùm verò pituitosus præpollet, contrà in grauiorem veluti somnum, quem Coma Græci vocant, deferuntur. Clarè igitur Paulus docet, per interualla delirare, & vigilare, & somno opprimi, quoniam scilicet vnus humor superat alium: non ergo requiritur, simul esse somnum, & vigiliam, sed per mutuam vicissitudinem. Vnde inquit Auicenna, quoniam si pituita vincit, appellatur subeth-sahericum, & si vincit colericus, nominatur Sahara-Subethia. & tradit signa demonstrantia excessum cuiusvis humoris omninò opposita alteri.

Sed dices. Quid ergo fiet, quando vigil Coma originatur ex æquali humorum miscella, quod esse possibile constat, & in *relato cap.* dicit Auicen. Respondetur facilè, quod adhuc in hac æqualitate Medica datur excessus vnius humoris ab alio, quia enim passiones, ex quibus tiphomania coalescit, dependent ex humoris affluxu ad certas partes, repugnat non vincere, sed mutuo tempore accessionum, vt si in vigore accessionis lethargicæ existeret æger, & moueretur bilis ad suam accessionem faciendam, quoniam accessio lethargica remitteretur, accedēs potestas bilis inflammatæ liberabit ægrotum à somno, & vigilando delirabit: posteà verò accedendo noua accessio pituitæ opprimet cerebrum, & coget dormire: quæ euenient non dubiè, etsi æqualis sit portio bilis cum portione pituitæ, quæ mouentur ad focos, quod indicabit pulsus: nam cum in prima accessione facienda constituat principium, & mutabit pulsum, vt principio debetur, B vt contingit in subintrantibus febribus, in quibus subintrans obscurat tempus prioris. Et si adhuc dicatis, quid fiet si simul moueantur huiusmodi humores ad proprium focum, & in æquali quantitate. Respondeo quòd se remittant tali modo quòd æger minùs vigilabit, & delirabit, & simul minùs dormiet contra naturam, vt contingit in somno imperfecto: in quo euentu esset difficillimum distinguere, an illa symptomatum mediocritas ea duplici causa dependeat seorsim infectante, etsi ipsam oppugnante mutuò; an verò tantùm dependeat affectio ex vnico humore: nam remissa vigilia, & somnus, simul dari ab eadem causa, non est dubium: casus tamen positus de æqualitate causæ, & identitate temporis in accessionum initio, Metaphysicus potiùs est, quàm Medicus. Et quamuis C ea cerebri accidentibus, miscellam vtriusque humoris agnoscere non sit facile; tamen ex excrementis, & vrina facile erit; & quia accidentia mediocria ex vnico humore pendentia non habent signa alterius, vt mediocris somnus ex pituita sola pulsum tardiorem, tumidam faciem, molliores arterias, & colorem albicantem in facie, lotio, & excrementis monstrabit, & hoc vniformiter per totum corpus. Si verò ex attemperatione cum bile, nunquam deficient signa aliqua bilem ostendentia, vt delirium, pulsus minus mollis, color viridior in facie, lotio, & stercoribus; & quod per os excreatur, permixtum erit non dubiè, quod & linguæ color etiam monstrabit.

Sed in nostra doctrina constituente essentiam lethargi in cerebri obstructione, videtur res difficilior. Ra- D tio dubitandi est, quia si somnus profundus causatus ex cerebri obstructione, nullo modo remittitur accedente bile. Patet, quia non tollit aliquid de obstructione lethargica, imò illā auget propria corporatura, & per consequens vigilare non poterit, præcipuè cùm docuerimus, lethargum posse ex quouis humore causari, & ita accedente bile ad locum à pituita obstructum, efficietur maior obstructio, & profundior somnus. In opinantibus verò, lethargum, & phrenitidem esse morbos distemperiei, res intelligitur facilè, quia qualitates bilis remittunt pituitæ analogas, & sic tollunt illius symptomata, & nascuntur accidentia debita bili. Respondetur, adhuc in nostra opinione id posse intelligi: pro quo notabis, quòd E somnus tiphomaniæ non est tam immensus, sicut lethargicorum, nec vigilia tam propria, & tam grandis, vt est in phreneticis. In hoc conuenisse video omnes Medicos, & ita propriissimè Paulus appellauit somnum tiphomaniæ, Coma, quod in rigorosa significatione, & vt certam somni contra naturam speciem significat, est somnus, remissiórque inuentus, & debilius simplici lethargo; idque dependet ex præsentia oppositæ causæ, & idem iudicandum est in vigilia, & delirio respectu phrenitidis, quia in phrenitide non datur pituita resistens, datur tamen in vigili comate. Partes itaque cerebri, quas bilis infestat, & occupat, nullo modo obstruuntur à pituita, & ita

in

in illis non dubitur somnus, aut non tam intensus, sicut si à pituita obturarentur.

Secundò notabitis, quòd pituita, eo ipso quòd non occupat totum cerebrum, sicut quando facit lethargum, necesse est, quòd causet somnum, non solùm obstruendo, sed etiam alterando cerebrum humiditate; nam partes cerebri, quas non obstruit, non aliter inclinabit ad somnum, quàm humiditate producta in eis; remittet etiam vigiliam intensam, & delirium bilis per frigus, etiamsi sit putrida pituita, vt minus calidum remittit calidius, non calore remisso, sed frigore adiuncto, & ita hac ratione conducit ad quietem suo modo: bilem etiam putrefactam resoluere posse aliquid pituitæ, & flatuosæ substantiæ, sine dubio non cadit, cùm sit calidior, multò tenuior, & absterfiua. Ex his ergo benè consideratis dependet ablano somni. quoniam præualet bilis, nam calefaciendo & exsiccando tollit distemperies, mediis quibus pituita somnum conciliabat, resoluendo etiam non minus & corrigendo præcipuè frigus, & humiditatem pituitæ, quæ est antecedens materia, cùm priùs fluat sine puttedine. Non ergo est mirum, expergefieri hominem iis modis, sed præcipuè à somno liberat, vt quodlibet aliud magnum irritamentum extrinsecum: nam hoc non aliter id præstat, quam sentitu obiecto vehementi, & anima per subordinationem naturalem se expergefaciente, quia sentito molestu obiecto, commouet causam somni ad vigilandum, & percipiendum obiectum irritans, & defendendum se ab illo: bilis ergo, quia semper vellicat non solùm irritatione, sed etiam & præcipuè excitatis imaginibus quibus ad delirandum melinat, conducit ad vigiliam, & liberat à somni profunditate, & videtur mibi probabilissimum, somnum vigilis comatis non ita fieri obstructione, vt humectatione, & irrigatione, vt de lethargo putauit Antiquitas, & fieri potiùs ex pituita præpollente bile adusta, aut putrida irrigationem, & humiditatem afferri, & flatus resolui, & excitari ægrotantem modis iam dictis: Galenus enim t. *Prorrhet. comment. t.* à bilis irritatione impediri somnum causatum ex sanguinis copia docuit.

Constant ex addicta doctrina signa essentialia huius morbi: sunt enim somnus febre, & delirio non continuo, quia quando præualet pituita, si somnum continuum causet, deficere potest delirium; ex idea tamen morbi semper est delirium radicale, quia bilis putrida cerebrum perpetuò infestat, impeditur tamen superante pituita, sicut & huius somnus tollitur in bilis excessu. Si verò aliquis humor ex dictis nimis alium excedat, durabunt per totum morbum signa illius: & ita rectè notauit Gentilis, quod si bilis in principio prædominatur multum, est æger parat issimus, vt verè phreneticus fiat, quis resoluitur materia pituitosa à superexcedente bile, & fiet phrenitis. Idem putandum si pituita nimis excedat, transit enim in verum lethargum, vt constat, excessus verò cuiuslibet humoris facilè agnoscitur; nam præualens pituita minorem febrem causat, auget somnum, & torporem actionum. Vnde inquit Auicenna; Respondent difficile quæsitis, & est responsio illorum sicut responsio occupati tardantis, & cogitantis. Ex quibus verbis colligo, lethargiam non delirare necessariò, quia in tiphomania, vbi est occasio maior delirij ob mixtionem bilis, respondent, dum pituita bili prædominatur, non deprauate, nec delirare, sed tarde ex diminuta apprehensione obiectorum: sic si bilis excedat, delirium apparet, intenditur febris somnus aufertur, & vigilant, oculi rubent, & facies incenditur, lingua siccatur, & cùm loquuntur, inquit Auicenna, sermo eorum non est ordinatus, quod signum docet Gentilis esse commune passioni, quia variant in modo loquendi; nam interim loquuntur submissè, & blandè, interim verò vehementiâ maiori, quod est sine ordine loqui. Ego intelligo potiùs per inordinatam loquelam, erroneam, & deprauatam, quia verè delirant, quando bilis prædominat, etiamsi sensus Gentilis sit verus; hoc est quod Iacobus dixit, sermones scilicet ita affectorum rythmo carere.

Causa huius morbi sunt bilis, & pituita mutuò se excedentes: quilibet humor tenetur putrefieri, vt in lethargo, & phrenitide: Galenus 1. *Prorr. comm.* 1. sanguinem bili acri admixtum prædictum malum causare ducet his verbis: *Nempe primo, vel secundo die præ copia sanguinis, qui propter bilis mixtionem, acrimoniam quandam mordacem habeat, potest reddi idem æger tum comatosus, tum vigilans, grauata quidem ob sanguinis copiam cerebri facultate, sed à bile adeò irritata vsque adeò, vt somnus inhibeatur.* Ex quo loco colligo multa notatu dignissima. Primum, lethargum causari ex sanguine, si causatur ab eo media affectio per participationem illius. Secundum, fieri obstructione; nam somnum dicit fieri grauato cerebro, quod propriè à corporatura sanguinis grauari dicitur, & somnum cessare imminuta copia sanguinis, dixit ibi Galenus, nec sanguis cum bile permixtus aliter somnum inducere potest, cùm humiditas eius à siccitate bilis temperetur, estque cerebrum sanguine humidius, & inde nisi corporatura somnum causabit. Tertium, quod vigil coma non dicitur eodem tempore vigilare, & dormire, vt putauit Gentilis, sed vicissitudine: nam Galenus ait, quòd æger dormit grauato cerebro, & vellicatu ab acrimonia bilis, somnum inhiberi, & vigilare. Vnde quando 4. *lib. de præsag. ex puls. cap.* 4. *& in arte Medic. cap.* 19. docuit in calida, & humida intemperie cerebri cataphoram coniungi cum delirio, & vigiliis, intelligendus est in radice, & ex parte temperamentorum, vt exposuit Magister noster *diff.* 10. *de locis affect. c.* 2. licet mihi dubium non sit, posse simul coniungi delirium, & somnum, & sic etiam somnum, & vigiliam, quia delirare, vigilare est partialiter. Valles. *in comment. art. Medic.* simul esse comatosus, & vigiles interpretatur, in eodem somno, tempore non dinerso: *simul sunt, inquit, comatosi, & vigiles, vt qui laborant morbo vocato Tiphomania, dormiunt scilicet somno graui, & intertumpitur eis sæpè somnus, non sine molestia, sed ingruente incubo, aut perterritis illis, aut vtrimque inquietis, qui habent dormiendi, & vigilandi, iam humor somnum, calor vigiliam facit,* &c. Nec dubium esse potest, quòd materia adusta, aut bilis atra, si pituitæ admisceantur, huiusmodi passionem generant, quia ad delirandum, calefaciendum, exsiccandum cerebrum valent plurimùm.

Sicut hæc passio est media inter phrenetidem, & lethargum, ita est media in periculo, quia accidentia se corrigunt per interuulla, vt diximus. Est tamen nihilominus periculosissimus morbus, indigétque natura multo robore ad debellandas duas causas molestantes, quamlibet earum lædentem per se. Significant etiam duas partes affectas, & transmittentes; nam humores diuersi semper fiunt à diuersis partibus distemperatis, & hoc non leue periculum innuit, quia longiorem semper causant passionem, vt in variegatis euenit defectionibus, & difficillimam reddunt huius mali medelam, vt omnes contrarij affectus consueuerunt: exasperant bilem pituitæ vtilia, & è contra. Est autem maius periculum, teste Paulo, vbi continens adest pernigilium, vrinæ non respondent, difficultas spirandi intenditur, sudores erumpunt, & potus ad nares resorbetur, quæ ex hoc Auctore refert Auicenna in præsenti capite.

CAPVT II.

De curatione Tiphomaniæ.

MEdelam huius passionis tradit Auicenna *c.* 3. estque clarissima intelligentibus curatione lethargi, & phrenitidis. Mittit sanguinem Auctor, túmque secandæ venæ, similésque in prædictis passionibus, vt communis, cephalica, vena frontis, & narium, apponendæ hirudines post aures, & super venas eminentes in cerebro, reuellendus humor implacidus ligaturis, frictionibus continuis, & cucurbitis, præcipuè ante accessionem, & in declinatione; clysteribus etiam, & suppositoriis, & in principio appositione oxirrhodini, deindè ad resoluentia accedendum: Expurgandum similiter corpus in principiu, si multitudo humoris grauet, nam excessus magnus humoris monstratur, vbi duo humores diuersi à sanguine cerebrum oppugnant: quod si ex multitudine sanguinis caput oppressum dormiat, euacuandum audacius sanguine misso; est tamen euacuandum plus in hoc malo, quàm in simplici lethargo, aut phrenitide, quia minus debilitatur ægrotus, eo quòd nec dormit perpetuò, vt lethargicus, nec delirat, & vigilat semper, vt phreneticus. In potionibus & sirupis attemperantibus mediocris seruabitur methodus, & mixta semper erunt auxilia quæcumque, si non inueniatur manifestus excessus alicuius humoris; nam si detur, necessarium erit ei occurrere. Ob quod Auicenna prædominantibili, & delirio, & vigiliæ auxiliatur, dando sirupum papaueris. Eadem methodus seruanda, si pituita excedat nimium; sunt enim augenda calefacientia, attenuantia, dissecantia, expergefacientia, & quæ naturam vellicent: ob quod idem Auctor, si phlegma sit superabundans, addit in embrocis folia lauri, rutham, menthastrum, hyssopum, castoreum, & origanum. Idem præcipit in emplastris, & clysteribus. Si verò cholera prædominetur, ponantur in embrocis, inquit Auicenna, folia salicis, violæ, radices lilij, hordeum cum chamemalo, meliloto, & anetho. In summa nec terminum frigiditatis participant auxilia, qualis debetur phrenitidi; nec caloris, vt lethargicis conuenit, sed sint composita ex eis: quomodo verò mixta remedia conferent, quoniam contrarij humores infestant, non est huius loci.

Victus verò tenuis conuenit, attemperans nimirum cum extenuatione: magis, inquam refrigerans quàm in lethargo, & minus quàm in phrenitide; tempore somni lucidus aër ægrum alteret: dum vrgent vigilia, & delirium, tenebrosus conuenit; dixi, dum vrgent, quia si anteà nimis fuit oppressus æger somno longiori, vigilare remedium est; & ita quousque vigilia debilitet, ad somnum inclinandi non sunt.



DISPVTATIO V.

De Cathoco, & Cathalepsi.

CAPVT I.

Quid sit hæc affectio.



IN tractatu vigilis comatis explicati in antecedentibus reprehendit Auic. dicentes, quòd Subeth assahati est idem quòd suchos; nam suchos, inquit, non est coma vigil, sed species qua-A dam congelationis: his barbaris verbis condemnat putantes, quòd coma vigil sit idem quòd Cathocus, seu Cathalepsis, & describens suchos, siue Cathocum, dicit, quòd est species congelationis, vbi notat Gentilis, quòd quamuis laborantes Tetano, dicantur congelati, non intelliguntur isti, sed laborantes Cathoco: & hanc passionem explicuit Auicenna, inquit Gentilis, dum tradidit lethargum ex melancholia pendentem; de quo ita scripsit: *Quòd si melancholia dicatur lethargia, sunt eius signa, quòd dolor sit fortior, & fiunt cum ea rixa, alienatio, & oculi sunt aperti intuentes in vno loco.* Celius Aurel. 2. *acut. passion. cap.* 10. dicit, *Cathocus idem est ac apprehensio*; nam eo laborantes existunt quasi frigore essent congelati. Vnde Paulus *lib.* 3. *cap.* 10. dicit: Oppressos hoc morbo Cathocos, B vel Cathocomenos, quasi dicas detentos, & occupatos: nominauerunt recentiores affectum Cathocum, Cathalepsim, veluti detentionem, & deprehensionem, quos imitans Auicenna dicit, quòd suchos est species congelationis, nam sicut algore nimio gelati manent rigidi, concretionéque violenta indurati, & immobiles, ita existunt oppressi Cathoco. Vnde Auctor *libri Medic. definit.* dixit, *Cathocus est, cùm sensu priuatur animal, & omne corpus veluti gelu obfrigescit.* Ex quo Authore, & ex aliis ita definitur à Magistro, *lib. de locis affectis, disput* 1 x. *cap.* 1. *Est morbus posterioris partis cerebri magis, in quo oculorum palpebra manent aperta, & rigidum corpus sine febre, & difficultate respirandi.*

Ante verò quàm difficilia huius morbi exponan- C tur, supponendum est vt certum, per Cathocum, & Cathalepsim eandem affectionem significari: quidquid reclamet Amathus *centur.* x. *cur.* 11. Ita constat ex Paulo *lib.* 3. *cap.* 6. ex Galeno 4. *de caus. puls. cap.* 61. dicente: *Cathocon enim veteres Græci appellant: Iuniores verò Cathocum, & Cathalepsim.* Idem docet 4. *de locis*, *cap.* 2. Idem Aëtius. Estque iam communis doctrina omnium: vbi notabitis, quòd Tiphomania, & Cathocus dicuntur Mediæ passiones inter phrenitidem, & lethargum, & per consequens mixta, & composita passio. At verò Cathocus, seu Cathalepsis dicitur media apparenter; quia etsi dormiant perpetuò, vt lethargici, vigilant tamen apparenter, quia dormiunt apertis existentibus palpebris, quasi perterriti ex timore, vt dormiendo verè con- D tra naturam videantur fixo, & stabili intuitu adstantes aspicere, & ita Cathalepsis non est composita passio, quia in rigore non participat mixtam naturam, nec componitur ex duplici morbo, quia solùm vigilant apparenter, & verè dormiunt contra naturam.

Huiusmodi symptomata nascuntur ex peculiari modo, quo cerebrum afficitur, non enim obstruitur, vt in Caro, aut Apoplexia, sed vt constat ex anatome, replentur vasa membranarum cerebri, & sic repleta, & distenta comprimunt cerebrum, & rigidum manet corpus, sensu, & motu priuatum, cum perpetua palpebrarum apertione. Ita docet Holerius *in exposit. text.* 7. *lib.* 7. *Coacar. prænot.* in quo scripsit Hippocrat. *lassati singultuosi stupore occupati malũ.* Holerius *in* E *comment.* dicit: In Anatomia eorum, qui Cathoco periissent maiores venas, quæ rectà recurrunt à posteriori capite ad sinciput, plenas concreto, crassóque sanguine vidimus, & posterius cerebrum serosa materia occupatum; atque reuera in hoc malo posteriora magis affici veteres Medici putauerunt. Desiderius Iacotius *ibidem*, idem docet: idem Rondoletius: & ratio est, quia perpetua oculorum apertio, & totius corporis tensio, & rigiditas originari nequeunt ex sola obstructione cerebri, & ventriculorum. Patet; quia maior obstructio datur in apoplexia, & in ea non datur illa corporis tensio, & rigiditas; illam verò reducere ad siccitatem humoris mali causantis hoc malum,

lum, est falsum, quia etiam apoplexia à melancholia fit, & caret eo symptomate. Præterea, quia etiam causatur Cathocus à sanguine, vt docuit Aetius: is verò non densat cerebrum siccitate, neque est necessarium ad priuationem motus, & sensus, quòd obstruatur cerebrum; satis enim est comprimi à distentis membranis, cùm simile impedimentum ponatur, quomodocumque cauitates deficiant: & quia defectus cauitatum à quauis causa dependeat, obstructio appellatur ab Auctoribus, etsi impropriè, ideò nomine obstructionis vtuntur ad significandam naturam huius passionis. Pati verò cerebrum magis secundum partem posteriorem, communis consensus est, & docuit Galenus 4. *de locis*, *cap.* 3. dicens: *Et in Caro quidem anterior pars magis: in Apoplexia, & morbo comitiali vtraque afficitur; in Cathalepsi verò, & Cathoco dicta posteriora cerebri potiùs afficiuntur.* Et constat planè ex maiori læsione motui locali illata respectu sensus: est enim grauior in motiua virtute; constat verò ex anatome neruos motui deseruientes, à posteriori parte cerebri, & initio spinæ pendere. Galen. 2. *Prorrhet.* tradens historiam sui condiscipuli, immotum omninò depingit, & loqui non potentem, cùm tamen planè audiret, & recordaretur eorum quæ in eius malo proponebantur. Vndè infertur clarè læsio maior in motu, quàm in sensu.

Est ergo cathalepsis morbus in cauitate, quâ viciata natura; & distentæ venæ, & arteriæ cerebri propriam conformationem deperdunt, & cauitates cerebri occupantur similiter tum à membranis tumentibus, tum etiam ea ipsa membranarum tensione redduntur minores, & conuenientem, ac naturalem formationem amittunt.

Signa essentialia dicta iam sunt, scilicet corpus rigidum, & immobile existere morbi violentia detentum: nihil sensibus percipiunt, si sit confirmatus Cathocus: nam quo laborabat Galeni condiscipulus, imperfectus putatur ab omnibus, idest non consummatus; ideò audiebat, & memorabatur. Manent oculorum palpebræ apertæ, fixo & stabili intuitu falsò aspicientes, velut in ecstasi constituti: id expressè docet Galenus 4. *de locis lib.* 2. dicens: *Verùm vt per soporem palpebræ clauduntur, ita in Cathalepsi manent apertæ*; ob quod 2. *Prorrhet.* docuit, *Cathoco detentos oculos habere feroces*, quia obtinent illos tensos, & apertos, & immobiles. Et 7. *Aphor. Com.* 14. exponens sententiam Hippocrat. dicentis: *Ex capitis ictu obstupescentia malum*, subscripsit: *Desipientia agnoscitur quidem loquentibus, agentibusue nihil consentaneum rationi; obstupescentia verò, quando nec agunt, sed apertis oculis, quieti enim manent similes iis, qui ex timore sunt attoniti.* Et ita non admittitur Paulus ab aliquibus, quia admittat in Cathoco apertos manere oculos aliquantum; interim verò clausos, vt in Caro, quod Aetius admittit, & fuit sequutus Fernelius. Ex hoc verò symptomate constat, anteriorem partem cerebri lædi, quia & visione priuantur ægri omninò, & manent palpebræ apertæ; manent verò sic, quia conuelluntur nerui, & musculi mouentes palpebras; oriuntur verò ex anteriori parte cerebri, & musculi illi laborant conuulsione per consensum; nam nullum aliud symptoma esse potest; oriuntur verò nerui mouentes oculos ex secundo pari neruorum, mouentes palpebras ex tertio: esse verò sine febre huiusmodi malum fatentur omnes, cùm doceant, ex frigida, & sicca distemperie pendere: Si verò aliquando interueniat, esse per accidens ad illius essentiam, & sic intelliguntur Auctores febrem tradentes vt signum: Pulsus non est debilis, ex Galeno 4. *de caus. puls. cap.* 16. nec mollis, quia tensio quæ duritiem impropriam causat, est æqualis. Vndè sustinendus non est Aëtius, qui pulsus languidos, & paruos, & fermè deficientes tradit inter signa Cathoci.

Ex dictis circa essentiam huius mali causæ genitrices illius innotescunt: *de humore melancholico, & sanguine, & adusta bile*, dicendum est, esse veram causam illius; quia omnes replere possunt, & tensionem causare; quia hos effectus excellentiori modo melancholia producit, vt prima, & frequentior causa connumeratur ab omnibus, & frigida, & sicca distemperies similiter, quia est melancholiæ effectus, ad distensionem, non concretionem, & duritiem, nulla copula commodior quàm repletio siccitati, & frigori adiuncta: repletio tendit; frigiditas concretionem molitur: siccitas indurat, & densat. Sanguinem verò tensionem causare in phlegmone indicat tumor durus, & dolens. Vnde Aetius summa ratione plenitudinem sanguinis causam Cathochi recenset, & ex modo solutionis probauit: bilis crassior similiter quando in multa copia colligitur, copia distendit, & siccitate, induratione, & calore resoluente similiter exsiccat.

Neque ex hoc colligitur, omnes Cathalepticos esse melancholicos, vt putauit Argenterius malè *lib. de somno, & vigilia, c.* 26. quia melancholia non excitatur, nisi temperies cerebri certo modo vitietur; quod non fit dum Cathalepsis opprimit: est enim, vt diximus, instrumentalis morbus, non temperamenti, & in illo vergit melancholia ad corpus, non ad animam, vt in melancholia: eodem modo in Epilepsia contingit sine melancholico affectu. Præterquàm quod impleat, melancholiam detergi dum laborat Cathocho; nam ob impeditos sensus deobscuratur delirium, ita & in Epilepsia ex melancholico succo, vt non sit vndè Argenterius colligat, radicaliter melancholicus non esse: sed quia ob stuporem sensuum non delirant, ideò non apparent symptomata melancholica; post verò maximè edita tradidit Rondeletius, Cathochos ex melancholia posteà melancholicos manere, sed neque hoc est in perpetuum.

De pituita verò est controuersia inter Medicos. Herculanus, & Iason Viuicens, quos sequitur Magister, putarunt reuera esse causam Cathochi: & ad argumentum, quòd est humor humidior omnibus, & ita non causabit tensionem: Respondet, quòd etsi hoc sit verum, corporatura tam distendit, & conuulsionem causat, vt in vera conuulsione experimur, quam à pituita fieri confitentur omnes.

Mihi tamen videtur à pituita naturali non fieri Catochum; quia non est idem, replere, & tensionem causare: pituita replet vt quanta, sed non tendit, nec indurat, quia humiditate madefacit, & emollit: id indicat clarè œdematosus tumor, qui mollis est, & indolens; quia repletio pituitæ non indurat, nec distendit rumpendo, sed distendit cedendo partes: vndè regiditas tanta, quanta est in Catocho, ab humore emolliente superflua humiditate dari non potest; alioqui cur non indurat pulsum, dum tumore partem replet, & distendit, & cur dolorem non causat? Cùm ergo sit indolens tumor œdematosus; quia non soluitur continuitas partis, constat non indurare tensione, nec rigidas relinquere partes, quod mihi videtur euidens. Assero ergo, quòd pituita nisi præter naturam exsiccetur, non est causa Cathochi; tunc verò distendet cum duritie, corporatura, & frigore nimio. Vnde patet, quòd efficaciter obstet humiditas concretioni, cùm pituita replendo, & alterando frigiditate partem affectam, nullo modo induret, etsi illam in fastigium eleuet: & indicat clarè fouea relicta, dum œdema digitis premitur; cedit non in se membrum affectum sine dolore, etsi vehementer prematur, quia emollitur pars, & non tenditur. Estque expressa Galeni doctrina 1. *Aph. text.* 3. dicentis: *Quæ refrigeratio, cùm fortis fuerit, mixta quidem humiditati facit lethargicas passiones, cum siccitate verò eas quæ*

Græco

Græco vocabulo Cathalepsias, id est, *deprehendens*, nominatur. Si verò ab humectante succo fieri posset, & à pituita, neque hanc excluderet, siccitatem requireret: sed & lethargum, & Catbalepsim à vehementi refrigeratione cum humiditate fieri posse doceret.

Fatentur similiter Medici, generari Catochum à flatibus eleuatis ex vermibus; quod & Schenchius tradit *lib.1.obseru.* Via mira ad distendendum in flatibus traditur ab Hippocrate libro proprio, si Auctor illius fuit. Nec obstat, humidos esse, vt pituitam posuimus, & per consequens laxare, & emollire, non tendere partes. Respondeo, esse dispatem rationem: Primò quia etsi sit humidus, est minus quàm pituita: Secundò, quia in materia tam tenai est inefficax humiditas ad emolliendam partes: nam cùm sit parum actiua ex se, & ex alia parte existat in tam tenui, & rara materia, operatur segniter, & remissè; at verò quantitas flatus tam actiua est, sicut si essent in pituita, quia distendit impenetrabilia quantitatis. Prætetquam quod flatus ratione raritatis habent repugnantiam, vt in se vniantur, cùm hoc sit proprium densi, & ita magis dilacerant partem, & vehementioribus doloribus excruciant, quàm pituita: vndè nulla pars à flatibus inclusis emollitur, optimè tamen à pituita.

Errauit crassè Massarias *lib.1.c.15.* putans huiusce-modi morbum à nuda distemperie posse causari. Nullus enim ex Antiquis alterantibus solis huic malo medetur; neque est credendum, viuo animali cerebrum ita exsiccati, & infrigidari posse, vt per consensum cum illo totum corpus rigidum, & tensum maneret; esset non admittenda tensio maior in cerebro; hæc verò etiam tolleret motum illius, antequam totum exsisteret rigidum; nam distendi, & contrahi minimè posset: præterquam quod frigus non sustineret pars adeò princeps: quod si hoc est possibile, inefficax apparet Magistri nostri argumentum contra doctrinam Massariæ: dicit enim somnum profundum à distemperie frigida, & sicca causari non posse, quia quamvis frigiditas melancholica ad somnum conducat, siccitas tamen illius quoad vigiliam existit potentior, & sic melancholicos vigiles esse non somnolentos. Respondeo facilè huic dubio: quod si solùm contemplemur morbum temperamenti, benè probat Magister, quia melancholia est sicca magis, quàm frigida: vtraque tamen qualitas somnum inducit densando substantiam cerebri: & sic occluduntur viæ, per quas communicandi sunt spiritus, & proprius influxus per illustrationem communicandus ab interno principio deficiet, quia densitas impedit, vt opacitas impedit lumen internum.

Sed pulchrum dubium suscitatur ex dictis: diximus enim à frigore, & siccitate hoc malum non fieri, quia densatur cerebrum, & rigidum, immobileque manet; nam alioqui non posset trahere in consensum partes subiectas per tensionem musculorum: videtur autem sequi ex adducta doctrina, eodem modo implicare quòd totum reddatur rigidum, & tensum per repletionem illius: Patet clarè, quia si non distendatur substantia cerebri, nec tensionem totum corpus patietur: ergo non mouebitur cerebrum, si rigidum manet, & tensum; si verò mouetur, tensum non est, sed cedens se, dilatans, & comprimens, & indè implicabit, per consensum cum illo tensa, & rigida reliqua membra manere. Pro solutione notate, quòd vt substantia cerebri duabus inuoluitur tunicis, ita & substantia neruorum: eas accipiunt tam nerui, quàm cerebrum ex dura, & pia matre, vt notauit Vesalius *lib. 4. cap. 1.* Cùm ergo repleantur vasa prædictarum membranatum, & vehementer tendantur, tenduntur etiam reliqui nerui per consensum, non verò substantia cerebri, etsi comprimatur, non dubiè; itaque substantia cerebri non nascitur ex membranis, nec ex illis componitur; benè tamen substantia neruorum, & ita tenduntur, quamuis cerebrum tensum non maneat.

Ex dictis constat, modum læsionis internarum potentiarum esse æqualem, & communem omnibus; nam non læduntur in hoc morbo peculiari temperie, sed morbo instrumentali; & ita diminuit æqualiter actus omnium potentiarum si sit non consummatus Catochus, aut aufert omninò quantam ad obiecta communia, si intendatur nimis, & quoniam aufert, totaliter distinguetur ab apoplexia, oculorum apertione, & corporis rigiditate, quibus illa priuat? Habet etiam Apoplexia maiorem læsionem ex respiratione. Vnde constat, similiter non implicare, aliquando delirare Catalepticos, nam quouiam non consummatur, & tantum diminuit actus internarum potentiarum, non repugnat delirare, & manifestari delirium, vt Galenus docuit *2. Prorr.comm.*.. licet nobis apparet probabilior secunda solutio, scilicèt quod desipientia præcedat Catochum, qua superueniente cesset, ob completam malitiam illius, & ideò malum esse in Catochum terminari, quia arguit humoris efficientis desipientiam congestionem maiorem in cerebro. Hinc intelligitur locus difficilis Auicennæ *fen.1.lib.3. tr.4.c.1.* probans enim in somno contra naturam pati magis partem cerebri anteriorem, ita loquitur: *Nec esset somnus, imò esset destructio motus, & tactus solummodò, & essent sensus reliqui cum dispositionibus suis, sicut contingit in ægritudinibus congelationis, & sirches.* Vbi clarè innuit, in congelatione seu Catocho solùm lædi motum, & tactum; reliquos verò sensus externos minimè. Quæ doctrina de vero Catocho admittenda non est: intelligendus ergo de imperfecto, in quo audire, & videre solent ægroti, vt de condiscipulo Galenus retulit *2. Prorrhit. commen. 56.* Cùm ergo in hoc Catocho experiamur lædi partem cerebri posteriorem magis, ita vt cum immobilitate omnimoda sensus externi aliquid percipiant; si enim in sopore non afficeretur pars anterior, magis maneret sensus cum dispositione ad percipiendum aliqua obiecta, sed id non contingit, imò potiùs læduntur multò magis quàm motus: ergo patitur magis pars cerebri anterior.

CAPVT II.

De prognosticis, & cura Catochi.

Aëtius *capite proprio* Catochum scribit periculosiorem lethargo: id constat ex maiori potentiarum læsione, & totius corporis rigiditate, & tensione: contrarium verò ex Galeno colligitur, quia imbecilliores, & inæquales constituit lethargicorum pulsus; fortiores verò, & æquales in Catocho: Constat verò, maius malum esse, quod vim vitalem imbecillitat, & inæqualem reddit pulsum. Respondet Magister *lib.de loc.affect.c.vlt. disp. 11.* falsum esse, quòd à toto genere sit deterior pulsus inæqualis, nam æqualis potest habere ortum à deteriori causa, vt si ex debili facultate per essentiam nascatur, inæqualis verò ex instrumenti vitio, nam tunc erit melior inæqualis æquali: sed reuerà non plenè satisfacit dubio; cùm inæqualis non aliter possit esse melior, quàm quia potest dati cum robusta virtute per instrumenti vitium, sed in Catocho simul cum æqualitate datur virtus robusta ex Galeno: ergo ex hac parte colligitur minus periculum in Catocho, quod mihi videtur certum, non tamen ex aliis signis: nam sine dubio fortior, & æqualior percipitur pulsus in principio Apoplexiæ, quàm in pulmonia, aut lethargo, non tamen dicet ob id

id Apoplexiam esse affectionem leniorem, quia ex læsione maiori in sensibus, & in respiratione; ita in Catocho contingit, quod est intelligendum, comparando leuem Cathocum leui lethargo, & grauem graui; nam fortem lethargum grauiorem esse posse, quàm sit moderatus Catochus, nemo dubitat, vt fortis pulmonia deterior erit, quàm leuis lethargus, etsi hic ex affectus naturâ putetur deterior. Malum acutissimum, & rarissimum appellat Massarias: primum verum est; secundum minimè: nam non rarò accidit. Holerius *comment.* 2 *in* 2 *Coacarum, text.* 8. ita loquitur: *In multis, quæ ego vidi, paucissimi reualuerunt; quidam existimant nullum euadere, qui bis apprehensus fuerit; sed in secunda apprehensione animam agere; nos contrarium in duobus ægrotis experti sumus.* Ducoli verò Hippocrat. *in Coacis prænot.* motus conuulsiuos, si exacerbentur, Catochum inducere: quòd si stridor dentium superueniat Catocho, perniciosum est signum, quia ipsum ingrauescere innuit, & atram bilem in cerebrum rapi. Indè clarum agnoscitur periculum; quia Catochus rem fixam, & stabilem dicit; vnde difficilè euellitur: quod si contingat, vt putauit Iacotius, quia ob repletionem venarum, & arteriarum cerebri sanguis concrescit, vt in apoplexia notauit Hipp. quàm difficilis sit sanationis, liquet; nam nec fluit secta vena, & extracto sanguine ex corpore, magis gelascit, & concrescit. Vnde meritò dixit Eustachius quod si vehemens fuerit malum, sit incurabile, tepideque præsagit Hippoc. 7. *Aph. text.* 14. dicens: *Ex capitis ictu stupor, & desipientia malum*; nam non solùm est malum, sed extremè periculosum, meliusque diceres, lethale. Est morbus fallax, quia etsi liberentur semel, repetit inopinatè, vt Epilepsia: rarum est alui excrementa, & vrinam non supprimi, tum quia sensus deficiunt, & imperium, sine quibus eorum excrementorum expulsio non agitur. Ad quod accedit musculos, quibus celebrantur expulsiones, conuulsos, & rigidos esse. Hæc pericula leuiora erunt, vbi ex flatibus melancholicis originem traxerit, solet enim breuiter cadere, quod præsagiu maximè venit notandum.

Curatio huius mali variat nimis, prout ex hac, aut illa causa dependet. Vnde cùm tam validè replentur membranarum vasa, multam & breuem euacuationem requirit, antequam æger suffocetur, & sanguis concrescat ob suffocationem vitalium spirituum. Hoc intelligendum est, quando ex plenitudine nascitur, vt putauit Aetius. Quòd si tardè vocatus fuerit Medicus, diligenter inuestiget ægrotantis statum, nam si frigidus percipiatur, & suspicio sit, sanguinem concreuisse, pessimè operabitur sanguinem mittendo, quia aut non fluet, aut solùm extrahetur, quod tenuissimum fuerit, & spirituosum, maiori malo ægrotantis; quia quod cerebrum fatigat, indurabitur magis, & concrescet; oporter ergo priùs calefacere totum, & oleo amygdalarum, chamemelino, & anethino partem posteriorem capitis continuò fouere, vt liquetur sanguis, & secta vena extrahatur; Secanda communis, vel cephalica, si vrgeat malum, deindè vena frontis, aut nasi. Præterea hirudines affigendæ sunt post aures, & parti posteriori cerebri, & si melancholia vrgeat, & hemorrhoïdes consuetæ fuerint occlusæ, eisdem affigentur hirudines; sunt enim auxilium strenuum in hoc euentu. Si verò ex menstruorum defectu malum originetur, seruanda sunt quæ diximus in cura phrenitidis.

Quòd si melancholicus humor prædominans fuerit, non conuenit cessare à prædicto remedio; nam tanta cerebri repletio, & mali vrgentia difficilè moderabitur nisi secta vena: nam expurgatio ferè est impossibilis, fomenta resoluentia sarcinam tantam liquabunt, non verò absument; reddetur itaque desperatus mor-

A bus, si tam celebri auxilio priuetur. Quod sine ratione fecerunt Heurnius, & Eustachius; meliùs Massarias, qui moderatè sanguinem mittit, & abundè in plenitudine: est tamen non dubiè periclitandum in re tam vrgenti euacuando magis, præcipuè vbi aliud auxilium proportionatum tanto malo non datur in arte. Idem docent Holerius, & Rondeletius, & ante omnes Aetius.

Sic euacuato corpore, & ante euacuationem mollibus clysteribus excrementa alui eiiciuntur; deindè agendum acrioribus, vt in cura lethargi tradidimus; & in his maior spes curationis ponenda, quia expurgare non licet semper; tum recipiant discutientia flatus, hoc malum non parum fouentes. Non minus suppositoria conueniunt. Parantur clysteres ex deco-
B cto rumbræ, thymi, polegij, fumariæ, epithimi, polipodij, senæ, & ellebori nigri, cum aniso, cumino, fæniculo, cubebis, & lauri foliis: huius decocti libra sumetur, cui addenda erunt olei rutacei, & chamemeli, & amygdalarum dulcium ana ℥j. electuarij Hamech. ℥ß. hieræ, diacolocint. ʒij. mellis rosac. ℥ij. misce. Vbi flatus abundant, electuarium Indom maius, & de baccis lauri commendatur, & vbi mens fuerit trahere ex capite peccantem materiam, parabuntur clysteres sine oleis, hebetant nimirum vim expurgantium.

Suppositoria parantur sic. Recipe mellis puri ℥j. salis nitri ʒj. pulueris Cumini, & Castorei ana ʒß. hieræ diacolocinti ʒß. misce. Confert etiam perpetuò corpus fricare. Primò brachia, deindè dorsum, vlti-
C mò in cruribus, sic enim ex cerebro materia retrahitur ad inferiora. Oxirhodinum non est multi vsus, etsi ab aliquibos commendetur, quia fluit repentè materia, vt in Apoplexia, & ita tempus fluxionis est insensibile. Verùm si caput æstuauerit, attemperandum est illo, ne calore trahat immodicè.

Deindè fouendum caput, præcipuè postica pars oleis emollientibus, & resoluentibus; est enim difficillimum materiam terrestrem soluere, nisi priùs, aut simul emolliatur: quem vsum præstat inunctio cum oleo amygdalarum dulcium chamemali, rutaceo, & castorei. Rasis commendat oleum Sambucinum, ad quod nos oleum Iasminorum dicimus optimum esse, & huic addit parum euforbij: est etiam admiscen-
D dum castoreum, vt si dicatis olei iasminorum ℥ij. rutacei, & spicæ ana ℥ß. irini, ℥j. pulueris castorei, & euforbij ana ʒj. misce: Quia verò malum in posteriore parte viget, & medicamentis resistit tam validè vt intermedium, maiora resoluentia sæpe sunt necessaria, ex. gratia. Recipe olei irini, & iasminorum ana ℥jß. olei amygdalarum dulcium, & Castorei ana ʒß: æqua vitæ sæpius stillatæ ℥j Euforbij ʒß. sulphuris ʒj. fimi colombini ʒiij. misce: & cum linteo occiput depilatum continuò foueatur: Nec minus confert, si in oleo rutaceo incoquantur tymbra, hyssopus, Castoreum, Ammoniacum, Bdellium, Yris, Semen Angelicæ cum vino albo. Prosunt pulmones arietis recenter extracti super sparso capitali puluere thymbræ; Castorei, stecados, maioranæ, cariophilorum, squi-
E nanti, Macis, & euphorbij Scarificanda cucurbita in occipitio, & caustica spatulis applicanda occipitio, & applicanda reliqua resoluentia in capite de lethargo relata. Putauit Aetius per vrinam expurgari aliquando hoc malum; rara quidem est terminatio, sed non impossibilis naturæ, præcipuè dum cerebrum toti consentit: vndè præcipit, quòd si vrinæ fuerint crassæ, detur decoctum apij. & anethi.

Alimentum moderatissimum concedetur; nam hic morbus totus est accessio continua, acutissimus, & ex plenitudine pendens. Dignum tamen consideratione est, quod docet Aëtius, aquam esse aduersam Catocho; auget, inquit, inflammationem, & fluctuatio-

nes

nes facit, splenes excitat, & sitim non sedat, de cruda intellig ndum est,& nimis frigida. De cocta verò conuenit non dubiè, quia vinum in capitis morbis ex fluxione suspectum est, coquatur cinnamomo, semine anisi, vel fœniculi, vel corticibus citri, & cariophilis. Mulsam concedit Aëtius: qualiter verò inflammationes augeat, non capio, nisi prout frigore indurare potest humorem intelligatur, & sic non auget, sed extendit ad maius tempus, aut quia claudit poros, potest augere, detento enim, quod debebat resudari, tumor increscit.

Cessante verò fluxione, tutò concedetur vinum, quando materia melancholica causat Cathocum; resoluit enim cum vinum fortitudine, & sic laudatur à Galeno 3 *de causis sympto*m. & ab Auicenna, dum tradit medicamenta contra venena frigida, vinum conferre docet congelationi: sit autem vinum album mediocris virtutis.



DISPVTATIO VI.
De Caro.

CAPVT I.
De eius natura.

HANC soporosam passionem nunquam sub ratione Cari tradidit Auctor noster, sed vt referunt Auctores, naturam illius, & causas expressit *fen. 1. lib. 3. tract. 4 cap.1.* cuius titulus est, de Subeth, & somno. Tradens enim Auicenna in relato capite causas, & naturam somni contra naturam in communi (hunc enim significat Subeth apud Arabes,) recenset non dubiè causas omnes, quas Galenus Caro in locis diuersis attribuit. Dixit ergo Auic. *quòd Subeth est somnus contra naturam, superfluus, & grauis, cuius grauitas est in materia, & qualitate simul, ita vt spatium sit prolixius, & eius eleuatio fortior.* Hæc definitio non conuenit omni somno contra naturam, si rigorosè explicetur, quia non repugnat dari somnum prolixum, qui grauis non sit idem, à quo non liberetur æger, & tamen expergefiat facilè. Patet ex doctrina Gal. *2. Aphor. comm. 3.* vbi reprehendens putantes somnum nunquam esse malum, nec vt signum, nec vt causam, dicit: *Concedant rectè somnum longum nominari, quando tempore solùm excesserit modum naturæ conuenientem, & nondum habuerit difficilem expergefactionem.* Et ratio Gentilis id probat, quia potest materia tata vaporosa somnum causare prolixum, quia continua fit euaporatio illius ad cerebrum, & sic continuo hominem ad dormiendum inclinare, & propter raritatem materiæ, & tenuitatem à quolibet sensibili expergefieri hominem facilè. Solum ergo in definitione expressit Auicen. naturam somni profundi, & prolixi, ita vt Subeth tantum comprehendat somnum superfluum, & grauem simul; intelligens per superfluum, longum in duratione; & per grauem, profundiorem, quàm sit naturalis, ita vt sensibile, quod hunc hominem, dum secundùm naturam dormiebat, liberabat à somno: nullatenùs modo ad vigilandum inclinet, sed opus sit maiori, aut vehementiori irritatione, vt illud obiectum sentiat, quod est secundum illud obiectum vigilare. Communiter ergo definiunt Auctores Carum, prout distinguitur contra omnem aliam speciem somni contra naturam: *Quòd sit somnus profundus sine febre, & sine læsione respirationis, causa efficiente anteriores ventriculos cerebri magis cum resolutione imaginationis.*

A Vt intelligatur hæc definitio, notate, quòd somni contra naturam dantur multi gradus; quidã appellatur Cataphora; alius Coma, alius Incubus, seu Ephialtes, alius Lethargos, alius Vigil Coma, alius Catochus, alius Epilepsia, & alius Apoplexia. Nomine Comatis, & Cataphoræ intelligunt Auctores delationem in somnum à vaporibus tantùm causatam, non ab humore, & sic docent esse accidens febribus pituitosis supetueniens in cerebrum, effomantibus crassiores, & humidiores vapores, & sic appellant lethargi præludium, nam sæpe cerebrum illis impletur, & ibi refrigerati, densioresque redditi, lethargo præstant materiam. Si verò rigorosè velis Coma à Cataphora distinguere, videtur colligi ex Galeni doctrina iam citata *in comm. 3. lib. 2. Aphor.* cuius verba sunt: *Verùm isti à nobis*
B *discentes, quòd nondum Coma nominatur, nisi difficilè habuerit expergefactionem, concedant rectè somnum longum nominari, quando solùm tempore excesserit modum naturæ conuenientem, & nondum habuerit difficilem expergefactionem.* Dicetur ergo propriè Coma, quod difficilem habet expergefactionem à flatibus causatum. Cataphora verò somnus longior, à quo leuiter expergefiunt ægroti, vt inter somnos contra naturam Cataphora sit leuior: Secundum locum participat Coma: Tertium somnus Comatis vigilis: Quartum Lethargi: Quintum Cari: Sextum Catochi: Septimum Epilepsiæ: Octauum Apoplexiæ. Auctores sæpe confundunt Coma cum Cataphora, & è contra, vt hi duo somni leuiores sint reliquis, & semper ferè sine accidentia febrium pituitosarum, aut ex sanguine cru-
C diori, crasso, vel multo pendentium. Carus verò est somnus profundior iis duobus, & raiò sequitur febres, nisi caput vt focus existat: quod in quibusdam experimur, in quarum accessionibus in cerebrum mouetur materia cum summo periculo. Differt Carus à lethargo febris ratione, quia ex se nullo modo illam requirit, vt requirit lethargus, & docuit Gal. *3. Met. c. 21.* ita: *Ac noxij humoris, qui citra putredinem, & citra febres altos sopores inuehit, crassitudinem incidere, atque excalefacere: tales nimirum altos sopores, Apoplexias, & Caros, & Cathocos Græci vocant.*

Quia verò sæpe contingit, materiam putridam in vigore accessionum ad cerebrum mitti, & carum causare; ideò dixit Paulus *lib. 3. c. 9.* quòd febris Carum
D præcedit, & lethargus sequitur illam; nam lethargi materia necessariò tenetur putrescere, & ideò illam febrem necessariò sequitur, quia sine illa non constituitur, & ita præsupponitur febris vt pars essentialis lethargi.

Sed dices: Vt febris aliquando præcedit Carum, ita & lethargum, & non minus quàm Carus post febrem superuenit: ergo nullo modo in hoc differunt. Respondetur, quòd cùm lethargus necessariò febrem exposcat ad sui essentiam, rectè dicetur, quòd eam sequatur, quia sine illa non datur: at Carus non sequitur illam, etsi fiat aliquando post illam, quia non requirit febrem ex sua natura. Differt ergo Carus à lethargo ratione febris, & etiam quia est somnus profundior lethargo, vt docuit Gal. *2. Pror. comm. 29.* vbi
E carum appellat somnum profundum, & ægrè excitabilem, & inter Carum, & lethargum constituens discrimen, Aëtius dicebat: *Lethargici interrogati respondent, non omninò sine voce decumbunt: Verùm qui in Carum collapsi sunt, somno detinentur profundissimo, vt dum pununtur, sentiant quidem, non tamen loquantur, nec oculos aperiant.* Quod iis verbis dixerat Galenus loco citato: *Neque si stimules, aut clamites, vel ferias, non sentiunt.* Et si dicas, Aëtium manifestè contrariari Galeno, cùm hic asserat non sentire: Respondeo, quòd sentiunt non dubiè obiecta magna, non ita tamen vt loquantur, & expergefiant, *quia inexpugnabili dormiendi necessitate premuntur*: & hoc intellexit Galenus

pro

pro non sentire, ita vt loquantur, vel respondeant. Per illud verò quòd in Caro dormiunt laborantes sine læsione respirationis, differt ab Apoplexia, quia in hoc dormiunt præter naturam cum necessaria læsione respirationis, non verò in Caro.

De hoc signo est inter Medicos controuersia magna, quia Galenus sibi videtur oppositus: nam 4. *lib. de locis cap.* 2. apertè docet, sine læsione respirationis Carum existere, quod & in hoc capite docet Auicenna; probat enim anteriorem partem cerebri pati magis, quia respiratio in Caro manet incolumis. At verò Galenus *lib.* 5. *de locis, cap.* 1. docuit, in Apoplexia, Epilepsia, & sopore animal respirare, quasi thorax esset vinculis constrictus; quod etiam docuit *cap.* 7 *lib.* 4. *de locis.* Mihi videtur probabilior opinio Magistri nostri putantis in Caro aliquam læsionem esse in respiratione. In primis constat, in ea specie Cari causata ex nimia spirituum consumptione esse impossibile seruari secundùm naturam respirationem, quia in ea consumptione deficiunt vires animales sensitiuæ, & ideò dormiunt, quia repugnat ob defectum spirituum percipere obiecta naturali modo immutantia: Si ergo ita debilitantur potentiæ sensitiuæ, multò magis debilitabitur motiua, quia maiorē influxum requirit ad motum, quàm sentientes ad sensum. Et si non debilitetur facultas in tanta consumptione, necessariò vsus augetur, & ita erit respiratio magna, & crebra. Quod argumentum in doctrina Galeni magnam vim habere videtur, nam hæc duo vt certa supponit, dari nimirum vnam Cari speciem ea superflua consumptione spirituum, cuius occasione concidunt potentiæ, vt sensibilia communia percipere nequeant. Secundum est, requiri virtutem maiorem ad motum, quam ad sensum, quo fit vt si potentia sentiens concidat, repugnat non concidere magis motiuam.

Secundò, quia nullus negat plus multò pati cerebrum in Caro quàm in somno naturali; nam & maiorem esse somnum in Caro, quàm in Epilepsia, fatentur aliqui: ergo repugnat seruari illæsam respirationem, cùm in somno graui secundùm naturam quotidiè experiamur cum magna vi respirare dormientes.

Tertiò à priori, quia vbi est somnus profundior, requiritur obiectum nimis stimulans vt sentiatur. Patet clarè: quia obiecta quæ percipit aliquis in naturali somno, nullatenus percipit, dum lethargo laborat, quantò magis dum opprimitur Caro: ergo intensiora, & stimulantia magis requiruntur, vt potentiæ excitentur: ex quo claro assumpto argumentum conficio. In naturali somno respirat dormiens stimulatus ab aliquo obiecto tangibili, quo determinatur ad diuersos motus thoracis eliciendos; nam cùm sit motus liber, & diuersos motus eliciat, facultas imperata indiget aliquo determinante, (imaginatiò, aut æstimatiua;) vt hic motus ponatur, & non ille, fiat celerior modò, aut crebrior, quàm anteà: ergo obiectum quod determinat naturaliter dormientem ad compressionem, aut dilatationem Thoracis, tenetur, & debet crescere, vt determinet ad eosdem motus in laborantibus Caro, cùm in hoc tam vehementer sint ligatæ internæ potentiæ, & externæ. Sed quod stimulat, & determinat potentias omnes ad dilatationem naturalem, est incendium, & angustia Thoracis, quibus irritatur animal, vt respiret ad moderandum calorem, tollendamque molestiam suffocantium fuliginum, & defatigationis sensitiæ in motu, & compressione Thoracis: ergo illa crescere debent, vt Caro apprehensus sentiat obiecta ad respirationem determinantia; sed aucto calore, aut suffocantibus fuliginibus, necessariò mutatur vsus respirationis contra naturam: ergo & respiratio variabitur, & lædet contra naturam. Vndè constat, quòd si ratione obstructionis non deficiat virtus influens, vt magna eliciatur respiratio, fiet in Caro maior, quàm per na-

A turam; quia calor, & copia fuliginum crescit non dubiè ob sensuum stuporem. Si verò diminuatur virtus ratione obstructionis, vt satis non sit ad respirationem, clarius est lædi ob defectum virtutis, & fiet parua, celeris, & crebra contra naturam. Ex quo colligo contra Vallesium, quòd quamuis in Caro seruetur virtus influens in suo vigore, lædatur nihilominus respiratio sola ratione profundioris somni, & ratio adducta efficax est, si benè perpendatur.

Ad Auctoritates Galeni, & Auicen. optimè respondet Magister, non negasse aliquam læsionem in Caro, sed tantam, quantam in Apoplexia experimur, nam difficultas respirationis leuiorem speciem Apoplexiæ constituens, est superueniens in Caro: & quam difficultatem vt essentialem Carus exposcit, nequit Apo-
B plexiam, etsi leuem, constituere, vt indè constet, sine ratione putare aliquos Carum esse speciem Apoplexiæ, quia vt hæc habent adiunctam respirationem, difficilem certè, non quæuis respiratio difficilis Apoplexiam constituit, sed quæ periculum manifestum ob difficultatem respirandi inducit; nam omnis Apoplexia, etsi leuis, acutissima passio est, & cùm non includat periculum, nisi in quantum respirationem lædit, minor Apoplexia lædit magnopere: Carus verò non habet vt essentiale symptoma lædere respirationem cum periculo vitæ tam claro; & constat ex doctrina Gal. 5. *de locis affectis, c.* 1. dicentis: *Igitur ex quibus omnibus inuenimus, cur affecto cerebro in vehementi Apoplexia cor quoque lædatur ex eisdem: sed secundum alium modum causam quis inueniat, quamobrē in minori Apoplexia, Catalepsi Sopo-*
C *re, morbo comitiali, lethargo animal ita affectum non pereat, quippè videbis & violentam, & difficilem respirationē, perindè ac si vinculo quodā cōstrictus thorax attolli prohiberetur.* Vbi clarè distinguit Carū à minori Apoplexia, & in vtroque malo difficilem respirationem admittit.

Sed dicès, id esse contra Galen. nam 2. *Aphorism. comm.* 42. exponens sententiam Hippocratis dicentis: *soluere Apoplexiam fortem, impossibile, debilem verò non facile*, docet Apoplexiam leuem citò sanari, si omnia fiant, quæ sunt necessaria: At verò Carus non sanatur citò, cùm sit grauior affectio quàm lethargus, qui & difficillimè sanatur, & multos interficit. Carus ergo perniciosior videtur leui Apoplexia & per consequens fortis Apoplexiæ species erit; nam leuis non datur nisi
D vnica, ex Gal. *in comment. citati Aphorismi*. Respondeo, quòd non est idem sanari citò, & sanari facilè. Hippocrates enim de leui Apoplexia præsagit non esse facilis sanationis, Gal. verò dixit citò sanari, in quo non contrariatur Hippocrati. Nam certum est, omnem peracutam passionem, si sanari debet, esse faciendum citò, quia breuem habet terminationem, & ferè semper ad mortem, rarò tamen ad vitam. Vnde hæc cita, & breuis sanatio, quando euenit, efficitur cum maxima difficultate, quia perplura, & magna remedia requirit, quorum vim rarò non superat morbi acuties, & læsio. Tardioris ergo sanationis erit Carus, sed difficilioris, quàm Apoplexia leuis, quia per pauciora & minus efficacia auxilia, quia minùs lædit, & opprimit, estque non ita acutus morbus, vt Apople-
E xia leuis, in quo video conuenire omnes. Galenus enim 4. *de locis, c.* 2. Apoplexiam in communi describens, dicit: *Si verò adeò vehementer spirationem opprimat, vt quis vel magno conatu vix spirare possit, eorum exemplo qui per magnum somnum stertere solent, Apoplexia nominatur.* Constat verò, Carum statim in principio sui non lædere respirationem, ita vt magno conatu vix respirent ægrotantes: ergo læsio Apoplexiæ cuiusvis est maior, quàm quæ inuenitur in Caro.

Dicebatur etiam in definitione, pati cerebrum magis secundum anteriores partes, & ventriculos; nam illud esse læsum, non cadit sub dubio, & ratione somni profundi, & læsionis imaginationis, & aliarum potentiarū

restricnm. Pati verò plus secundum anteriorem partem, probat Auicenna in præsenti capite, ex læsione magna visus, & auditus, & est eadem in gustu & olfactu. Oiones verò hi sensus accipiunt neruos ex parte cerebri anteriore, ob quod facta fuit mollior quàm postica, quia sensibus magis inseruit, vt posterior motui. Dum verò dicimus plus pati partem anteriorem, clarè fatemur lædi simul & post.eam.

Probat vlterius Auicenna, quia si posterior pars esset magis læsa, contingeret læsio maior in motu, & in sensu tactus, quàm in sensibus dictis; quod est contra experientiam docentem plus lædi in Caro sensum visus, auditus, gustus, & olfactus, quàm motus respirationis, & sensus tactus, qui à parte posteriore neruos suscipiunt. Læduntur itaque pars anterior, & postica, sed illa magis: Verùm Carus non fit sine læsione substantiæ cerebri, vt malè putauit Vallesius *in comment.* 2. *cap.* 4. *lib. de locis*, quod clarè constat ex Galeni doctrina dicentis eodem capite: *Verùm in sopore, & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus. In Apoplexia corpus magis pati solet, atque in sopore anterior pars magis. In Apoplexia, & morbo comitiali vtraque laborat: In Catalepsi verò, & Catoche posteriora cerebri magis molestantur.* Quo loco clarissimè docet, in sopore pati magis corpus cerebri, quàm ventriculos. Nec ratio Vallesii est alicuius momenti: nam licèt rectè arguat, quòd si eodē modo pateretur in Caro substantia cerebri, læderetur respiratio in illo, sicut læditur in Apoplexia: supponit tamen malè, quòd si lædatur in Caro, debeat lædi tam grauiter vt in Apoplexia, quādo nec in Epilepsia ita opprimitur, vt in Apoplexia. Nec obstat, quòd Galenus asserat 4. *lib. citato*, totam partem anteriorem pati, & supremum ventrem ei consentire, vbi insinuat, non pati per se omnes ventriculos, & substantiam, sed ibi per consensum non intelligit aliquem ex duobus à Galeno relatis per priuationem alicuius requisiti, aut receptionem rei contra naturam: sed consentire est idem quòd simul lædi, quia repugnat totam partem anteriorem lædi ventriculo illæso, quia sub tota continetur ille.

Resolui imaginationem in Caro docuit Auicenna in præsenti capite, ex quo etiam probat plus pati partem anteriorem cerebri, quia in illa est, vt in peculiari sede, aut saltem viget magis in illa. Illud etiam docuit Galenus *lib. de diff. sympt. cap.* 3. dicendo: *Est alia veluti Paralysis, & resolutio, quam Græci Carum vocant, & Catalepsim.* Est autem intelligendum, quòd sit actio ablata, quantum ad communia obiecta, quæ in somno naturali sentiebantur; nam hæc non percipiet Caroticus, nisi intendantur, & acriùs potentias stimulent: Obiecta verò vehementiora sentiunt non dubiè, quia alioqui non respirarent, vt constat ex dictis.

Dixerunt verò Auctores, lædi imaginem ablatè; non quia aliæ internæ potentiæ non lædantur; læduntur nimirum omnes, quia secundùm substantiam, & ventriculos patitur cerebrum, vt diximus ex Galeno: & si vnica tantum pars læderetur, operarentur potentiæ reliquæ in aliis non læsis, & per consequens manifestarentur earum actiones, quod est contra experientiam; & Galenus 4. *de locis*, *cap.* 2. per insensibilitatem, & immobilitatem Carum in communi exponit dicendo: *Proinde qui ita laborat, nec sensus, nec motionis munere fungitur.* Et clarius 2. *de fracturis comment.* 21. ita: *Non enim solet cerebrum vbi inexpugnabili dormiendi necessitate prematur, eius vitio sensus duntaxat lædi, & motus, sed ratiocinatio, memoria, sensus, & motus voluntatis corrumpi.* Idem Aetius.

Sed dices: Quando Carus contingit propter compressionem partis anterioris, non læditur substantia, nec pars posterior. Similiter quando causatur Carus ex vehementi percussione musculorum temporalium:

A ergo malè diximus, corpus cerebri, & ventriculos pati. Respondeo quòd necessariò communicatur malum in omnibus dictis casibus substantiæ cerebri, & parti posteriori, si causatur hoc malum: nam compressa parte anteriori, comprimitur per continuitatem posterior; Et quando fit ictus, aut compressio, & percussio in musculis temporalibus, impellitur humor in ventriculo, & corpus cerebri, quia musculi illi neruos accipiunt ex 3. & 5. pari neruorum: sæpe verò ex magno dolore sine sensu, & motu iacent, aut impetu, extrusis spiritibus.

Diligenter tamen notabitis, quòd quando dicimus cum Galeno, pati magis partem anteriorem, non est intelligendus in ea specie Cari, quæ ex spirituum ingenti resolutione contingit; nam in illa omnes partes B pati possunt consumptionem æqualem, vt quando ex nimio dolore partis distentæ à cerebro consumptio causatur.

CAPVT II.

De causis Cari.

SOmnum profundum, quem Carum appellamus, ex pluribus causis, & morbis pendere docuit Galenus; 2. enim *de causis sympt. cap. vlt.* ad frigiditatem vehementem reducit hoc symptoma, dum dicit: *Quæ verò perfrigerant, nec somnum, nec indolentiam efficere rectè dicuntur, sed pro somno, Coma, & Carum: habet nimirum frigus innatum vim inducendi torporem in actio-* C *nibus omnibus, & partes mortificat*: hoc verò facit per se solum, quia & solum destruit vitalem, & innatum calorem. Si verò frigori copuletur humiditas: profundior somnus causatur, quia simul conspirant in eundem effectum: vt ergo ad vigiliam contra naturam primum locum participat calor, & secundum siccitas: ita ad somnum frigus participat primum locum, & secundum humiditas: quod in capite de Subeth tradidit expressè Auicenna, & ante illum docuit Galenus, & experimentum monstrat, etsi id nullus doceret; frigus enim rigida, immobilia, stupidaque reddit membra citissimè, quod non facit humiditas, nisi tardè, & maiori difficultate. Nec obstat, quòd Galenus 2. *Aphor. comment.* 3. dicat, quòd refrigeratio cùm fortis fuerit, mixta quidem humiditate facit le- D thargicas passiones, vbi insinuat forte frigus sine copula humiditatis lethargum causare non posse, & per consequens nec Carum, cùm sit intensior somnus. Respondeo aduertendo primò, quòd ibi per lethargicas passiones intelligit Galenus omnes soporiferas, & non solùm lethargo debitam. Dico ergo, quòd quando docet, forte frigus mixtum humiditati facere passiones lethargicas, non est intelligendum, quod si solum frigus magnum consisteret, non induceret seorsum somnum profundum, sed solùm tradit quod necessariò contingit; nam ex causis internis lethargicas passiones causantibus non datur forte frigus sine admixtione humiditatis, & ideò simul contingit vtramque qualitatem, quia fortè frigus non datur nisi in pituita, quæ humida etiam est.

E Quomodo verò frigus causet somnum contra naturam, & Carum, explicatur facilè, nam in primis occludit vias, per quas communicantur animales, & vitales spiritus, & per eandem densitatem per quam vias, & poros occludit, tollit quod ab interno principio cerebri emanet qualitas, sine qua sensus, & motus non fiunt; nam non occludit vias sine densitate, & propria substantia primò acquisita. Densitas verò est indispositio qualitatis communicandæ à spiritu, & influxus producendi ab interno principio cerebri: incrassat etiam spiritus ipsos, indeque pigros, & incapaces reddit, vt distribuantur benè, & sic non succedit

nouus

nouus spiritus in partes, & per consequens cessant à motu, & sensu, quia cùm perpetuò resoluatur spirituosa substantia, indigent partes continua transmissione, & hanc impedit frigus, densando spiritus, & occludendo vias, quas causas obscuris verbis refert Auicenna in hoc capite, fortasse sententia quæ incipit, *Et instrumenta adipiscuntur frigus inconueniens penetrationi spiritus.*

Humiditas verò conducit ad somnum contra naturam; primò, quia laxando instrumenta, partes eorum concidunt in se, & sic tolluntur cauitates, & pori, per quos distribuuntur spiritus in sensoria, ponitque simile impedimentum ac frigus, densando; requirunt nimirum cauitates, & ponè certam firmitudinem partium constituentium latera ipsorum: hanc verò amittunt laxitæ humiditate superflua. Addit Auicenna, quòd humiditas contra naturam non solùm conducit ad Carum, quia instrumenta laxat, & viæ occluduntur; *sed etiam quia spiritus ingrossatur, & perturbatur.*

Magister noster *lib. de locis, disp. 4. cap. vltimo. ad finem*, non potuit capere, qua ratione humiditas, prout qualitas est, turbidum reddat spiritum. & grossum, cùm constet, inquit, ex Aristot. 2. *de generatione, cap. 2.* humiditatem attenuare, sicut & densare siccitatem. Videtur autem contrariorum ratio contraria. Vnde carpit Gentilem *in comment. huius loci*, quia docebat, humiditatem turbidum reddere spiritum, quia proprium est humidi turbare. Contra (inquit Magister) quia nec aqua, neque aëre turbida fiunt ob humiditatem. Vnde dicit, quòd nullo modo sit intelligendus Auicenna de qualitate humida, sed de corpore humido; nam quia huic permiscetur substantia spirituosa, incrassantur impropriè spiritus quantum ad apparentiam solùm, & confusionem, vt quando aqua permiscetur terræ, crassior apparet, etsi reuerà crassior non fit.

Hæc explicatio mihi non probatur, quia si attentè legatur Auicenna, per eandem humiditatem, per quam partes laxantur, docet, substantiam spiritus incrassari: Verba sunt. *Et quando quod accidit propter causam humectantem instrumenta, & perturbantem substantiam spiritus* Et inferius: *Quando substantia spiritus ipsius tam est ingrossata, & perturbata.* Secundò, quia incrassare spiritus propter permixtionem, non est solius substantiæ humidæ, sed cuiusque alterius crassæ, vt constat: ergo nil peculiare traderet de humida. Tertiò, quia humiditas extrinseca somnum inducit eodem modo atque intrinseca causa; extrinseca verò non permiscetur cum spiritu, vt incrasset illum, vt patet, quando aër humidior ad somnum inclinat.

Ob id mihi videtur probabilissimum, humiditatem ex accidenti densare spiritus impropriè, & incrassare: nam sicut partes concidunt in sese nimium humectatæ; ita partes spirituum vniuntur magis in se, & concidunt, sicque incrassantur & corpulentiores fiunt. Nec obstat, decidentiam partium esse affectum grauitatis, partes verò spiritus (sicut nec ille,) non grauitant, & sic quamuis humectentur contra naturam, non vniri, nec concidere. Respondeo, quòd grauitant contra naturam, vt humectantur, præterquam quod qui fiunt de nouo, dum cerebrum humiditate distemperatur, producuntur minus mobiles & facientes minorem impetum, & sic non participant agilitatem natiuam, qua indigent, vt promptè distribuantur ad sensoria. Idem contingit in iam genitis, dum contra naturam humectantur, nam tenuitas, & raritas, & leuitas qualitatæ natiuæ spiritibus determinatum calorem, & humiditatem requirunt, & aucta humiditate possunt non produci in ea intensione, sicut non producuntur tam agiles, quando frigida

A distemperies datur in cerebro. Docet enim experimentum, corpora frigidiora agiliora esse, & siccos spiritus exhalari facilius, ac per consequens humiditate nimia minus mobiles, & resolubiles esse, non quidem per alterationem extraneam, sed ratione motus.

Secunda causa Cari est obstructio cerebri, & ventriculorum ab humore crasso, aut vaporibus multis; quod sub dubio non cadit; nam si Apoplexia à flatibus fieri potest, facilius Carus fiet. Id docet Galenus 4. *de locis, cap. 2.* quantum ad humorem crassum; & cùm quilibet obstruere possit, à quolibet excitabitur, vt *cap. de lethargo* diximus: Conuenit ergo, Carum & Apoplexiam tantum differre secundum magis, & minus, indèque à similibus causis originantur. Auicenna verò ita loquitur: *Et quandoque fit propter*

B *malitiam humorum, & vaporum ascendentium ad interius cerebrum ab stomacho, aut Pulmone in ægritudinibus suis, & reliquis membris; & quandoque fit ex multitudine vermium & ascaridum.* Constat verò somnum hunc pendere ex morbo compositionis pertinentis ad cauitatem impeditam.

Tertia causa Cari est, quando ventriculi, & cerebrum comprimuntur ab osse Cranei. Ita Galenus loco citato, dicens: *Quemadmodum autem inter perforandum cùm quis incautè premens meningophilace, & meningem plus iusto compresserit, Carus fit ita, vbi os Caluariæ vehementer attritum, ipsius ventriculos comprimat, maximè quod medium stupor superuenire potest.* Quam sententiam transtulit Auicenna *in hoc cap. text.* qui incipit: *Et quandoque fit ex coarctatione cerebri ipsius sub*

C *osse Cranei, &c.* Constat autem esse morbum conformationis, & somnum causari impedito transitu spirituum, & compressa, detentaque substantia cerebri ab osse Cranei. Addit Valles, cerebrum non moueri motu dilatationis, & compressionis, & ita suffocari spiritus genitos, & qui fiunt de nouo, nam motus illi aguntur per spatium inter tenuem meningem, & crassam, quod deficit, quando Craneum versus interiora frangitur, quod probabiliter dicitur Notabitis tamen diligenter, quòd semel compressa substantia cerebri, non influit in neruos, vt sensus, & ita dormit contra naturam ægrotans. Vnde videtur probabilissimum sine vitio ventriculorum Carum fieri posse, & quando Galenus docet, Carum excitari ex compressione ventriculorum, non est intelligendum, quod id

D sit necessarium, sed tantùm adducit exemplum magnæ compressionis vsque ad ventriculos pertingentis, ex qua necessariò Carus resultat.

Tandem docet Galenus, Carum excitari propter resolutionem nimiam animalium spirituum ex ingenti dolore. Verba sunt: *Tum etiam ad vehementes dolores hæc passio sequitur, concidente scilicet robore animalis spiritus.* Auicenna *in hoc cap.* ita loquitur: *Et quandoque fit propter vehementem debilitatem spiritus, & resolutionem spiritus; & quandoque fit propter vehementem dolorem percussionis euenientis lacertis temporis.* Diminuitur aut deficere sensum, & motum in magno dispendio spirituum, ac per consequens magno somno opprimitur, cui nimis resoluuntur spiritus ex quauis occasione. In quo euentu symptoma somni dependet

E immediatè ex spirituum defectu: hic verò constituit symptoma in iis quæ contra naturam excernuntur; morbi verò ratio non potest esse vna, quia spirituum dissipatio ex multis pendere potest, vt constat.

Est autem duplex dubium circa præsentem somnum. Primum, ob quam causam in doloribus deficiant spiritus? Secundum, an cessatio sensus, & motus ex præcisa spirituum resolutione verè sit dicenda soporosa passio, & somnus contra naturam? Primum absoluit Magister *lib. de locis, disp. 12. cap. 3.* dicit enim ex doctrina Galeni 5. *Aphor. 54.* moueri à natura sanguinem, & spiritum in dolentem partem, vt ista me-

diis illis superet causam inferentem dolorem; & quia impetu magno mittuntur, rarefiunt spiritus, & sic maiorem calorem concipiunt, hoc est, crescente calore, augetur dispositio incompossibilis cum forma spirituum: inde corrumpuntur, & sic infrigidatur corpus, & immotum, insensibileque manet, & dormiens contra naturam. Sic enim Auicenna noster caput peculiare dicauit febri diariæ ex dolore. Vnde constat ratione illius spiritus inflammari. Et *fen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 22.* docet, quòd dolor in primis calefacit membra, & posteà infrigidat propter illud quod resoluit de spiritu, & vita idem tradit *fen. 2. lib. 1. doctr. 3. cap. 26.* dum recenset differentias Pulsus doloris proprias, dicens: *Et dolor quidem, cùm in sui principio fuerit, facit virtutem ebullire, & mouebit ipsam ad resistendum, & inflammabit caliditatem: fiet ergo Pulsus magnus, & velox, & maioris spissitudinis.*

Hæc doctrina patitur non leues difficultates. Primò, quia idem Magister non admittit in parte naturali doctrinam Galeni, imò illam vituperat. Secundò, quia sæpè, imò & frequenter contingit ratione doloris exsolui virtutem, & non esse aliquod signum transmissionis spirituum, & sanguinis in partem dolentem: nam si resolutio contingeret ob nimiam raritatem causantem calorem resoluentem, semper præcederent signa caloris contra naturam, antequam animo linqueretur æger, & caderet in somnum profundum, quod est contra experimentum. Vlterius, cùm non tantum mittantur spiritus, vt Galeni doctrina, sed & sanguis, nullus daretur dolor exsoluens virtutem, in quo non esset inflammatio in parte dolente, aut in viis intermediis: patet, quia simul cum spiritu mittitur sanguis. Quòd si dicatis, non semper mitti, quia non semper potest natura; contrà est quia sequeretur in dolore, in quo natura est impotens, non resolui virtutem, nec deficere, quod est chimæricum. Tertiò, quia experimentum docet, aliquando tam celeriter exsolui virtutem ratione doloris, vt præueniat exsolutio motum quemcumque; nam motus causans raritatem, & inde calorem, & exsolutionem, debet esse in multo spiritu, & per nimium tempus, vt constat in immoderato exercitio: illud verò non fit in tam breui tempore, in quo experimur statim animo linqui ægrotantem. Vlterius, quia esset manifesta sensatio in itinere, quando impetu mouentur spiritus, & sanguis in vehementi dolore, quod in omni resoluente non experimur.

Nobis videtur in proposita difficultate, esse in dolore plurimas causas resolutionis spiritus, ita vt sit impertinens ad prædictum affectum, mittere naturam in partem dolentem sanguinem, & spiritum; quod an sit verum, non contendo modò. In primis est certum, omnem dolentem esse in agonia constitutum, & per consequens moueri spiritus, vt in hac animæ passione docet Galenus *2. de caus. symptom. cap. 5.* non enim existimo, agoniam esse passionem compositam ex timore, & ira tantummodo; vt ibi putat Galenus, sed habere compositam naturam ex timore, aut tristitia & ex alia passione in motu spirituum, & sanguinis, tristitiæ, aut timori contraria; vt quando est timor cum spe aliqua euadendi à malo, quod animam fatigat; aut quando aliquis pugnans cum alio timet inimicum, & ex alia parte mentem solicitat, & media requirit quibus ab imminenti periculo liberetur, etsi ira quæuis deficiat, nulla nimirum ira fatigat desiderantem fugere obiectum præsens, à quo periculum imminet, vt qui videret taurum iam inuadentē proximè, cum timore nimio requireret media, & animum solicitaret, vt ab eo liberaretur periculo: hic non dubiè in agonia esset, etsi nullo modo irasceretur: ita contingit in dolore vehementi; tristatur enim homo, & simul timet doloris immanitatem, & molestiam associatam periculo; con-A cipit tamen spem euadendi, & mente solicitat animum, vt media requirens, quibus euadat, sic inæqualiter, & perturbatione mouentur spiritus, & sanguis, tum intra, tum extra; sicque agitati incalescunt partim, partim verò suffocantur, partim resoluuntur vi impetuosæ motionis ad extra, sicque mille modis deficiunt. Accedit alia fortissima causa resolutionis, scilicet vigilia intensa, & diù durans, nam dolor tam validus intensè, & nimium vigilare facit. Constat verò magnam vigiliam vehementer absumere spiritus. His accedunt vociferatio, & anxietas cum motionis multitudine, quibus assiduè virtus labefacit: iis itaque omnibus virtus labefacit, & exsoluitur sub doloribus magnis. Vnde liquidò constat, impertinenter attribui motioni spirituum in partem dolentem, cuius non semper sunt signa, etsi B semper virtus deficiat. Galenus verò 2. *lib. Prognost. comment.* 10. docuit, quòd in doloribus & partes principes, & reliquæ seipsas contrahunt, & inde vitalis spiritus intrò inclusus cum partibus suffocatur, & perit. Valles. *in comment. huius loci*, inquit: Dolor & absumit multos spiritus, & eos, qui supersunt, cogit externa destituere. Quare dolor, qui subitò virtutem deiicit, id facit retractis spiritibus intrò motu violento, & sic eos suffocat. Habet se dolor, vt aliud quodvis obiectum subitò, & inopinatè perceptum, vt magnus sonus, aut figura horribilis: Eodem enim modo inopinatus, & magnus dolor immutat, & sic primò timorem magnum incutit.

Secundum dubium est difficilius. Ad quod respondeo breuiter, nullo modo esse dicendum somnum con-C tra naturam, quando deficiunt animales actiones propter nimiam spirituum consumptionem. Ratio est, quia hæc affectio est formaliter animi deliquium. Vnde sicut istud non dicitur propriè somnus contra naturam, sicut nec syncope, ita quando deficiunt animales actiones ob resolutionem nimiam spirituum, non dicitur homo dormiens contra naturam. Ratio à priori est, quia vt dicatur somnus aliqua passio, debet poni in cerebro, & ventriculis peculiare obstaculum, & in cauitatibus reliquis, ratione cuius non distribuuntur ad organa animales spiritus, & quia quando deteriuntur animalis, & sentiens facultas ratione doloris, non obstruuntur viæ, nec ponitur aliquod impedimentum in illis; ideò non dicuntur D ita affecti dormientes. Et constat, quia ab omnibus Auctoribus ponitur dolor inter causas deliquii, & non est alius modus causandi illud, quàm resoluendo spiritus; & ita aut deliquium est dicendum soporosa passio, quod nullus dixit, aut nullo modo est concedenda Cari species ex præcisa consumptione spirituum. Galenus verò, & Auicenna propter similitudinem in actionum læsione prædictam consumptionem inter causas somni contra naturam enumerant, quia vt in somno contra naturam ob peculiare impedimentum cerebri priuantur ægroti sensu, & motu, ita similiter læduntur, vt in vehementi dolore, quando superfluè resoluitur spiritus; & ita non quæuis priuatio contra naturam in sensu, & motu est appellanda somnus, sed illa solùm, quæ ex impedimento ce-E rebri originatur, ita vt somnum contra naturam semper præcedat obstructio, compressio, aut decidentia cerebri, & ventriculorum. Nec acquiesco doctrinæ Magistri nostri *lib. de locis affect. cap. 2. disp. 48.* putantis, defectum sensuum, & motus ex obstructione Carotidum esse Apoplexiam per consensum, & somnum contra naturam. Ratio est, quia si non est necessarium obstrui cerebrum, vt somnus fit, eodem modo diceretur apoplecticus, si obstructio esset in trunco magnæ arteriæ, & impediretur ascensus vitalis spiritus, vt esset materia animalium, quod nullus dixit: patet, quia non minus est via ascensus sicut vasa Carotida. Dicuntur

ergo

ergo ita affecti apoplectici ob similitudinem, quia incidunt in similia symptomata, non tamen sunt tales reuera, quia non habet cerebrum impedimentum in se, sed solum est in via intermedia: & sicut qui linquuntur animo ob dolorem, in opinione Magistri, non dicuntur dormire contra naturam, quia propter priuationem sensus, & motus adest dolor contra naturam, significans non deficere impedimentum cerebri, sed ab alia causa; ita etsi contingat similis priuatio, & difficultas respirandi atque in Apoplexia, quando obstruuntur vasa Carotida, non est Apoplexia vera, quia ex peculiari affectu vasorum constat non esse impedimentum in cerebro, sed in transitu spirituum inter illud, & cor.

Sed rursus obijcit sibi Magister: Finis somni est reparatio spirituum deperditorum in vigilia, & quando vigilia est naturalis, retrahuntur spiritus à cerebro, vt somnus naturalis fiat, & impediatur simul maior dissipatio spirituum, & reparentur de nouo: ergo quando consumuntur à causa contra naturam, retrahentur qui remanent, & ita erit somnus contra naturam, quia ex dissipatione violenta retrahuntur. Respondet, quòd ad hoc quòd ponatur aliquis effectus, non est satis finis præsentia, sed sunt necessaria reliqua, & ita quamuis ex illa dissipatione sit finis somni præsens, non ob id est existimandum esse somnum, nam præter finem requiritur ad somnum contra naturam, quòd sit impedimentum in cerebro. Hæc doctrina in eius opinione non soluit dubium; nam *disp.* 4. *cap.* 4. expressè docet, somnum naturalem causari per solum retrocessum spirituum animalium ad cerebrum, etsi nulla causa naturalis impediens, aut obstruens in illo detur: ergo ad somnum contra naturam non requiretur in eius opinione impedimentum illud, sed satis erit retractio spirituum ob consumptionem contra naturam. Patet, quia somnus naturalis, & contra naturam solùm differunt secundùm magis, & minus. Vnde cùm in animi deliquio fateatur hic Auctor, dari retrocessum spirituum animalium ad cerebrum, dabitur somnus contra naturam. Nec est minus difficile in doctrina Magistri, qualiter qui in deliquium inciderunt ea vehementia doloris, distinguantur à verè dormientibus propter dolorem; nam hunc adesse, quando lincti sunt animo, falsum est: ergo si accederet Medicus sine cognitione doloris antecedentis, implicaret distinguere somnum verum à deliquio illo.

Et si inquiratis, qua ratione sit soluendum dubium propositum à Magistro in opinione illius, & affirmantium dari somnum ea sola retractione. Videtur enim in hoc opinandi modo, necessariò dari somnum in omni deliquio, & quando ea doloris vehementia deficiunt spiritus ad motum, & sensum similiter. Sed respondeo, quòd animi deliquium non est formaliter somnus, quia vt talis sit, debet causari actionum cessatio, aut ab impedimento aliquo impediente distributionem naturalis spiritus, aut ex retrocessu eorum à natura; neutrum verò datur in deliquio animi formaliter. Ratio est, quia deliquium tantum dicit actionum ablationem ea præcisa consumptione spirituum, & ita excludit ad sui formalitatem, quòd præcedat obstructio in cerebro, aut retrahantur à natura animales spiritus. Somnus verò non datur sine aliquo ex his. Itaque in hac opinione Magistri, si in timore magno retrahantur spiritus animales in cerebrum, vt vitalis ad cor, & vires animales deficiunt, mihi non est dubium esse illud deliquium somnum contra naturam, quia cessant actiones ob retractionem contra naturam violentam, ex causa præcathartica originatam; nam sicut retractio naturalis causat naturalem somnum, ita retractio contra naturam efficiet morbosum. Itaque subita illa animalium actio-

A num cessatio, immediatè sequuta ad violentum retrocessum spirituum, erit somnus contra naturam in opinione Magistri. Si verò facto magno retrocessu sequitur spirituum suffocatio, & noua debilitas, hæc erit deliquium formaliter complicatum cum somno morboso, quia maior illa debilitas non sequitur immediatè retractionem, sed consumptionem, & ideo non est somnus, sed deliquium.

Est ergo facillima ex dictis Cari cognitio; nam æger profundè dormit sine febre, & sine magna læsione in respiratione. Interni sensus patiuntur abolitam actionem, imaginatio præsertim, vt Galenus docuit. Si quis ergo Caroticos tetigerit, nullo modo sentiunt, & in ordine ad hæc obiecta moderatè applicata dicuntur pati ablatas actiones; maiora verò sen-

B tiunt, vt sentiunt apoplectici. Quando ergo Galenus dixit 4. *de locis*, *cap.* 2. *qui ita affectus est, nec motionis, nec sensus munere fungitur*, intelligendus est de obiectis communibus, quæ per somnum naturalem sensus mouent, nam respectu istorum habent Carotici ablatam actionem. Si verò acriùs pungantur, sentiunt, vt sentiunt etiam obiecta, quibus ad respirandum mouentur. Supinè decumbunt, ore hiant, cum perpetua oculorum clausione, nullo modo ad interrogata respondent, vrina, & alui excrementa raro non supprimuntur ob aduertentiæ defectum, cuius ratione sordes illas deponunt in lectulo, dum irritantur nimis.

C

CAPVT III.

De Prognosticis Cari.

CArotici, vt refert Heurnius, tacito, feroci tamen exitio conficiuntur. Desperatus Carus ex Cranei fractura genitus, nec minus exitiosus qui in accessionum principio translata materia in cerebrum causatur, nam oppressione fatigat, distemperie febrili vires deiicit, & summam naturæ depræuationem arguit; quæ cùm deberet in partes sentientes extra vasa, aut ad extremitates ipsorum propulsare morbi materiam, extremo peccato, & errore in cerebrum partem tam nobilem pellit, vt procurans se exonerare à minori malo, grauiorem generet, & exitiosam per-

D mutationem faciat. Satisque constat huius mali pernities, cùm nesciat augeri absque transitu in Apoplexiam, vt non sine ratione quilibet Carus incipiens Apoplexia dicatur. Ex ebrietate genitus indifferens est, quia à causa externa, & humiditate non aliena, sed vtili, & fixam in cerebro molestiam non arguit, intra diem cessare solet spontè, vt soluuntur crapulæ, & reliqua vitia à causis externis pendentia. Sæpè verò in Apoplexiam transit, & interficit conuulsione, Dixit enim Hippocrat. *lib.* 5. *Aphor. text.* 5. *Si quispiam ebrius repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluentur crapula, vocem recuperet.* Et 2. de morbis ita reliquit scriptum: *Si quis ex ebrietate voce priuetur, & statim febris ipsum corripiat, saluus fit. Si verò non corri-*

E *puerit, die tertia moritur.* In Coacis prænotionibus *fol.* 275. ita scripsit: *Dolor capitis soporosus cum grauitate aliquid conuulsionis innuebit: cerebrum enim oneratum arguit tria symptomata, dolor, sopor, & grauitas.* Vnde non mirum timere conuulsionem primo neruorum principio patiente.

Contradictio inuenitur in duobus Hippocratis locis, nam in *Coacis prænot. fol.* 280. ita loquitur: *Sopor vbique malus.* At 1. *Prorrhet. text.* 29. loquitur dicendo, *Sopor an vbique malus?* In primo textu loquitur de morboso; in secundo de sopore in communi: hic verò non semper est malus, vt *in comment. Prorrhet.*

doctè explicuit Galenus; nam somnus ex crapula non semper est malus (idest) periculosus. Præterea post longam vigiliam somnus profundus nihil habet periculi, sed summe vtilis est: *Sæpius quoque* (inquit Galenus.) *& infantibus somnum eiusmodi supervenientem non vno die solùm, veriùm quoque & duobus ex ordine diebus magno ipsis fuisse commodo conspexi.* Est ergo opus distinctione, vt Medicus de somno profundo præsagium ferat. Carus genitus esu fungorum, aut multitudine alimenti crassioris, vt ex esu nimio vuarum recentium, idem habet præsagium, aut indifferentiam, quam Carus ex Crapula. Sed ex narcoticis medicamentis periculosus est magis, quia extra humiditatem aliquid habet adiunctum veneni, fitque magis caloris mortificatione, quàm oppressione.

CAPVT IV.

De curatione Cari.

Ex dictis in curationibus lethargi, & vigilis Comatis, & Catalepsis, satis liquidò patet soporis medela. Habet enim similes indicationes, præterquã febris, qua priuatur in propria essentia. Inde putauit Aëtius similia conuenire atque in lethargo remedia, acriora tamen, & calidiora, magisque attenuantia, quæ in lethargo suspecta erant aliquibus; ratione febrilis caliditatis est intelligenda doctrina, si à pituita Carus causetur, nam de hac causa præcipuè loquuntur Auctores. Quia verò nos posuimus à quouis humore fieri posse, varianda curatio, vt fuerit humoris conditio. Si à melancholia pendeat, non differt curatio à Catalepsis medela: Si à pituita sola sine putredine, curatio fit sine missione sanguinis, nisi admixta sanguini videatur. Tunc enim leui euacuatione facta, clysteres acres iniiciendi; purgandum corpus; deinde cerebrum, per palatum, per nares, & commissuras; applicanda cauteria, vesicantia, & sinapismata, de quibus abundè diximus *cap. de letharga.* Sic ligaturæ molestæ continuæ erunt, crurum frictiones asperæ, & brachiorum, & dursi summè conferunt, & capiti applicanda, quæ à proprietate dicuntur conferre, vt somnus auferatur, inter quæ esum nasturcij Rondeletius extollit *lib. 2. Pathol. cap.* 2. & Fernelium sugillat, quia putauit somniferum esse. Pituitosam materiam resoluit Heurnius. Si capiti raso applicetur decoctum lauri, maioranæ, camemali, stechados ex lixiuio, exsiccato foto, calido linteo caput fricat oleo rutaceo, cui adiiciatur castoreum, deinde superaspergatur hic puluis. Recipe capillorum humanorum combustorum ℥. j. castorei ʒ. ij. succo rutæ excipiantur, & pars capitis antica, & postica illiniantur, odore etiam pilorum humanorum, qui aceto macerati soporem extirpant, si super prunas iniecti fumum in nares emittunt. De his abundè diximus in curatione lethargi. Pillulæ tamen castorei in aqua mulsa solutæ, & naribus inditæ, mirabiles sunt ad extrahendam pituitam per nares.

Si ex sanguinis copia somnus causetur, venam secant Auctores cum Auicenna in cura Bubeth: hîc magna euacuatio conuenit, præcipuè si ex aliqua euacuatione suppressa originem trahat, aut ex ingluuie non solita. Secat Auicenna Cephalicam. Cruribus cucurbitas scarificatas apponit, & ex talo sanguinem mittit; quod intelligit Iacobus, si magna sit plenitudo, vt tota ad inferiora auocetur; tenuem cibum commendat, qui tortefactus sit, vt ita exsiccans magis reddatur, in quem finem acetosa commendat; exsiccant enim validè sine calefactione, sic somnum inhibent, & obstant simul putredini sanguinis, cui maximè resistendum, quia inculcatus putrescit facillimè, & eueniet Phrenitis. Caput exsiccandum similiter cum repulsione in principio, deinde secanda vena frontis, aut nasi, si opus fuerit, aut apponendæ hirudines turgentibus venis præcipuè: rarò non sedatur hîc somnus benè euacuato corpore intra quartum diem, vt testatur Galenus *in comment. 1. in 1. Prorrhet.* dicens, *Quarta verò die copia iam imminuta, & præsertim si Medicus eam euacuare præuerterit, atque acrimonia cocta, desinere vtrumque symptoma, tum coma, tum vigilias par est.*

Si à vehementi frigore externo, aut humiditate causetur sopor, curatur vsu theriacæ, mithridati, diamosci, anacardina confectione, & lotione capitis, cum decocto saluiæ, stechados, betonicæ, camemali, iunci odorati, schenanti, & rutæ in vino albo generoso, aut ex lotione aquæ vitæ in qua theriaca antiqua dissoluatur, aut inunctione cum oleis rutæ, Camemali, Angelicæ, cum modico aquæ vitæ. Ex eisdem simplicibus parantur pulueres cum caryophillis & diambra, & inter lintea intertexti commodè applicantur capiti, si prius igni incalescant. Quæ etiam conuenient, si à venenoso frigido, aut medicamento extinguente calorem sopor dependeat. Conferuntque in hoc casu præter proprij antidoti exhibitionem, aqua instillatitia theriacæ cum pulegio, origano, ænula, succo rutæ, & fœniculi semine. Si prius in aqua vitæ maduerint simplicia, & si adiiciatur castoreum, efficacior reddetur. Eadem conueniunt, si ex esu alimenti praui causetur, dummodo prius vomitu, clysteribus & leniente dato medicamento, quod ventriculum, & primam regionem molestabat, extrahatur: reliqua auxilia petenda ex curatione lethargi, aut Apoplexiæ, ne quæ in eandem curationem incidunt, sæpius repetantur.

Maius negotium nobis affert Carus in accessionibus febrium obortus, præsertim si natura non vapores, sed ipsum humorem transmittat in cerebrum. Discutitur enim difficillimè, & facilè inde in Apoplexiam mutatur. Docuit verò Ludouicus Mercado, tripliciter contingere somnum profundum in febribus. Primò, quia, vt diximus, natura mittat in cerebrum partem materiæ febrilis, siue in humoris formam, & crassitiem, siue in formam vaporis. Secundò, quia febris fit biliosa, & abundent succi crudi intra vasa, qui ex bilis incendio in flatus crudos, & crassos, lentósque mutentur, sicque onerent cerebrum, & Carum proprissimum generent, quia vapores illi ex crudis succis eleuati, non sunt materia febris, nec conceperunt calorem in facto, & ita separati à loco feruoris, reducunt se in antiquam naturam, & cerebrum humectant, infrigidant, & obstruunt. Tertiò, quia æger habet catarrhosum, & humidum cerebrum; fit verò incendium febrile tale, quod liquet, & non resoluat crudos cerebri humores, indéque liquati, & non resoluti maiorem occupent locum, vt occupat omne corpus rarefactum, & liquatum de nouo, vnde repleantur cauitates, quæ manebant reclusæ, permanente humore sub natiua crassitie.

De duobus primis loquitur Auicenna, dum dicit *fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 3. In eo autem qui fit in febribus, & in principio periodorum, oportet vt incipiat à ligatione extremitatum, & à motu sternutationum assiduè, & odoramenta aceti & vaporis eius, & vnctione capitis cum oleo rosaceo, & aceto plurimo aut aqua agresta, granati, aut stipticorum.* Hanc doctrinam sequutus Eustachius *lib. 1. cap. 11.* ℥. j. olei rosacei admiscet ℥. iij. aceti. Contrarium sine ratione putat Holerius *lib. 1. c. 8.* Minus enim aceti permiscet communi oxirrhodino, quàm in Phrenitide. Certè Auicenna timet, ne oleum somnum conciliet magis, & ita auget copiam aceti; nam exsiccando, attenuando, & acredine somnum aufert efficacissimè. Gentilis *in comment. huius loci*, solùm dicit, quod in puro *Subeth* debet esse magna portio aceti, quia plus intendimus exsiccare, & repugnare somno, quàm repellere: at in lethargo propriè dicto inquit,

vbi

vbi plus intendimus repellere, quàm expergefacere, plus olei, quàm aceti miscendum; in nullo tamen euentu plus aceti admittit, quàm olei, vt fecit Eustachius: Iacobus æqualem quantitatem olei, & aceti permiscet.

Sic præmunito capite, ligandæ sunt fortiter cruta: vt dolore vigilet æger, & exterius vapores excitat, trahantúrque ad inferiora ex toto; Sternutatoria conferunt, & in quantum molestant, & à somno liberant, & quia attenuant calore, & siccitate crassos vapores, & quia per cerebri concussionem expellitur aliquid, & deoneratur. Idem præstat odor assiduus aceti acerrimi; resoluit enim, exsiccat, attenuat, & deobstruit cerebrum. Conferunt similiter ante accessionem per horam cucurbitæ à futuris vsque ad dorsi dimidium cum maiori flamma applicatæ, deinde extrema ligare fortiter, & acrem clysterem inijcere, perpetuò fricare extrema cum oleis calidis. Est summè aduertendum, longissimè ante accessionem cibare ægrotantem, nihil namitum magis nocinum, quàm simul cum cibo in ventre non cocto accessionem prehendere; grauatur enim caput ex alimento, quandiù in ventre moratur, ad hoc accedente noua accessionis apprehensione, non Carus, sed Apoplexia timenda. Memini iam vidisse ægrotum non longè ab accessione nothæ tertianæ cibatum in Apoplexiam incidisse, à qua satis difficile liberari potuit. Tam pessima est intextera per morbos cibatio. Inde multorum sæpè miror insitiam ante accessionem per duas, aut tres horas ægros plenè cibantes, quasi venter infirmi esset Struthij Cameli, non intelligendo, multò ante accessionem iam incipere caloris suffocationem, quia incipiunt succi effumare ab incepta putredine, tapitur natura, & perperam actionem expectant, quando accedens alimentum dissimile de nouo debilitatur, & coctio incipiens replet de nouo vias obstructas, & augetur caloris suffocatio, & distracta in alimenti coctione corrigit minus morbi materiam, & hæc, & alimentorum malè commutatum augent passionem necessariò, & omnia in deterius mutantur. Celebris est historia filiæ Philonis, 6. *Epid. 3. sect.* quæ ob cœnam intempestiuam in 7. animam egit. Aliqui laudant sumptionem theriacæ magnæ in fine prandij. Sic enim existimarunt resolui magis flatus humidos, & cerebrum roboratum illos discutere. Securius existimo econtrà, vt docuit Forestus, multò ante prandium præbere theriacam, & in fine mensæ dragetam ex coriandro præparato, aut aliud alimentum adstringens, & roborans ventriculum, impediensque simul vaporum ascensum in cerebrum: Calida enim medicamenta in fine prandij multam causant vaporum copiam, & hebetatur vis medicamenti roborantis alimento permixta.

Præter dicta de Comate in febribus loquens Eustachius expurgationem statim commendat, timendo permutationem in Apoplexiam. Idem docet Mercatus; simul etiam tradit Eustachius inter primam & secundam vertebram ferro candente fontanellam aperire, per illud enim paulatim expirant serositates caput grauantes Idem Sennertus *lib. de febribus, fol.* 523. Nos facilius caustico medicamento id præstamus, quia tardior est operatio ferri quantum ad emanationem per vlcus, cùm non sequatur antequam scara decidat; & non solùm inter primam, & secundam vertebram, verùm etiam in cruribus quatuor digitis supra talos etiam applicanda vesicantia consimiliter, vt retrahatur ad inferna, & si hæc non sufficiant, repetenda expurgatio medicamento leni dato per tres dies, vt ex doctrina Mercati adduximus in cura lethargi, tradendaque semper admixta contra febri, & somno, ascensúique occurrendo; semperque in uribus quæ deficeant, exsiccent, incendant, & moueant vrinas, miscendo; nam & febri, & somno medentur. Idem in potionibus medicatis obseruandum est cum cibi parsimonia.

A Ascensui occurritur strenuè paulò ante accessionem, ponendo magnam cucurbitam supra lecur, aliam supra lienem, & nouem in dorso, tres per medium dorsum in supremis vertebris inter humeros; reliquas sex in sinistris, & dextris scapulis; detinent enim violenter succos mouendos ad cerebrum ex hypocondriis, & per magnam venam dorsi, & per magnam arteriam: est expertum auxilium, redditurque vtilius, si aluus clystere acuto inaniatur eo die, *fol.* 897. *& seqq.*

Quando verò bilis effervescens ex succis crudis copiam vaporum eleuat, similia præcepta obseruanda B sunt. Caput enim præmuniendum est oxirrhodino, ligandæ extrema, applicandæ cucurbitæ per horam ante accessionem, inijciendi acres clysteres; aut suppositoria, frictiones continuæ, & molestiæ ante prandium, & longè ab illo, & toto accessionis tempore conueniunt aceti acerrimi odor, in quo satureia, timbra, aut origanum incoxerint. Purgandum corpus non expectata coctione. Aduertit tamen Mercatus, non esse euacuandam pituitam, sed bilem, quia hæc sola putrescit, & febrem causat; quod non admitto; nam purgatio ante coctionem ob vigentiam somni exercetur. Ad hunc verò non minus confert pituitæ copia, quàm bilis, & ita vigenti symptomati, & mentis maioris mali auxiliamur, non minus pituitam vacuantes, quàm bilem, & eo ipso quòd pituita non est C putrida, nec febris materia extrahitur commodius, quia nec tenuit medicamentum, cùm cruda non sit, & eam non abundare contra naturam, est impossibile. Est ergo euacuanda, quia causa necessaria, & partialis illius symptomatis. Petit hoc genus febris attemperationem maiorem, quia moderata effervescentia remittitur simul euaporatio ad cerebrum. Agenda tamen attemperatio frigidis, & siccis medicamentis; nam humida euaporant præter modum. Sic confert decoctum acetosæ, Pentaphili, radic. graminis, adianthi, radicum cichorei, & hordei, clarificatum, & aromatizatum cinnamomo, & sandalis cum serapiis acidis limonis, citri, oxalidis, & acetoso simplici; exsiccant enim, & putredinem inhibent. Neque contemnendus sirupus D rosaceus, nam moderata adstrictio in prædicta febre vituperanda non est, quia impedit ascensum vaporum, & compescit effervescentiam. Confert etiam decoctum radicis, & seminis nimphex, exsiccant enim, & infrigidant.

Si verò caput humidum, & excrementosum excrementorum liquationem pariter, secanda est vena communis in febre, nam sic deoneratur cerebrum, & si grauitas capitis, & somni vrgeant, secanda cephalica, exsiccandum sine incendio, deriuanda per nates pituitosa excrementa, scarificandæ cucurbitæ, & apponendum vesicatorium inter primam, & secundam vertebram, vt aquosæ humiditates euacuentur per vlcus.

In omni somno contra naturam commendatur picturarum varietas, clamores, varij sermones, inci- E tatio ad iram, & tumultus loquentium, pilorum temporum auulsio; quæ omnia comprehendens Messues dicebat, esse locandos in domo lucida plena imaginibus, in qua fit strepitus, & multitudo loquentium cum inquietudine ægrorum, & prouocando eos ad iram, & iurgia, ne profundentur in somno, & exercendo coram eis fumitus, & strepitus horribiles, & laboriosos.

Sed inquietis. Quomodo distingueris, quando somnum causatur ex cerebri excrementorum liquatione, aut ratione effervescentiæ, aut quia natura errans mittat in cerebrum? Respondeo, quòd quando natura errans mittit, incipit statim somnus cum accessione,

cessione, imo & antequam eluceat accessio manifestè: quia, vt dixi anteà, prius essumant succi putrescentes, estque somnus grauissimus. Si verò ex efferuescentia caloris, erit magna febris, & non tanta, quanta esse debeat, quia ex copia pituitæ remittitur incendium: vrina præcipuè hanc causam somni monstrabit, erit nimirum crassa, vt iumentorum, quia talis causatur, quando pituita ob bilis incendium efferuescit. Ita expressè Galenus 1. *Aphor. comment.* 70. *Vrina*, inquit, *iumentorum fiunt materia crassa, ac densa à calore agitata*. In hac specie somni nunquam somnus incipiet ante augmentum, & vigorem accessionis, quia ex feruore causatur. Vnde constat, quòd quando ex liquatione excrementorum cerebri somnus originatur, talis vrina non erit, & tardiùs ab accessione somnus incipiet, quia liquatio partis distantis requirit ob distantiam maiorem vim: in agente erunt signa humidissimi cerebri, oculi pleni lachrymantes, distillationibus æger obnoxius somnolentus ex se ante morbum, & nimis excrementitius per nares, aures, & oculos.

Vbi Carus ex pituita frigida sine febre datur, euacuato iam corpore, resoluetur materia cerebri hoc medicamento. Recipe aquæ vitæ optimæ ℥.iij. decocti clarificati cinnamomi, florum saluiæ, & roris marini ℥.ij. Gingiberis, piperis, caryophilorum, cubebarum ana ʒ.ß. confect. anacardi ʒ.j. misceatur, stent in infusione aliquandiù in loco calido, colentur donec clarescant. Capiat manè coclear j. & aliud dum nocturnu somnos permittitur.

DISPVTATIO VII.

De accessione Epileptica.

CAPVT I.

De eius essentia.

IN hoc *lib.* 3. *fen.* 1. *text.* 5. *cap.* 7. agit Auicenna de Epilepsia. Statim verò dubitabitis, qualiter inter acutos morbos cerebri connumeratur à nobis, cùm inter longos ponatur, & ex doctrina Hippocr. 1. *Aphor. text.* 45. per mutationem ætatis curari doceat; quod de acutis intelligi non potest, cum ratione periculi, & celeris motus longum tempus in sui curatione non admittant. Vnde Galenus 1. *de Cris. cap.* 4. Epilepsiam, & articularem morbum sub longis collocauit. Sed notabitis breuiter, vt retulimus *text. de essentia febrium*, *cap.* 4 in quo Auicen. disputat de cognitione horarum ægritudinum, quòd in Epilepsia duo considerantur; *& distemperies morbosa*, à qua generatur causa Epilepsiæ, *& ipsa accessio Epileptica*: hæc sine dubio est acutissima, quia celeriter ingruit, & cum magno periculo suffocationis. Ob quod in relato capite Auicenna inter acutos valdè morbos collocauit Epilepsiam, anginam, & conuulsionem. Idem docet Galenus 4 *de causis pulsus*, *cap.* 21. dicens: *Acutas esse accessiones morbi comitialis* Et 5. *Aphor. comment.* 30. ita reliquit scriptum: *Sic etiam si absque febre morbus aliquis acutus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, conuulsio, tetanus, &c.* Ante omnes doctissimus Areteus idem docuerat, inter acutos morbos accessionem Epilepticam numerando. At verò si consideremus *distemperiem morbosam* producentem causam tam perniciosæ accessionis, dicitur secundum illam distemperiem Cronicus morbus, quia durare solet per longissimum tempus, & ex se non inducit periculum immediatè. In quem sensum dixit Hippocr. 5. *Aph. text.* 7. Epilepsias post 25. annos durantes, vsque ad mortem comitari, sed in quantum generat excrementitiam materiam, quæ in cerebrum expulsa nouum morbum faciens, acutissimum illum, & malignum producit.

Hanc ergo epilepticam accessionem definiens Auicenna *in relato cap.* dicit: *Epilepsia est ægritudo prohibens membra animata ab operationibus sensus, & motus, & erectione non integrè.* Quæ definitio non satis clarè explicat naturam huius mali, ob quod omnes Auctores sequuntur definitionem Galeni traditam 3. *de locis affect. cap.* 5. dicentis: *Atque morbus comitialis conuulsio est omnium partium corporis, non perpetua, vt in Emprosthotono, Opisthotono, & Tetano videre est, sed* B *quia ex temporum accidit interuallis, cum sensuum, & mentis læsione.* Quæ definitio, vt intelligatur, notabitis, quòd conuulsio est *retractio musculorum versus propriam originem*. Est duplex; *Vera, & non vera*: Vera est illa, quæ in contractione perpetua violenter continet membrum aliquod quietum, & in loco determinato: *Non vera*, & illegitima conuulsio est, contractio membrorum composita ex diuersis, & oppositis motibus, vt modò contrahatur brachium, ex. g. versus thoracem, modò discedat ab ea positione, & moueatur contractum versus dorsum, ita vt nunquam in eadem maneat positione, vt in motibus quos Medici conuulsiuos appellant, experimur. Quando ergo Galenus dicit, Epilesiam esse conuulsionem, ponitur conuulsio loco generis, prout comprehendit C propriam, & impropriam; nam in mea opinione non est vera conuulsio, sed impropria. Dicitur verò omnium partium corporis, quia totum solet agitari, & conuelli in accessionibus: non tamen est perpetuum, quia vt in plurimum contrarium euenit, conuelli nimirum oculos, & vnicum brachium, interim oculos solùm, aut labia, sicque mirè euariat accessio Epileptica in partium motione, vt posset Galenus tacere, esse conuulsionem omnium partium. Dicit, quòd non est perpetua, vt *in Emprosthotono, &c.* quia illæ conuulsiones sunt proprissimæ, & membrum affectum perpetuò continent in vna positione. At verò conuulsio Epileptica, præterquam quod in ipsa accessione intermittere solet, & inde perpetua non est, vt prædictæ D species; nunquam conseruat membrum in vnica positione locali, sed illud variè concutit, & agitat tam violentis motionibus aliquando, vt difficillimè credatis vi naturali fieri posse. Sic ergo differt conuulsio Epileptica ab aliis speciebus veræ conuulsionis. Vlteriùs differt, quia Epileptica accessio, & conuulsio nunquam fit *sine mentis, & sensuum læsione*, quod in aliis necessarium non est. Galenus ergo definiuit Epilepsiam per essentialia symptomata: Auicenna verò per morbum causantem illam; & ita hic dixit, esse *ægritudinem*; ille verò, *conuulsionem*, & læsionem sensuum, & mentis. Est autem læsio actio ablata in ordine ad obiecta communia, quæ in naturali somno sentiuntur, vt de lethargo, & Caro diximus. Est enim Epilepsia in consensu omnium, soporosa passio contra E naturam; habet ergo Epilepticus, vt signa essentialia priuari repente motu, & sensu cum conuulsione totius, aut aliquarum partium non perpetua, vt docuit Galenus, & ita differt ab Apoplexia, quæ sine conuulsione aliqua fit, éstque in hac læsio maior in respiratione, motu, & sensu, quam in Epilepsia. Dum verò diximus, motu priuari Epilepticos, de progressiuo ab imperio procedente intelligendum est; hic enim destruitur omninò in Epilepsia, & motus factus conuulsorio modo tam necessarius est ad huius morbi naturam, vt sine illo consistere nequeat, & sic per illum definiuit Galenus. Diximus ergo, huiuscemodi concussionem interius totum corpus afficere,

sed

sed frequentiùs esse aliquas partes, aut plures concussi; vnde verò id contingat, tradetur inferiùs.

Est verò inter auctores ardua difficultas, vnde originentur relata symptomata, priuari scilicet motu progressiuo, sensu, & mente, & cum hoc concussiuè moueri totum corpus, aut aliquas partes. Multi opinantur, morbum esse cerebri, & ventriculorum obstructionem, à crasso humore causatam. Ita Galenus 4. *de locis, c. 5. & 3. cap. proprio, & 2 de caus. sympt. vltimo*, & vbicumque causam huius mali adducit, obstructionem esse probat, quia subitò fit, & subitò tollitur; obstrui verò cerebrum, & ventriculos subitò, ab humore crasso facillimè fit, nec in aliam causam reduci potest totalis priuatio mentis, & sensuum, motuumque voluntariæ, nisi obstructionem in prædictis partibus factam. Quia verò Galenus putauit fieri interius morbum comitialem propter auram venenatam ascendentem ex aliqua parte in cerebrum, & illam obstruere ventriculos, & reliquas cauitates tam validè, vt omninò sensus, & motus depereant, improbabile videtur. Conciliant Galenum, quòd dum recenset causam huius mali crassum humorem, intelligendus sit de Epilepsia per propriam passionem, non verò de ea quæ per consensum fit.

Alij Recentiores putarunt, non dari obstructionem in Epilepsia ab humore crasso, cuius doctrinæ fuit Rondel. *cap. de Epilepsia, fol. 170.* & Fernel. *5. de partium morbis, & sympt c. 3. lib. 2. de abd. rer. caus. c. 15.* nam sequeretur, hunc morbum non differre ab Apoplexia, quia hæc causatur ex obstructione ventriculorum, & substantiæ cerebri ab humore crasso. Quòd si putatur minor obstructio in Epilepsia, sequitur, inquit Fernelius, semper Epilepsiam esse priorem Apoplexia, quia semper minor obstructio maiorem præcedit, & semper quòd Apoplecticus liberatur, euaderet media Epilepsia, quia priùs tollitur maior obstructio, quàm minor: vtrumque verò est contra experimentum: ergo non causatur ex obstructione cerebri, & ventriculorum à crassis humoribus. Neque melius dicunt, terminaretur Epilepsia in Paralysim, sicut terminatur Apoplexia, cùm ex simili causa originentur, cuius contrarium Galenus tradidit. Addit Rondeletius, quòd non seruaretur motus tam vehemens in Epilepsia, si ex obstructione causaretur; nam vt omninò deficit in Apoplexia, ita deficeret in Epilepsia. At contrarium experimur, validissime scilicet moueri membra Epilepticorum: ergo repugnat, ex obstructione cerebri causari à crassis humoribus orta: nam sic affecti manent immoti, vt in lethargo, Caro, Catalepsi, & Apoplexia cernimus. Idem probat Rondeletius exste routamento, quod est Epilepsia parua, & sine affectu, aut humore aliquo cerebrum occupante causatur. Idem sequitur Ludouicus Mercatus tum *cap proprio* in praxi, tum etiam *lib. de morb. mulier. cap. 5.* Putauit enim impossibile crassam pituitam, aut melancholiam sub forma illa humoris crassi Epilepsiam efficere, sed opus esse leniores, spumosiores & tenuiores reddi, quod indicat, inquit, *spuma per os excreta in accessionibus*, & ex ratione Galeni, quæ probat esse causam crassos humores, conuincitur contrarium. Arguit enim, Epilepsia fit subitò, & soluitur subitò: ergo causa est humor crassus; nam nihil citius obstruit meatus quàm humoris corpulentia, & crassities. At contra dicit Mercatus, (& ex Rondel. desumpsit, vt cætera omnia argumenta) nihil facilius mouetur, quàm quod tenuius, rarius, & leuius est: ergo subita inuasio & cessatio repentina arguunt, potiùs Epilepsiam causari à lenioribus, & tenuioribus humoribus, nam & palpitationem probauit Galenus ab humore fieri non posse, sed flatum in causa esse, quia fit subitò, & inopinatè cessat.

Idem probant Auctores relati ex Epilepsia per consensum, quam causari ab aura ascendente in cerebrum, Galenus docuit exemplo Grammatici, & pueri: est ergo impertinens obstructio à crassis humoribus. His argumentis copulauit Fernelius experimenta anatomica: dissecuit enim cadauera, Epilepsia siè reddita. Et in capite cuiusdam Philosophi inuenit crassam meningem craneo adhærentem exiguo humore putri inter illam, & craneum interiecto: in alio inuenit humorem putridum in substantia cerebri illæsis omninò ventriculis. Sic in alio signis concepit humorem Epilepsiam causantem inter Pericraneum, & os Caluariæ contineri, & inde accessionibus Epilepticis molestari, & apposito caustico medicamento sanatum fuisse, venenoso humore exspirante per vlcus.

Quòd si ab his Auctoribus inquiratis; qua ratione sensuum, & mentis priuatio causetur, quando aura tenuis, aut vapor leuissimus, & rarus cerebrum petit, cùm tunc nulla detur obstructio: Respondet Ludouicus Mercatus, illum vaporem partim obstruere, cui tanquam concussu accedit vehementissimus cerebri motus, quo existente, etsi nulla sit obstructio, vt contingit in hominibus sensoa acuti, impossibile est, posse sensus liberè suas elicere actiones: itaque presso cerebro, & versus ventriculos moto, clauduntur meatus, & viæ, quibus communicatur animalis spiritus reliquis sensoriis, & sic quando non obstrueret aliquis humor se ipsum, obstrueret cerebrum vehementer compressum: agitatione verò comprimitur ad pellendam causam inferentem molestiam.

Magister noster *lib. de locis affectis. disp. 17. cap. 3.* duo dicit: Primum est, non sufficere obstructionem cerebri, & ventriculorum, vt Epilepsia fiat; id probat, quia ex sola obstructione nullo modo erit accidens essentiale huius mali, conuulsio scilicet totius, aut partium: nam nec quando obstruitur cauitas alterius cuiuslibet partis, motus conuulsiuus excitatur, nec quando in Caro, aut Apoplexia cerebrum obstruitur: aliud ergo requiritur, vt epileptica motio, & agitatio membrorum fiat. Dicit secundò, esse impertinentem obstructionem cerebri, & ventriculorum à crassis humoribus, aut alio corpore extraneo, vt Epilepsia causetur, sed satis esse irritari cerebrum à causa etiam nullo modo obstruente; nam ex tali irritamento excitatur Epilepticus, & conuulsiuus, & impediuntur sensus, & mens. Mouetur nimirum conuulsiuè substantia cerebri, & comprimuntur cauitates ventriculorum, vt dicebat Mercatus, sicque insensibilis, & stupidus manet æger conuulsione agitatus, & adsunt omnia integrantia Epilepsiæ naturam. Vnde colligit, semper morbum esse in cauitate, & motum vitiosum. Itaque non opinatur, quòd à crassis humoribus non fiat aliquando Epilepsia, vt docuerunt Recentiores citati, sed quòd etsi non esset obstructio aliqua, causaretur nihilominus Epileptica accessio, si accedat res molestans cerebrum, cogens illud ad motum concussionis. Docétque Magister, esse communem Medicorum consensum, quod non sufficiat obstructio ad Epilepsiam, nisi simul molestiâ afficiatur cerebrum, & ob irritationem concutiatur, in cuius doctrina est certum, quòd semel obstructo cerebro, non est necessaria motio illius ad priuationem motus, & sensus; est tamen necessaria irritatio, vt conuellatur æger, & adsit conuulsio. Si verò nil obstruat, irritet tamen, vt quando aura venenata cerebrum petit, causabitur etiam Epilepsia eo modo quo diximus. Hanc doctrinam ante omnes Iachinus tradidit *sup. 9.* Rhasis *cap. 19.* existimat enim frequentiorem causam priuationis motus, & sensus esse obstructionem causatam à propria substantia cerebri; & quasi doceret, quòd in suam solam mentem venerit, dicit imaginationem suam olfecisse Galenum *5. Aphor. comment. 45.* cùm deberet contrarium asserere, ipsum

scilicet

scilicet ex olfactu doctrinæ Galeni tale tradere assertum. Docuit nimirum Galenus *in comm. Aph.* Epilepsiam propter motum vitiosum generari, vbi insinuat, adæquatam causam essentiæ illius esse motum vitiosum, ille enim & concussionem causat, & priuationem sensuum, & motus, quia ex vehementi concussione ventriculos proprios comprimit.

§. I.

Resolutio capitis.

Placitum nostrum tribus principalibus conclusionibus proponimus. Prima est contra omnes Auctores relatos. *Ad causandam Epilepsiam non est simpliciter necessaria irritatio, aut molestia, licet conducat, si detur.*

Secunda conclusio est contra eosdem. *Priuatio motus, & sensus, & mentis constituens essentiam Epilepsiæ, repugnat fieri à propria substantia cerebri.*

Tertia conclusio est. *Priuatio sensus, & mentis, & motus, fieri semper debet à causa morbosa in cerebro existente, non tamen id efficiet semper, quia obstruit.*

Prima conclusio probatur. Primò quia talis sententia non traditur secundum omnem modum philosophandi, cùm multi Medici cum Aristotele opinentur, cerebrum nullo modo sentire, iuxta quod placitum sensatio non dabitur. Secundò probo vrgenter: Nulla causa frequentior datur Epilesiæ, quàm naturalis pituita, aut succus crudus, in opinione Galeni, nam Apoplexiam, & Epilepsiam ab eodem causari humore, Galenus docuit *comm. 45. lib. 2. Aph.* & nulla causa frequentior Apoplexiæ, succis crudis, & pituita; & hoc est primum principium in Medicina practica: sed hic humor, dum confluit in partem, nullo modo inducit dolorem: ergo si causat Epilepsiã, sine dolore causabit. Minor probatur clarè ex doctrina Galeni, & omnium Medicorum, docentium tumores contra naturã ortos ex pituita, & succis crudis, indolentes esse, quod euidenter ostentat ædema, in quo etsi partes distendantur, & tumeant ob copiam fluxæ pituitæ, nullo modo dolent, nec molestiam sentiunt: ergo minus molestabitur cerebrum, cùm sit minus sensibile, & pituita non distendat illud, sed simpliciter obstruat ad causandam Epilepsiam. Sic experimur in anasarca, partes tumidas vehementer à pituita, & succis crudis nulla molestia affici, etsi vehementer comprimantur. Ita Galenus 14. *Meth. c. 4. & 2. lib. ad Glauc. c. 3. & 1. Prognost. comm.* 30. & Hippocr. *in eodem text.* per indolentiam, & mollitudinem, laxitatémque definiunt ædemata.

Tertiò probatur argumento, quod contra se adducit Magister; illud tamen meo videri non soluit, est autem tale: Facultas, media qua concutitur cerebrum in Epilepsia, est illa, per quam dilatatur, & contrahitur naturaliter; nam nullam aliam Medici agnoscunt in cerebro, qua concutiatur, & agitetur, vt nulla alia datur in corde, media qua palpitet, aut tremat; vel alio quouis motu agitetur, quàm facultas vitalis, media qua dilatatur, & comprimitur naturaliter, & hoc clarè confitetur Magister, dum hoc argumentum conficit: sed facultas, qua dilatatur, & comprimitur cerebrum, mouetur diuersis motibus iuxta exigentiam finis sine aliqua cognitione: ergo concutietur sine cognitione, aut sensatione, si finis contra naturam concutientem motum exposcat, sicut & palpitat cor, aut agitatur tremule sine sensu aliquo, quandò ita finis determinat: ergo affirmare, quòd ad concussionem Epilepticam est necessaria sensatio, potius est contra naturam talis facultatis, cùm ex se determinata sit ad eliciendum quemcumque motum, si finis illum requirat sine cognitione aliqua. Respondet Magister in forma his verbis: Tam cerebrum, quàm

A cor mouentur simili modo, si motus connaturalis impediatur; nunquam verò per solam obstructionem, quæ vitium in cauitate est, cerebrum concutitur, vt in Epilepsia, quamuis crescat finis; nisi illum sentiat, nam nec in corde id reperitur. Ratio, inquit, est, quia obstructa cauitate non est impedimentum ad dilatationem, imò crescente fine potest esse magna, in motu autem concussiuo illo non est talis.

His verbis satis obscuris non soluitur argumentum: nam in primis petunt principium; cur scilicet facultas motiua cerebri non concutiatur, si non irritetur prius; nam si in opinione Magistri est eiusdem naturæ cum facultate motiua cordis, & arteriarum, & hæc mouet has partes quouis motu sine peculiari sensatione, cur non mouebit eodem modo facultas B cerebri. Secundò, quia concussio illa non est alius motus quàm dilatatio, & contractio vehementior quam per naturam, vt in corde non est aliud palpitare, quàm impetuosiùs dilatari, & constringi: sed ad dilatationem maiori impetu factam est omninò impertinens sentire molestiam: ergo ad motum Epilepticum similiter. Meritóque dixit Fernelius moueri cerebrum in Epilepsia, sicut cor in palpitationibus. Et confirmatur: sicut facultas motiua cerebri est ad tuendam validitatem vitalem, & generationem spirituum in cerebro, ita est ad expellendum nociua, & ad trahendum vtilia: ergo sicut posito fine necessario ad tractionem maiorem, aut minorem, statim apponit motiones fini conuenientes sine aliqua sensatione, ita constituta re contra naturam petente ad sui C expulsionem motum concussiuum, ponetur sine dubio, etsi nihil sentiat, aut percipiat.

Quod verò dicit, non dari in corde motum concussiuum per solam obstructionem, falsum est, si potest concussiuè moueri. Palpitat enim, dum flatibus crassis ventriculi obstruuntur, & dum à calido sanguine feruor in illis excitatur: sic in ira, & in magno timore idem experimur, támque vehementer agitari solet, vt exterius sentiatur sonus ex impetuosa motione causatus, & omnes eas motiones sine sensatione molitur, quia in opinione huius Auctoris omninò priuatur sensu, vt docuit ex Galeno *lib. de locis affectis, disp. 47. cap.* 2. Minus mihi probatur, quòd in motu concussiuo non sit magna dilatatio, non enim inuenio vnde id colligat Magister, imò oppositum vide- D tur verissimum, quod constabit inferius.

Quartò probatur doctrina nostra. Fatentur Medici cum Galeno, Epilepsiam à veneno causari. Tanque admirandũ, & arcanus apparuit hic morbus Fernelio, quòd in solam venenosam materiam, & causam illum reduxerit *lib. 2. de abditis rer. caus. cap.* 15. ergo si causat Epilepsiam, vt venenum illam efficiet absque sensatione sui, nam venena vt talia nihil sensibile producere possunt, vt docent omnes, cùm operari à tota substantia, sit operari occulta qualitate nullo sensui perceptibili: ergo si venenum est auctor Epilepsiæ, vt distinguitur contra alias manifestas causas, implicabit sentiri molestiam aliquam, cùm nullam sensationem vt venenum moliatur. Quam doctrinam E sequitur Gentilis *fen. 2. 3. cap.* 5. nam dum explicat, qua ratione excitetur motus concussiuus in cerebro, quem Auicenna non proportionatum ad materiam appellat, dicit; & tunc fugit, vel ex causis facientibus dolorem, vt sunt notæ, vel ex aliqua qualitate venenosa, vt accidit ex punctura Scorpionis, quamuis non esset ibi dolor, vt diximus *cap. de Epilepsia.*

Quintò, morbus Epilepticus ea propria natura sensum tactus aufert. Constat ex communi Medicorum consensu, & his verbis docuit Galenus 3. *de locis, cap. 5. Accedit ad hæc, vt is, qui sic laborat, neque videat, neque audiat, nec vllo sensu quidquam percipiat.* Et cùm læsio, quam facit, sit communis omnibus

sensi

sensibus, repugnat, omnes non lædi: ergo non poterit ex se molestiam, aut irritationem vt fiat, cùm petat ea se sensum omnem auferre; hoc enim implicationem continet. Quòd si in sensibus magis perspicacibus, & in partibus sentientibus acutius per totum tam validè omnem sensationem aufert, tollet eam multò plus in parte tam hebetis sensus? quod est in controuersia positum, an sentiat Rursus, quò hebetatur sensus alterius partis, indiget obiecto mordaciori, vt mol. stia sentiatur: sed mordacitas quæ in pituita, aut melancholia inuenitur, vt cerebrum molestetur? quando tam grauiter læditur, vt nullo sensu quidquam percipiat. Si enim copiam pituitæ, aut fueci crudi cuti volæ manus superinfundas, quando mens constat, & temperatissimus tactus existit, nulla vellicatio, aut molestia sentitur: quomodo ergo molestabit cerebrum, quod ex se obrutum sensus cum sit, ita malignè opprimetur, vt nullo sensu quidquam percipiat. Et confirmatur: Contractio cerebri in hac opinione est causa priuationis sensus & motus: ergo quo plus contrahitur, erit priuatio maior: non ergo est contractio irritationis effectus, quia quo maior est contractio, minus sentit ægrotus; & ex alia parte, quo maior est contractio, tenetur sentire magis, quæ implicantia sunt. Patet; quia quò plus irritatur, plus contrahitur, & quò plus contrahitur minus sentit: ergo quò plus irritatur, sentiet minus, si contractio sensuum priuationem inducit. Item ex augmento, & vehementia contractionis, & concussionis colligimus morbi incrementum, & vigorem: ergo si morbus sensus omnes aufert, quò plus erescit concussio, non erescet sensatio, sed minuetur. Tandem si irritatio requireretur, non posset non sentiri ab ægroto, nam cum illa præcedat priuationem sensus, & motus manifesta erit. At verò infiniti sunt Epileptici cadentes subitò sine perceptione alicuius molesti obiecti, cuius irritatio sentiatur ante casum.

Secunda conclusio, *quod scilicet priuatio sensus, & motus fieri nequeat ex sola motione cerebri versus ventriculos*, probatur supponendo vt certum, quòd ex vehementi compressione id fieri possit, & libenter oppositum afferentibus damus: sed quod asserimus, est, priuationem sensus motus requisitam in accessione Epileptica, implicare fieri ex sola motione cerebri. Probatur primò, quia sequeretur ex hac doctrina non repugnare, aliquando ex motu sternutationis ægrotantes cadere, & priuati motu, & sensu. Patet sequela; quia concutitur cerebrum, vt in Epilepsia. Nec valet, si dicas, in sternutamento minorem fieri contractionem quàm in Epilepsia. Sed contra est, quia saltem deberent notabiliter minui, quod non fit. Præterea quia si contractio proportionatur irritanti, non erit minor quàm in Epilepsia. Patet, quia tam mordax causa sternutamentum causare potest, & ea alia parte non est impedimentum ad perfectè sentiendum molestantem causam, nec ad vehementiores motiones: accedit quod iam inducens sternutamentum applicatur parti sentienti perfectiùs quàm cerebrum, vt quando ob irritationem in parte anteriori narium causatur. Nec obstat, si dicas, adhuc non esse æqualem rationem, quia vt sternutatio fiat, satis est partem exiguam irritari: at in Epilepsia opus est obiectum molestans pluribus applicari, & inde concuti magis cerebrum. Sed contra est, quòd quando aura venenata Epilepsiam causat, nec est corpolentior quàm mordax humor sternutamentum inducens, nec applicatur pluribus partibus, quàm causa sternutamenti; nam hæc sæpe afficit ventriculos cerebri anteriores, quos non lædit propria corporatura aura maligna; nam ictibus ferarum assimilatur à Galeno 3. *de locis, cap. 7.* ex præceptore Pelope: nullus verò credet, rem tam paruam, vt ex aculeis venenatorum ex-

A concitur, in parte tam distante à cerebro posse illud obstruere, aut per plures partes disseminari, vt differminatur causa sternutamenti per anteriores ventriculos.

Secundò, quia per eandem actionem, per quam constituit natura se liberare à mortis periculo, incidere in mortem irrationabile est; hoc verò sequitur ex relata doctrina: patet. Contrahit se cerebrum, vt excutiat rem noxiam, & per hanc contractionem perit quia priuatur motu, & sensu, & ... ergo per actionem qua intendit extra... niciem, cadit in eam, cùm se ipsum ...

Dices, id mirum non ... tticem, qua liberat ... cit natura, vt quando vi... pars molestata pellit causam

B in cerebrum, cor, aut aliam partem nobilem. Sed contrà est, quia expultrix partium tantum intendit se liberare, & ita facit, dum transmittit in aliam, & id non euenit in proposito casu, nam per eandem actionem numero sine alterius partis læsæ seipsam interficit ducta, & primò, quia non contrahitur sine periculo priuationis motus, & sensus; pars verò quæ pellit in aliam, pellit sine periculo sui, vt non intermittit nisi nouum morbum creando ab actione expulsiua distinctum; at cerebrum per eandem indiuisibilem actionem, qua se liberare intendit, seipsum necat, quia morbum tam magnum per eandem actionem producit.

Tertiò probatur argumento, quod contra se adducit Magister, & non videtur satisfacere solutio; se-

C quitur enim ex eius doctrina, non esse continuam priuationem sensus, & motus in Epileptica accessione. Probatur; quia cerebrum comprimitur, & dilatatur, dum concutitur: ergo etsi fateamur, in compressione deficere motum, & sensum, non deficient quando dilatatur, quia tunc nihil obstituet ventriculos cerebri, & sic redibunt motus, & sensus, quod est contra experimentum & doctrinam Authorum. Respondet, hoc argumentum æqualem vim habere contra docentes, in Epilepsia per consensum non dari obstructionem. Et ad argumentum *infrà* respondet, illam cerebri agitationem fieri intra exiguum spatium, ita vt ventriculi destituantur spiritibus ad perfectum sensum.

D Quæ solutio mihi non probatur: nam si per exiguum spatium intelligit locale, est doctrina falsa, nam aut cerebrum expellit contractione sola, aut dilatatione, aut vtroque motu: si contractione sola pellit, necessariò erit maxima, quia cerebrum magis opprimitur; magna autem contractio non fiet sine maxima dilatatione postquam semel contractum est cerebrum; quia si postquam semel contractum fuit, dilatatur rursus per spatium exiguum secunda contractio sequuta ad exiguam dilatationem, necessariò erit par visa, cùm fiat intra spatium locale, quod per dilatationem reliquerat liberum; non erit ergo fortis expulsio, sed debilissima, quia quò fuerit exiguum spatium, intra quod concutitur, tantò debilior efficietur expulsio, cùm pellat medio motu locali, & impulsu;

E ergo vt fiat fortis expulsio, dilatabitur nimis, vt per maius spatium vehementer contractum cerebrum excutiat impetuosè, quod tam malignè affligit violenter, & per magnum spatium compressum: & id euidenter monstratur in expulsione facta medio motu locali reliquarum partium; nam per compressionem earum expulsio magna non fit, nisi prius vehementer, & nimis dilatentur membra: quia impetus maior per compressionem efficitur, quo dilatatio maior præcesserit. Vnde meritò dixit Mercatus capite proprio, quòd potentis cerebri dilatatiua, & compressiua vehementiùs dilatet, & comprimat vt à se quatiat, & pellat quòd sibi adhæret. Et probatur meo videri eui-denter

denter ab experimento. Nam membra, & partes quæ contrahuntur ad motum cerebri, redeunt in ipsa accessione non solùm ad situm, quem habebant ante contractionem, sed ad multò distantiorem: si ergo mouentur ad motum cerebri, non solùm redit ad antiquum situm, sed ad distantiorem dilatatum magis. Apertè etiam hæc doctrina refragatur doctrinæ Auicennæ, nam *fen. 1. 3. text. primo, capite 2.* tradens vtilitates membranarum cerebri, vnam dicit esse, impedire, [illegible] mediatè substantia cerebri caluariam, [illegible] attingat. *Hic autem contractus* (inquit Auicenna) *non [illegible] nisi in dispositionibus additionis cerebri, aut [illegible] successione contractionis.* Nihil clarius dici potest [illegible] quando indiget impetuosa expulsione media contractione efficienda, non dilatatur per exiguum spatium, vt opinatur Magister, sed per tantum, & tam grande, quod cranium attingere periclitetur. Sine fundamento ergo id asserit Magister.

Secundò argumentor, quia in accessione Epileptica potest vrgere finis dilatationis, vt vrget compressionis: ergo dilatabitur magis quàm secundùm naturam. Constat antecedens; quia causa Epilepsiæ incendium in cerebro contra naturam causare poterit, vt est euidens: ergo sicut cor, dum causa calida molestatur, dilatatur, & comprimitur magis quàm secundum naturam, ita facultas cerebri idem operabitur, cùm ob eosdem fines moueatur. Si verò cerebrum expellat dilatatione non minus quàm compressione, vt ego verissimum iudico; constat manifestè falsitas sententiæ Magistri, & vtroque modo pellere significant Galeni verba 3 *de locis, cap. 7.* vbi docuit clarissimè, cerebrum concuti in Epilepsia, vt mouetur ventriculus in singultu. Constat verò, in singultu expelli vtroque motu, vt dicemus: nam expellere concussione, est expellere vtroque motu; non potest verò cerebrum dilatatione pellere, nisi dilatetur per magnū spatium, nam debet tendi, vt excutiat impulsu: tensio verò non adquiritur, nisi vehementer dilatetur corpus. Est etiam inconstans Magister, nam clarè docet contrarium in Epilepsia, *disp. 5. de locis affect. cap. 4. in solutione primæ rationis*, his verbis: Et quòd non tam facilè ruptionem pariant (cerebrum scilicet) argumento est motus, qui reperitur in Epilepsia, aut sternutamento, qui multò maior est quàm naturalis, & tamen sine ruptione contingit.

Si verò per exiguum spatium intelligat temporis, ita vt non detur tempus sufficiens ad spirituum restaurationem, & ita quamuis dilatetur cerebrum, non redeant sensus, & mens. Contra hoc est, quia ex adducto placito sequetur debere esse concussionem cerebri perpetuam in Epileptica accessione; quod est contra definitionem Galeni, & veritatem. Galenus itaque in definitione dixit, quòd Epilepsis est conuulsio totius corporis non perpetua, vt est in Emprosthotono, Opisthotono, & Tetano; nam istæ conuulsiones dum semel incipiunt affligere, semper affligunt, quia nunquam intermittunt: at verò Epileptica conuulsio non est perpetua, quia in ipsa accessione sæpè cessat, & rursus redit, & hoc quotidiè experimento probatur: at hoc esset impossibile iuxta opinionem Magistri, quia sensuum, & mentis priuatio nunquam deficit in accessione Epileptica: ergo si causatur ex concussione cerebri, deberet esse hæc perpetua, & continua non minus quàm ipsa priuatio. Cùm ergo non petat ea se Epileptica accessio continuam concussionem cerebri, & petat continuam priuationem sensus & mentis, exposcit necessariò causam continuam illius priuationis, quæ esse non potest cerebri concussio, quod & ipse Magister fatetur; nam dum explicat definitionem Galeni dicit, quòd conuulsio in hoc affectu non durat perpetuò, vt aliæ conuulsiones, sed quibusdam interuallis adest, & postea cessat. Et *cap. 4.* dum explicat, an sit vera conuulsio in Epilepticis, & reprehendit Vallesium, quia ita putauerit; tradit vt inconueniens Magister, quòd semper affligeretur æger conuulsione, quod est falsum, cùm per interualla accidat. Et *inferius* dum explicat, an possit dari Epilepsia sine tali concussione, dicit, quòd non reperitur sine concussione aliqua, licèt non in quouis tempore morbi; sed potest quiescere aliquo tempore. Rursus Auicenna *cap. 8.* ex continuitate concussionis sumit lethale præsagium, quod esset præter rationem, si continua concussio esset signum essentiale huius morbi; nam signa essentialia nec sunt bona, nec mala: aut sine ratione diceret aliquis: Mala est continua priuatio sensus, & mentis in Epileptica accessione, cùm sine illa dari non possit. Malè ergo putauit Magister, satis esse concussionem cerebri ad causandam continuam priuationem sensus, & motus.

Quartò, quia si doctrina illius, & aliorum ita opinantium esset vera in Epilepsia, per consensum deberet esse vehementior, & magis continuata concussio, quàm cum in opinione eorum non sit aliqua causa obstruens, & impediens sensum, & mentem, vt esset continua priuatio eorum, deberet cerebrum nimis conuelli, & continuè. Hoc verò est expresse contra Galenum, & communem sensum Medicorum docentium, ex intermissione concussionis constare per consensum esse, & non propriam passionem: ergo si concussio intermittit, & priuatio sensus, & motus non cessat, non dependet ex obstructione causata à propria substantia cerebri, sed ab alia causa, vt constat ex doctrina Galeni, *c. 7. citato*, dicentis: *Mihi itaque per huiusmodi consensum videnti aliquando laborantem, sine vehementi concussione concidere, & simul quòd per interualla breuibus quibusdam motibus quateretur, &c.* Ecce quàm clarè per interualla concuti docet, & non continuò. Et inferius ita loquitur: *Itaque cùm cecidissent qui non ex propria cerebri passione, sed per consensum Comitiali morbo laborabant, eos citra perpetuam conuulsionem per interualla concuti videbam.* Vallesius *in scholio capitis Galeni*, sic loquitur: Proprium, & inseparabile Epilepsiæ signum est concussio totius corporis per interualla facta. Et libenter interrogarem Auctores sententiæ contrariæ, vnde constabat, cerebrum propria concussione talem priuationem sensuum, & mentis causare; nam eodem modo est philosophandum in corde, aliquando scilicet tam violenter contrahi, vt comprimatur propriis actionibus, quod nullus somniauit. Cùm ergo cor contineat intra se spiritus vitales, vt cerebrum animales, & influat per illustrationem in seipsum, vt influit cerebrum, & nihilominus non datur aliquis motus, ex quo priuetur propriis actionibus, cur id concedendum est in cerebro? Itaque facilè nego tam violenter posse moueri cerebrum, vt per compressionem destituatur spiritibus, & ita densetur, vt in se ipsum influere non possit, neque esse vnde id colligatur probabiliter. Sed tunc vrget Galeni doctrina tradentis speciem Epilepsiæ per consensum aura ascendente in cerebrum, quæ etsi mole sit minima, est tamen ingens, & potens in virtute; tunc verò repugnabit obstruere, nam quæ totum cerebrum, & ventriculos occupat, non potest esse minima in quantitate, ridiculumque videtur asserere, ex punctura phalangij, aut scorpionis, tantam copiam veneni cerebrum petere, vt totum cum ventriculis obstruatur: Iam ergo fatendum est, priuationem sensuum, & mentis pendere solùm à cerebro per concussionem comprimente seipsum, & ventriculos. Sed id facilè negat Vallesius: Et quando ex punctura venenosi animalis Epilepsia excitatur, non causatur ex sola veneni portione per aculeum expulsa, sed

hæc

hæc corrumpit sanguinem, & sic in cerebrum mittitur, quia contingit præ cæteris partibus esse debile.

Ego verò in alium dicendi modum feror, mihi satis probabilē, etsi nouus videatur, nimirum causari aliquādo Epilepsiam, etsi nulla sit obstructio, aut à propria substantia cerebri, aut ab alio corpore extraneo. Quomodo ergo diceris, sensibus, & mente priuabitur, si nulla adest obstructio, audite. Quid prohibet, malignum & venenatū vaporem spiritus animales absumere, & cum eis habere naturalem antipathiam, vt de vitalibus passim fatentur Auctores respectu venenorum cordis: tunc ergo si concutiatur cerebrū, erunt essentialia symptomata Epilepsiæ, priuatio sensus, & mentis cum concussione, & nihilominus nulla infestabit obstructio. Quid continet hæc doctrina improbabile? Nihil certè, sed omnia verissima apparent. Apparet similiter probatio tertiæ conclusionis permittentis, dari in Epilepsia aliquando priuationem sensus, & mentis sine aliqua particulari obstructione, & hanc causari ab aura maligna ab aliquo membro ascendente, aut à venenoso vapore minimo in quantitate, & virtute magno; & si hac ratione non causetur priuatio sensus, & motus, semper requiritur præscos aliquod corpus extraneum obstruens ventriculos, & substantiam cerebri, & nonquam posse ex solo motu cerebri fieri. Constat verò, vel me tacente, quòd quando ab aura venenata causatur spiritus resoluente, non fit in rigore affectio soporosa, sed deliquium ob spirituum defectum.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

Argumenta probantia semper adesse obstructionem in accessione Epileptica, ex dictis manent soluta, cùm non sit obstructio causa necessaria ad inducendam priuationem sensuum, & motus, sed à causa venenata spiritus corrumpente aliquando causatur, vt assertio tertia monstrauit. Nec argumenta Fernelij, & Rondeletij probant, quòd non fiat Epilepsia aliquando ab obstructione humorum crassorum, nam ab Apoplexia differt, quia in Epilepsia datur minor obstructio, & motus concussiuus infestat, quo priuantur Apoplectici. Neque sequitur, quòd semper Epilepsia præcederet Apoplexiam; nam potest subitò tanta copia moueri in cerebrum, vt causetur Apoplexia, & non intercedat sensibile tempus Medico, in quo de Epilepsia ferat iudicium. Idem dicendum, quando soluitur Apoplexia, nam potest facultas expultrix confestim, & subito tantam copiam crassorum extrudere, vt non maneat copia sufficiens ad Epilepsiam. Præterquam quod facultas cerebri dilatatiua potest esse tam debilis, quando apprehendit Apoplexia, vt concuti nequeat, dum incipit obstrui; & cùm sit minor causa Epilepsiæ, potest sequi integra facultas, quin in Paralysim terminetur, quod in Apoplexia non contingit, aut rarò, quia tantam saburram extra corpus non potest facultas pellere, & sic mittit in partes proximas, & neruosas, & causat Paralysim.

Minus probat, quod de motu arguebat Rondeletius: nam concussio cerebri non pendet ex influxu animalium spirituum, & ita quamuis obstruatur, nil deficit ad concussionem. Etsi dicas, solùm reliqua membra, quæ concutiuntur, moueri medijs musculis, ij verò indigent influxu animali. Respondeo, quòd si vera est doctrina opinantium membra concuti ad cerebri motiones impetuosas, nihil probat replica, vt patet. Si verò aliquis opinetur, moueri proprijs musculis, dicendum est; quòd non priuatur viuens in Epilepsia totali influxu, cùm verè respiret, & ita obiecta nimis molestia sentiuntur à partibus, & concutiuntur ad eorum expulsionem. Argumentum de sternutamento nihil pro- A bat contra nos, cùm fateamur posse dari Epilepsiam sine humore obstruente, præterquam quod nullo modo est Epilepsia, sed ratione concussionis eis assimilatur.

Confirmatio Mercati adducta ex spuma, inanis est, nā spuma de nouo ex materia tenaci permixta acri pellitur per concussionē cerebri, & partium oris, estque euidens fieri Epilepsiam sine aliqua spuma apparente. Argumentum verò Galeni, quod crassi humores aliquando sint causa, ex eo quòd subitò opprimitur, & soluitur, probabilissimum est; nam non repugnat, humores crassos subitò expelli localiter, & ex alia parte subitam efficiunt viarum occlusionem, & breuiùs quàm flatus; nam quamuis isti moueantur celeriùs, non tamen obstruunt celerius, sed tardiùs multo quàm humores B crassi. Et si argumentum illud aliquid probaret, deduceret etiam, Appoplexiam fieri non posse à crassis humoribus, cùm fiat subito, quod est contra communem Medicorum doctrinam. Galenus verò probauit, palpitationem ab humore non fieri, non quia fiat subitò, sed ex determinata breuitate, qua pars eleuatur, & deprimitur, docuit ab humore non fieri. Experimenta verò Fernelij non probant contra nos aliquid, sed contra opinantes perpetuò fieri huiusmodi morbum ab obstructione crassorum, nunquam verò fieri, minimè probant.

Ex dictis constat sententia nostra, scilicet fieri aliquando Epilepsiam ab obstructione humorum crassorum, & quamuis non irritent, concuti cerebrum. Nec C putauit Magister sufficienter dari irritationem: & dum arguit per solam obstructionem non concuti, vt in Apoplexia, aut Caro. Respondeo, idem argumentum conficiendo contra ipsum, quia non semper quòd cerebrum molestatur, aut dolet, concutitur; nun ergo mirū, quòd non per quamuis obstructionē concutiatur, sed sicut ille tenetur fateri, esse necessariam certam naturam, aut modum determinatum irritationis, vt concutiatur; ita fateor, esse necessariam determinatam obstructionis naturam, & non per quamlibet determinari facultatem ad Epilepsiam motus, sicut nec per quamlibet palpitat cor. Auicenna verò ferè semper fatetur, cerebrum concuti ad expellendam rem obstruentem; ita enim loquitur *fen. 1. 3. text. 5. c. 7. Tunc restat, vt eius causa sit aut contractio cerebri ad expellendam rem* D *impedientem, &c.* Et inferiùs sic loquitur: *Et cùm ibi fuerit humor oppilans, tunc cerebrum etiam cum hoc contrahetur, vt expellat illud quod impedit.* Quid clarius? Et cùm ratio periculi in Epilepsia pendeat ex obstructione, consentaneum est concuti ad extrudenda quæ obstruunt, vt auferatur periculum. Quando verò ex sola obstructione dependet, est morbus in conformatione. Nec est, cur difficile videatur Mercato, ab eodem morbo secundùm magis, & minus differente, fieri deprauatam actionem, & ablatam: nam cùm hæ duæ læsiones differant specie, tenentur originari ex morbis specie differentibus, & non ab obstructione maiori, vel minori; ita enim fieri posse constat in calore, quī in certa intensè deliriom causat, & in maiori actionem E ablatam inducit: sic frigus cruditatem acidam causat in certa intensè, quæ est deprauata actio, & in maiori ablatam omninò, & alimenta incommutata relinquuntur; siccitas memoriam deprauat, & in maiori intensione aufert omninò: tanta est humani ingenij debilitas, vt tam futili argumento succumbat. Idem putauit Valles. 5. *controuers. cap.* 17. præterquam quod concussiuus motus cerebri non dependet in influxu aliquo, nec in motu ob ablatam actionem efficit Apoplexiam, sed in motu voluntario, quē Epilepsia nullo modo deprauat, sed diminuit, in quantum obstructionem habet annexam. Si verò Epilepsia causetur ex aura venenata, spiritus animales absumente naturali antipathia, morbus erit in temperamento, à quo resultat spirituum

rituum corrupto, quod est symptoma in iis quæ præter naturam exercentur, & ab hoc dependet actio deficiens in sensu, & mente, & motu locali. A

Sed tune vrget, à quo morbo causetur Epilepticus motus cerebri, nam cùm sit deprauata actio, & symptoma, debet pendere à morbo, non videtur autem quis sit, quando aura venenata Epilepsiam producit, nam nec obstruit, nec epileptica concussio excitatur ratione morbi producti, cùm ille nequeat expelli motu locali, cùm sit qualitas; cùm ergo excitetur ad expulsionem corporis quanti, efficietur concussio, etsi nullus producatur morbus: Respondet, quod pendet ex morbo producto à causa maligna, cùm expultrix, quæ non indiget sensu ad actum expulsionis, determinatur ad actum expulsionis per præsentiam causæ inferentis morbum, vt constat in expultrice ossium, & ligamentorum, in quibus habet ligamentum eandem vim. B

Ex his quæ dixi in quarto argumento, quo probauit esse frustraneam irritationem ad Epilepsiam, quia à veneno vt tali causatur, exploditur scotiotia Magistri tradita *disp.7. cap.*10. Vbi enim docuit, causari posse Epilepsiam à nuda qualitate venenosa irritante, etsi non sit aliqua substantia in cerebro extranea, ex g. si à vipera digitus vulneretur, substantia venenosa in digito derelicta producendo qualitatem venenosam in cerebro, irritabit illud, & concutiet ad expulsionem, sicque Epilepsia causabitur. Hæc doctrina in quantum docet, sufficere ad priuationem motus, & sensus cerebri concussionem, iam est impugnata; sed quod dicit, venenom nimirum producere qualitatem venenosam irritantem, tolerabile non est; nam qualitas venenosa ita implicat scotiri, sicut non esse venenosa, cùm sit de intrinseca ratione qualitatis venenosæ esse occultam, & nulli sensui conspicuam, alioqui respectu morbi venenosi esset clara indicatio, vt est in ordine ad calidum, vel frigidum, vel aliam quemlibet sensibilem, quod negant Medici omnes, & constat euidenter, quia alioqui etiam qualitates alexipharmacorum, & antidotorum, quibus extirpantur venena, essent nobis sensibiles, nam contrariæ qualitates semper participant eandem sensibilitatem in genere: ridiculum ergo est putandum, quod venenum vt tale aliquod sensibile producat, cùm à tota substantia, & occulta qualitate operetur, & sic non methodo, sed experientia curatur, & si esset sensibilis qualitas illa dum produceitur per continui alterationem, à digito in cerebrum sentiretur per medium, quod esset contra experimentum. C D

Sed tandem dicetis: si concussio membrorum non tenetur esse perpetua, non fiet Epilepsia ab obstructione crassorum: quia hæc durat perpetuò, & ita erit continua concussio. Respondeo posse intermittere, quia cùm pellat per concussionem, potest deficere qualitas exposcens motum illum. Diximus enim determinatam requiri, & inde sumitur ratio, cur concussio cerebri non debeat esse continua, quia cùm fiat propter materiæ expulsionem, potest in accessione pellere partem materiæ, & à concussione cessare, cùm sit certum, maiorem obstructionem requiri ad concussionem, quàm ad priuationem sensus, & motus; hæc enim datur in Caro, non verò concussio. Potest etiam cessare concussio malo tendente in deterius, debilitata facultate motiua, & ita non redit sensus, etiamsi cesset concussio. Debilitabitur verò, non quidem defectu spirituum animalium, iis enim non eget, sed defectu vitalium, si calor vitalis ad hoc opus requiritur, sin minus ob contractam vitiosam temperiem. E

CAPVT II.

De signis Epilepsiæ, & præsagiis.

IN definitione Epilepsiæ tradidit signa essentialia Galenus, dum dixit, esse *conuulsionem non perpetuam cum sensuum & mentis læsione*. Conuenit in somno contra naturam cum lethargo, Caro, Apoplexia, & aliis soporosis passionibus; differt verò per conuulsionem ab omnibus, quia nulla alia passio cerebri habet annexam conuulsionem totius cum sensuum, & mentis priuatione, nisi Epilepsia. Nequa acquiesco doctrinæ Pauli dicentis; at eximia, peculiarisque admodum nota eorum existit oris spuma, cum alia communiter aliis quoque morbis eueniant; ettat meo videri in duobus, & quia existimat derepente concidere priuatos sensu, & mente ægrotantes cum conuulsione, esse signa aliis morbis communia, cùm nulli alij conueniant affectui capitis, nec per alia definierit Galenus; & quia existimat, oris spumam, esse signum maximè distinctum Epilepsiæ à quolibet alio morbo capitis. In primis conuenire video apud omnes, oris spumam signum essentiale, & pat ognomonicum non esse & per consequens non potest dici à Paulo præcipuè distinctiuum; nam per signum superueniens nulla passio ab alia distinguitur; est ergo necessarium affectus diuersarum partium habere signa essentialia distinctiua statim in prima sui generatione. Est diuersa natura vnius partis ab alia, & eiusdem partis affectus similiter. Quod autem oris spuma sit accidens superueniens, in primis monstratur, quia sæpè dantur Epilepticæ accessiones sine illa, & cùm ab aura venenata accidit, non est cur generetur spuma, quia nec dependet ex pituitosa materia, & ita non est, quòd cum flatibus, aut aëre permisceatur, vt fiat spuma.

Vlteriùs, quia spuma in Epilepticis duobus modis resultat, aut per concussionem agitata pituitosa materia, & flatui, vel aëri permixta; aut ex feruore, & incendio pulmonis efficiente eandem permixtionem illarum substantiarum, vt facit concussio: primo modo, frequenter apparet in fine accessionis attenuata materia. Secundò apparet in extremo periculo, vt in Apoplexia, & eis qui suffocati ferè iam extinguuntur, quos ad vitam non reuocari dixit Hippocrates. Vnde liquet, oris spumam non esse eximiam notam, tum quia aliis passionibus conuenit, tum etiam quia est superueniens symptoma. Debétque docere Paulus, cui affectui conueniat, repentè cadere in terram priuatos ægrotos sensibus, & mente cum concussione, & Epilepsia non sit.

Sed & cadere in terram, aut erectos sustinere non posse, perpetuum non est, nec essentiale signum, licet rarò contingat oppositum. Stant de hoc historiæ mitandæ apud Schenkium, & tradit Iachinus cap. proprio. Nos verò etiam vidimus Sacerdotem, qui subitò mente, & sensu priuabatur cum conuulsione oculorum tremula, & labiorum: nil mente concipiebat, ita opprimebatur per octauam partem horæ, mox subitò mentem, & sensus recuperabat; abolita tamen erat memoria præteritorum, nunquam tamen cadebat. Suntque tam admirandi, & varij in apprehensione insultus Epileptici, vt facilè decipiantur periti. Sicque inter illos magna controuersia de morbi natura, putantibus quibusdam esse vertiginem, aliis deliquia animi, cùm tamen sint veri Epileptici insultus, quod demonstratur, quando grauioribus accessionibus molestantur; tunc enim cadunt, & conuelluntur partes satis conspicuè, vt dubitare non liceat, insultus epilepticos fuisse leuiorea, quibus cadere non cogebantur, & id aliquando eueniebat huic Sacerdoti; rarissimè tamen cadebat, etsi

etsi tamen esset non tentari accessionibus tertio quoque die, aut quotidie. Meritò ergo adnotauit Iachinus, spumam in ore apparere, vrinam, & stercora violenter emittere cum semine, esse signa superuenientia, & grauitatem mali significare, vt docuit Rasis *cap. proprio*, dicens: *Cùm aliquis cadit in terram, & torquetur, & commouetur, & intellectum amittit, dicimus, ipsum Epilepticum fore: quod si spuma exit per os, aut se commingit, aut sperma egreditur, aut egestio, tunc passio est grauior, & vehementior.* Et ita sine ratione cum Paulo putant plurimi recentiores, spumam oris esse signum maximè distinctiuum.

Est tamen dignum annotatione, an sit necessarium, hæc essentialia symptomata pendere ex morbo cerebri, vt propriè Epilepsia dicatur. Putant quidam, inter quos venit citandus Magister noster, id necessarium non esse; *cap.* enim 5. *disp. 7. de locis affectis, fol.* 342. docuit, quòd si obstruatur cerebrum, & non concutiatur, communicetur tamen humor exortis neruorum, & principio spinalis medullæ, vt indè partes concutiantur ad expellendum obiectum molestans, verè dabitur Epileptica accessio sine cerebri motu. Quæ doctrina mihi non probatur: tum quia videtur difficile ab eodem humore conuelli musculos, & non concuti cerebrum; sed etsi conuellatur quiescente cerebro, non dicuntur propriè Epileptici. Ratio est, quia signa essentialia cuiusvis morbi tenentur originari ex malo partis, quæ necessariò afficitur. Vndè cùm Epilepsiæ locus affectus sit cerebrum solùm, minimè verò aliæ partes corporis, nequeunt symptomata pendentia ex affectu aliarum partium à cerebro integrare essentiam morborum illius. Explicatur ita discursus. Laboret aliquis Caro, & dum ascendit humor malignus in cerebrum, irritetur spina aut exortus neruorum, vndè indè concutiantur ad expulsionem: hic adsunt signa essentialia Epilepsiæ, & tamen Epilepsia non est in rigore, quia symptomata illa non pendent necessariò ex affectu partis, quæ tenetur pati in Epilepsia. Itaque & concussio, & priuatio sensus & mentis ex affectu eiusdem partis, quæ necessariò tenetur affici, pendere debent, sicut conuenit inter Medicos, signa pleuritidis posse esse simul ex affectibus diuersarum partium, & nihilominus non est vera Pleuritis, quia signa essentialia non pendent ex affectu solo vnius partis: ita eodem modo philosophandum est in casu posito à Magistro; nam concussio causata ex malo alterius partis à cerebro, nequit integrare essentiam Epileptici morbi, qui est solius cerebri passio; estque reiicienda Schenkij doctrina *fol.* 118. appellantis particularem Epilepsiam, motum concussiuum alicuius partis sine cerebri passione.

Ex dictis contra Magistrum constat, nullum motum medio musculo operante per irritationem, aut quouis alio modo, intrare in essentiam Epilepsiæ, quia nulla pars musculosa est locus affectus, & ita quidquid ex actione propria musculorum dependet, est extra Epilepsiæ naturam. Vndè constat, similiter esse consentaneum doctrinæ Galeni, quod conuulsio totius corporis fiat ad cerebri contractionem; nam quia ex cerebro, & spina originantur omnes nerui, qui in musculo inseruntur, commoto cerebro commouetur spina, & hac mota contrahuntur reliqui nerui musculos componentes. Est commune exemplum, quando mouetur arboris truncus, ad cuius motus rami concutiuntur perspicuè, & clarè. Hinc constat mira varietas in motibus membrorum cũ cerebro consentientium: quia verò istud non semper agitatur æquali impetu, non trahit in quauis accessione totum corpus in concussionem: interiùs verò conuelluntur partes dextræ solùm, exteriùs solùm sinistræ, quandoque solùm oculi, labia, aut aliæ partes, quia non agitatur cerebrum semper æqualiter secundùm omnes partes sui. Interiùs verò tam impetuosè concutitur, & tam violenter curuatur, vt nisi

A à dæmone fieri, credatis difficillimè. Fœminam vidi tam violenter inflexam, vt parum deficeret, quin occiput calcaneos attingeret, & hoc tam impetuosè, & celeriter, vt vi humana putarent omnes fieri non posse. Sed quis referre poterit accidentium sæuitiam, varietatem, & implicationem, quibus fœminæ Epilepsiam patientes ex vtero, & corrupto semine, torquentur, est enim inexplicabile. Dum hæc scribebam, virginem Deo dicatam Epileptica accessione oppressam tam immaniter vidi, vt sine admiratione tantam accidentium varietatem contemplari non possem: corripiebatur vehementissima accessione Epileptica: antè verò quàm opprimeretur, ingruti corporis confractione, & tristitia, & dolore capitis torquebatur. Deindè cadebat subito, & tam violentis concussionibus quatie- B batur, vt quatuor Religiosæ eam in quiete continere non possent. Cessabat subitò concussio illa, & statim anxiè vociferabatur, & validè. Si aliquam ex assistentibus apprehendebat, ita dilacerabat tractionis impetu, & concussione violenta, vt non sine studio, & metu ad eam accederent, quinimò si brachia non continerentur, dilacerabat vnguibus seipsam. Inopinatè cessabat illa violenta, feroxque concussio, & omnes socias placido, & hilari vultu aspiciebat, deinde subitò Epileptica reddebatur, & Catochi modo oculos quietos, & feroces seruabat, ex angustia, & impetuosis motionibus inundabat sudoribus; interim verò solo deliquio animi videbatur affecta, mente, & sensu priuata sine motiuncula aliqua, sicque per tres, & quatuor horas, & amplius molestabatur sine læsione, & C debilitate in virtute notabili. Miros inuasionis modos tradit Schenkius (& adnotauit doctè Mercatus *lib. 2. de morb. mul.* antè citato) quos memoriæ mandabitis, vt si similes passiones suscipiatis curandas, confusionem vobis non adferant, sed singula potiùs accidentia obseruando, nec varietate perterriti, tanto malo sine hæsitatione opem feratis.

Sed redeamus ad id vndè digressi fuimus. Definiuit Galenus Epilepsiam per conuulsionem totius corporis non perpetuam. Inquiro, aut putauit esse necessarium ad conuulsionem totius, quòd totum corpus sit Epilepsiæ locus affectus, aut solùm cerebrum. Primum est insomnium, vtràque nuga. Si ergo solùm agnouit Galenus cerebrum vt partem affectam, & ex illius malo D tradidit conuulsionem totius vt essentiale signum, conuelletur totum ad cerebri motum. Vnde Auctor in præsenti capite tradens tres modos, quibus membra conuelluntur in Epilepsia: Primum ponit, quia nerui sequuntur substantiam cerebri, & læduntur ab eo, nec illa contractio erit vera conuulsio: tum quia membra conuulsa simul contracta manent in quiete, & contrario motu agitari repugnat, at membra Epileptica mota variis passionibus, & impetuosis molestantur: tum etiam, quia vera conuulsio nequit ab aliqua facultate fieri, sed à solo morbo, aut causa eius: motus verò Epileptici media facultate cerebri fiunt, aut motiua musculorum, si nerui irritentur. Lege Galenum 3. *de loc. cap.* 8. vbi clarè colligit, ex conuulsione totius esse malum in cerebro, & spinæ principio. Repugnat ergo esse veram E conuulsionem, neque alia conuulsio vera necessariò cum motu concussiuo implicatur, vt malè Montanus, & Vallesius putarunt, & rationes Capibacci contra illos sunt efficaces, quas Alsarius non diluit, & Galenus *de caus. sympt. cap.* 2. sic loquitur: *Quòd autem Apoplexia totius corporis sit Paralysis, & Epilepsia totius corporis conuulsio, supra est dictum.*

Malum hoc, vt constat ex dictis, grauissimum est, cùm constet accessionibus tam acutis. Est in primis in ipso oris spuma indifferens signum; nam sæpè est salubre finiente natura accessionem, expulsa materia agitatione violenta, & in spumam mutata. Interim verò exitiale putatur, cùm causatur nimirum ex Pulmonis

feruore ob defectum respirationis succedenti, & ex humiditate natiua, & spumoso sanguine illius spumam eleuante. In hanc causam sine ratione reduxit semper Hippocrates spumæ generationem in Epilepsia *lib. de morbo sacro*, dicens: *Spuma verò ex ore prodit ex Pulmone; cùm verò spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit, & ebullit velut moriens.* Huic doctrinæ experimentum refragatur, & Auicennæ auctoritas dicentis: *Spuma verò accidens in Epilepsia est propter agitationem motus spiritus, non propter præfocationem eius.* Ita Galenus 2. *Aphor. comment.* 43. in concussiuum motum reduxit spumæ generationem. Ante illos doctissimos Aretæus prædixerat ita: *Qui etiam (vt magnis procellis concitatum mare) spumam ore produnt.* Vtramque causam complexus Gentilis dixit: *Sed spuma Epileptici non est humiditas de substantia Pulmonis dissoluta, nisi epilepsia perducat ad mortem suffocando.* Quomodo verò causa distinguatur, facillimum est; nam si ob feruorem Pulmonis nascatur, proximus est interitus; difficillima erit respiratio, & sensus ferè extincti cum signis mortalibus: hæc deficient, si finiente natura accessionem, causetur. Auicenna verò tam ex continua concussione, quàm ex intermittente perniciem demonstrat. Continuata enim nimiam arguit causæ stabilitatem, & nihil extrudi ex ventriculis cerebri. Intermittere verò ambiguum est, vt spuma, cùm cesset concussio minorata obstructione, aut irritamento, tunc reliqua signa mutabuntur in melius. Si verò ob languorem virtutis cesset concussio ob mali victoriam, eritque fortè in Apoplexiam mutatio, & vt Princeps dicit, nimiam congelationem, & extinctionem significat.

Si superueniat Hydropisi, perniciem significat, Auctore Hippocrate in Coacis. Ostendit enim cacochymiam hydropicam partem principem expugnare; nec partes principes in consensum trahuntur, nisi quando vehementi passione opprimuntur trahentes. Idem Auctor eodem opere dixit, mori Epilepticos, si consueta sanguinis euacuatio deficiat, quod non est necessarium, vt constat; reddit tamen Medicum cautum. In eundem sensum reliquit scriptum: *Menstrua non supprimi vtile: Comitiales morbi ex iis fiunt quibusdam, longa aliis subductiones; aliis verò hæmorrhoides.* Et quia frequentior causa huius morbi cruditas est, præsagit Hippocrates, ex vrinæ cruditate, & tenuitate Epilepsiam venturam. Duas tamen excipit causas, & quòd consuetæ non sint, & non præcesserit repletio.

Sanantur in pueris ætatis mutatione, vt docuit 5. *Aphor. text.* 7. dicens: *Quibuscumque morbi Comitiales fiunt ante pubertatem, mutationē accipiunt; quibuscumque autem post* 25. *moriuntur.* Ratio est, quia corpus mutatur ad calidiorem, & sicciorem naturam: & ita succi crudi non fiunt, nec cerebrum est tam debile; languet enim nimio humore irrigatum, vndè Epilepsiæ ex mordacibus succis non commutabuntur ætate. Si verò post 25. annum ingruere incipiat, ferè moriuntur, id est rarò sanantur ætatis mutatione, quia ad meliorem, & robustiorem ætatem mutari non potest ægrotus: non tamen implicat, artis beneficio sanari, vt in commento docuit Galenus, qui doctè animaduertit, nec pueros sanari ætatis mutatione, si delinquant in victu. Nos sæpè sanauimus Epilepsias post puberem ætatem, & sanantur facilè à perito Medico, si ex deprauata victus ratione inceperit. Tempus pubertatis incipit à decimoquarto anno ad vigesimumquintum. Vnde Epilepsiæ vt sanentur ætate, incipient affligere ante decimumquartum annum. Est autem duplex commodum fœminis; nam non solùm mutantur in meliorem ætatem, vt mares, sed menstrua erumpentia maximo sunt auxilio, secernente natura per vterum prauitatem succorum. Dum hæc scriberem, sanitati adnitum restitui ferocissima Epilepsia detentum ex vso repetito anguillarum, cuius similem casum in alio tradit Schenkius ex doctrina Foresti: Erat illius tam violenta conuulsio, & deformis oris distorsio, vt sine admiratione conspici non posset. Terribilis, inquit Aretæus, morbus est, & in accessionibus peracutus, quandoquidem nonnunquam accessio vna hominem rapuit, quod & nos etiam vidimus. Si verò morbi crudelem naturam diligenti cura laborans sustineat, vitam ducit inter fœditates, ignominias, atque dolores. Puerilem ætatem feracem esse huius morbi, omnes cum experimento fatentur. Perdit nimirum illos inuidia pulchritudinis, indecens Paralysim, & oris torturam, aut amentes relinquit. Vndè si se in accessionibus spectarent ægri, & quæ patiuntur cernerent, non vltra vitam ducere tolerarent. Miratur non sine ratione Galenus, qua ratione Hippocrates Epilepsiam inter morbos iuuentutis enumeret 3. *Aphor. text.* 29. cùm pueritiæ videatur tam propria, vt appelletur morbus Puerilis, & ideò docuerit, ætatis mutatione sanari, vndè nisi ad errata iuuenum non occurrit Galenus. Othena verò *in obseruat.* docuit, plurimas Epilepsias à calida causa oriri.

Putauit Aristoteles, hominem solùm tam horribili fœditate vexari: contrarium experientia docuit. Coturnices enim, vt Plinius testatur *lib.* 10. *c.* 23. frequentissimè Epilepsia afficiuntur, ob quod in mensis damnantur, & in supplicium populi fastidientis mannam, ingentem copiam earum concessit Dominus, vt tam pessima carne saturatus, lueret pœnam delicti. Perierunt nimirum innumeri, vt locus ille sepulchrum concupiscentiæ vocetur: est perniciosa caro ex propria temperie, & quia Elleboro alitur; vndè & conuulsiones inducere testatur Galenus. Inde Conciliator vltimum gradum malitiæ inter volatilia docet habere; fuitque Ægyptiis ad innuendam omnem immunditiam hieroglyphicum. Capras etiam, & oues epilepticas tradit Hippocrates *lib. de morbo sacro*; illas, quia melancholicæ naturæ; oues, quia humidiores nimis, & pituitosæ. Melancholiam enim, dum vergit ad corpus, Epilepsiæ esse originem *in Epid.* 6. docuit. Monteus verò non semel Psyttacos, canes, simias, & cercopitecos vidit. Mirandum, quod tradit Schenkius, tam violenter oppressum aliquando comprimi cerebrum, sicque dilacerari concussionibus, vt portio illius pelleretur per nares. Est morbus lunæ subiectus: vndè in sacris Epileptici, lunatici appellantur, vt constat ex 4. *cap. Matth.* & *cap.* 17. ob quod hic morbus sacer appellatur, etsi ob magnitudinem ita interpelletur, quia omne magnum, sacrum dicitur; nec minus quia ope diuina eger, vt auferatur, aut quia dæmone correptus Epilepticus videatur. Est tamen dignum consideratione, quòd quidam Epileptici opprimuntur in plenilunio, alij verò in interlunio; dependet discrimen ex natura succorum; quibus enim atra bilis abundat, plenilunio torquentur, quia ex eo æstuat luna, & calefacit magis, sicque calidos humores acriores reddit, & stimulantes, & abundat plus, vt abundant in æstate. Est enim plenilunium lunæ æstas. In interlunio verò moderantur in copia, & frigidiori influxu lunæ tepescunt, & sic minus irritant. Vt verò pro frigore interlunij calidi, & acres moderantur, ita pari ratione succi crudi, & pituita increscunt, & ita Epilepsia pituitosa in interlunio excruciat, & crescit quando decrescit luna, vt crescunt frigidi humores in hyeme: est verò decrementum lunæ hyems illius. Rursus si ratione excrementorum ex inconcoctione pendentium malum originetur, per interlunium molestat, quia eo tempore augentur. Si verò ex abundantia vtilis humoris, est contra, quia in plenilunio viuentia omnia magis replentur vtili humido. Dependent mutationes ex maiori, aut minori lumine à Sole suscepto: lumen enim intensius, quod plenilunium est, calefacit magis, & sic concoctionem iuuat.

CAPVT III.

De reuocatione ab accessione Epileptica.

AD curam huius mali vt acuti, solùm pertinet accessionem præsentem auferre; quòd verò non redeat afflictio, spectat ad dispositionem generantem causam, vt roborationem cerebri; & hoc chronicum est, & non acutum malum. De modo verò, quo reuocandi sunt ab accessione, nil ferè dicit Auicenna in præsenti capite; totam enim caput dicauit medelæ disp. præter naturam, vt impediatur reditus accessionis.

In primis ergo vt reuocentur ægri, si moderatè conuentiantur membra, permittenda sunt, nam mouentur ad nociui expulsionem: vnde ex toto cohibere amethodum est. Si verò vehementer conuentiantur, continenda leuiter sunt, nam nimio motu laxantur. Pituita diligenter ab ore extrahatur, spongia baculi extremo ligata, & calida aqua imbibita, Frictiones verò asperiores scapularum, & dorsi, partiùmque reliquarum, magnum esse auxilium Sennertus tradit; quod sine ratione Erastus negauit; tota etiam spina inungenda oleo rutaceo, Castorei, liliorum alborum, Petroleo cum guttulis aquæ vitæ; ligentur fortiter cruta, & fricentur, & si conuulsiue motus permittant, cucurbitulæ applicentur; reuellunt enim mirabiliter, præsertim conferunt, vbi aura maligna, aut flatus accessionis auctores sunt, ruta olfacienda, & odor thimi, & pulegij contritorum statim excitat. Vt strenuum remedium putatur in os Epileptici effundere aquam stillatitiam cerasorum dulcium, aut modicum salis imponere, vt docet Mercatus, & summè laudat; melius Sennertus, salem rutæ, peoniæ, & ex aliis plantis antepilepticis commendat. Est etiam optimum ℥j. mitridathi cum ℈j. Thariacæ smarag. & guttis iiij. Castorei: pro pueris in aqua cerasorum dulcium, & rutæ diluetur, vt deglutiatur paulatim. Pro grandioribus verò in Serap. Peoniæ, & stechados, aut oximelle scilitico. Quòd si vehemens dentium concussio sit, vt frangi periclitentur, & lingua vulneretur, sacculos parerur ex linteo raro, aut serico cum saluia, & Pulegio, maci, ruta, & Castoreo: confert enim mirè ad accessionis breuitatem, ita tamen accommodetur, vt respirationem non lædat. Auribus instillatur oleum Cinnamomi, vel Saluiæ, quo etiam transacto augmento vtiliter inunguntur cerebrum, & spina, & necipitium, vel balsamo legitimo tota facies lenitur, item tempora, & nares, palatum, aut theriaca veteri in aqua vitæ dissoluta; in nares iniiciontur Castoreum, cum modico Euphorbij in succo rutæ dissoluta.

Diligenter notandum, frequentiùs malum initium sumere ex satietate, aut deprauato alimento, aut in pueris ex lactis concretione, aliàs corruptione, vel grumis, in quo euentu ante omnia citandus vomitus, penna oleo intincta, iniiciendi clysteres, aut applicanda suppositoria, nam quauis euacuatione liberantur facilè. Cauendus tamen vomitus, si non præcesserit satietas, quia conuocat ad caput humores, & replet, vt contra Erasistratum probauit Galenus. Confert etiam ad citandum aluum puerorum, vnguento de agrippa inungere ventrem ab vmbilico inferiùs, & vmbilici cauitatem replere vnguento de artanita. Quòd si accessio duret, scarificandæ cucurbitæ iuxta ceruicem, dum non sit plenitudo totius: sæpè enim deriuando prosunt. Si verò plenitudo infestet, primò scarificabuntur in partibus inferioribus, deindè in supernis.

An verò liceat sanguinem mittere in accessione Epileptica, meritò dubitabitis: omnes ferè Auctores huius auxilij non recordantur. Aretheus similia remedia commendat, atque in Aploplexia ita dicit: *Quotquot autem ad mortis celeritatem euitandam facienda sunt, horum plura in sermone de attonitis tradidimus; venæ sectiones, alui subductiones, inunctiones, cucurbitulas: hæc enim vt homo expergiscat, valentissimè efficiunt.* Quæ doctrina verissima est, præsertim quando ex sanguinis copia Epilepsia causatur, vt multi putant, quinimò in omni Epilepsia ex humore pendente, si vigeat obstructio, secanda est, vt secatur ab Auctoribus in quauis Apoplexia humorali, & difficilius est secare venam in Apoplexia, quia cùm sit obstructio maior, plus infrigidatur cerebrum, & citiùs sanguis concrescit quando ex melancholia & pituita nascitur. Quod si menstrua purgatio suppressa fuerit, nihil vtilius quàm ex talo sanguinem mittere, nisi periculum suffocationis instet, vt cogat priùs secare Cephalicam. Itaque non dubito, cuicumque Epilepsiæ humorali esse idoneum remedium, si omni Apoplexiæ conuenit, cùm qualibet Epilepsia humoralis sit via ad Apoplexiam, quod præcipue faciendum, quando non reddita meliori respiratione, conuulsiones cessant; nam præterquam quod tunc exercetur commodius ob brachiorum quietem, significat quies membrorum in Apoplexiam mutari, & duratio accessionis aperte innuit, magnam obstructionem opprimere cerebrum, aut transmissionem continuari nimis; in quo euentu sine euacuatione vniuersali irrita fiunt reliqua auxilia, & multa incommodè operantur; nam calefacientia, irritantia, & resoluentia materiam in plenitudine cerebri, aut totius, plus conuocant, & sine ratione applicantur. Hinc Paschasius, antequam resoluentia, & irritantia per nares applicentur; vtramque Cephalicam secat, aut scatificatis cucurbitulis inter scapulas, sanguinem, & plenitudinem minuit. Galenus 4. *de vict. rat. in acut. comment.* 53. Epilepsiam ex plenitudine admittit, quia venæ replentur supra modum, & extinguitur natiua caliditas. Et *comment.* 25. cum Hippocr. sanguinem extrahit in omni vocis interceptione ex plenitudine; sub quo symptomate Epilepsiam numerari docuit Galenus *loco primo allegato*. Nec signa adducta *ex* 26. deuiant ab Epilepsiæ natura; nam priuatus homo voce, & motore cum manuum porrectionibus, & stridore dentium alius non est ab Epileptico; quinimò si Auctoribus est adhibenda fides, Theodoricus *lib. 4. Chirurgica* tradit, quòd si in prima accessione Epileptici fiat sanguis detractio a quouis membro, nonquam deinceps æger à tali victu infestabitur. Holerius verò ita loquitur: *Orpheus, & Archelaus contaminabant faciem ex quacumque parte corporis ducto sanguine, atque ita statim exurgere Epilepticos testantur.* Aëtios huic doctrinæ subscribit: *Dydimus Medicus extracto sanguine ex pedis pollice labra Epileptici inungebat.* Vndè sine ratione Sennertus hoc auxilium damnat *cap. proprio, quæst. 6.* imò si eius fundamenta attentè legantur, contrarium potiùs suadent. Vbi verò inutilis censenda videtur, est in Epilepsia ab aura maligna excitata, quæ irritatione potiùs, & consumptione spirituum fatigat. Vbi verò sanguinis copia auctor est, præsertim si euacuatio consueta suppressa præcesserit, temerarium esset, si leuioribus auxiliis malum non remittatur, tam magno auxilio ægros priuare, sine quo plenitudo quiescere nequit, præcipuè vbi tam celer inanitio requiritur, ne in Apoplexiam mutata, Epilepsia irremediabilis fiat.

Si verò accessiones breuiter repetant, aut quæ primò afficit, nimis extendatur, vt solet, & relata remedia sint sine commodo adhibita, vnicum superest auxilium, Causticum scilicet, medicamentum supra nucam applicatum; hoc enim confestim exulcerans virus à capite emanare incipit, & strenuè confert. Testari possum aliquos relato medicamento, quibus vitæ nulla spes erat, non sine honore reuocasse: vlcus tamen diù seruandum reclusum. Veritatem remedij confirmat Alsarius multis experimentis alterius Medici; malè tamen consulit, quòd quando reliqua auxilia effectu

frustrantur,& accessio diuturna durat, aut breuibus interuallis recurrit, ad ignem, & ferrum veniendum sit, & cauterio fit intercendus pars dicta, aut cedat setone vlceranda: vt enim docte adnotauit Mercatus, hæc auxilia tardiùs operantur, quàm tantæ vrgentiæ conueniat, & ideò ad vessicantia recurrendum, quæ breuissimè exulcerant, & statim vacuatur mali materia.

Inter probata remedia, quæ vt amuleta applicantur, primas tenet vngula alcis: Si enim pars aliqua vngulæ manu comprimatur, statim abigitur Paroxismus. Item Peonia collo suspeditur, vt non redeat accessio. Habetur de hoc historia celebris in Galeno 6. *Symptom. cap. proprio.* Eximia proprietas ad eradicandum à Paroxismo, in succo rutæ inuenitur, non tantum cum castoreo naribus iniecto, vt ante à docui, sed melli scillitico admixto, & deiiciatur paulatim; sit autem succi parua portio. Solus odor rutæ prærogatiuam habet ad abigendam accessionem. De experimentis est historia apud Tralianum, & nulli dicit esse reuelandum secretum, qui & molta alia tradidit latenti natura (vt ipse ait) opitulantia: Platerius *lib. 1. obseruat. fol. 26.* Infantem per triduum paroxismis Epilepticis oppressum sic liberauit. Succum rutæ aceto forti permixtum, in spongia naribus continuò applicabatur, cuius vsu statim ad se redibat, sed breuiter reuertebatur accessio, etsi leuiùs. Cordi applicuit ℥j. theriacæ cum pulu. radic. Peoniæ, & eodem puluere capilli conspergebantur, & præter spem omnium euasit. Optima est mixtura Mercati ex succo rutæ, melle scillino, & theriaca, qua linguam, & palatum inungit. Occipiti ponendum est linteum madidum oleo rutaceo calido, & theriaca dissoluatur in vino albo generoso, quo caput inungatur, aut theriaca sola calida in grandioribus fincipiti illiniatur. Præstat etiam cum aqua vitæ eandem partem fouere, & desuper iniicere pulueres seminis rutæ, maioranæ (Sampsucum vocant) cubebarum, & moschi, aut ea eisdem rebus cum cariophylis, sebinanto, & puluere radicum Peoniæ & diambræ; sacculus parabitur pro toto sincipite, & calidus applicabitur; mirè enim roborat, & resoluit, exsiccatque pituitosam materiam.

Montagnana verò, vbi relata auxilia satis non sunt ad auferendam accessionem, sumit cordulam de corio arietis, & cum ea mediocriter stricta scrotum ligat iuxta radices, vt infallibile auxilium commendat. Turtur depiletur, & vmbilico fœminæ viuus applicetur, virum enim extrahere creditur, quo & ipsa conuellitur, & vitam agit, finitque paroxismum, vt ex aliorum auctoritate refert Sennertus. Si verò vigeat accessio aut grauitate, aut duratione, curanda est vt Apoplexia incipiens. Quomodo verò præcauenda sit repetitio accessionum, pertinet ad medelam cronicorum, de quibus seorsum agemus, & doctè tradit Mercatus in praxi, & *lib. 2. de morbis puerorum, cap. 1 a.*

DISPVTATIO VIII.

De Apoplexia.

CAPVT I.

Quid hoc malum sit.

DE hoc exitiali affectu tractat Auicenna *fen.* 1. *huius lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 11. cum sic describit: *Apoplexia est otiositas membrorum à sensu, & motu propter opilationem in ventriculis cerebri, & in cursibus spiritus sensibilis, & motiui.* Non dicit, quorum membrorum sit otiositas, quia est omnium non dubiè;

A desumpsit enim ex communi Medicorum doctrina. Vnde Galenus *lib. de diff. symptom. cap. 3.* dixit, quòd Apoplexia est *totius corporis resolutio simul cum reliquis partis functionibus cohibitis.* Quam doctrinam sequutus Aetius dixit *Tetrab. 2. serm. 2. cap. 17. Sideratio est priuatio sensus, & motus totius corporis vnà cum lesione principalium actionum derepentè incidens.* Paulus *lib. 3. cap. 18.* sic loquitur. *Quando neruorum principium communem affectum est, eo quòd omnes corporis particulæ sensum, motumque amiserint, Apoplexia morbus appellatur.* Ob quod Galenus 2. *Aphorism. comm.* 43. docuit, Apoplexiam generari propter omnimodam carentiam illius potentiæ, quæ ad neruos defertur. Idem tradit pluribus in locis, & cùm tam grauis læsio fit in cerebro, vt in principio primo, & radice sensus, & motus, quòd omnia
B membra ablatam actionem patiantur, difficilem esse respirationem, dubitandum non est; nam thoracis motus, & sensus non minus pendet ab influxu cerebri, & animalium spirituum, quàm reliquorum membrorum. Vnde Galenus 2. *Aphorism.* 42. ex maiori, aut minori læsione respirationis diuersas Apoplexiæ species constituit. Iam verò insinuauimus *cap. de Caro*, non esse satis, quamuis læsionem in respiratione, non Apoplexiam constituat cum aliis accidentibus, sed magnam læsionem requiri, nam vt est acutior morbus, & periculosior omnibus aliis affectibus capitis, & ratio periculi consistat in ratione respirationis; Duo colliguntur necessariò, & quòd omnis Apoplexia includat intrinsecè difficilem respirationem, vt signum essentiale; & quòd læsio debita essentialiter Apoplexiæ sit maior,
C & grauior quàm qualibet alia debita acutis morbis ceteris interficientibus, cum difficili respiratione, non quidem, quòd Carus non possit inducere tam difficilem respirationem vt Apoplexia: nam si potest sub ratione formali Cari interficere, & non interficit, nisi lædendo respirationem; constat clarè tam grauiter lædere aliquando vt Apoplexia. Est tamen nihilominus Carus, qui incepit cum difficili respiratione, cum quia ob leuitatem non constituunt, nec potest Apoplexia. Idem dico de Catocho, & Epilepsia. Verè enim dicunt Medici, hunc ægrotum Epilepsia periisse: illum Catocho, &c. Et cùm hi morbi, quando interneçant, non inducant mors aliter quàm priuatione sensus, & motus, & difficili respiratione tantam noxam inferant respirationi, motui, & sensibus, sicut Apoplexia;
D verùm in illis est accidens superueniens in Apoplexia essentiale; & cùm ex alia parte sint signa debita Epilepsiæ, aut Cathoco, dicimus iis affectionibus periisse: hoc dico iuxta communem modum loquendi Medicorum; nam Carus etsi detur sine Apoplexia, non tamen potest increscere sine illa, quia auctus non habet aliquod signum ab ea diuersum. Solùm enim differt in modo innasionis, dum ab humoribus nascitur, quia ille paulatim fit, & increscit, & Apoplexia est subita priuatio motus, & sensus, quamuis non perpetuò subitò excitetur. Hinc colligitur adæquata definitio Apoplexiæ: *Est enim integra priuatio sensus, & motus cum læsione magna respirationis.*

Ex qua diffinitione constat differentia hujus morbi à reliquis passionibus, quibus aliquo modo assimilatur;
E nam à lethargo differt, quia hic non habet ablatas actiones, sed diminutas cum febre continua, quà Apoplexia caret: ab Epilepsia, quia hæc parum lædit respirationem, & habet motum conuulsiuum vt signum essentiale. A Catocho similiter, quia non lædit necessariò ablatè omnes actiones sensus, & motus, & rigidum manet corpus cum perpetua oculorum apertione. A syncope differt, quia in ista facies ægroti cadauerosa, & extenuata statim apparet. Pulsus debilis nimis, paruus, tardus, & rarus, & frigidum corpus existit; & in Apoplexia facies turgida & benè colorata conspicitur, & pulsus constant, fruntque maiores, quia vsus augetur,

getur, & non est passio in corde, sed in cerebro: & cum ex plenitudine cerebri pendeat, turget facies, & quia syncope ex defectu causatur, extenuatur, & similis cadaueri apparet. Respiratio in Apoplexia parua magno conatu efficitur, & angustiosa sæpè cum stercore, at in syncope parua, tarda, & rara, quia frigidum cor existit, sæpè non apparet ob paruitatem. Vnde nec stertunt, nec conatu respirant, quia pro ratione vsus satis constat facultas; in Apoplexia minimè, sed vsus auctus est, & impedita facultas, ob defectum influxus cerebri, & spirituum, & sic magno conatu respirant ad satisfaciendum vsum. A Caro differt, quia multò minus læduntur sensus, & motus in illo, neque læsio respirationis est tanta, vt docuimus. Paulatim ingruit, si sit humoralis. Manent verò hystericæ sensu & motu priuatæ, cum difficili respiratione: facilè verò discernuntur ab Apoplecticis, si facies attentè contempleris. Est enim histericis extenuata, non dissimilis syncopizanti, aut iis qui animo linquuntur, præsertim si contingat histerica passio ex corrupto semine. Si diligenter venter inferior tactu exploretur, rarò non est turgidus ex distensione vasorum vteri. Vndè & pulsus tensus, paruus, & tardus existit; viuidus calor deperditur multò magis quàm in Apoplexia, & frigidius percipitur corpus.

CAPVT II.

De morbo à quo causantur talia accidentia, & de parte affecta.

Sententia Galeni est, omnimodam priuationem sensus, & motus cum magna difficultate respirationis pendere ex obstructione ventriculorum cerebri, & nullo modo ex distemperie. Ita 3. *de locis cap.* 7. dixit: *Apoplexiæ quod subitò eueniat, aut frigidum succum, aut crassum, aut viscidum, qui cerebri ventriculos affatim implet, non totius substantiæ intemperiem causam esse manifestum est.* Idem tradit 2. *lib. de caus. symptom. cap. vlt.* Idem constat ex nostro Auctore in definitione relata. Vndè quod inferiùs dixit Auicenna, quòd hæc opilatio accidit, quia qualitas aliquando perueniat ad ipsum cerebrum ingrossatiua, & faciens ipsum stipticum, sicut frigus magnum, & forte; non est intelligendum, quòd sola frigiditas Apoplexiam causat; nam tantum frigus, occasione cuius tam validè occludantur ventriculi, & substantia cerebri, quòd animal mutum, & priuatum motu, & sensu reddatur, viuo animali dari non potest, quamuis Gentilis, & Iacobus illud admittant. Tradit ergo ibi Auicenna causas claudentes poros cerebri, inter quas connumerat frigus; non tamen ita claudit, vt Apoplexia causetur. Et constat, quia etiam adducit inter causas clausionis dolorem; ob hoc verò Apoplexiam causari, quia cerebrum contrahatur ad expellendam causam inferentem dolorem, nullus dixit. Quod verò ex obstructione pendet, iam constat esse morbum in conformatione; nam obstructis cauitatibus cerebri, & ventriculorum, destitui spiritibus animalibus, sine quorum ope sensus, & motus non aguntur, probatione non eget. Nec est putandum, solos ventriculos obstrui sine corpore cerebri, cùm hoc patiatur magis, quàm ventriculi, vt constat ex eodem Galeno 4. *de locis affect. cap.* 2. dicente: *Verùm in sopore, & morbo comitiali ventres magis cerebri, corpus minus; in Apoplexia corpus magis affici solet.* Illud magis intelligendum est, & quòd patiatur plus in Apoplexia corpus cerebri, quàm in Caro, & morbo comitiali, & quòd patiatur plus in Apoplexia ipsa, quàm ventriculi, ita vt satis non sit ventriculos pati. Ratio vnde id deducitur, pendet ex magna læsione sensuum, & motus; nam si substantia cerebri non obstrueretur, etsi ventriculi es-

A sent obstructi, non esset tanta priuatio in sensibus omnibus; nam intra poros & cauitates cerebri contineretur copia spirituum, quibus sensus aliquid participarent: nec esset omnimoda carentia influxus animalis, si corpus cerebri non pateretur. Hoc autem est contra Galenum dicentem ita 2. *Aphorism. comment.* 45. *Verum Apoplexia ob omnimodam carentiam illius potentiæ, quæ in neruos defluit, generatur.*

Causantur etiam relata symptomata ex inflammatione cerebri, nam per hanc non minus occluduntur ventriculi, cauitatésque cerebri, quàm per humores obstruuntur, cùm distendatur substantia cerebri ratione tumoris, & sic occupet locum maiorem. Ita Auicenna *in hoc capite* dicit: *Repletio verò, aut est repletio apostemans, aut non est apostemans.* Desumpsit ex Galeno 2.
B *Aphorism. comment.* 42. dicente: *Omnes Apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem inflammatoriam, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut ventriculis ipsis oppletis humore pituitoso.* Inflammatio est morbus in magnitudine aucta, quia tumor contra naturam, ad quam sequitur morbus in conformatione viriata, quia cauitates deficiunt, aut redduntur minores.

Nec obstat, quòd Capibaceus in Galenum debacchatur, nimirum non esse intelligendum per inflammationem tumorem præter naturam; nam hæc non Apoplexiam, sed Phrenitidem causat, vt constat *ex c. de Phrenitide.* Dicit ergo quod per inflammationem intelligere oportet vasorum plenitudinem, à qua distenduntur, & ratione caloris sanguinis dicitur impropriè
C inflammatio. Quæ doctrina tradit alium modum Apoplexiæ probabilem, ex plenitudine scilicet vasorum cerebri, quæ distenta nimis vias spirituum precludunt, & æger subitò priuatur sensibus, & motu; quod etiam tradit Salius, & ante omnes Galenus *lib. de causis morborum*: tamen quòd ratione tumoris contingere nequeat Apoplexia, non probat auctor ille; illud enim docuit Auicenna *in hoc cap.* dicens: *Repletio verò apostemans est, vt illic contineatur materia, & oppilet ex parte extensionis, & est ex speciebus Apoplexiæ peruersa.* Vbi clarè docet, obstrui cerebri vias, quia extenditur substantia illius; quod contingere nequit sine tumore contra naturam, nec esset cur putaretur ab hoc auctore peruersa hæc species, nisi includeret tumorem vt cau-
D sam: nam quando ex plenitudine vasorum causatur, vt putauit Capibaceus, non solùm non est peruersior, sed facilioris curationis, quia faciliùs multò euacuatur materia intra vasa contenta, quàm extra illa. Et ratio à priori est, quia non implicat substantiam cerebri inflammari, & pro magnitudine inflammationis comprimere vias spirituum, & mutum hominem reddi. Nec ratio illius aliquid probat. Primò, quia potest fluere sanguis tam breuiter, vt antequam putredinem concipiat, causetur Apoplexia, in quo euentu non faciet Phrenitidem ante Apoplexiam, nec si putrescat, posteà illam causabit, quia oppressio cerebri, & insensibilitas impedit delirii actualem existentiam, cùm hoc sine perceptione obiecti persistere nequeat, nec phrenitis sine delirio.

E Aliam speciem Apoplexiæ admittit Magister noster *lib. de locis affect. disp.* 18 c. 2. quando nimirum vulnus penetrans ventriculos cerebri pertingit. Docuit enim Galen. 7. *de Plac. c.* 6. quòd si cerebrum ipsum quomodocumque incidas, non admittet animal priùs sensum, & motum, quando ad aliquem ventriculum vulnus penetrauerit; quòd si ad ventriculos penetret, animal priuabitur sensu, & motu repentè; in quo casu non erit alius morbus, nisi Apoplexia, cùm sint essentialia signa, priuatio scilicet subita motus, & sensus cum difficili respiratione. Quæ doctrina mihi non placet. Ratio est, quia Apoplexia, vt constat ex communi Medicorum doctrina, est soporosa passio, & som-

nus contra naturam. Talis verò non causatur, nec potest ex solo defectu spirituum, nisi sit in cerebro impedimentum obstruens, aut comprimens vias, quibus communicandus est influxus spirituum, vt probauimus *cap. de Caro.* Alioqui omne deliquium animi esset somnus contra naturam, quia ligantur sensus ob defectum spirituum. Vt ergo negat Magister deliquium esse soporosam passionem, ita negare tenetur defectum sensus, & motus causatum ex vulnere penetrante esse somnum contra naturam, quia est eadem ratio, vt constat. Rectè ergo dicunt aliqui, quòd Apoplexia non definitur integrè per priuationem subitam sensus, & motus cum difficili respiratione, nisi addatur propter impeditum transitum animalium spirituum, vt constat clarè ex definitione Auicennæ dicentis: Apoplexia *est otiositas membrorum à sensu, & motu propter opilationem contingentem in ventriculis cerebri, & in cursibus spiritus sensibilis, & motiui.* Vnde priuatio sensus, & motus sequuta vulnus ventriculos penetrans, est verum deliquium animi, & non somnus contra naturam.

Indè etiam constat causari Apoplexiam aliquando ex compressione Cranei comprimentis cerebrum, & ventriculos, quia eodem modo priuatur animal sensu, & motu, & non cadit sub dubio, quòd causæ Cari, si intendantur, terminentur in Apoplexiam. Iam verò explicuimus *cap. de Caro*, ab hac causa pendere aliquando; tunc verò est morbus in situ, ad quem sequitur alius in conformatione. Est enim Craneum in loco, in quo non debebat existere, & obstruens cauitates ventriculorum, & cerebri morbum in conformatione producit.

De affecta parte satis liquidò constat esse substantiam cerebri, & ventriculos omnes. Id docuimus ex Galeno 4. *de loc. affect.* c. 2. id etiam ex definitione Auicennæ constat, & probatur rursus omnes ventriculos pati, quando si tantùm vitiaretur ventriculus posterior, non oporteret, vt otiositas sensus esset in anteriore parte capitis; nam nerui, quibus partes faciei habent sensum, ab anterioribus procedunt, & ita inferius inquit: Plurimum verò causæ Apoplexiæ erit in ambobus ventriculis posterioribus. Ratio est, quia plurimum læditur respiratio in hoc malo: nerui verò seruientes respirationi ex parte posteriori nascuntur; Sed præcipuè quia pars posterior cerebri est paratior ad hoc malum, tum quia durior, & minor perspirabilis, & sic plus excrementi colligit. Secundò, quia non habet vias tam magnas, ac communes canales, per quos excrementa expurget, vt habet anterior pars. Contra hoc stat experimentum Fernelii 2. *lib. de abdit. rer. causis, capite* 15. Cùm enim dissecaret virum, qui ex ictu oculi sinistri intra duodecim horas vitam egit Apoplecticus, nec ossis, nec meningum, nec substantiæ cerebri quidquam diuulsum apparuit, sed tantum oculi venas contusione disruptas, ex quibus sanguis coclearium duorum mensura in cerebri vas procubuerat, qui concretus arterias eas obstruebat, quæ retiformem contextum conficiunt: Cerebri autem ventriculi prorsus illæsi, inanésque cernebantur. Idem in alio obseruauit; quod placitum sequitur Sennertus *fol.* 804.

Dubitant hîc Auctores, an detur Apoplexia per consensum defectu alicuius requisiti, & debiti cerebro: est enim consensus duplex. Primus, quia pars recipit id quo non indiget, & hoc modo non est dubium excitari Apoplexiam per consensum, cùm humores, & flatus aliundè recipere possit. Secundo modo dicitur pati pars per consensum, quando priuatur aliquo requisito ad operandum, vt quando pars aliqua priuatur sensu, & motu; quia influxum ad eas actiones requisitum à cerebro recipit, & propter obstructionem in via, aut in ipso cerebro non recipit illum. Videtur autem hac ratione esse impossibilis consensus, quia ad sensum, & motum non dependet cerebrum ab alia parte influente in A illud, cùm sit ex se origo omnis influxus requisiti ad motum, & sensum: generat nimirum in se spiritus animales, & ex propria substantia influit in se, & in reliquas partes: ergo nequit quantum ad animales actiones pati per consensum defectu alicuius requisiti.

Ex alia parte stat auctoritas Phil. concedentis somnum contra naturam ex obstructione venarum, & arteriarum, quæ dicuntur ab effectu soporariæ, quia eis compressis, aut obstructis sopor hominem prehendit. Verba sunt *cap.* 2. *lib. de somn. & vigilia*: *Prætereà quibus venæ iugulares apprehenduntur, astringunturque, eripi sensus solent.* Idem docet Auerroes 3. *collect. capit. vltimo*: *Apoplexia* (inquit) *fit aut propter oppilationem arteriarum, quæ deducuntur à corde in cerebrum, aut propter oppilationem ventriculorum.* Ratio est, quia necessariò B concedendum est, à calore vitali communicato à corde cerebri actiones pendere, cùm dependeant omnes: ergo ex defectu illius incident omnes in priuationem sensus, & motus, & difficilem respirationem. Constat verò obstructis iugularibus arteriis impediri communicationem vitalium spirituum, & cerebrum priuari influente calore: tum etiam, quia omnes fatentur, vitales spiritus esse materiam, ex qua animales fiunt: ergo deficiente vitali spiritu erit animalium penuria, & inde priuatio sensus, & motus.

Magister noster *loco allegato* concedit duo. Primum est, quòd statim ac comprimuntur prædicta vasa, non priuatur homo repentè sensu, & motu: quod docuit Galenus 2. *de placitis, cap.* 6. vbi ex præcisione, aut ligatura arteriarum carotidarum, neque mutum, neque C sopitum animal effici docet; sed solus impeditur motus earum supra præcisionem, & ligaturam. Ratio est, quia vitales spiritus existentes in cerebro non dependent in conseruari à corde; & ita quamuis non influant alii de nouo, erunt in cerebro qui anteà existebant auctores sensus, & motus. Dicit secundò, quòd tandem durante obstructione, aut compressione priuabitur homo sensu, & motu, & incidet in Apoplexiam per consensum, quia resolutis spiritibus anteà in cerebro contentis, cùm non communicentur de nouo vitales, vt impedimentum viarum, deficient simul animales ob defectum materiæ, & ita actionibus dictis priuabitur æger, eritque verè Apoplecticus, quia priuatus omninò sensu, & mente, & difficulter respirans: simulque notat, quòd etsi nullo modo deficerent animales spiri- D tus in cerebro, si semel fateamur spiritus vitales non communicari, sequetur similis Apoplexia, quia non minus requiritur vitalis qualitas ad motum, & sensum, quàm animalis, & ita ex cuiusque defectu reddetur homo Apoplecticus.

Hæc doctrina mihi non probatur, ideò existimo, quòd etsi ex obstructione arteriarum Carotidum priuetur homo sensu, & motu, non dicatur dormire contra naturam. Id docet expressè Aristoteles *lib. de somn. & vigil. cap.* 2. vbi probans non dici ad conuertentiam otiari sensus, & somnum esse, ita dicit: *Constat autem multis argumentis, somnum non ea re consistere, quòd otiosi sensus sint, nec eis vtatur anima, quidquid sentire non possint; nam cùm quis animo linquitur, tale quid eue-* E *nire constat, quando defectus animæ non nisi nexus quidam, & impotentia sensuum est: idem & in deliriis quibusdam contingere potest. Prætereà quibus venæ iugulares apprehenduntur, astringunturque, eripi sensus solent.* Quibus verbis clarè docet, somnum non esse priuationem, & otiositatem sensuum ex compressione vasorum iugularium ortam, sicut nec cessatio potentiarum in deliquio animi somnus appellatur. Itaque si quilibet defectus animalis influxus, aut vitalis, otiosos sensus reddens, est somnus contra naturam, omnes syncopizantes, aut deliquio animi stupidi dicerentur dormire contra naturam, quod & Aristoteles negat, & negauit etiam Magister, vt *capite de Caro* retulimus, nec minus

causaretur

causaretur Apoplexia ex compressione, aut obstructione principii arteriæ magnæ, cùm deficeret similiter fluxus vitalis, aut quando terrore intenso retraheretur violenter vitale calidum, & homo cadit priuatus sensu, & mente.

Dicendum ergo est, non dari somnum contra naturam per consensum defectu requisiti, si existat morbus in alia parte à cerebro, sed esse necessarium causam somni in cerebro existere, quod loco allegato docuit Aristoteles: *Verùm impotentia sentiendi, si non quacumque de causa eueniat, nec in quouis sensu sit, sed sicut nuper dixi, in primo sensu quo animal omnia percipit, somnus est*; quasi diceret, impotentia sentiendi non dicitur somnus a quauis eueniat causa, nec impotentia cuiusvis sensus est, sed quando existit in primo sensu, id est, in organo sensus communis, nam tunc neque ille, neque reliqui sensus quicquam percipiunt, & ita dormire dicitur animal. Quod confirmatur, quia si esset peculiaris passio in quouis organo sensuum externorum, & internorum, ratione cuius non perciperent sensus obiecta, quæ secundùm naturam tenebantur percipere, non diceretur æger dormiens, sicut nec cæcus, nec surdus secundum visum, aut auditum dormire dicitur: quia cessatio, & otium potentiarum pendet ex proprio morbo, & non ex affectu partis, ad quam radicaliter pertinet somnus, & vigilia, & facultatis sentientis origo, cerebrum scilicet. Vnde pari ratione, nec compressio vasorum iugularium, etsi impediat communicationem vitalium spirituum, & inde homo sensu, & motu priuetur, somnum causat contra naturam, sed deliquium animi, vt causat illud recessus vitalis caloris ad intra in timore subito, alioqui quando per distemperiem cordis non generarentur vitales spiritus, & sensus, & motus deficerent, redderetur homo Apoplecticus, aut quando ex vulnere penetrante ventriculos cordis, euacuarentur spiritus, quod nullus dixit, & omnis syncopis ab obstructione cordis dependens Apoplexia foret.

CAPVT II.

De causis, & speciebus Apoplexiæ.

APoplexiam causat quilibet humor, & spiritus crassus, aut vapor; item affectus inflammatorius, & Cranei compressio magna. Vnde constat, tot esse species Apoplexiæ ex parte causarum desumptas. Frequentissima causa est pituitosus humor, vt innumeris locis Galenus tradidit 2. *de caus. symptom. 7. & cap. 8. lib. 3. de locis, & 4. lib. cap. 2. & 3. Aphorism. comment. 21. & comment.* 31. ob quod docuit esse morbum senectuti familiarem, & in hoc concors est omnium antiquorum sententia. Nec obstat quod Hippocrat. 6. *Aphor. text.* 57. doceat, Apoplexiam fieri maximè à 40. anno vsque ad 60. in quo tempore non ita abundat pituita, vt à 60. ad vltimam senectutem: nam vt in *commento Aphorismorum* docet Galenus, tradit Hippocrates vnam tantum causam, scilicet humorem melancholicum illis annis prædominantem, aut quia in iuuentute vstus fuit sanguis, aut quia à 40. anno siccitas prædominatur magis. Est verò magna disputatio ad melancholiæ generationem, quando cum calore copulatur; ob quod senes, etsi sicciores, melancholici non sunt, quia frigiditas ipsorum ad pituitam conducit, & crudorum copiam. Nec obstat, quòd pueri laborabunt Apoplexia vt senes, quia crudis abundant; quod est contra experimentum, nam non ita sunt pituitosi vt senes, & inde Epilepsia potiùs laborant, vtpote minorem causam requirentes: est etiam expultrix puerorum validior, & sic non permittit integrè cerebrum obstrui, sed antè concutitur cerebrum, & causam extrudit. Cur verò mittatur sanguis in medela huius mali, si à succis crudis dependet, in curatione exponetur.

A melancholia fieri posse, certum est, & docuit Hippocr. 6. *Aphor. text.* 56. dicens: *In morbis melancholicis in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, vel conuulsionem, vel cæcitatem significat.* Galenus in commento ita loquitur: *Fiunt quidem propter pituitosum humorem Apoplexiæ, & conuulsiones, & cæcitates: fiunt autem & propter melancholicum, quando communis est vtrique crassitudo.* Idem docuit *in comment.* 57. iam citato, quam calamitatem à melancholia expertus fuit Onesianactis 7. *Epist. text.* 41. & Timocrates 5. *Epid. text.* 2. Et ratio est euidens, cùm nihil deficiat, ratione cuius causa esse non possit: quod sine ratione apparente adhuc negauit Fernelius *lib. 5. de partium morbis, & sympt. cap.* 3. & refragatur auctoritati Aristotelis *sect. 3. Problem. quæst.* 1. vbi attonitos à melancholia fieri docet.

A sanguine causari est certum in doctrina Galeni, & Auicennæ, ex affectu inflammatorio Apoplexiam concedentium, vt antea docuimus, & *cap.* 12. Auctor noster dicit: *Et illam quidem, quæ est ex sanguine, significant signa sanguinis dicta multis vicibus, & est facies rubra valdè, & venæ ceruicis sunt extensæ, & plenæ.* Idem tradit Galenus *lib de causis morbor. cap. 3. & lib. de sanguin. missione, cap.* 5. *Hoc pacto* (inquit) *Apoplexiæ proueniunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim incumbente.* Ob hoc periculosos decumbius docuit Hippocrat. 1. *Aphor.* 1. *text.* esse periculosum habitum atletarum, quia ad vasa plenitudinem innuit, & subitæ mortis esse occasionem *in comment.* docuit Galenus. Idem dicebat 4. *Acutorum text.* 23. *Quod autem quis repentè obmutescat, id venarum interceptiones, occlusionesque faciunt, si sano homine absque occasione, vel fortè alia causa id euenerit.* Galenus in comment. venarum interceptiones appellat oppletiones, quæ à copia exoriuntur. Et inferiùs: *Oriuntur siquidem Epilepsia, & Apoplexia, & syncope cardiaca.* Hanc Apoplexiæ causam sine fundamento etiam negauit Fernelius, cùm euidens ratio demonstret sanguinem obstruere, & pro copia in diuersas partes impelli; nam præterquam quod sanguis potest esse crassus, sola abundantia sufficit, vt lethaliter obstruat, si in partem nobilem decumbat. Dixit enim Galenus 8. *cap.* 4. cernimus enim, quod multum est, dum totum simul confluit, non minus infigi, & hærere, quàm id quod est crassum, & lentum.

Ratò attonitus morbus à bile causatur: ob quod dixit Gentilis de colera, est quasi monstrum, quod Apoplexia fiat; non est tamen impossibilis; nam & crassa esse solet, & nimis abundare. Vndè & qualitate, & copia noxia esse solet; sic docet Vallesius 7. *Epidem. comment.* 83. Andiotalum in Apoplexiam ex bile incidisse; & Auicenna noster *fen. 1. lib. 3. text. 2. cap.* 5. *Cholera* (inquit) *oppilat multitudine, similiter sanguis.* Ex crassa bile diuturnas febres concedunt Auctores, & calida deobstruentibus curatur, quia contumaces obstructiones efficit, & multi Medici calorem eius solùm attendentes, sicque infrigidantes magis quàm crassities exposcit, protrahunt febres, & incuratas relinquunt; itaque non dubiè attoniti morbi causa esse potest.

Nec obstat quod obstruere nequeat, quod vim innatam deobstruendi habeat, vt bilis amara abstergens, & incendens; nam diximus crassam esse posse, præterea quòd abstergit, incendit, & attenuat, est in ordine ad aliud corpus extrinsecum, seipsum verò non attenuat. Vndè si quantitate nimia influat in partem, aut cauitatem, replebit illam, & obstruet immoderata copia, vt quando Erysipelam efficit, aut exquisitam Pleuritidem, sic in febribus biliosis attenuatur bilis, quia obstruit. Nec obstat rursus, quod prius faciet Epilepsiam, quàm Apoplexiam, cùm tam molestè irritet, nam dum confertim fluit, tollit sensum à parte, & si sensus non requiratur (vt in nostra opinione) præcipitatur in tanta copia, quod cerebrum oppressum concuti nequeat, &

si

si intiperet enneuti, tam breuis, & celer potest esse influxus, quod Medico insensibilis sit, vt est initium ipsius Apoplexiæ. Curatur verò non frigidis, etsi à causa calida pendeat, sed calidis remediis, quia, vt dicemus, initium, & augmentum Apoplexiæ non percipitur à Medico, & ita indicatio resoluendi post euacuationem vniuersalem vrget. Dicitur verò Apoplexia à Galeno morbus frigidus vt duo, & quia fere semper dependet à causa frigida, & præcipuè quod extinguatur calor natiuus suffocatus, etsi causa sit calida.

De flatibus est maior controuersia, an possint Apoplexiam causare, & dicendum est posse esse causam: ita docent Vallesius 7. *Epid. comment.* 83. & Hippocrates *lib. de flatibus*, id expressè docet dicens: *Quod verò stupor attonitus, vel sideratio à flatibus fiat, deinceps demonstrabo.* Subdit que: *Apoplexia autem fiunt quoque ipsa ob flatus.* Galenus 3. *lib. de sanit. tuenda*, *cap.* 1. eutem laxitam à balneo obstrui posse à flatibus docet. Ratio sumitur ex naturali somno: nam quod causetur a vaporibus alimenti, fatentur omnes: ergo si ob morbosam distemperiem abundent, & corpulentiores reddantur, efficient somnum contra naturam; quo semel concesso, & Apoplexiam causare, dubitandum non est, & si propria corpora non obstruerent, id efficerent impetu impresso in cerebri substantia, quo comprimerent, & obcæcarentur ventriculi; summa enim via impellendi qua pollent, ictæ motus indicant planè, & multis exemplis probat Hippocrates *lib. de flatibus.* Nec obstat quòd hæc Apoplexia facile curaretur; id verò de nulla admittit Hippocrates, cùm de leui doceat non esse facilis euacuationis; certè ex larga vini potatione non aliter quàm à vaporibus fit, & interdum curatur, sæpe verò interficit; nulla itaque Apoplexia curatur facilè, sed summo studio, nec sententiæ Aphoristicæ tollunt impossibilitatem, & facilitatem in aliquibus, sed tradunt veritatem vt in plurimum euenientem; & cùm ex flatu quædam soleant curari, aliæ sint lethales; ex humoribus verò nulla curatur facilè, rectè dixit Hippocrates, nec leuem Apoplexiam curari facilè, cùm ex humoribus leues curentur difficilè. Nec minus probatur relata sententia ex morbo, qui *Incubus* dicitur, hunc enim à flatibus crassis fieri fatentur omnes; est tamen somnus contra naturam, in quo cum magna difficultate respirant ægroti, vt suffocari putentur ab aliquo opprimente Thoracem, & hunc morbum esse præindicem Apoplexiæ fatentur Medici, & in illam interim permutari. *Ingrauescens ergo Incubus Apoplexiam causat.* Idem probatur ex Apoplexia causata ex vaporibus rerum graueolentium, & crassioris substantiæ, vt refert noster Vega *lib. 3 de arte Medica. sect.* 5. *cap.* 8. de hominibus mundantibus puteos, & sentinas. Idem ex fumo carbonum euenire constat, aut ex vapore eleuato ex feruente musto.

Hæ sunt species Apoplexiæ ex causis desumptæ Galenus verò 2. *Aphor. comment.* 42. exponens sententiam Hippocratis dicentis: *Soluere Apoplexiam fortem, impossibile, debilem verò non facile.* Quatuor species Apoplexiæ connumerat, tres fortes, vltimam debilem. Verba sunt: *In Apoplexiis totum corpus priuatur derepente sensu, & motu; sola restat respiratio, qua si & ipsa prohibeatur, maxima est, & acutissima hæc Apoplexia.* Hæc est prima species, & grauior omnibus, vbi ait, nulla respiratio apparet. Secundam exponit dicens: *Quicumque verò respirant quidem, sed cum magna vi, fortis adest Apoplexia.* Tertiam sic explicat: *Fortis autem adest & illis, sed minus, qui nec intentum, nec violentum, inæqualem tamen, atque inordinatum, ac præterea intermittentem habent anhelitum.* Quartam leuem exponit dicens: *Si autem in quibus aliquem seruat ordinem, debilior existit, etsi omnia fiant, quæ sunt necessaria, citò curatur.* Vnde contra Galenum statuit Bauderonius dari duplicem speciem Apoplexiæ leuis. Sunt ergo quatuor species Apo-

A plexiæ. Prima est, in qua nullo modo percipitur à Medico aliqua respiratio, hæc putatur impossibilis curationis. Secunda est, in qua respiratio apparet, est tamen violentissima, & in hac etiam debet esse intermissio respirationis, vt sit plurimum intermittens, & summa violentia, ac difficultate facta. Id constat ex Galeni doctrina *lib. 3. de locis*, *c.* 10. dicentis: *Sanè omnium pessima respiratio putanda est, quæ & intermissione, & magna cum violentia trahitur.* Appellat hic omnium pessimam respirationem, quæ intercipitur, & magna cum violentia fit, comparando illam ad alias difficultates respirandi, quando nullo modo à Medico percipitur, vt in prima specie; ergo in prima specie est actio deficiens in ordine ad Medicum, & in secunda apparet, sed magno conatu exercetur, & intermittit quod est esse inæqua-

B lem in raritate. In tertia est respiratio minus violenta, & intermissio breuior cum inordinatione, & inæqualitate. In quarta specie, quæ debilis censetur Apoplexia, non est violenta, nec intermissio, nec inordinatio; est tamen difficilis, & læsa, parua nimirum, & crebra. In prima ergo specie omninò otiantur musculi, & sic est actio ablata. In secunda mouentur omnes, quia in extrema debilitate, sub qua moueri possunt, apponit natura instrumenta omnia, vt sic aperiat orificia omnia, & moueat omnes partes deseruientes respirationi ad euitandum tam grande periculum suffocationis. Crediderim respirare etiam pinnis narium, quod est signum extremæ debilitatis. Idem eueniet in tertia, sed minori conatu, & deficiet fortasse hoc quod est per pinnulas narium respirare; erit tamen violenta, & intermittens,

C & inæqualis sine ordine. Habent hæ duæ species præter inæqualitatem in raritate, quam vt intermittentes participant, aliam inæqualitatem in magnitudine, & paruitate; nam vbi magna debilitate cum mentis læsione respiratio efficitur, non apponitur semper æqualis conatus, & ita in magnitudine, & paruitate variat nimis motus Thoracis. Significauit etiam Hippocrates fortem Apoplexiam, quando stertunt ægroti. Ita enim dixit 6. *Aphorism. text.* 5. *Quicumque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.* Galenus *in commento. Videtur autem nunc fortis Apoplexia indicium apposuisse, quod stertere dixit.* Idem demonstratur per oris spumam. Constat ex Hippocrate 2. *Aphorism. text.*

D 43. dicente: *Qui suffocantur, & à vita deficiunt: nondum tamen mortui sunt, non referuntur ad vitam, quibus spuma circa os apparet.* Vt non sine ratione dicatur, quando apparet spuma, secunda species Apoplexiæ; nam Auicenna fortissimam omnium putat, quando non apparet spuma, quia deficit omninò respiratio. Rectè ergo dicebat Galenus 3. *de locis*, *cap.* 10. quod magnitudo Apoplexiæ cognoscetur læsione respirationis, respectu cuius diuersas species retulit.

CAPVT IV.

E *In quo difficultates traduntur contra relatam doctrinam.*

CVm in prima specie Apoplexiæ dicat Galenus, respirationem omnino auferri, & prohiberi, dubitant Medici, an sit possibile, quòd omninò respiratio deficiat. Habet dubium duas partes. Primam, an deficiat in ordine ad sensum Medici; de hac non est dubium ita contingere; sæpè enim tam paruus est motus, & tam lentè fit, quòd nullo modo à Medico percipiatur, quia species sensibilis est tam remissa, vt non satis fœcundet, & determinet potentiam ad cognitionem obiecti sensibilia, vel communia, talis enim est motus, id constat in radice horologij, cuius motus tam lentè,

& paulatim fit, vt ob id imperceptibilis fiat. Vndè Medici ea Galeni doctrina 3. *lib. de diffic. respirationis, cap.* 10. diuersa machinantur ad concipiendam respirationem per effectus. *Verùm si quis,* inquit, *diligenter animaduertat, aut digitum naribus ægrotantis imponat, percipiet respirationem: quòd si quis etiam pro naribus pilum, aut tenuem lanam suspendat, videbit hæc moueri.* Idem assequuntur limpidissimo speculo naribus, & ori admoto, maculatur enim leuissima respiratione. Nec minoris momenti est quod adducit Galenus 6. *de locis, cap.* 5. ex aliorum doctrina, supra ventrem scilicet vas aqua plenum apponere, nam aquæ figura sphærica minimum motum non admittit sine agitatione sui: Quæ experimenta non admittit Iacotius *comment.* 1. *in lib.* 7. *Coacar. prænot. sect.* 2. *text.* 4. in Apoplexia forti, sed sine fundamento aliquo.

Secunda pars videtur difficilior: an scilicet respiratio absolutè deficere possit superstite vita? Ad quod respondeo affirmatiuè. Ratio est physica, & efficax, nimirum, homo non interit, nisi priùs disponatur materia violenter, taliter quòd sub ea dispositione nequeat anima rationalis conseruari: hæc dispositio, quando deficit respiratio, introducitur à fuliginibus, istæ enim sunt agens nos corrumpens, aut suffocando vitalem calorem, aut alterando proprio calore. Vndè colligitur euidenter post totalem ablationem respirationis esse necessarium, quòd ponatur hoc agens in tanta copia, sub qua suffocet, aut ita alteret materiam, quod impossibilem dispositionem cum forma præexistente producat. Ad hoc verò tempus requiri, probatione non eget, cùm requiratur generatio de nouo, & à re genita in tanta copia debeat alterari viuens, aut vitale calidum suffocari, quæ in tempore efficienda sunt, cùm fiant media alteratione contraria. Hoc clarè quilibet in seipso experiri potest, nam cùm sit respiratio actio libera, etsi illam omninò cohibeat per aliquod tempus, non perit vita, quia in illo tempore non ponitur dispositio incompossibilis dicta. In hunc sensum dixit Aristot. 1. *de hist. animal. cap.* 11. *Datur viuendi facultas, etsi respiratio desit.* Et Galen. 6. *de locis affect. cap.* 5. id expressè docet exemplo histericæ passionis, dicens: *Itaque in vteri suffocatione, quando vniuersum corpus perfrigeratur, fieri potest, vt nulla prodeat ab ore spiratio.* Quæ doctrina intelligi nequit de nulla sensibili Medico, sed de nulla absolutè. Constat clarè ex doctrina Galeni paulò anteà asserentis duplicem esse dubitationem; vnam inuestigare passionem, ob quam munus respirationis deperditur. Secundam, quomodò viuere possint quæ nihil omninò respirant? *Atque hæc quæstio,* dicit paulò inferius, *non est perindè difficilis, quippe facilè soluitur, si latebris inclusa animalia consideres, nulla apparente in ipsis spirationis nota. Hoc enim cognito, perspectisque animalibus, vtpotè frigidis, atque eo demonstratur, quòd maximus respirationis vsus est, vt internus calor & refrigeratione, & ventilatione seruetur; non ita difficile fuerit perpendere illum calorem in ipsis derelictum, arteriarum, cordisque officio seruari.* His verbis geminam quæstionem propositam absoluit, & quòd nulla prodeat respiratio, & quòd hæc pendeat ex defectu finis; nam instituta fuit animalibus respiratio, vt attrahendo aërem refrigeretur calor internus, & compressione pellantur fuligines, sicque ventilatio fiat; & quia aliquando contingit tam exiguum esse calorem internum, quòd sola ventilatio & attemperatio facta medio pulsu, & cordis motu sufficiant ad exigui caloris conseruationem; ideò non respirant animalia latebris degentia tempore hyemis, nec fœminæ histericæ, quando frigida cordis passione laborant.

Hæc doctrina Galeni patitur aliqua dubia. Primum est, quòd in Apoplecticis non deficit finis, vt in histericis, aut animalibus in latebris existentibus; imò intensus adest calor in corde ob multitudinem fuliginum

A non expurgatarum, nec Apoplexia est passio cordis, sed cerebri. Secundò, quia finis respirationis non solùm est propter attemperandum calorem, & eius ventilationem, sed etiam propter generationem spirituum; vterque verò vrget in Apoplexia, nam multitudo fuliginum suffocantium magnam ventilationem requirit, vt separentur, & calor obrutus reuiuiscat. Est etiam nimius defectus spirituum animalium, qui est alter defectus & vrget etiam in histericis, cùm laborent deliquio, aut syncope; oriantur verò hæc symptomata ex defectu spirituum: ergo eo ipso quòd infrigidantur spirituum defectu, ponitur vsus auctus; nam frigus quod est in corde sine defectu spirituum, vsum remissum constituit, & tam remissum ac potest, quòd sola ventilatio cordis & arteriarum satis sit ad illius conseruationem.
B At verò quando simul cum frigida distemperie cordis datur spirituum penuria, ponitur finis generationis spirituum, etsi ad magnam respirationem, vt trahatur materia in magna copia, vt generetur vberius. Non ergo satis est, vt Galenus docet, esse in histericis frigidam cordis distemperiem, vt omninò non respirent, cùm sit vsus auctus spirituum defectu: ob hoc vrget magis, eo quòd frigiditas contra naturam est affectus spirituum deficientium. Vnde cùm primò intelligatur defectus illorum, & per consequens vsus sit auctus, non potest tollere frigus superueniens, quòd respiratio magna non fiat: nam non est ratio, cur effectus paruam respirationem requirens, facultatem determinet ad paruam, si causa illius effectus magnam respirationem exposcit, cùm sit præstantior causa. Præterquam quod
C magna respiratione corrigitur etiam frigida distemperies, cum abundantes spiritus, & de nouo geniti partes omnes calefaciant, & frigus fuerit inductum spirituum defectu, & sic positis spiritibus cessabit frigiditas contra naturam.

Tertiò, quia non videtur verum, quod dicit Galenus, seruari nimirum motum cordis deficiente omninò respiratione. Probatur, quia cor attrahit aërem medio motu ex arteria venali; hæc verò necessariò quiescit, si Thorax quiescat. Patet, quia trahit aërem dilatatione ex asperis arteriis pulmonis: si ergo illæ omninò aëre careant ob deficientem respirationem, cessabit per consequens motus arteriæ venalis: hoc verò motu ablato motus cordis peribit, quia non erit aër, qui trahi possit ad replendum vacuum, cùm sit omni
D vacua arteria venalis.

Ad primum respondetur, verum esse non deficere respirationem in Apoplecticis, quia finis deficiat, nec doctrina Galeni *lib.* 5. *de locis*, adducta est, nisi ad probandum animal viuere posse sine respiratione. Itaque in Apoplexia non cohibetur omninò. Respondeo, non quia finis deficiat, sed quia tanta potest esse obstructio, vt nihil influat animalis spiritus, in cerebrum, & sic defectu dispositionis, aut influxus animal priuari omninò actionibus sensitiuis, & motiuis, quamuis finis vrgeat; & ita manet etiam solutum secundum argumentum. Non enim est satis, vt actio fiat, constitui finem, sed necessarium est agens: hoc verò non potest defectu influxus aliquid operari. Ad confirmationem ex histerica affectione respondeo, quod quamuis vrgeat finis propter de-
E fectum spirituum, qui magnam respirationem exposcit, vt resarciantur, potest tamen esse tanta penuria vitalis caloris, quod nullo modo facultates operari possint eo modo quo diximus in Apoplexia. Dices, hanc solutionem non esse ad mentem Galeni, qui non probauit respirationem deficere in histericis, quia deficiat facultas, aut operandi principium, sed quia finis deficit, & tam remissus est calor, quòd sola transpiratio, & ventilatio motu cordis, & arteriarum facta, satis sit ad illius pusilli caloris conseruationem, & ventilationem. Quod ita Galenus senserit, non est dubium, sed obiectionem adductam tacuit, quod non deberet, cùm directè pugnet

A nec contra suam doctrinam constituentem adæquatum finem maioris dilatationis spirituum defectum, vt *text. de puls.* ea illo retulimus. Sed pro illius defensione notate, quod facultas vitalis, & animalis operantur secundum quod conuenit fini, & naturæ corporis: vnde licet in magna penuria spirituum ponatur finis ad magnam respirationem, & idem est de pulsu; tamen in tanto defectu potest esse tanta intensio frigoris, & tam exiguus calor vitalis, quòd si traheretur magna aëris copia, extingueretur omninò, & ideò quamuis facultates constarent, non elicerent magnam respirationem, nec pulsum, ne deficiat vita: & ita pro eo statu histerico, in quo deficit totaliter respiratio, satis est motui cordis, & arteriarum, quod exigua flamma minima ventilatione contenta est, eo quòd à maiori extinguitur, & aucto frigore ponitur dispositio impossibilis cum forma. Indéque patet, quòd licet tam exiguus possit esse calor, quòd omninò respiratio deficiat, eo quod sufficiat cordis, & arteriarum transpiratio, tamen nunquam est tam paruus, quòd nullum motum requirat; & ita quamuis deficere possit pulsus omninò, manente adhuc vita non deficiet, quia deficiet finis: sed quia deficit virtus ad motum necessaria, nimirum calor, cum quo vita durat; semper requirit aliquam ventilationem vt conseruetur. Nec mirum vobis videatur posse animal sine respiratione, & pulsu manere; nam eadem ratio, quâ monstratur posse manere sine respiratione, conuenit etiam quod sine pulsu, nec eam oportet repetere.

Ad tertium respondetur, quòd etsi nullus aër in C arteria venali existat, mouebitur cor, quia cùm semper habeat intra se sanguinem spiritus, & aliquid aeris, hæc rarefiunt, dum dilatatur, & dum comprimitur, densantur, sicque durat motus & ventilatio fit eo modo quo potest, licet non benè, quia cùm non trahatur de nouo aer, non ita attemperatur aptius. Nec tamen asperæ arteriæ omni priuantur aëre, etsi respiratio deficiat, cùm caui sint, & vacui esse non possint.

Ex dictis constat, qualiter sint exponendi Auctores negantes, animal sine respiratione, & pulsu permanere posse? quod & Aristoteles, & Galenus in multis locis negant; de pulsu præsertim constantet affirmat Galenus repugnare 6 *de locis* iam citato, vbi licet admittat totalem respirationis priuationem, non admittit illam in pulsu. Idem docuit *lib de adnot. adm. cap.* 8. *& lib. de* D *Marasmo, cap.* 5. quod etiam Vallesius tuetur *in scholio lib. 6 de locis.* Intelligendi itaque sunt Auctores, *quod vita diù non durat, deficiente pulsu, & respiratione*: tamen quod in eodem tempore, in quo respiratio, aut pulsus aufertur, omninò vita etiam deficiat, planè est falsum. Nec sustineri potest, cùm habeat contra se euidentem rationem ea dispositione incompossibili deductam, quæ in tempore fieri debet post ablationem pulsus, aut respirationis.

Vnde notabitis vnum speculatione dignum, & ad præsagium conducens, securius scilicet esse incidere in Apoplexiam cum morboso corde ob distemperiem frigidam, quàm si cor perfectè sanum existeret: nam si E verè docuit Galenus ob distemperiem frigidam cordis vitam durare in histericis sine respiratione, quia vsus diminutus illa non indiget; cùm in corde sano id non eueniat, citiùs peribit, quia propria temperies eleuat fuliginum copiam magnam, quæ cùm non pellantur, nec attemperetur cor, deficiente respiratione breuissimè necant hominem: at cor frigidum non eleuat tantam copiam, & ita diutiùs durat, & sic experimur, suspensos in mala cruce citiùs perire, quàm histericos, aut syncope laborantes; id indicat oris spuma in suspensis, qua carent syncopizantes, & hysterici, quia in illis calor cordis augetur, & efferuescit, sicque ex humiditate Pulmonis spumam generat, & in syncope, & vteri apnæa etsi auferatur respiratio, manet nihilominus cor frigidum, & spuma non fit defectu caloris.

Sed dubitabitis meritò, qua ratione in Apoplexiæ tribus speciebus seruetur respiratio, cùm omnes aliæ partes nullo modo moueantur, nam si ex defectu influxus reliqua membra priuantur motu totaliter, ita & thorax priuari deberet, cùm læsio sit in communi principio, & inde non possit influere magis in neruos thoracis, quàm reliquarum partium. Hoc dubium absoluit Galenus 7. *de locis, citato cap. somni.* Inquit enim non esse mirum, in Apoplexia esse respirationis motum, & non aliarum partium; nam in somno naturali idem contingit: clarius verò exposuit 2. *Aphor. comm.* 42. his verbis: *Et mirari licet, quomodo omnibus aliis musculis motu carentibus in Apoplecticis illi qui thoracem attollunt, quamuis difficulter, moueantur tamen plerunque. Videtur autem* (inquit) *hoc fieri propter respirationis difficultatem, quæ neruorum vim excitat ad operationem.* Est ergo ratio dubij reliqua membra quiescere, moueri tamen thoracem, quia hic instigatur ad motum, reliqui verò musculi minimè; est enim intra thoracem ingens æstus, & oppressio, suffocatioque violenta, & hæc molestia excitat thoracis musculos ad motum vt auferatur; & quia reliqua membra non habent stimulum ad motum, ita quiescunt, vt quiescunt in somno naturali; vndè constat non quiescere, quia omninò priuantur influxu animali, & irradiatione; non enim priuantur totaliter, sed quia non est obiectum molestans instigans musculos ad motum, est verò in thorace. Quo argumento conuictus Eustachius, putauit motum respirationis in apoplecticis animalem, & voluntarium non esse, sed merè naturalem, in quo planè errat, & constat clarè, quia si alia membra vehementer stimulentur molestanti obiecto, mouentur etiam ad fugam obiecti. Vnde constat omninò cessare à motu, non quia deficiat totaliter virtus, sed quia deficit obiectum molestans; nec esset cur apoplectici tam breui perirent, si respiratio naturaliter fieret, nec à cerebri influxu penderet; cur enim cerebro affectu virtus motiua musculorum deficeret. Iis tamen addendum est, non repugnare esse ablatam actionem absolutè in aliquibus partibus, quando thorax mouetur. Ratio physica est, quia agens naturale remissiùs operatur in partem distantem, quàm in proximam: ergo non implicat influere cerebrum in thoracem sufficienter admotum, quando in crura, & pedes non influit, & ita mouetur thorax quiescentibus partibus inferiùs, quia ad debilitatem non influit aliquid, aut tam remissè, quòd non sufficiat ad opus.

Sed adhuc vrgebitis; quando aliquis dormit, si applicetur obiectum molestans, expergefit, & liberatur à somno: ergo idem obiectum quod tam molestè affligit intra thoracem, interrumpet somnum contra naturam, & liberabit ab Apoplexia Respondet Magister ex communi doctrina Medicorum id non euenire, quia obiecta consueta minus perturbant naturam, & inde minus animal excitatur, & quia irritatio thoracis, qua instigatur ad motum, tam antiqua, & consueta est, non terret animal, nec molestat, & inde expergefit. Hanc solutionem probare non possumus, estque tanto Auctore indigna: sequeretur enim, quod applicatis obiectis irritantibus, non consuetis, ab Apoplexia liberaretur, vt si ignis adcrescens thoraci, aut reliquis partibus applicetur. Præterea nec dormientes naturaliter obiecta consueta excitarent, quod est apertè falsum. Putandum ergo est, quòd licet aliquando homo expergefiat ob irritamentum aliquod, tamen id non semper potest, quia facultas expultrix cerebri nimio onere oppressa, aut alioqui debilitata, excutere nequit causam violentam somni, etsi conetur semper quod irritatur.

CAPVT

CAPVT V.

De Prognosticis Apoplexiæ.

TRitum præsagium quod adduxit Hippocrates 2. *Aphor. text. 42. Apoplexiam fortem soluere impossibile, debilem verò non facile.* Intelligunt verò aliqui hanc impossibilitatem curationis in fortissima Apoplexia, quam per defectum respirationis Galenus explicuit; nam & breuissimo tempore internecat, ita vt remedijs locum non concedat ob defectum respirationis, vt non amplius videantur ita affecti vitam posse conseruare, quàm suspensi è carnifice. Aliæ duæ species fortis Apoplexiæ impossibilitatem excludunt, vt ex infinitis historiis auctorum liquet. Debilem verò non curari facilè docuit Hippocrates, cui non opponitur Galenus *in commento*, dicens: *Quòd si omnia fiant quæ sunt necessaria, citò curatur*: cùm non sit idem curari citò, & curari facilè, nam centissimi morbi citò curantur semper, si curantur, non tamen facilè, quia multa auxilia, & magne, & celerrimè applicata requirunt, vt soluantur. Et cum hæc non curantur semper, ac per consequens quando auferuntur, non auferuntur facilè, etsi breui auferantur.

Huic tam celebratæ sententiæ refragatur nostri Principis auctoritas *in hoc capite*, dicendo: *Aliquando autem accidit, vt homo Apoplexiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum, & mortuum, & non apparet in ipso aliquis anhelitus: deindè reminiscit, & sanatur, & nos plerimos eorum vidimus, quorum dispositio hæc erat, & in istis quidem anhelitus non apparet, sed ipsorum pulses non integrè cadit.* C Proposuit hoc dubium Veige Lusitanus *lib. 3. de locis affect.* & Auicennæ suffragens inquirit; si fortis Apoplexia impossibilem habet reparationem, quales fuerunt Apoplexiæ eorum, quorum exempla testimonio confirmantur. Nam præter Valerium Maximum relatos à sepulchris multos referentem, quidam ex nostris post recondita corpora auditi sunt, alij inuenti reuoluti, quando Apoplexia laborantes viui sepulti, quos nullam reliquarum specierum Apoplexiæ passus esse, sed primam illam pessimam, spirationem, quæ sentiretur, auferentem, apertè monstrat sepulturæ, cui nunquam apparente respiratione traditi forent. D Respondet sententias Hippocratis nunquam casus raros excludere, nec artem medicam aliquid perpetuum admittere, quod non interim labetur, & deficiat.

Hanc solutionem damnat Ambrosius Nuñez *c. Aphor. comment.* 4c. nam exempla ex hystericis multo plure sunt, quàm raritas euentus admittere solet, cùm Auicenna dicat se vidisse plurimos reuocatos ad vitam, & temporibus nostris non paucos fuisse reuocatos, qui mortui falsò à Medicis iudicati fuerant, & inde inter raros casus enumerari non possunt, cùm sint innumera exempla, in quibus locum non habet sententia Hippocratis. Putat ergo hic Auctor, ægrotos relatos ex hystericis non fuisse Apoplecticos, sed eius symptomatibus correptos, quales sunt valida vteri suffocatio, E syncope fortis, & ecstasis, ex quibus nulla sensibili respiratione apparente laborantes interdum liberantur.

Quia verò statim se offert dubitatio, qua ratione syncopizantes, & hystericæ, ecstasique apprehensi, diu viuere possint sine respiratione, & reuocentur ad vitam, nequeant verò Apoplectici? Respondet, quia à minori causa, & minor permanente molestantur hystericæ, & cadentes in syncopen, nam si permanens, & magna esset syncopis causa, aut passionis hystericæ, tam impossibilis esset reuocatio, & tam infrequens vt in apoplecticis. Addit etiam, quòd in syncope, aut hysterica passione non est tanta necessitas respirationis vt in A Apoplexia, quia syncope, & vteri apnœa semper sunt frigidæ cordis passiones, & indè solus motus cordis, & arteriarum satis est ad illius exigui caloris conseruationem, vt anteà ex Galeno docuimus. Apoplectici verò non habent necessariò annexam cordis distemperiem, & ita perennt, quòd indigeant magna respiratione.

Huius Auctoris doctrina mihi videtur probabilissima; nam cùm Apoplexia causetur ex obstructione ventriculorum, sitque integra, vt inquit Auicenna, magnam causam requirit vt fiat. Addo in gratiam huius Auctoris, causam Apoplexiæ non operari qualitate, sed corporatura, & causã syncopis ferè semper qualitatibus; hysterica verò perpetuò, & ita minus opprimitur expultrix facultas, sicque melius liberet hominem, quam in Apoplexia, in qua cùm sit omnium cauitatum obB structio, est in ipso morbo impedimentum, vt expellatur causa, quia nulla via patet, per quam expulsio agatur. Accedit, expultricem cerebri esse debiliorem multò, quàm cordis, aut vteri, vt Galenus docet, & inde permanentiam, & contumacem fixionem comparet causæ Apoplexiæ. Rursus Apoplexiæ causæ sub propris humoris forme operetur; syncopis, & hystericæ passionis in forma flatus, aut exhalationis: glutinosa etiam cerebri naturæ confert nimis vt causæ adhærescat; multis ergo numeris permanentior est causæ Apoplexiæ, & inde rarius homines effugiunt illius periculum. Nec putandum est, tam rigorosè affirmaturum Hippocratem, esse impossibile mederi forti Apoplexiæ, si frequens esset tam salutaris exitus, vt prædicant Auctores: Mirum certè, quòd nullius Galenus fecerit mentionem; Auctor aliunC qui de se non silens quæ mediocria sunt, nedum quæ mirabilia. Ob quod Cardanus etsi admirabilem de pulsuum cognitione, & administratione anatomica confiteatur, insusurrat tamen talem in curatione non fuisse, cùm tam raras curationes mirabiles referret, & illo sit nemo de suis dicacior.

Sed quid Auicennæ dicendum. Nuñez inconstantem appellat, quia dicens Apoplecticum aliquando sine apparente respiratione fuisse reuocatum, subdit, se vidisse plurimos liberatos: si enim plurimos vidit, malè dicit aliquando. Quare inquit, credendum est, quos vidit reuocatos, non fuisse verè Apoplecticos. Maledica est hæc Nuñez censura, cùm ignorantem planè Auicennam appellet, indicantem Apoplecticos, qui tales non erant. D Crediderim potius appellasse non paucos, qui verè pauci erant; sed multos dixisse, quia pauci multi sunt in ordine ad impossibilitatem in Aphorismo propositam: nil ergo mirum exarando dicere, se plurimos vidisse, si impossibile indicat Hippocrates. Cur ergo tales liberati fuerant, dicit Auicenna: *Quia calor innatus in eis non indiget vehementer ad euacuationem, & expulsionem vaporis fumosi à se anhelitu magnō, propter illud quod accidit esse ex frigore.* Quæ verba si verum fatear, multum fauent sententiæ Nuñez, censuræque. Apoplexia enim ex se incendium cordis, & eius fuliginem auget. Dictis iam verbis confirmat quod anteà diximus, esse nimirum securius incidere in Apoplexiam cum frigido corde, quàm cum sano. Quod doctè adnotauit Aurelianus affirmans difficiles esse curationes fortium hominum, E quia in illis maior spirationis noxa contingit, quàm in frigidis, & debilibus. Quod etiam tradit Auctor noster dicens: *Si autem accedit cum caliditate complexionis, & siccitate ipsius, tunc res est praua.* Quod ego intelligo, non tantum vt est dissimilis morbus, & maiorem denotat causam, sed etiam ob necessitatem respirationis maioris in corde calido. Vnde rectè dixit: *Et complexio quidem* (calida scilicet) *elongata est, vt eam tolleret.*

Sed tum vrget, quomodo Apoplecticis possit esse febris solutatis causa, ita docente Hippocrate 6. *Aphor. text. 51. Quicumque (inquit) sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.* Videtur enim

manifestum secum trahete perniciem febris superueniens, cùm exposcat auctus calor cordis respirationem magnam, qua cùm priuentur, augetur suffocationis periculum. Respondetur, ita esse non dubiè; potest nihilominus salutaris causa esse, si primo 'occursu non perimat, cùm succos crudos, & flatus absumat, & concoctionem iuuet, vt in commento dicit Galenus, & cùm frigidi, & crudi humores poros occludant, non tantùm corporatura, sed frigore dilatat febris quæ occlusit, & densauit frigiditas, & hac ratione primo occursu auxiliatur.

De Apoplecticis etiam intelligitur sententia 43. *lib.* 2. *Aphorism.* vbi dixit Hippocrates: *Qui suffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamen mortui sunt, non referuntur ad vitam, quibus spuma circa os apparet.* Habet itaque vt desperatum signum oris spumam in Apoplecticis, & iis qui à quauis alia exterua causa strangulantur; est enim in omnibus æqualis ratio. Quomodo verò in Apoplecticis desperatum sit signum, si in Epilepsia putatur salubre, explicuimus *c de Epilepsia*, & qualiter in hac non minus quàm in Apoplexia perniciosum esse possit, quia non minus strangulare solet, & quando strangulat, ex eodem loco exit spuma, ex humiditate scilicet natiua pulmonis, quæ aëri admixta, & calnte efferuescena ob ingentem suffocationem in spumam mutatur: fit enim spuma, docente Galeno *in Aphorism explicatione*, ob humiditatem tenacem aëri, aut flatuosæ substantiæ admixtam vehementer; fit autem vtriusque substantiæ permistio, aut à calore, vt patet in aqua feruente, aut à motu, & impulsu, vt patet in mari ventis concusso, & agitato. In Apoplexia igitur semper ex incendio cordis, & pulmonis causatur, inde perniciosum signum: in Epilepsia verò interim fit ex concussione cerebri, & partium oris, qua attenuatur pituita, & expellitur, sicque parosysmum finit spuma: In Apoplexia verò non fit, nisi quando vita finitur; vnde tales curationes non esse admittendas, docuit Paulus *lib.* 3. *cap.* 27. & noster Auctor *f* 9. *lib.* 3. *text. cap.* 9.

Sed quia Galenus experimento docuit, aliquando spumantes ad vitam reuocari, distinguendum est diligenter, quos curandos suscipere debeat Medicus, ne infamet præsidia. Id docent aliqui ex doctrina Rasis assequendum esse ex calore, & spumæ quantitate: *Vbi enim pauca fuerit* (inquit Rasis) *possibile est ægrum conualescere; si verò multa, & caloris subflaui, desperata res est.* Inquit Ambros Nuñ z; nam quantitas multa significat facultatis imbecillitatem; calor autem subflauus ostendit talem spumam excerni ex propria Pulmonum substantia, vt Galenus etiam *in comm. Aph.* docuit. Sed hic Auctor non explicuit, qua ratione spumæ multitudo facultatem debilem innuat, nec verum est: est ergo perniciosum signum, quia magnum feruorem significat; nam si eleuatur ob indicem magna effectus copia, agens intensum, & potens demonstrat.

Rursus hic Auctor dubitat, quomodo spuma genita ex Pulmonis substantia extruditur foras sine tussi, cùm omnia excrementa ex Pulmone media tussi pellantur. Respondet, postquam impugnauit Bracchelium, humiditatem, & spumam fieri ob agitationem, & commotionem, vt Galenus docuit: exire tamen non à facultate expellente, sed potius defectu retinentis. Id probat, quia sæpè contingit in iam mortuis omninò spumam, & sanguinem pelli per os: ipse vidit etiam pus genitum ex vesica mortuo ægroto exiisse. Hæc solutio veræ Physicæ aduersatur, nam per defectum retinentis nihil expellitur, quippè localis motus mouens requirit, & agens positiuum, cùm sit positiuus effectus. Est autem defectus retentricis primitiua causa, cui debetur non retinere; quod est priuatiuus effectus. Est ergo duplex ratio, cur expellatur spuma sine tussi Prima desumitur ex feruore, qui ob admixtionem flatus recorta

A sursum mouet corpora impedientia, vt mouetur aqua, dum feruet. Secunda sumitur, quia expultrix naturalis pulmonis nullo modo pellit media tussi, nec potest: est nimirū tussis expiratio vehemens thoracis musculis facta, & motus liber in nobis, & ita quæ pulmo expellit, ex se, & actione propria sine motu tussis expellit. Vnde nil mirum in strangulatis pelli à corde, & pulmone, quæ suffocant, & tam anxiè molestant sine tussi aliqua, sed operante solùm naturali expultrice. Galenus etiam admittit *in commento Aphorismi citati*, quæ in modum vaporis exeunt ex pulmone sine tussi expelli vt mittuntur per spirationem fuliginosa excrementa.

B Dices: Malè ergo probauit Galenus contra asserentes spumam prodire, & educi ex ventre; nam expultrix naturalis ventriculi etiam pellit sine vomitu, & nausea. Respondeo, quòd Galenus reprehendit spumam ex ventre prodire, ob duo, quia si cumulatim, & affatim generatur, necessariò est expellenda vomitu, aut nausea: nam sine his symptomatibus nihil, inquit, potest è ventre efferri, cumulatè scilicet, & affatim: per modum verò vaporis non potest, inquit Galenus, cùm nulla huiusmodi substantia è ventre efferatur, sicut ex pulmone effertur, spumosa scilicet, vt inde per modum vaporis expulsa vt spuma in ore repræsentetur.

Huius morbi feracissima est ætas senilis, vt docuit Galenus 3. *Aph. comment.* 31. & quia cruditatibus abundat, & est debilissimi cerebri, & corpora senum perspirabilia non sunt, & caloris defectu, & siccitate densante cutem, & carnes, rarò curatur, & rarius est, si curatur, non terminari in Paralysim alicuius lateris, C aut alterius, vt Galenus docuit *lib. de locis, cap.* 2. tantum enim oppressionem extra corpus extrudere non potest, & inde in proximos neruos materiam expellit, & Paralysim causat; quod si non efficiat natura, aut morbum aliter finiat, intra diem tertium, aut quintum perit, & septimum non attingit, vt Hippocrates docet 3. *de morbis*, non longè à principio: at verò *lib.* 2. intra septem dies perire docuit, nisi febris superueniat; hæc enim liberat, vt anteà ex sententia *Aphor.* docuimus. Habet autem nimium studium Hippocrates, ne infrigidetur Apoplecticus, nam gelato sanguine concrescit, & remediis locus non datur: vnde *in Coacis* dixit, prauum esse in Apoplecticis corpus perfrigerari: *Si verò incalescat*, inquit, *siue ab his quæ exhibentur, siue à se ipso attollitur,* D *& diffunditur, ac mouetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separatur, & sanus euadit.* Quo loco per spumescere non est intelligendum quòd spuma appareat in ore, cùm hæc inter desperata signa connumeret, vt vidimus; sed spumescere innuit, sputum reiicere; fit enim hoc excretione recuperato sensu & motu.

Lethalis Apoplexia putatur plenilunio copulsa, minus grauis in lunæ deliquio. Ratio petenda est ex *cap. de Epilepsia.* Si hemorrhoïdes superueniant, vtile est, vt *in Coacis* docuit Hippocrates: sudare verò prauum est, vt enim liberantur dementes, ita & Apoplectici, translata materia ex cerebro in sedem inferiorem; admiranda certè expulsio, & summi roboris naturæ præsaga, cùm in tam distantes partes crassam naturam E detrudat. Sudor verò ex oppressione, & suffocatione originatus, est exsolutionis iudicium, & quando extremè laborat natura, & magno conatu respirat, non tantùm *in Aphorismis*, sed *in Coacis prænotionibus*, laudat Hippocrates febrem superuenientem, quæ vt prosit, duplicem conditionem requirit, & quòd non sit tam debilis, vt eliquet materiam crassam, & non resoluat; sic enim inutilis fuit filio Numeni 2. *Prorrhit. text.* 5. in quem sensum dixit *in Coacis*: *Qui repentè Apoplectici fiunt, si cum intermissione febres accedentes habeant, tandem moriuntur.* Neque tam grauiter, vt ipsa nouum inducat periculum, intensa tamen requiritur, vt resoluat humores, & flatus, & intemperiem frigidam emendet,

nec

nec permittat sanguinem gelari, & concrescere.

Tandem scetani Gilbertus *lib. 2. cap. de Apoplexia*, quod si Apoplecticus desideraret multos cibos, & potus diuersos sibi offerri, & post oblationem illos abominetur, mortem significat, si non spes remanet. Id intelligendum est, postquam æger resipuit, nam in paroxysmo repugnat aliquid appetere, aut esse oblatum concipere, non reddit rationem. Crediderim per abominationem intellexisse non posse assumere cibos, etsi illos appetat, resolutura musculorum vi deglutioni auxiliantium, & inferioris maxillæ, signum in cerebro virium latere, indéque rediens paroxysmus occidit, aut sensim impedita deglutione tabescet æger.

Quia verò diximus stertorem esse signum fortis apoplexiæ, ex doctrina Galeni quomodo fiat notate. Est nimirum frequentissima causa gutturis plenitudo cum flatu, & incendio; hoc enim flatus commouet feruore quodam, qui aëri egredienti, & ingredienti permixti, & citra impetu commoti, & attriti sonum illum causant internè: sic dormientibus naturaliter euenit, si distillet cerebrum humidum, vt solet, copiam pituitæ in asperam arteriam, & caput illius irrigatione humida, & lenta obstruat, & occludat: quod si nares opilentur, & fauces, eadem defluxione molestior, & grauior excitatur stertor. Interim verò summa debilitas musculorum aperientium, & claudentium caput asperæ arteriæ stertorem causat: concidentibus enim lateribus laryngis, & nimis laxatis occluditur via aëris ad cor, & per angustum meatum transmissus, partes viam obstruentes, & laxas pertingens, casque commouens in aëris ingressu, & egressu stertorem efficit, vt in omnibus ferè morientibus experimur. Vnde non dubiè vtraque causa in stertore Apoplexiæ concurrit, feruor nimirum internus, & virtutis debilitas. Vnde Iacotius improbabile putat semper stertorem esse signum fortis Apoplexiæ, nam vitam prorogari ad diem septimum, vt *in A. hor.* docuit Hippocr. sub forti Apoplexia incredibile est, cùm sit extremè acuta passio, & tota Apoplexia sit status.

CAPVT VI.

De Curatione Apoplexiæ.

GEnerosum Medicum Apoplexia requirit, ne mali atrocitate turbatus auxilia differat, aut applicare recuset. Consulunt itaque non contemnendi Auctores, fortem Apoplexiam soli prognostico relinquendam esse, quod ego minimè probo: nam præterquam quod summè affliguntur quibus commoda est vita ægrotantis, & artem medicam vt inanem, & inefficacem improbant, non effugiet Medicus notam ignorantiæ apud vulgus: non enim facilè credit tam desperatum esse aliquem morbum, vt nullum admittat auxilium, & eorum animos semper solicitat, sine auxilio ægrotum vitam egisse, præterquam quod illustrium Auctorum testimoniis constat à fortissimis Apoplexiis interim aliquos euasisse, & non constat ægrum ab ea quæ modò se offert, liberari nõ posse: cuius opinionis fuerunt Auerroës, & Conciliator, & Matthæus de Gradi.

Auctor ergo noster *in principio cap. Apoplexia* ex sanguine medetur secando venam, copiosam euacuationem imperat. Idem consulit si ex pituita originetur, dummodò sint signa sanguinis, resoluentia enim maiora sine quibus morbus attonitus nequit sedari, frustra applicantur, nisi euacuatio præcesserit, implebunt potius cerebrum, & geminabunt affectum. Circa quod auxilium multa animaduersione digna primùm docuit Celsus, dicendo: *Quod si sanguinis missio aut occidit, aut liberat, ita vt si sensus, aut mens non redeant à missione sanguinis, nil spei superfit.* Quod dicit iugulare, ne in-

A telligatis esse nocinum auxilium, sed quod si non profit, mali pertinaciam, & prauitatem significat; nam vt ipse docuit, vix aliud genus remedij succurrit; vnde quando tantum auxilium fine frustratur, nihil spei remanet. Constat verò vel me tacente, plus sanguinis esse extrahendum in plenitudine sanguinea, in affectu inflammatorio, & vbi statim vrget suffocationis magnum periculum; sub iis enim conditionibus non repetitis vicibus, vt Aetius præcepit, sed cumulatè sanguis extrahendus. Mirum certè, quòd in vehementi dolore ad animi deliquium euacuatio extendatur, & recusandum sit euacuare copiosè, quando tam breue, &

B certum exitium minatur. Hic multi consulunt ex vtroque brachio secandam esse Cephalicam, vt tanto occurramus periculo; accedit occasionem remedij in ancipiti esse, nam morbi acuties, & grauitas vires ocissimè exsoluit, sanguis statim concrescit, totum refrigeratur, & sudoribus frigidis inundari solet præ angustia, vt deinceps occasio remedij deficiat. Hinc Rasis, & Vallesius laudant simul secare vtramque Cephalicam, quod & Mesues consulit; vbi verò malum non ita vrget, & ex aliis succis à sanguine pendet, sequendum Aetij consilium, nimirum quòd diuidatur copia, cõmouere enim humores oportet, & aliis auxiliis locum concedere, non exsoluere vires, quod ante illum Aretæus edocuit, iugulare esse affirmans, plusquam conueniat, vacuare.

Est tamen diligenter notandum, esse aliquando tam magnam oppressionem ex plenitudine, quòd nullo modo a Medico pulsus percipiatur, aut paruissimus: In

C quo euentu sanguinis missio necessarissima est sed indiget perito Medico, vt relatum statum cognoscat; nam cùm deficiant omnes actiones, ex nulla robur virtuti assequetur, cùm tantùm deficiant ob aggrauationem, non propter essentialem debilitatem. Galenus assumptum concedit *4. Acut. commento* 16. vbi tradens diuersa signa in repentè mortis inuenta, dicit: *Quod autem in fine dictionis apponitur spirituum in venis interceptiones, id de pulsus carentia (Asphyxiam Græci vocant) dicatur, probabile est, nam veteres arterias, venam appellabant, spirituum sanè interceptiones, quasi inclinationes, & quietes ab Auctore dici possunt.* Legite Menam nostrum *tr. ët. de pulsu, cap. de præsag. ex pulsu debili*, vbi satis longè id tradit, & probat: quam doctrinam sequutus Vallesius

D *4. de victus ratan acutis*, dicit: *Quod vero iubet* (Hippocrates scilicet) *secundum habitum, & ætatem in mittere sanguinem, rectè fecit; cùm enim venarum interceptione laborent sæpe, mittitur eis sanguis, iacentibus etiam cum Asphyxia, quare in tanta occasione non est, quod pulsu velis metiri sanguinis mittendi quantitatem.* Eundem euentum clarè fatetur Galenus *de causis morb. 3. cap.* dicens: *Vbi vero intercipiuntur quæ sunt in animali arteria, hoc est, ita oppletæ sanguine fuerint, vt nullus in ipsis vacuus relinquatur locus, in quem, dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc strangulatur, & minuitur calor natiuus, & qui ita affecti sunt, subitò sensum, & motum totius corporis amittunt.* Cùm ergo hoc fateantur Auctores cum Hippocrate *4. de victus ration. text* 23. *&* 26. & præcipiat Hippocrat. *text.* 24. *&* 25. venam secare,

E & euacuare secundùm habitum, & ætatem, clarè constat licere euacuare, vbi pulsus ad asphyxiam, seu imperceptibilitatem deuenerit.

Sed tunc vrget, quo signo percipere possit Medicus vires constare ad ferendam euacuationem, cùm sensus, & motus, & pulsus deficiunt, si non absolutè, saltem ad sensum Medici; est quidem negotium arduum, & coniecturis tantum id assequetur Medicus. In primis certum est, quòd vbi oppressio non induxit debilitatem per essentiam, impossibile sit omnem motum cordis, & arteriarum sustulisse. Vnde quamuis per aliquod spatium pulsus non appareat, diutiùs leuiter attrectando pulsum se manifestabit: nam sicut in debilitate per aggrauationem quædam pulsationes

fiunt paruæ, aliæ verò magnæ, ita & in summa plenitudine deficientem polsum causante quædam per interualla apparebunt. Accedit coniectura Hippocratis ex *text.* a 3. dicentis, *Si sano homini absque occasione, vel fortè alia causa id euenerit; nam exclusis causis euidentibus, quæ virtutem debilitare possunt, si pulsus deficiat, sola plenitudo, à qua venæ intercipiuntur, vt causa putabitur, & indè etsi pulsus deficiat omninò, constet tamen ægrum non esse defunctum, secabitur vena.* Eam verò aggrauationem non induxisse debilitatem essentialem, vt inde pateat tolerare virtutem enacuationem illam, non erit difficile inuentu, nam essentialis debilitas non inducitur nisi consumptis, & suffocatis vitalibus spiritibus, & per conseqoens iodncta syncope, aut initio illius iam influente, & affligente, eritque tunc cadauerosa facies, color viuidus deficiet, frigidum corpus percipietur, & extenuatio contra naturam in partibus erit; nam omnes tumidæ, & benè coloratæ sunt per præsentiam sanguinis, & vitalis caloris, & calidæ manifestantur: Vnde si pulsus ad omnimodam asphyxiam deueniat, sit nihilominus viuidus color in facie, turgeat vt in homine sano, & adhuc magis, quia coniectabile est sub tanta plenitudine magis distendi iugulares venas, præsertim & quæ ad caput spectant cum naturali calore; *Constátque de hominis vita, tentandum est remedium*, quia nulla alia via nisi euacuatione magna salus consequi potest. Quod si incepta euacuatione pulsus manifestetur magis, certissimum erit ob omnimodam oppressionem defecisse, & sic cum fiducia euacuatio ampliabitur Hoc verò auxilium, & nullum aliud tentandum à Medico, nisi exposito prius periculo, nam cùm tam atrox sit mali conditio, & celertimè iuguler, facilè remediis attribuitur, quod crudeli morbo debetur.

Est rursus aduertendum ne sanguis iam concreuerit, antequam vena secetur. Si enim illud eueniat, fouendum totum, & caput fricandum, vt eliquetur sanguis concretus; aliter enim non fluet, etsi secetur vena. Tradidit hoc præceptum Hippocrates 4 *de vict. rat. text.* 28. dicens: *Talibus sanè prius adhibitis fomentis venam confestim ab initio secare oportet, &c.* Vallesius in *commemo:* Oportet, inquit, fouere, antequam venam seces, calido aliquo, & laxante caput, & hypocondria, quacumqua maximè parte concretionem sanguinis esse suspicatus fueris, aut etiam toto corpore in balneum calidum demisso, vt liquatus melius fluat. Hinc Heurnius diucbat, locus secandus calefiat, fricetur oleo anethino, vel camemelino, fiat amplum vulnus, & totum tunc corpus agitetur, quo fluat sanguis; fiat lata incisio, nam sanguis restagnat strictus. Idem Galenus in commento loci citati docuit, licet non semper id esse faciendum suadeat, quia non semper sanguis concretus se offert. Id tamen obseruabitis, nullum esse desperatæ salutis maius indicium, quàm secta vena sanguinem non fluere; innuit enim concreuisse iam sanguinem, & inde omnia auxilia irrita fieri: concreuit quippè ob extinctum calorem.

Quæ venæ secandæ sint, non minus controuertitur. Secat Areteus communem. Paulus nullam determinat. Ex Galeno semper aperienda Cephalica. Recentiores eusriant. Eustachius primò secat communem, vel Cephalicam, deinde ad talos recurrit pro maiori reuulsione, & id absolutè docet in omnibus. Mercatus id admittit si præcessit menstruorum defectus, aut consuetæ inferioris euacuationis per hemorrhoïdes. In tanta varietate censeo secandam esse commonem, si maxima plenitudo molestet in toto, deinde ad Cephalicam recurrendum: si verò vrgeat nimis obstructio cerebri, & id ex periculo suffocationis clarè agnoscatur, & quia vt docet Rasis, facies patientis nimis rubeat, denigretur, aut viridis fiat, ex quibus constat, ob nimiam plenitudinem cerebri suffocari vitalem calorem, & iam esse præsens periculum extinctionis totalis ob defectum ventilationis: Tunc, inquam, secandæ simul duæ Ce-

A phalicæ, vt idem Auctor docuit.

Si verò cum tam certo periculo complicetur menstruorum defectus, paruifaciendus est in tanta vrgentia, & secandæ primò Cephalicæ, donec releuetur ægra. Quod si sequatur, ad talos recurrendum, vt docuit Mercatus, vt à parte mittente euacuemus. Quòd si Apoplexia non vigei, sit verò retentio menstruorum insignis, & plenitudo in toto, primò secabitur vena malleoli, deinde Cephalicæ, vt docuit peritus Matthæus: facilè enim inclinatur ad supera totum quod continet vterus. Si primò secentur venæ superiores, & in quouis euentu secetur vena brachiorum, cucurbitis continendum in parte inferiore quod vterus transmittere possit. Idem in mariscis suppressis putandum. Non probo in hoc casu ligaturas; est nimirum humorum

B effectus ratione doloris trahere, quia aut non excitatur, aut tam leuiter, quod nihil ratione illius trahatur, & cùm ratione stuporis frustientur, hoc modo lædunt; quia compressis vasis, ad superna regurgitat sanguis: exprimunt enim à se, vt clarissimè constat, quod nullus quem legerim in hoc affectu, ante nos adnotauit. Consultò dixi in hoc affectu; nam in sanguinis sputo vt fundamentum adductum Scribonius ligaturas vituperat; quam litem Aurelianus discussit, licèt erroneè, vt Deo dante dicemus.

Deinde secant practici venas sub lingua, aut in fronte, aut in naribus, quia immediatè euacuant ex capite ob eandem indicationem. Hirudines diuersis partibus cerebri accommodantur, vt suctu euacuent materiam intro collectam; commodè applicantur venis post aures,

C sempérque affigendæ venis magis tumentibus; nam per illas fluxionem transmitti coniectabile est.

Est autem nimis controuersum apud Auctores, num liceat secare venas iugulares. Est opinio Mercati dicentis, quòd si tumidæ appareant, secantur vtiliter; tunc enim non est necessaria ligatura in collo, aut thorace, vt secemus, ob cuius metum multi improbant harum venarum sectionem, & si scissura parua fiat, facilè sistitur sanguis sine ligatura: desumpsit ex Holerio dicente: *Secandæ sunt iugulares valdè tumentes, angusto foramine metu hæmorrhagiæ sectio facienda est, & cohibendus sanguis medicamento Galeni ex pilis leporis, aloë, thure, & albumine oui, conueniente ligatura, asseribus vtrimque ad collum applicatis supra iugulares à claniculis ad aures, &*

D *à sterno ad mentum, ne impediatur libera respiratio, quod in cane sumus experti: exsectis iam pilis venas linguæ aperire non licet contracto ore, ex venalis nasi nihil iuuatur æger ob paucitatem sanguinis: Venæ frontis à iugularibus oriuntur, nec tam conspicuæ sunt.* Hæc Holerius. Easdem secare laudant Heurnius, & Rondeletius, addendo Holerij doctrinam: Ex quibus constat, nec semper esse vtile, nec securius venas iugulares secare; nam si venæ frontis ex illis nascontur, & sunt propinquiores cerebro, quando satis conspicuæ sunt, secandæ sunt relictis iugularibus, quia immediatiùs euacuant, & secantur sine incommodo, quod iugularibus non euenit, vt notauit Leonellus *c.4.* Vnde si benè secari queant venæ in fronte, iugulares demittere oportet ob adductas rationes, & quia vt docuit Princeps *cap. de Cephalalgia*, sectio venæ

E frontis omnes morbos capitis à sanguine sanat.

Est circa hoc auxilium oblitteranda doctrina Mercurialis, tenentis quòd semper sanguis mittatur à brachio dextro, & præsertim à vena Cephalica; quia ex hac parte multò magis euacuatur totum corpus, quàm ex vlla alia: errat clarè, quia vbi totum cerebrum æqualiter laborat, vt in Apoplexia, non potest totum commodè euacuari, si semper tundatur vena in dextro brachio, quia non seruatur rectitudo necessaria ad euacuandum à parte cerebri sinistra, neque est peculiaris ratio, cur magis euacuent totum secta vena in dextro brachio, quàm in sinistro; neque est dubium, citius, & magis totum vacuari, si aperiatur vena communis in sinistro, quàm Cephalica in dextro; nam hæc pri-

mò

A mò solum cerebrum respicit, communis verò æquè totum corpus.

Est vlterius diligenter notandum, ne ex ingluuie & longa vini potione originetur malum, vt sæpè solet; tunc enim incipienda curatio à vomitu, & alui subductione, nam euacuatis ventriculi cruditatibus, & alimento incocto, spontè cessare solet Apoplexia sine aliis auxiliis: *Si est possibile*, inquit Princeps, *fac eum vomere cum penna immissa gutturi ipsius, oblinita oleo de lilio, aut simplici, & propriè cùm æstimatur, quod in stomacho, aut ore illius sit repletio, & iam præcessit eum sacietas nauseatiua a cibo. Confert ei hoc auxilium vehementer, & in vomitu quidem aliud existit iuuamentum; nam causa, & voluntas vomendi calefaciunt caput eius qui habet Apoplexiam frigidam, & humidam.* Nec tamen pu-
B teris propter hoc iuuamentum vtiliter nauseam, aut vomitum moueri, vbi non est repletio ventriculi, nam nausea, & vomitus succos in caput inclinant, & illud amplius replent, & inde si ventriculus, aut prima regio cruditatibus careat, cessandum à vomitu, aut nauseæ motione. Medicamenta verò ad mouendum vomitum & aluum subducendum, ex dictis in aliis capitibus vobis constant. Constat similiter error Sennerti nullum vomitum in Apoplexia admittentis; & iam visum est, Apoplexia ex repletione incipientem vomitu spontè facto cessare: pessimeque Auicenna exponit, quòd sit intelligendus post vniuersales euacuationes, cùm foret summa pernicies repleto cruditatibus ventriculo sanguinē mittere, quando cruditas Apoplexiæ fuit causa.

C Deinde imperat Auctor, resoluentia capiti applicata, & sternutatoria, acres clysteres, & auxilia flatus discutientia, de quibus remediis abundè diximus *capitibus de lethargo, Caro, & Catocho.* Conuenit etiam hirudinum appositio super venas turgidiores, vt diximus: item & cucurbita scarificata in occipitio, aut sincipite; vesicantia etiam in dorso iuxta occipus accommodantur; vincula in femoribus & brachiis, si molestè ferantur, & sensus dolorem percipiat, vtilia erunt, sin minus nociua, vt diximus anteà. Continua, & dura crurum, & brachiorum fricatio cum oleis calidioribus, vt *cap. de Lethargo* diximus, vtilissima est, quin & per totum corpus continuanda, vt hic Auicenna, & Areteus docuerunt, non tantùm vt ad partes externas, & cutem re-
D uocentur humores, sed etiam vt obstemus sanguinis concretioni, qua factā salutis caremus spe. Hinc Hippocrates 2. *de morbis*, ita reliquit scriptum: *Multa calida ipsum lanato, & calfactoria ad caput adhibeto; à fomentis verò myrrham, & æris florem in nares infundito, sorbeat autem Ptisana succum, & aquam bibat. Si vbi hæc feceris, melius habuerit, benè erit, sin minus, quæ vnica spes aliqua est, sincipus ipsius scindito, & vbi sanguis defluxerit, labiis compositis curato, ac deligato; si verò non secueris, decimo octauo, aut vigesimo die morietur*

Præter dicta præcipit Auicenna, quod igniferum capiti applicetur, desumpsit ex Rasi ad Almansorem, *cap. de Apoplexia*, dicente: *Sartago præterea calefacienda est, & capiti multoties adeò vicinanda, vt patientis capilli aduruntur.* In cuius loci expositione dicit Herculanus: *Me-*
E *lius verò est, vt sartago sit ad formam capitis, & quod capilli priùs fuerint abscissi; conuertit enim phlegma in vaporem, & minuit.* Hinc Montuus reliquit scriptum: *Sartago ab igne candens capiti ita proxima, quod cerebrum incalescat, adeò opitulatur, quod deperditam loquelam restituat: Quod si non sit satis* (inquit Rasis) *adhuc laborandum, caput namque rademus, & ex synapi trito, & castoreo, & fortissimo aceto liniemus.* In quem vsum remedium Montui est celebre. Recipit verò Emplastri Apostoliconis ℥ j. ß. resinæ ℥ ß. ceræ quod satis, Amoniaci, Castorei ana ʒ. iij. Euphorbij ʒ. j. fiat ceratum, caluæ imponatur, extrahit enim à profundo materiam aquosam, & mirabiliter iuuat apoplecticos, & sideratos. Quod genus auxilij magis laudat Rondeletius,

A quàm sartaginem ab igne candentem, & traditur à Montagnana *fol.* 1122. & dicit sæpè esse expertum. Nimis prodesse dicit Sennertus Epithema ex succino puluerizato in sacculum oblongiorem interpassatum inclusum, si sacculus iste in aqua vitæ, vel spiritus vini cum pipere longo imbuto madefiat, & oleo succini aliquot guttis aspergatur, & suturæ coronali apponatur. Sic Leonelius caustico ex Cantaridibus vlcera in sutura coronali excitat, & cicere vlceri intromisso per mensem, seruat vlcus apertum, vt integrè expurgetur materia. Idem præstat actuale cauterium eidem commissuræ applicatum: quod etiam fecit Heurnius, & docuit Aetius; sed huius operatio tardior est ob scaram, sine cuius ablatione nihil expirat per aluum. Puluerinus duplici parti cauterium affigit, & ceruici inter
B primam & secundam vertebram, & coronali suturæ.

Est tamen notandum, quod dicit Auicenna, esse nimirum incipiendum à leuioribus resoluentibus; oportet enim prius eliquari crassam materiam, vt à fortioribus resoluentibus non alteretur, & irresolubilis reddatur. Erunt ergo leuiora auxilia pro Apoplexia, quæ cap. de Caro, & lethargo retulimus: deinde ad fortiora veniendum; in quem vsum Rasis commendat assumere aureum vinum compositionis anacardinæ dissolutæ in mulsa; resoluit enim, & eliquat materiam pituitosam cerebri, & illud roborat. Herculanus putauit imperari, vt febris exciteatur, quæ ab omnibus Apoplexiæ remedium putatur. Theriaca magna antiqua, mitridatum, diamuseum, diambra, & aliæ con-
C fectiones ob eandem indicationem roborandi cerebrū, & resoluendi materiam commeodantur ab omnibus; quæ in mulsa exhiberi possunt, vtilior erit aqua instillaritia ex eisdem per balneū Mariæ: est enim spirituosa magis, plus attenuans, & facilius deglutietur, aut percolatur in Apoplecticis; nā quæ crassiori formula dantur, difficilè degluriuntur, nec sine periculo augendi difficultatem respirandi diù iuxta fauces morantur.

Est circa hoc notanda Rondeletij censura & doctrina. Carpit enim Medicos, theriacam & mitridatum exhibentes; nam etsi sint hæ confectiones antiquæ, nunquam vim opij perdunt, & inde vsus earum semper est noxius, quia frigore plus incrassatur materia cerebri; secundò, quia constant multis rebus adstrin-
D gentibus, vt acacia, & hypocistide, & aliis, quorum adstrictione magis impingitur materia in cerebrum: tertiò, quia hæc odorata, inquit, multos vapores in cerebrum mittunt, & sic affectionem augent replendo cerebrum magis; inde diambra, & diamuseum vituperat, quia cerebrum odores suaues validè haurit, & omnis repleiur. Constat enim ex Hippocrate, aromatum vapores capitis grauitatem inducere, vt 5. *Aphor. text.* 38. docuit, & vt indubitatum Galenus *in commento* recipit: ob quas rationes vtilius putat Rondeletius dare Apoplecticis vinum, aut ℈ij. Castorei, aut modicum Euphorbei, gingiberis, aut piperis: posset etiam commendare diatron pipereon. Tandem concludit, quod vbi cerebrum expurgatum fuerit, tutò dari possunt prædictæ confectiones, vt theriaca, & mitridatum, quia ce-
E rebro debili ex progresso morbo robur associant.

Est autem inanis, & claudicans Rondeletij censura, nec sibi constat hic Auctor; nam *lib.* 2. *cap.* 1. theriacam commendat ad attenuandam, & resoluendam crassam pituitam causantem strumas, & in curatione conuulsionis à congelatione plurimum iuuare theriacam, & mitridatum docet, quia calefaciunt. Est autem falsa doctrina. Primò, quia confectiones relatæ, etsi antiquæ, propter opium adhuc infrigidant, nec in declinatione Apoplexiæ essent concedendæ, cùm in hac vitanda sit omninò cerebri infrigidatio, imò contrà calefaciendum est cerebrum, & vt robur antiquum comparet à pituita contra naturam per Apoplexias vitiatum. Nec dubium esse potest, si frigore incrassant dicta

antidota cerebri pituitam, plus alterare cerebrum, cùm sit minus frigidum quàm pituita, nec valent dari vt roborent cerebrum, nam si illud contra naturam infrigidant, quod robur præstabunt, si virtus in recta temperie consistit, & sint alia plura caput firmantia sine frigiditate. Secundò, quia opium infrigidare, & ob id conciliare somnum claudendo vias, & torporem spiritibus inducendo, tam incertum est, vt contrarium probabilius videatur multis; nam incredibile videtur ita opinantibus in tam parua quantitate, vt gran. iiij. aut vj. stuporem inducere infrigidando, cùm magna potio aquæ gelidæ somnum non conciliet. Nec videtur probabile opium in ventriculo manendo cerebrum, & animalea spiritus pro frigore densare, & in quiete continere, ne ad sensoria distribuantur, & in partibus intermediis tam intensam frigiditatem non percipere, aut insignem noxam non communicare ventriculo, cui proximius est, & immediatum: nec externis partibus applicatum aliquam frigiditatem notatu dignam communicat, quod in doctrina Galeni euenire deberet non admittentis medicamenta, & venena frigida in potentia talia. Nec est credibile incendium cerebri laborantis phrenitide à 4. gran. destrui, & infrigidato cerebro somnum conciliare. Accedit etiam argumentum magnum ex optimi opij probatione desumptum, tenetur enim lucernæ applicatum ardere, & flammam emittere, vt docuit Oribasius; Est enim totum sulphureum, & sic inflammatur, & ardet: quomodo autem sit tam frigidum esset, flamma, & ardore probaretur? Addo etiam vim soporandi olfactu communicare, vnde potiùs vaporibus vt mustum feruens, aut semi accensi carbones, sensibus priuat. Vnde meritò Rabi Moyses a. *Plat. Aphor. Aphor.* 51. dixit, quòd semen papaueris albi grauedinem capitis generat, & dormitionem. Est etiam magnum argumentum, quod delirium causat, & mentem depravat, effectus omninò alienus à rebus frigiditate intemperantibus, nimirum summa frigiditas quietem in actionibus causat, non deprauationem in doctrina Galeni: quomodo si mentem soporat, sensus alienet, & depravet, non est difficilè intellectu, si calefaciendo obstruit etiam, vt qui pituita putrida cerebrum obstruente molestantur, in somno delirant, vt passim experimur. Sic Turcæ in Asia minori opium assumunt, vt animosi redditi, & veluti furore alienati, in hostes insiliant omni timore deposito; quomodo ergo frigidum, si hos parit affectus? Inebriat igitur potius quàm infrigidat.

Idem tenet Doringius *tract. de opio, sect.* 2. vt tradit Sennertus *lib.* 1. *part.* 2. *c.* 1. de papauer. semine, ex quo oleum exprimitur inflammabile omninò, & lucernis inseruiens, vt oliuarum. Est opium amarum acre, linguam vellicans, fauces incendit, sitim excitat, graueolet, facilè inflammatur, animum efferat, ventrem excitat, sudorem mouet, dura emollit, & discutit. Et inferius sic loquitur: Cùm ergo in tam parua quantitate non solùm somnum profundum, & stuporem inducat, sed paulò liberalius exhibitum enecet, rectiùs qualitati alicui occultæ, & peculiari proprietati, quæ in spiritu quodam sulphureo consistit, vt ex odore, inflammabilitate, ac resolutione patet, vim hanc tribuemus. Hic enim spiritus seu odore in cerebrum admissus, seu per poros cutis penetrans, seu intra corpus sumptus in cerebro, vi spiritus peculiari sopit. Idem Platerius *tex. lib.* 1. *cap.* 5. Dicit enim se nunquam deprehendere potuisse, quod à narcotin externæ cuti applicato reddatur cutis stupida, & indolens, licet vt certò aliquis cognosceret massam opij emollitam podagra laboranti extra applicarit.

Est etiam falsum, quòd prædicta antidota, etsi antiqua, resolutoria non euadant; nam etsi opium frigidum concedatur, à nimia copia calidorum ingredientium superatur nimis, & ita Auicenna cap. citato post corporis euacuationem illa commendat ad absumendos crassos humores; & Gentilis *in comment.* dicit: Considerandum, quòd theriaca, & similes confectiones cùm sint fermentatæ, sunt fortis resolutionis, & idcò post euacuationem securius vtitur eis. Peccat etiam, quòd propter res adstringentes in horum medicamentorum compositionem ingredientes, plus impingantur humores in cerebrum, nam moderata adstrictio quamcumque operationem iuuat ob robur partibus additum. Est etiam magnus excessus medicamentorum resoluentium, si cum adstringentibus coniectantur, & inde semper resoluit prædicta antidota. Quod verò odorata prompté ferantur in cerebrum, ingenuè fatemur, & ob id censemus vtilissima, quia si habent vim roburandi cerebrum, & absumendi crassam materiam, nil vtilius quàm promptè in cerebrum ferri: sic enim parti affectæ applicantur magno commodo; nam in medicamentis compositis semper miscemus quæ partem respiciant, vt alia simplicia cum eis ferantur in partem affectam, & malum destruatur facilius ob maiorem applicationem remedij. Constat verò odoratorum grauitatem Apoplecticis molestam non esse, cùm non sentiant, & quæ sanis noxia sunt, posse esse infirmis vtilissima. Estque in dictis antidotis multa simplicium copia vapores absumens, & dissipans.

Est deinde notandum, an sit tuta praxis Mercati. Hic enim doctus vir Apoplecticum per nares recipere rerum calefacientium euaporationes imperat, easque magis quàm suffumigia probat. Parat illas ex schilla, ruta, castoreo, & euphorbio feruefactis aceto. Cuius decocti vapores naribus (inquit) trahat laborans. Mesues verò *cap.* 27. *de Apoplexia*, suffumigia imperat. Nos verò vtrumque auxilium temerarium esse putamus, si Hippocrati credendum est, & Galeno. a. enim *lib. de vict. a.* *utor. text.* 4. sic scripsit Hippocrates: *Sed fomentum linteo vestiendum, vt virtus eius plus duret, permeátque, atque simul ne anhelitus ad laborantis spiritum, nisi & forsan id prodesse aliquando videatur.* Galenus in *commento: Sed de halitu est discutiendum, qui & lædit, & contristat, non difficultatem spirandi caloris incremento solùm præstans, sed Pulmonis angustiam, quæ ob replentem halitum, qui humidus efficitur, &c.* Ex quibus liquet, halitus respirationem dupliciter difficiliorem reddere, & incremento vaporis, & propria corporatura pulmonem implendo. Cùm ergo multò difficiliùs respirent Apoplectici, si in his respiratio halitus deuitanda est, quia auget difficultatem respirandi, maiore ratione in Apoplecticis damnanda. Vnde Vallesius *in commento* docet, vitandam esse euaporationem in Pleuritide, cuius maius periculum in læsione respirationis contingit. Cum ergo omne periculum Apoplexiæ in læsione respirationis consistat, nullatenus admittenda euaporatio, aut suffumigium. Idem nobiscum sentit Rondeletius, dicendo: *Aliqui fumigia parant, sed parum probari debent, quia in respirantibus difficulter periculosa sunt, quales sunt Asthmatici, & Apoplectici.* Loco verò huius præsidij consulit, vt æger olfaciat castoreum, galbanum, vel Euphorbium. Nec obstat, quòd Auicenna *in hoc cap.* dicat: *Si autem vaporationes fiant ex caryophilis, & hael, & mace & Nuce muscata, & acoro, erit rectum.* Nam vt rectè notauit Iacobus, non intelligit per euaporationes halituum inspirationem per nares, sed applicationes rerum odorantium per totum caput in sacculis, vt cerebrum roboretur, & resoluatur materia.

Medicamento expurgari intendunt etiam Medici huius mali ablationem, quod præceptum tradit Princeps dicendo: *Posteà bibat quod soluit, si in ipso pertransit ex pillulis, in quarum potu habetur fiducia, sicut pillula de Euphorbio.* Idem docuit Areteus, & inter recentiores Ludouicus Mercatus. Cùm verò deglutiri solida medicamenta, & in forma pillularum repugnet, decocto

cocto

cocto conuenienti dissoluende sunt. Constat verò foetia medicamenta esse necessaria & propter viæ distantiam, crassitiem, & lentorem humoris, & sensiunt defectum, ob quæ etiam in maiori quantitate danda sunt, tradit Princeps pillulas de Euphorbio, quæ in vsu non sunt, etsi satis efficaciter purgent, & sint accommodatæ. Sunt in communi vsu pillulæ cochiæ fœtidæ, & de agarico, quibus aliquid Euphorbij admiscet Mercatus; si pillulæ de Euphorbio paratæ non sunt, quarum ℈. j. in decocto Betonicæ, rutæ, & hyssopi tribuit Heurnius, vitat Elleborum Ludouicus Mercatus, quia cùm vomitum moueat, inclinat humores in cerebrum, quod perpetuum esse non potest. Nam prætetquam quod si causetur à melancholia, vt sæpè solet hic morbus, tarò euacuebitur sine Elleboro, aut medicamentis ex illo compositis. Constat esse vtilissimum aliquando vomere, vt quando ex hypocondriaca passione Apoplexia causatur, aut ex humoribus vitiosis in prima regione ex inglunie congestis. Refragatur etiam Areteo doctrina Mercati, dicit enim: *Si autem dum purgatus, nausea bundus sit, id non prohibeto, nam & illa distensio ad expergefaciendum præstat vigorem quendam, & pituita vomitus morbi causam expellit.* Dixit etiam Princeps, quòd *nausea, & vomitu calefaciunt caput habentis Apoplexiam frigidam, & humidam.* Constat verò expurgationem tentandam esse euacuato iam corpore missione sanguinis, & acritis clysteribus, inanitis intestinis, & prima regione, vt sic liberius ex remotioribus partibus, & capite trahat medicamentum vitanda tamen purgatio, si ex sanguinis copia, & phlegmonoso affectu cerebri Apoplexia causetur, etsi in extremo periculo constitutus sit æger: Vndè statim à principio euacuandum est in Apoplexia leuiori, quæ si talis est, aut si fortis inceperit, auxiliis medicis facta sit leuis, & habenda summa animaduersio, vt totum degluriatur medicamentum; id facilius efficitur, si per infundibulum iniiciatur. & molestis ligaturis, aliisque irritationibus tunc æger reuocetur ad sensum, vt sic deglutiat medicamentum iam faucibus applicatum. Affirmat enim Puluerinus, expurgatione tempestiuè exhibita à leui Apoplexia multos liberasse. In hunc vsum Hieras efficaciter purgantes propinant Auctores; ita dicit Heurnius. Si aliquantulum à marcore recreetur, Hiera per os detur cum mulsa, nam Hiera caput purgat; intelligo Hieram logadij, quam vt strenuum auxilium extollit Montagnana, cuius ℥. ß. in malo leuiori, quàm Apoplexie tradit, dissoluit illā in vino aromatico, quod in Apoplexie securum non est: optimè ergo dabuntur ʒ. iiij. v. aut vj. Apoplectico viribus constantibus, vbi melancholia, & crassa pituita fuerit causa morbi: dissoluuntur verò in mulsa, aut decocto stechados, betonicæ, saluiæ, & melissæ, & gingiberis cum flor. cord. Hiera Pachij laudatur à Scribonio, quòd multos liberauit Romæ illius vsus. Est etiam forte medicamentum Hiera diacolocintidis, cuius ß. ʒ. præbet Mercatus, ei admiscendo tantundem theriacæ veteris. Est verò meo iudicio parua dosis pro Apoplecticis; nam & fortissimæ Hieræ diacolocintidis, quam Galeno Nicolaus adscribit, ʒ. iij. præber. Nec admitto cum purgantibus admixtionem theriacæ, cùm probatio bonitatis theriacæ non aliter constet, nec melius Galeno, quàm obstando purgationi dato medicamento. Si verò dato medicamento purgante aluus non respondeat tempore idoneo, acri suppositorio irritabitur natura, quod sic probabitis. Recipe Hieræ logadij ʒ. i. Castorei, nitri, & cumini ana ℈. j. seminis rutæ ʒ. ß. mellis quod sufficiat.

Nec est audienda Massaries sine ratione expurgantia vituperans in hoc malo. Plater. *lib.* 1. *obseru.* senem Apoplecticum purgauit hoc modo. Recipe Diacartami ʒ. ij. Diagridij ℈. ß. cum aqua lauendulæ & saluiæ,

A fiat paruo potio, qua deiecit multum, & ad se rediit. Solet etiam expurgari Apoplecticus applicato medicamento ventri inferiori per partes externas. Est in officinis vnguentum de artanita, quo impletur vmbilicus, & ab vmbilico inferius vngitur vnguento de agrippe, cui aliquid ellebori admiscebitur, aut scamonei.

Summè conferre putant Auctores aquam stillatitiam ex nuce miristice: iniicitur auribus, naribus, & palato, qua & sincipur commodè fouebitur, ad materiæ resolutionem, & roborationem cerebri: quod munus etiam præstat assumptio diambræ, aut amusci, vel theriacæ, aut mitridati, aut si maiori calefactione sit opus, dabitur ℈. j. confect. Anacardinæ cum gutt. viij. castorei in mulsa, aut decocto Betonicæ. Quibus etiam vtendum, si æger liberetur, ad implendum
B nouum insultum, & corpus purgandum per Epicrasim. Exterius verò cucuta applicabitur capiti iis pulueribus inter duo lintea, aut serica intertutis. Recipe ligni aloës ʒ. ij. Cubebarum, Caryophilorum, & radic. Peoniæ ana ʒ. j. Sandaracæ Arabum, rosar. rub. ana ʒ. ij. macis ʒ. j. ß. granorum Chermes ℈. iiij. fol. melissæ ℥. ß. diambræ ʒ. ß. quæ debent redigi in puluerem, & fiat cucufa: Erit continuus odor ambræ, aut diambræ, vt cerebrum roboretur, & purior reddatur spiritus.

Victus tenuis conuenit, & *à prandio omninò impediendus somnus*, (inquit Auicenne) *donec descendat, & digeratur digestione aliquâ.* Ratio est; quia somnus est incipiens Apoplexia, & non decet dormire, quando multitudo vaporum crudorum, & crassorum cerebrum sol-
C licitat; & inde impediendus somnus, donec crassa, & cruda euaporatio alimenti per vigilias extra mittatur. Vinum nouum Auicenna vituperat, quod flatuosum, & excrementitium extremè, sicque caput ocissime, & grauiter replet. Condemnat etiam vinum antiquum, quod velociter penetrat, & humores commouet, sicque initium Apoplexiæ præstat, vnde laudat vinum mediæ ætatis. Semper tamen suspectum est vinum, & ita securius est vti aqua decocta radicis chinæ, vel saxifragia Indica, aut vti solùm mulsa, in qua incoxerint cubebæ, semper in vltima mensa sumatur quod impediat vaporum ascensum, vt oliuæ conditæ, aut dragea ex coriandro præparato, aut caro citoneorum saccaro condita, vel citri cortex, venter lubricus sem-
D per seruetur, & impediatur cerebri insolatio, aut aëris frigidioris occursus, vel meridionalis. Est enim summè timenda recidiua huius mali, quia magnam debilitatem contraxit cerebrum sub tanta oppressione, & inde facilè suscipit quidquid excrementitium de nouo superabundat: estque magis timenda recidiua, si sine humoris decubitu manifesto Apoplexia cesset, quinimò tentata Paralysi, & reddita Apoplexia minori, vt sentire iam, & mouere aliqua membra possit ægrotus, inopinatè recrudescit morbus, & occidit, & hoc magis timendum in senibus, quia difficilius ab eis eradicantur crassi, & tenaces humores: Estque desperata ratione ætatis per artem capitis fortitudo.

E Est deinde notandum quod dicit Princeps, his verbis: *Cùmque Apoplecticus febricitat, fac moram in re ipsius, donec discooperiatur; fortassis enim est crisis, sitque mora vsque ad septuaginta duas horas: si autem ita non est, & febris est præter apostema, & putredinem, tunc est mortiferum.* Hic textus difficilis sine expositione à Gentile relinquitur. Iacobus verò dicit interdum excitari febrem in Apoplexia, quia calor innatus toto conatu in materiam operans, eam commouet, exagitat, & ebullire facit: ex hoc feruore nascitur febris ob obstructiones de nouo excitatas. Tum verò, inquit, cessandum est ab auxiliis maioribus, ne debilitetur calor expurgatione, aut secta vena inanitus, & cesset pugna, & victoria caloris, & inde occidatur æger: estque

expectandum per consequens tempus à Principe constitutum; & si videatur reddi leuior Apoplexia, putandum est materiam illius resolui, & esse febrem crisis, & solutionis auctorem. Quando verò febris est accidens inflammationis cerebri, constat non posse esse crisim, sed siguum mortale; nam febris inflammationis non sollit inflammationem.

Textus adducti doctrinam desumpsit Auicenna meo videri ex Hippoc. *Epid. sect. 5. text. 14.* dicente: *Qui repentè voce priuantur, si sint sine febre, sanguinem mittere.* Ex quibus verbis intulit Auicenna, si non est febris in Apoplexia, est necessaria sanguinis missio: ergo vbi est, potest non esse necessaria, quia febris ipsa est salutare remedium, & interdum adæquatum in doctrina Hippocratis; nam si non putaretur febris sola adæquatum remedium, adhuc cum illa requireretur B venæ sectio. In eundem sensum dixit Hippocrates *Aphor. text. 5. Si quispiam ebrius repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenit, quia soluuntur crapula, vocem reciperet.* Et 7. *Aphor. text. 5.* dicebat: *Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.* Quibus locis Hippocrat. clarè constat, solam febrem posse esse adæquatum remedium ad extirpandam Apoplexiam. Vnde optimè intulit Auicenna, aliis auxiliis grandioribus opus non esse, cùm sola febris sufficiat.

Huius Auctoris doctrina, & Iacobi expositio suspecta mihi videtur sic absolutè prolata. Est enim duplex febris (excepta quæ ab inflammatione excitatur) certam desperationem permittens, nisi ei auxiliemur. Vna C est, quando propter remissionem eliquat materiam cerebri, & nihil notabile resoluit, vt euenit filio Numeni 2. *Prorrhet. text. 50.* vt dixit Hippocrates, ;subitaneis Apoplecticis si febris mediocris, solutaque, & diuturna superuenerit, perniciosum, vt Numeni filio: eliquans nimitum crudos humores, obstruit magis cerebrum irrigatione, & indè augetur respirationis difficultas. Alia febris est, quæ ob magnitudinem periculum generat, requirit enim intensus calor magnam, & celerem respirationem, vt attemperetur cordis incendium; hanc fieri nullo modo permittit Apoplectica passio ob debilitatem influxus, & inde breuissimè æger perit suffocatus. Nec obstat, quòd si mediocris febris resoluere potest totam Apoplexiæ materiam, citius id efficiet febris intensior; nam etsi hoc fate-D amur, non aufertur periculum, eò quòd caloris intensio ad mortem perducens, apponi potest tempore breuiori quàm possit Apoplexiæ causa resolui. Est etiam contra Auicennam, quod non omnis causa Apoplexiæ apta est, vt à calore febrili resoluatur, nam atra bilis exusta, à qua causatur, frequentes calore assatur ampliùs, & crassescit, nullóque modo resoluitur. Peccat etiam, quia plurimæ Apoplexiæ tertium diem non expectant, sed ante occidunt. Hippocrates ergo retulit, quòd possibile est; non tamen docuit, quod cessandum sit à remediis, si febris superueniat.

Vltima verba adducta à Principe in fine curationis Apoplexiæ, videntur difficilia. Dicit enim: *Et scias quòd Apoplexia, & Paralysis constringunt meatus cibi, quare non sunt medicinæ facientes euacuationem euacuantes ex natura, facientes ipsas propriè*; quasi diceret, quòd quia Apoplexia, & Paralysis pendet ex causa obstruente, & ita occludit meatus, & vias, per quas est educendus humor, ideò medicinæ expurgantes non euacuant materiam propriam illarum passionum, id est, non euacuant causam immediatam, & continentem earum, quia est in poris impacta, & ita educi non potest. Ex quibus deduxit statim Auicennæ inconstantiam, cùm in curatione huius mali pillulas de Euphorbio commendet, & imperet; sicque Massaria putauit inconstantem esse, & nullatenus expurgandum esse in

A Apoplexia. Verùm hic Auctor non fuit assequutus mentem Auctoris, imò potiùs iis verbis explicat, cur pillulas de Euphorbio commendauerit: nam quia Apoplexia, & Paralysis pendent vere semper ex causa crassissima, & lenta, & relatas passiones causat impacta vehementer in poris substantiæ cerebri, aut alterius partis, quando causat Paralysim, ideò non sunt satis medicinæ mediocres ad extrahendam causam obstruentem, & immediatam, sed necesse est exhibere pharmaca fortiora, vt extrahatur tam agglutinata; & obstruens causa, & inde egemus pillulis de Euphorbio, & aliis Medicinis fortioribus. Et quando dicit, quòd Apoplexia, & Paralysis constringunt meatus cibi, non sunt intelligendi meatus, per quos est educenda causa, ij enim non sunt necessariò occlusi; sed intelligi-B tur de meatibus, à quibus est educendus humor; nam quia iis tenaciter hæret, nisi à forti medicamento educi non potest; & prauè intellexisse hunc textum Massariam, inde deducitur facilè, quia nullus negat in Paralysi esse expurgandum, & sæpius repetendum auxilium.

Tandem controuertunt Auctores, si sit apponendum oxyrrhodinum in cura huius mali. Ad quod respondeo facilè, nullo modo conuenire vbi est integra natura Apoplexiæ; nam vt docuit Princeps noster *fen. 1. lib. 4. cap. 3.* in Apoplexia, & Epilepsia occultatur principium: Est autem hoc tempus, quando oxyrrhodinum conuenit: vnde dixit Iachimus, Apoplexiam totam esse statum, & desumpserunt ij Auctores ex doctrina Galeni *lib. de optim. sect. ad Trasy. cap. 67.* dicentis: *Acu-C ti namque morbi, qualis Apoplexia est, simul atque inuaserunt, ad extremam accedunt magnitudinem.* Et si contemplemur attentè, in Apoplexia totum cerebrum esse obstructum, & repellentia non conuenire nisi euacuato corpore, clarè videbimus occasionem ad applicationem oxyrrhodini nullam dari, cùm in tanta plenitudine partis sit repulsio impossibilis, & præcipuè si à pituita, aut à melancholia causetur. Si verò expectetur euacuatio totius, vt sit occasio oxyrrhodino, iam est tota materia confluxa, & resolutio illius vrget, non repulsio, nec infrigidatio, & incrassatio materiæ. Notanter dixi; *Si sit integra natura Apoplexiæ*, quia si sit incipiens, vt quando ex phlegmonoso affectu causatur, aut paulatim incipit humor transmitti in cerebrum; quòd indicant grauitas nimia cerebri, & ingens D dolor, torpor actionum sentientium, & motiuarum cum visus offuscatione, præcipuè si conuulsiui motus appareant, aut tremuli, aut cerebrum cum molesto dolore æstuet, tunc rectè cerebrum oxyrrhodino præmunietur, ne tam breuiter, & copiosè recipiat: estque tam lenis vtilitas quæ in Apoplexia iam facta cum repulsione speratur, vt pro nihilo sit habenda in tam exitioso morbo. Vndè rectè dixit Heurnius, in Apoplexia ab obstructione nequaquam est repercutiendum.

Notabitis vltimò, cùm Apoplexia frequenter permutetur in Paralysim brachiorum, præsertim optimum est partes illas oleo laxante, & attrahente fouere assiduè. Sunt enim celebre auxilium assiduæ fri-E ctiones in omnibus supotosis affectibus. Laxitas conducit ad debilitandum partem recipientem, ne transmittenti resistat, capaciorque reddatur. Attractio reuocat ad illas humores ex cerebro, & iuuat suo modo cerebri expultricem, quia quod trahitur ab vno, facilius ab illo pellitur, si in eundem locum reiiciatur, & ita mihi videtur consultissimum caustica, & vesicantia cruribus, & brachiis apponere, & reliquas partes oleis laxantibus, & attractoriis fouere.

DISPVTA

DISPVTATIO IX.

De Tetano.

CAPVT I.

Quid sit?



LICET Tetanus non sit affectio capitis, vel cerebri, vulni inter morbos illius vobis exponere eius naturam. Est enim caput pars, quæ per conuulsiones trahitur in consensum, & in euius situ, & figura mutatis, explicautur præcipuæ conuulsionis species, inter quas Tetanus vt malignior, & citò interneeans enumeratur.

Debetis tamen accipere ex communi cōsēsu Medicorum, musculos esse instrumenta motus voluntarij, in nobis & brutis spontanei, & per consequens nulla pars mouetur medio musculo absque cognitione præcedente, & imperiu appetitus: quod & ipsum experimentum confirmat, nam quando volumus, mouemur, & cessamus à motu; mouentur verò membra ad contractionem musculorum in sese, & quia musculi sunt alligati tendonibus, & isti ligamentis, & iis omnibus membrum, aut pars mouenda annectitur. Quando contrahitur musculus in se, trahit secum omnia quæ illi vniuntur, aut alligantur: sicque trahit membra & mouet localiter. Propria ergo operatio musculi est vnire versus suam originem, & nullam aliam habet vt est instrumentum motus. Vnde necessarium fuit in partibus ferè omnibus esse constitutos ex aduerso diuersos musculos, vt diuersè moueri possint, nam ratione vnius tantum musculi solùm mouetur versus vnam partem, quia vt dixi, solùm habet quælibet musculum vnum simplicem; motum scilicet contrahi in se, & vniri versus originem sui: ab hac autem contractione nunquam se liberat, nisi per motum alterius musculi ex aduerso positi; qui contractus in se tollit contractionem musculi sibi oppositi. Est exemplum in brachio, quod dum thoraci applicatur per motum, id assequitur contractis musculis interioribus brachij; ij verò simul contracti, & tenentes brachium applicatum thoraci, nullo modo possunt illud ad aliam partem mouere; & ita vt separemus brachium à Thorace, contrahuntur musculi in parte brachij externa existentes, & sic ad contractionem eorum laxantur musculi interni. Idem in digitis manuum, & aliis ferè omnibus partibus inueniesis. Dixi, ferè omnibus, quia septum transuersum, quod validissimus musculus est, & musculus circundans collum vesicæ, & qui rectum intestinum occludit, & aperit, non laxantur ad motum contrarij musculi: non enim habent alium sibi oppositum, sed ipsi per se ipsos se contrahunt, & laxant sine ope alterius musculi necessaria simpliciter, quia habent ex particulari formatione fibras alias ex aduerso oppositas in propria musculi carne, & ita motum contractionis, & dilatationis efficiunt ex se septum transuersum, musculus ambiens collum vesicæ vrinariæ, & qui rectum intestinum mouet ad retentionem, & repulsionem stercorum.

Rursus notabitis, quòd in conuulsione mouentur membra, aut partes conuulsæ, quæ ratione morbi in musculis existentis coguntur contrahi in se contra nostræ voluntatis imperium. Vnde per conuulsionem ad eundem situm trahuntur partes violentia morbi, ad quem secundùm naturam moueri consueuerant, &

A inde colligit tota Medicorum schola, musculos pati in conuulsionibus, quia membra trahuntur ab illis in eundem locum, & situm, in quos voluntariè secundùm naturam à nobis mouebantur. Hinc Galenus 3. *lib. de locis*, cap. 6. dicebat: *Quippè si omnis motus, qui à voluntate procedit, attractis musculis, in eas, quibus innascuntur, partes fieri videtur, nec potest attractio fieri, nisi ad suam originem retrahatur musculus; constat conuulsionem in conuulsis partibus factam hac sola ratione a motu voluntario differre, quod præter voluntatem nostram fiat.* Ex cuius doctrina communiter definitur conuulsio, quòd sit contractio musculi versus suam originem factam præter voluntatem. Ita docet expressè *lib. de trem. rig. & palpitat.* dicendo: *Cùm enim omnes arbitrarij motus musculis, quando ad sua capita retractis vnamquamque particulam, cui inseruntur simul attraxerint, hunc motus sequitur similis quidem naturali, sed citra voluntatem, & vocatur affectus spasmus, id est, conuulsio.* Vnde constat quòd in spasmo cynico, seu oris tortura causata ex Paralysi musculorum oppositorum, non sit contractio illa, seu tortura conuulsio in rigore, quia non fit contra voluntatem nostram, vt rectè probauit Magister *lib. de locis affectis, disp. 31. in fi e cap. 1.* Nam quando dextra pars faciei laborat Paralysi, non conuellitur sinistra ratione morbi, sed à propria facultate motiua: quia verò redire ad conuenientem, & naturalem formationem non potest sine contractione, & motu musculorum partis dextræ faciei, & illo manent priuati, quia sunt Paralytici; ideò semper manet oris tortura, quousque auferatur Paralysis partis dextræ.

B

C

Supposito ergo quòd conuulsio sit retractio musculi versus suam originem inuoluntaria, inde sequitur à solo morbo fieri, quia nec voluntas, nec facultas aliqua ad eam contractionem conducit, sed solus morbus & eius causa. Tradantur verò cōmuniter tres species conuulsionis ab Auctoribus secundùm diuersum locum, ad quem fit membri, aut partis inuoluntaria contractio. Prima dicitur Opisthotonus, secunda Emprosthotonus, & tertia Tetanos, seu Tetanus. Eas explicant in capite clarissimè; nam quando trahitur versus partem anterioris Thoracis, & huic mentum annectitur, vt aspicientes terram, dicitur Emprosthotonos: quando verò caput trahitur per conuulsionem inuoluntariè versus deorsum, quasi aspiciendo cælum, dicitur Opisthotonos. Si verò caput rigidum, & tensum, erectumque maneat, ita vt neque ad anteriorem, nec posteriorem partem moueri, difflectique possit, dicitur Tetanus.

D

Est autem difficultas inter Medicos, an reuerà Tetanus sit conuulsio? Rationem dubitandi dedit noster Auctor *fen. 2. lib. 3. text. vnico, cap. 8.* dicendo: *Tetanus autem secundùm veritatem est contrarius spasmo, & ingreditur in genus spasmi introitu contrariorum in vno genere.* Si ergo Tetanus est quid contrarium conuulsioni, non est conuulsio. Secundò ex ipsa definitione idem colligitur; nam conuulsio est retractio musculorum versus propriam originem inuoluntaria: sed in Tetano nulla datur contractio: ergo nec convulsio. Minor probatur:

E quia musculi contrahi nequeunt, qui secum membra, quibus inseruntur, dimoueant: sed in Tetano membrū manet rigidum, & inflexum: ergo nullo modo sunt contracti musculi illud mouentes. Et confirmatur: vnus musculus nequit cōtrahi absque eo quòd oppositus laxetur, vt fatentur omnes, quia si oppositus non cedat, repugnat alium musculum contrahi, vt quando caput trahitur ad partem anteriorem thoracis, repugnare hæc conuulsio, si musculi partis posterioris ceruicis non cederent: nec ad dorsum conuelleretur caput, si musculi anteriores non cederent: sed sic est, quòd in Tetano musculi vtriusque partis ceruicis manent rigidi, & tensi, vt nullus cedat musculo sibi opposito; quia eo ipso, quod cederet, non esset conuulsio. sed

laxatus.

laxatus: ergo sine contractione aliqua causatur Tetanus, & per consequens non est convulsio.

Idem probatur ex definitione Auicennæ; dicit enim: *Tetanus est ægritudo officialis prohibens virtutem motiuam à contractione membrorum, de quorum aptitudine est vt eradantur propter nocumentum in lacertis, & neruis.* Si ergo prohibet Tetanus, quòd membra contrahantur à facultate motiua, potius habent contrariam positionem, & repugnantem contractioni, & per consequens in Tetano non sunt contracti musculi, nam contractio non tollit, quòd à facultate ampliùs contrahi non possint, imo conspirarent musculi in eundem motum à morbo, & facultate; quia si morbus in Tetano contrahit, & conuellit, ita & facultas idem tenetur facere, quia nisi contrahendo non potest mouere: potiùs ergo sunt distenti musculi tam validè in Tetano, quod nequeat facultas eorum contractionem moliri, & ita merito dixit, quòd Tetanus secundùm veritatem est contrarius spasmo, quia ille distendit, conuulsio verò contrahit; ergo Tetanus nullatenus est conuulsionis species, sed opposita passio, & ita ingreditur cum conuulsione in idem genus contrariorum: Est autem genus positio partium contra naturam, sub qua maximè distant, vt distant extremè contractum, & distentum. Vndè Gentilis *in commento huius capitis* docet, quòd si conuulsio, seu spasmus sumatur prout distinguitur contra Tetanum, differt ab eo, spasmus contrahit, & Tetanus tendit.

Sed sententia contraria est vera, nimirùm quòd Tetanus sit vera conuulsio; ita constat ex nostro Auctore *in hac cap.* dicendo: *Cùm ergo duo spasmi in duabus partibus contrariis aggregantur, fit Tetanus, quemadmodum accidit ei qui habet spasmum antè, & retrò simul; accidit enim ex duobus motibus contrariis in membris suis vt extendantur.* Ecce qualiter dixit Tetanum causari ex duabus conuulsionibus in duabus partibus contrariis existentibus. Et inferius dicit: *Cùm ergo Tetanus iste sit duo spasmi, duplò oportet vt sit acutior spasmus simplici.* Idem docuit Galenus 4. *Aphor. commen.* 57. dicendo: *Est quidem & Tetanus neruorum conuulsio, sed non videntur in ipso partes conuulsa, quando æqualiter antè, & retrò tenduntur.* Et *lib. de motu musculorum*, c. 8. dixit: *Nihil aliud est Tetanus, quàm cùm partes inuita in contrarium retrahuntur à musculis oppositis.* Paulus *lib.* 4. *c.* 2. dicit: *Tetanus cùm & ipse conuulsio quædam sit*: Estque communis Medicorum consensus.

Tota autem difficultas consistit in explicatione secundi argumenti; quomodò scilicet musculo vno contracto nò laxetur oppositus: & si oppositus laxatur, non manet conuulsus; si verò conuellitur hic, qualiter non laxetur oppositus. Gentilis hanc difficultatem fugiens docuit esse impossibile, quòd duo musculi sibi oppositi sint actualiter contracti, & conuulsi; nam mutuò se impediunt, eò quòd diximus in argumento, vnus musculus non contrahitur, si non laxetur oppositus; & cum in Tetano musculi oppositi non possint laxari actu, quia quilibet habet intra se causam tendentem, ideò in Tetano non sunt in actuali contractione. Vnde inquit quod si conuulsio sumatur pro existentia causæ debentis facere contractionem, quæ tantum impeditur ob aliam causam in opposito musculo existentem, hoc modo dicitur Tetanus duo spasmi non actuales, sed veluti in potentia, quia quælibet causa contraheret, si alia in opposito musculo existens non impediret, & quia sic se oppugnant, istæ duæ causæ tensionem magnam in musculis causant, ratione cuius nequeunt contrahere membrum; ideò dixit Auicenna, quòd Tetanus constans ex hac duplicata tensione, non constet ex duabus conuulsionibus, sed ex duobus Tetanis, id est, ex duabus magnis tensionibus, quia Tetanos distensio vehemens dicitur: non itaque negat Auicenna, quòd Tetanus constet, aut componatur ex duabus conuulsionibus, id enim anteà confessus est; sed dicit, quòd quia in hac duplici conuulsione datur tensio tam vehemens, vt quilibet musculus sit ob tensionem rigidus, ideò videtur quòd Tetanus componatur ex duobus Tetanis, id est, ex duabus vehementibus distensionibus, vt si duo homines ex aduerso positi æquali vi conarentur arborem mediis funibus trahere ad se, funes distenderentur vehementer, arbor tamen immota, & rigida, inflexáque existeret.

Hæc sententia Gentilis improbabilis est. Nam sicut conuulsio genericè est contractio musculi versus suam originē, ita & Tetanus, cùm sit convulsionis species, vt ex Galeno probauimus, debet participare materiā generis, & per consequens esse contractionem inuoluntariam. Secundò probatur à simili, nam quando facultas animalis detinet membrum in quiete tonica, verè operatur media contractione musculorum, quia nullo modo alio mediis musculis operari potest, & quamuis verè tunc musculos contrahat ex aduerso oppositos, nullo modo membrum trahitur ad aliquam positionem, sed rigidum, tensum, & erectum manet: ergo eodem modo causa contra naturam inducens Tetanum contrahens simul musculos ex aduerso oppositos, tenebit membrum in quiete tonica rigidum, tensum, & immobile: non ergo repugnat contractio in musculis, quando membrum immobile manet: & ratio à priori est, quia aliud est membrum trahi à musculo contracto versus se, aliud verò musculum in se contrahi, nullatenus membro commoto. Primum effici nequit sine contractione musculi, & laxitate oppositi. Secundum verò non repugnat, nam quamuis musculus contrahatur in se, potest esse oppositus, qui in se similiter contractus impediat membri tractionem; nam cùm quilibet musculus conetur adducere ad se membrum, aut partem, cui naturaliter alligatur, si oppositus musculus eundem præstet conatum se ipsum contrahendo, nullatenus dimouebitur membrum, cùm æqualiter vterque musculus conetur, & sic quando in se contrahuntur musculi validissimè, immobile magis membrum existit: quia ergo caro musculi in seipsa contrahi potest, nihil vetat membrum non trahi versus illam, & quando inflexile remanet, esse musculos vehementer contractos, & inde constat, cur tam acerbo dolore excrucientur Tetanici, nam cùm tam validè musculi ex aduerso positi in se ipsos contrahant, & membrum deduci non possit ob mutuam resistentiam, dilacerantur tensione tam magna, & veluti rumpuntur, quia continuitas, aut alligatio cum membro resistit, & non cedit, sicque tensione rumpuntur: ergo etsi vt membrum trahatur ab aliquo musculo, necessum sit quòd alter oppositus laxetur; tamen vt contrahatur in se, non indiget quòd membrum deducatur, est enim caro in se contrahibilis sine deductione partis, & ita manent solutæ difficultates adductæ, & qualiter sit intelligenda doctrina Auicennæ, dum dixit, Tetanum esse contrarium spasmo: est enim verum de figura loquendo, & positione in parte; nam in aliis conuulsionibus contrahitur membrum, & deducitur; in Tetano verò rigidum, & inflexile manet, & ita opponuntur, vt rectum opponitur curuo, aut inflexile opponitur contracto.

Constat similiter, qualiter sit intelligenda definitio Auicennæ, dum dixit: *Quòd Tetanus est ægritudo officialis prohibens virtutem motiuam à contractione membrorum, de quorum aptitudine est, vt contrahantur propter nocumentum in lacertis, & neruis.* Nam in conuulsione non deficit virtus motiua, nec influxus animalis vt moueat; est tamen impedimentum in instrumentis motus, non quidem vt contrahantur ab aliqua facultate magis: possunt enim aliquando amplius contrahi, sed non deducetur membrum in Tetano ad aliquam nouam positionem, quia non cedunt instrumenta, seu

oppositi

oppositi musculi. Id constat clarè, quia si brachium conuellatur versus partem internam Thoracis, non repugnat versus illam amplius contrahi à facultate, si ratione morbi non sit facta vltima materiæ contractio, vt potest non esse: ergo si in Tetano non sit facta totalis contractio, in oppositis musculis poterit facultas, si homo conetur contrahere amplius musculos oppositos, vt facit in tonica quiete; itaque conuulsio tetanica impedit semper membri deductionem, non tamen impedit semper maiorem contractionem facultati motiuæ, si conuulsio possibilem terminum contractionis non attigit.

Ex dictis constat, Tetanum esse actionem depranatam; id enim de omni conuulsionis specie Galenus edocuit 2. *de caus. symptom. cap.* 1. vbi conuulsionem sub motu illegitimo collocat. Idem tradit *lib. de tremore, cap.* 2. estque communis doctrina. Depravatio verò multiplex dari potest in conuulsione. Prima, & necessaria est, quòd fit à principio violento, & morboso, & sic ab erroneo principio, quia dum benè valet homo, à sola facultate motiua membra moueri debent. Est etiam error in tempore, quia membrum mouetur quando debebat quiescere: tursus in duratione maiori, quia vt aucta actio inter deprauatas collocatur à Medicis, quia plus habet intensionis, & entitatis quàm per naturam deberet; ita actio durans plus temporis, quàm voluntati animalia conpeniat, aucta est in tempore, & duratione, & ita ad deprauatam reducitur, vt vigilia contra naturam deprauata actio est, quia plus temporis durat ob iectorum perceptio ratione morbi: est etiam deprauatio ex parte termini, quia sæpè per conuulsiones tam violenter contrahuntur membra, & ad eum locum perueniunt, in quem per vim facultatis motiuæ nullatenus accederent. Constat verò in hoc casu vehementiorem, & maiorem esse membri tractionem, & inde aucta actio. Est verò actio deprauata, non solùm quando contrahitur, & conuellitur membrum, sed etiam dum manet immotum, & conuulsum omninò, quia in illa quiete non est fine actione conseruatiua illius loci ac quisiti per motum, quod exemplo auis in aëre detentæ probauit Galenus; ibi enim est vera actio conseruatiua illius præsentiæ, alioqui decideret pondere proprio, vt cadauer decideret in aëre collatum.

Sed cùm omnis actio læsa deprauata præsertim alicuius facultatis sit, dicendum est, ad quam potentiam pertineat? Respondeo, ad nullam facultatem animæ pertinere, quia vt docuit Galenus 2. *de caus. sympton. cap.* 1. solius morbi sunt operà palpitatio, & conuulsio. Est ergo symptoma principij motiui morbosi, quia ab eo solo causatur, nihil operante facultate motiua naturali. Ideò doctissimè ait Galenus *lib. de differentiis symptomat. cap.* 5. motiuarum actionum prima symptomata esse immobilitatem, & vitiosam mobilitatem, & inter vitiosas conuulsionem enumerat; non itaque dixit, facultatis motiuæ prima symptomata sunt, &c. sed motiuarum actionum. Itaque vt sit actio aliqua deprauata, non est opus à facultate aliqua animali insita pendere, sicut ad id quòd fit contra naturam, est impertinens ipsa facultas naturalis, nimirum vt causa morbi, & morbus sunt quid contra naturam, est impertinens ab eo, aut aliquo principio pendere, sed vt causa est contra naturam, quia morbum producit, & hic quia lædit actiones immediatè, & per se primò; ita actio pendens ab eo solo plus symptomatica est, quia plus habet violentæ, & præternaturalis, cùm tota pendeat à morbo, nihil operante homine, aut aliquo illius principio concurrente; sic si densaretur vena, ita vt compressione sanguinem contentum extruderet, expulsio sanguinis esset non dubiè actio deprauata: quia errat pellendo quod animali erat alimentum conueniens, & necessarium; fit tamen illa expulsio à solo morbo nihil operante alio principio, aut facultate viuentis.

A Sed obiicies efficaciter; si hæc deprauata actio reducitur tota in morbum, vt in adæquatum principium efficiens, quia tota à morbo dependet: ergo si ratione morbi occludatur via, per quam est expellendum aliquod excrementum, non dicetur actio ablata facultatis retentis illud excrementum expellere. Patet, quia vt in primo casu non est læsa facultas, sed tota actio à morbo fit, ita io totali occlusione colli vesicæ detinetur omninò lotium intra vesicam à solo morbo: est verò detineri intra corpus actio ablata expultricis; hoc verò est contra doctrinam Galeni, & omnium dicentium vrinæ suppressionem esse actionem ablatam expellentia facultatis vesicæ. Cõstat verò in hac ablatione esse causam adæquatam, & solùm morbum in conformatione.

Respondetur, esse magnum discrimen, quia actio de-
B prauata verè emanat, & est quid positiuum. Et ideò solùm est accusandum principium operans, & influens positiuè in affectum: at verò cùm actio ablata ex sua ratione intrinseca dicat non esse aliquid illius, rectè accusatur in illa principium eliciriuum illius, quia reuera cessat ab opere debito per morbum tollentem id quod expultrix requirit ad opus, viam scilicet impeditam. Vnde colligetis, respectu facultatis motiuæ potiùs esse in Tetano ablatam, aut diminutam actionem, quia laborat instrumentum, medio quo operari tenetur. Erit verò actio ablata, si ad terminum naturalem, ad quem potest facultas terminatiuè mouere, iam vi conuulsionis sit membrum deductum; diminuta verò, si totalem terminum non pertigerit, & ita possit ampliùs operari, & mouere natura. Est verò intelligenda hæc
C diminutio non ex parte impetus facultatis motiuæ, cùm possit esse naturalissima vis, sed ex parte spatij quod per naturam transire solebat.

Ex dictis etiam constat morbi natura, quam comitatur conuulsio, est enim varia, quia sunt causæ diuersæ. Cùm ergo fateantur omnes, ex inanitione, & repletione caosari, communis doctrina est, quod quando causatur ex repletione membri conuulsio, morbus immediatus sit in aucta magnitudine, quia vt contrahatur membrum, & secundùm longitudinem breuietur, necessarium est distendi secundum latitudinem, & fieri maius, vt exemplo fidium cytharæ Galenus docuit; rumpuntur quidem in aëre nimis humido, eo quòd replentur, & sic facta dilatatione maiori tenduntur, & dum per tensionum vniuntur magis secundum
D longitudinem, quod est conuelli, rumpuntur: eo modo euenit in musculis, & fibris neruorum, quando replentur.

Si verò ex inanitione causetur conuulsio, certum est esse morbum distemperiei siccæ, hæc enim densat, & indurat neruos, & cutem; non potest verò intelligi densitas noua in aliquo corpore absque maiori vnione locali partium: in qua re philosophandum est variè, vt est diuersus dicendi modus circa naturam densitatis; nam ponentes illam in sola partium positione, immediatè sequitur conuulsio ad siccitatem, quia hæc immediatè vnit, & cogit in hac oppressione. Si verò densitas sit secunda qualitas producta à siccitate, adhuc oportet notare modum philosophandi; nam si maior vnio localis partium sit dispositio antecedens ad
E productionem densitatis requisita; sequetur etiam conuulsio immediatè ad modum distemperiei siccæ, quia siccitas prius vnit localiter partem, quàm producit densitatem. Si verò vnio localis partium sit passio propria densitatis, & effectus naturalis, tunc immediatè sequitur conuulsio morbum temperamenti in secunda qualitate, vt constat, & mediatè morbum temperamenti in prima qualitate. Idem dicendum est, quado causatur ex frigore, nam hoc densat, & cogit non minus quàm siccitas. Estque prima qualitas, & ita eodem modo philosophandum est in illo sicut de siccitate docuimus.

Plures

Plures aliæ quæstiones circa causas, & locum affectum exagitantur à Medicis; pertinet verò ad alium locum, in quo de morbis longis agemus. Solùm enim volui hanc speciem exitiosam vobis exponere ob singularem naturam illius, & certum periculum quod pollicetur perperoò. Notandum interim quod Auicenna tradit morbos diuersos, quibus humor imbibitur intra fibras neruorum, & spatia, & cauitates inter neruos, & carnem musculi inuentas; quæ doctrina præterquam quod ad praxim nihil vtile affert, est satis difficilis, & ideò ob fastidium consultò eam prætermitto. Satis enim est vobis vt certum habere, quod quælibet causa conuulsionem veram inducens, semper est intra musculum conuulsum contenta. Quòd verò hoc, aut illo modo remaneat, nihil variat in curatione, etsi ex Auicennæ doctrina colligatur, posse dari membrum rigidum, & tensum, quin sit contractio in musculis, sed ob solam æqualem plenitudinem tensos manere musculos, & rigidum membrum, cui inseruntur, túneque dabitur Tetanus impropriùs, quia erit rigidum membrum, sed sine conuulsione, aut contractione aliqua in musculis.

CAPVT II.

De Prognosticis, & signis Tetani.

NEc omnis Tetanus est lethalis, nec conuulsio omnis secura est, etsi non sit tetanica: in summa ergo periculum est conuulsioni socium, quando contrahitur musculus actioni simpliciter ad vitam necessariæ deseruiens. Inde conuulsio musculi claudentis rectum intestinum exitiosa censetur, & claudentis collum vesicæ; nam illa omnimodam suppressionem stercoris causat, & indè passionem iliacam; hæc verò ischuriam, & inde mortem per Pulmonis hydropem; sic conuulsio musculi respirationi inseruientis certam perniciem minatur, cùm nequeat homo sine respiratione viuere: significatur verò incipiens conuulsio in musculis respirationis per respirationem intermittentem, & in medio motus interruptam. Sic constat ex Hippocrate 4. *Aphor. text.* 68. dicente: *In febribus spiritus offendens malum, conuulsionem enim significat.* Galenus *in commento* dicit, quod appellatur offendens spiritus, quando respiratio in medio sui interrupta fuerit, & conuulsionem significare: *Fit enim* (inquit) *mouentibus thoracem musculis, ac neruis iam conuulsioni paratis: qua dispositione insuper aucta, & plures occupante partes, manifesta conuulsio hominem apprehendit.* Omnes verò conuulsiones contractum caput ad thoracem, aut dorsum, vel rigidum seruantes, perniciosæ sunt, si violenter fiant; quælibet enim respirationem, & deglutionem potest auferre. Vidi enim puerum quatuordecim annorum tam violento Opisthotono contrahi, vt solù occipite, & clunibus tangeret, tam violenter incuruatâ spinâ, vt veloti arcus formaretur, & intra quinque dies animam egit. De Tetano verò dixit Hippocrates 4. *Aphor. text.* 57. quòd sanatur superueniente febre, quod in commento Galenus admittit de illo qui pendet ex succis crudis, & frigidis, eo quòd resoluuntur calore febrili, & frigiditas densans, & indurans neruos corrumpitur etiam: vnde, si superueniat Tetanus febribus vstiuis, vt solet, non solùm non erit febris remedium, sed perniciosa, & conuulsio insanabilis. In quem sensum dixit Hippocrates 7. *Aphor. text.* 13. *Ab æstibus fortibus conuulsio, aut Tetanus malum. Superueniunt* (inquit Galenus in commento) *Tetani, ac conuulsiones post febres propter neruorum siccitatem, quas diximus esse pessimas.* Quas etiam Auicenna in hoc capite condemnat vt prauas. Et 2. *Aphor. text.* 26. dixit Hippocrates: Melius est febrem superuenire conuulsioni, quàm conuulsionem febri. Inde constat, non omnes conuulsiones febribus superuenientes esse pessimas, nisi fuerint propter siccitatem neruis inductam; nam sæpè contingit in plethoricis, & sanguine crudiori abundantibus à febre liquari humiditates superfluas, & in neruos, & musculos superuenientes, & confluentes conuulsiones ex repletione causare, quas ipsa febris diutiùs durans, soluere & sanare potest absumendo, quod priùs liquauit.

At verò *lib.* 5. *Aphorism. text.* 6. sic scripsit Hippocrates: *Quicunque Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt.* Galenus *in commento*: *Tetanus morbus peracutus est, vt qui compositus sit ex Emprosthotono, id est ad anteriora tensione, & Opisthotono, id est, ad posteriora tensione, ita quòd citiùs in ipso fit indicatio non tollente naturâ longiore tempore tensionis laborem. In primo igitur circuitu dierum indicatoriorum passio indicatur.* Constat verò id intelligendum esse de Tetano, cuius contractio maxima est, violentáque, ita vt præterquam quod intolerabiles causat labores, & summam anxietatem, sit etiam tota spina rigida, & inflexilis, tam violentérque totum collum contrahatur versus interna, vt respiratio reddatur difficillima; aliter enim intra diem quartum non interimet. Si verò ex affectu inflammatorio musculorum caput ante, & retro mouentium Tetanus causetur, mortalis est passio; quia non solùm tormento dolorum continuò excruciat, & difficillimam reddit respirationem, sed etiam quia minuendo illam, auget vsum, & cordis incendium magnam respirationem exposcens; est verò pessima ob instrumenti renitentiam.

Nec obstat si dicatis, tam desperatam passionem esse non posse, si sanatur superueniente febre, vt docuit Hippocrates: nam de Apoplexis confitentur omnes, vt vidimus, cum Hippocrate, sanari à febre: est tamen acutissima affectio, nimirum non tolli omnem perniciem à morbo, quando sanatur, cùm nullus sit tam desperatus, qui interdum non admittat medelam, nec rarus euentus præsagij mortalis firmitudinem tollit, vt rectè adnotauit Galenus.

Dicit etiam Auicenna: Omnis Tetanus à percussione, cui associatur singultus, & punctio, & destructio rationis, est mortalis. Est sententia Hippocr. 5. *Aphor.* 2. dicentis: *Ex vulnere conuulsio superueniens lethalis est.* Idem *in Coacis præsag.* Dixit verò Galenus *in commento Aphorismi*: *Ex vulneribus conuulsiones fieri ratione inflammationis superuenientis, vbi partes neruosas attigit. Et primùm* (inquit) *videntur conuelli, quæ è directo sunt partium inflammatione laborantium, deindè post quod & principium* (hoc est, cerebrum) *attigerit, extenditur passio ad totum corpus.* Vbi notabitis, quòd quamuis conuulsio superueniat tumoribus ortis ex fluxione, non est frequens conuelli, etsi tumores superueniant: nam *Aphor.* 69. *sect.* 5. dicitur, quibus tumores in vlceribus apparent, non admodum conuelluntur, nec insaniunt: cum quo stat si conuellantur, id euenire cum magno periculo; nam malum communicatur facillimè cerebro ex neruis, & hoc tantò periculosiùs, quantò vulnerata pars cerebro affinis magis extiterit, vt princeps fuerit: partis enim præstantis plurimum potest ad præsagij periculosi firmitudinem. Inde lethalissima censetur conuulsio eueniens ex vulnere musculorum temporalium, aut in capite existentium, aut quando in capitibus, aut finibus musculorum vulnera existunt, quia vt adnotauit Galenus 5. *Aphor. comment.* 66. vulnera praua dicuntur existentia in capitibus, aut finibus musculorum, & maximè neruosorum; nam in capitibus musculorum musculis nerui adnascuntur; ex finibus autem cordæ oriuntur: quando verò prædictis partibus vulneratis non superueniunt tumores, perniciosum esse notat Hippocrates Aphorismo immediatè antea citato, dicendo: *Si in vulneribus fortibus, aut pra-*

nis

tis tumores non appareant, ingens est malum. Suspicio (inquit Galenus in commento) *est, quòd humores ad vulnera defluentes transmutentur ad partes principales, & hoc præcipuè euenire in vulneribus dolore affectis.* Nam ratione doloris aliquid influit in locum dolentem; à Medicis verò reprimitur frigidis valdè, aut adstringentibus medicamentis; ex quo constat, quòd vulgus putat, optimum esse posse denotari perniciem; nam non inflammari partem vulneratam bonum indicat, cùm possit esse malignum. Est etiam vituperanda importuna repercussio, ne retrocedat ad interna quod natura in partem vulneratam commouit, & anodinis potiùs sedandus dolor, si molestet, & quantum vires sustineant inaniendum corpus; nam si inflammetur pars vulnerata, non caret periculo, cùm conuulsio lethaliter superuenire possit. Si verò non superueniant tumores, perniciosum esse potest, quia in partes principes, & internas rapiuntur superabundantes humores, etsi euacuandi, vt vires sustineant: sic enim non perducetur fluxio, vt conuellat, nec erit quod captum in nobiles partes desperatam passionem generet.

Si verò iam apparentes tumores in vulneratis partibus euanescant subitò, si sint vulneratæ partes in parte posteriori dorsi, conuulsio speranda; si autem in parte anteriori, insaniam, aut acutum dolorem lateris, vel suppurationem, aut intestinorum difficultatem præsagit Hippocrates 5. *Aphorism. text.* 65. nam pars posterior tota est neruosa, & indè retrocedens humor promptè in neruos, & spinam imbibitur, & indè conuulsio. Pars verò anterior trahit caput in consensum, aut thoracem, quia habet cum illis communionem, & indè sequetur ex retrocessu mania, si feratur humor in cerebrum. Dolor verò acutus, si in pleuram, aut musculos intercostales, aut si in cauum thoracis suppuratio: sic, inquit, Hippocrates, speranda est intestinorum difficultas, si tumores sint rubicundi, quibus innuit in intestina aliquando humores ex vulneratis partibus præcipitari. Si verò sanguis tumorem effecerit, dysenteria impropria causatur, vt significat sanguinis deiectio per intestina sine vlcere; itaque non pellitur humor per secessum, quia sanguis fuerit qui efficiebat tumorem; nam vt sanguis, ita quilibet alius non dubiè expelli poterit, sed quod dicit, est, si tumor causatus ex sanguine in parte vulnerata repentè euanescat, & in intestina transmutatur, deiectio cruenta, & dysenteria impropria sequetur.

Sanari verò conuulsionem tetanicam à superueniente febre iam diximus; de omni verò conuulsione idem adduxit præsagium Hippocrates in *Coacis prænotionibus* dicens: *Conuulsa, & rigentia superueniens febris dissoluit.* Idem tradit eodem opere dicens: *Conuulsionis remedium acuta febris superueniens, quæ priùs non fuit, ac si priùs extitit iam inualescens. Iuuat quoque vitrea vrina multa, & fluxus alui, & somnus.* Idem scripsit epist. ad Demetrium Regem dicendo, *In conuulsionibus febris cadens febrem sistit.* Et inferiùs ita loquitur: *Conuulsiones succedentes omnibus morbis atra bilis atram bilem sedant, fiunt enim translata materia in partes neruosas.* In quem sensum dixerat 6. *Aphor. text.* 56. in morbis melancholicis in hæc pericula inciditur, stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem. Dixerat verò in Coacis prænotionibus ita: *In conuulsionibus sermonis interceptio diù durans malum, quæ durat breuius, vel linguæ resolutionem, vel brachij, & partium dextrarum significat: soluitur autem derepentè prodeuntibus vrinis multis affatim.* Vbi per sermonis interceptionem affectum cerebri intelligere oportet, quod dum expellit molestantia excrementa, in partes proximas frequenter extrudit, & sic in linguam, & illius Paralysim causat, aut in partes, & exortus neruorum brachij, & partium dextrarum præcipuè. Quod verò dextra pars frequentiùs tentetur Paralysi, experimento constare fatetur Holerius, etsi rationem ignorare fateatur. Nos verò dicimus, dextras partes cerebri esse robustiores sinistris, & ita opprimentem materiam faciliùs in proximas partes, & exortus neruorum expellere; & cùm omnis expulsio secundùm rectitudinem fiat vt plurimum, ideò pars dextra cerebri in dextrum latus transmittit, & indè in illo Paralysim causat. Multa alia præsagia traduntur ab Hippocrate per Aphorismos, præsertim *in initio* 5. *lib.* quoa facilè memoriæ mandabitis.

In *cap.* 9. tradit Auicenna Tetani signa: & quamuis oculis satis conspicua sit passio, eo quòd pars Tetano oppressa rigida manet, & tensa, vt diximus, cum hoc tamen aliqua notanda sunt, & contemplanda simul diuersitas symptomatum tam perniciosè symptomati annexa: Loquimur verò de Tetano in capite, seu qui per diuersam capitis passionem monstratur. Dicit ergo Galenus: signa in communi Tetani esse, quòd lacerti, seu musculi, non sint respondentes ad contractionem, id est quòd membrum maneat rigidum, & immobile. Si verò (inquit) Tetanus sit in anterioribus, id est, in musculis mouentibus caput ad partem anteriorem Thoracis, homo est sicut præfocatus, suffocatam habens faciem, & oculos, & quandoque imaginatur quòd ipse rideat propter extensionem lacertorum faciei eius, & est caput eius tractum ad anteriora, præcedens cum extensione oculorum, quare aspicere non potest.

Videtur falsum, quòd dicit posse esse Tetanum, per quem inclinetur caput ad anteriora, nam in Emprosthotono idem motus efficitur; & inde videtur non differre ab illo, præterquam quod de ratione intrinseca Tetani est, quòd nullo modo contractum sit membrum, sed tensum, & rigidum. Respondetur, quòd in Tetano propriissimè sumpto, prout distinguitur contra Emprosthotonum, & Opisthotonum, nullatenùs debet contrahi membrum, sed rigidum manere, & inflexibile; quia verò non semper est in oppositis musculis tensio, aut conuulsio æqualis, sed plus conuelluntur anteriores, quàm postici, ideò trahunt caput ad se impetu maiori, & ad anteriora plus inclinatur; distinguitur verò ab Emprosthotono, quia in hoc nullum vitium est in posterioribus, & oppositis musculis; in Tetano verò maximè, repugnátque in hoc nimiam esse inclinationem capitis ad partem anteriorem, quia resistunt oppositi musculi; in Emprosthotono autem nimia inclinatio esse potest. Eodem modo philosophandum est in Tetano inclinante caput ad dorsum respectu Opisthotoni. In Tetano ergo improprio, aut non æquali, quo trahitur corpus magis ad anteriora, homo, inquit, apparet vt præfocatus, habens faciem suffocatam, & oculos, totum hoc dependet ex difficili respiratione. Causatur verò eo quòd caput veluti retractum magna vi comprimit collum, & caput asperæ arteriæ occludit, & gulam. Doloribus etiam oppressus homo in musculis conuulsis motum eorum refugit, quia per illum nimis intenduntur dolores, vocem difficilè satis efformat ob eandem causam, & non minori difficultate deglutit. Hinc turget, & rubet facies aucto incendio, & angustia, vt in laqueo suspensis apparet: est etiam ridens apparenter eo quòd musculi mouentes inferiorem mandibulam, & maxillas constituentes, contracti, & conuulsi manent, & indè apparenter rident apertis oculis, & contractis musculis faciei, similémque gesticulationem patiuntur, vt verè ridentes.

Et quandoque (inquit Auicenna) *non potest mingere propter extensionem lacertorum ventris, & debilitatem expulsiuæ, & quandoque mingit absque voluntate, quando lacertus vesicæ eius est extensus, non contractus.*

Expositio horum verborum longissima foret, si vt requirunt, exponerentur, de qua interpretatione *cap. de vrina suppressione* incidet sermo ex professo. Interim accipite vrinæ expulsionem iuuari per operationem

musculorum, abdominis medij, præsertim ad talem expulsionem conducunt, vt 6. *de locis affect. cap.* docuit Galenus. Cùm ergo expulsio vrinæ agatur contractis iis musculis, ad quorum contractionem laxatur qui collum vesicæ claudebant, & indè expellitur lotium, rectè intelligitur contractis iis musculis præter voluntatem vrinam emitti, retineri verò ex conuulsione istorum, non videtur probabile, nisi in eisdem certum impedimentum ponatur, vt possint contrahi, quod Tetanicum appellat Auicenna. Hic enim auctor, vt vidimus, rigiditatem certam in Tetano ponit sine contractione aliqua musculorum, & humor, aut causa rigidos reddens abdominis musculos, & secundùm longitudinem replens, impedit eorum liberam contractionem, & ita cessat laxatio musculi circumdantis collum vesicæ, & vrina supprimitur, quia sine laxitate istius musculi repugnat expelli, eo quòd contractus claudit omninò viam vrinæ. Hanc ergo dispositionem in abdominis musculis appellat Auicenna extensionem. Aliter interpretari potest, nempè quòd musculi ventris qui laxari debent, quando contrahuntur, qui auxiliantur vrinæ expulsioni, sint conuulsi, & contracti, & quia isti nequeunt laxari, repugnat contrahi oppositos auxiliantes vrinæ fluori, vt inde intelligatis qualiter per conuulsionem musculorum abdominis interdum sequatur inuoluntaria mictio, & aliquando inuoluntaria continentia; quando enim musculi abdominis interni conuelluntur, inuoluntaria sequitur mictio, si Galenus credendus est, quia ad contractionem istorum sequitur laxatio musculi circumdantis collum vesicæ, & illud claudentis, & ita vrina extruditur: Si verò musculi abdominis, qui laxantur ad contractionem internorum, conuulsionem patiantur, supprimetur vrina, quia non poterunt contrahi interni, ex quorum impetu laxatur claudens orificium vesicæ. Vnde constat, quòd ex Paralysi musculorum internorum abdominis inuoluntariè supprimatur vrina, quia contrahi repugnat, vt repugnat moueri: & hoc fortassè intellexit Princeps dicendo: *Et quandoque non potest mingere propter extensionem lacertorum ventris, & debilitatem expulsiuæ.* Non enim repugnat complicari simul conuulsionem vnius partis cum Paralysi alterius, quia causa eadem diuersu modo afficiens neruos & musculos, vtrumque symptoma inducit, & id colligitur ex verbis Auicennæ dum dicit inferiùs: *Et quandoque mingit absque voluntate, quando lacertus vesicæ eius est extensus, non contractus.* Per extensionem ergo intelligit laxationem quæ Paralysim comitatur, vt putant Medici, & dispositionem oppositam contractioni, & propterea dicit, quòd musculus vesicæ eius est extensus, non contractus: ergo dum dicit, quandoque non mingere propter extensionem lacertorum ventris, significat extensio idem quod significabat in affectu musculi colli vesicæ, & inde Paralysim.

Dicit deinde, quòd quandoque mingit sanguinem propter rupturam venarum, & vehementiam coarctationis, & quandoque accidit singultus ex contractione musculorum violenta, & tensione valida vasa disrumpi: nil mirum si rumpantur: in viis vrinæ sanguis expellitur cum illa, si in intestinis eiiciatur per anum: sæpè verò conuulsis abdominis musculis fit intestinorum compressio, & coarctatio, ad quam etsi sequatur expulsio corporis in cauitate eorum contenti, obstat tamen, neque de nouo generantur excrementa, si inferiùs descendant: indeque in ventriculum regurgitantia causent singultum. Contingit etiam interdum ex ipsa intestinorum, & vasorum abdominis coarctatione excrementa, & humores sursum impelli, & ventriculum inundantia illum, & os eius, præsertim molestando, singultum molestare.

Tradit deindè signa Tetani Opisthotonici: *in quo* (inquit) *caput magis trahitur ad posteriora per contractionem maiorem musculorum dorsi, & mouentium caput ad*

A *illud.* Addit tamen verba difficilia dicendo: *Et quidquid accidit, illud ad posteriora propter extensionem lacertorum ventris, cum communitate extensionis lacertorum sfincteris, & non potest retinere quod est in intestino recto, & nec potest deponere quod est in intestinis gracilibus.* Tres expositiones huius textus retulit Gentilis mihi satis improbabiles, & intellectui difficiles. Sensus qui magis mihi improbatur est, non quidem quòd propter conuulsionem musculorum ventris fieri possit Tetanus Opisthotonicus, nec caput, aut dorsum trahi ad posteriora, & incuruari, sed sic intelligo Auicennam: Quandoque accidit Tetanus Opisthotonicus simul cum communitate extensionis lacertorum, seu musculorum ventris, & musculi claudentis anum, seu extremam partem recti intestini, & indè sequitur expulsio inuoluntaria stercoris in illa parte contenti, & cùm hoc, non potest deponere excrementa contenta in gracilibus intestinis; itaque illa præpositio, *propter*, in translatione Auicennæ non sit causalis, sed significet idem quod *simul* cum Tetano ad dorsum detur inuoluntaria expulsio stercoris contenti intra rectum intestinum, & detentio inuoluntaria excrementi contenti intra tenuia intestina, vtrumque enim euenire est possibile. Ratio est quia distento abdomine potest laxari musculus claudens rectum intestinum, quia in doctrina Galeni habent viam oppositi musculi qui sunt in abdomine, ex quorum contractione laxatur Sphincter. Quãdo ergo Tetanus Opisthotonicus causatur ex violenta contractione musculorum partium posteriorum colli, dorsi, & lumborum, tam violenter distenditur abdomen, quòd distentis nimis musculis illius laxetur Sphincter, sicque cadat stercus in recto intestino contractum inuoluntariè; & quia ex hac extensione, seu distensione vehementi comprimuntur intestina gracilia, & cauitas eorum angustior redditur, nequeunt descendere excrementa eorum, & sic retinentur inuoluntariè; & ob eandem causam vrina etiam inuoluntariè potest emitti, quia ex violenta distensione musculorum abdominis laxari potest, aut non benè claudi musculus claudens collum vesicæ: nam & Areteus in Opisthotono, minùs benè contineri docuit. Hic sensus probabilis est, quia verò vim imponit verbis Auicennæ, insinuantibus hominem retrò incuruari propter extensionem musculorum ventris, & vitium abdominis, esse causam illius Tetani: putatum est aliquando posse iam violenter conuelli musculos abdominis, ex quorum contractione extra præminet venter, & turget, vt accuruetur æger rostro, vt in Opisthotono, & sequatur laxatio sphincteris, & sic expellatur inuoluntariè stercus illius, & retineantur excrementa gracilium, in qua specie erit impropriissimè Opisthotonus, quia nullum vitium est in musculis partium posteriorum, nec impedietur motus aliquis capitis.

In summa notabitis, tam varia symptomata violentis conuulsionibus interdum adiungi, aut quia, vt dixi, plures afficiantur partes musculosæ, & neruosæ ob eandem causam, aut quia hæc diuerso modo easdem molestet, vt in quibusdam conuulsionem, in aliis paralysim causet, vel quia ob communitatem neruorum plures in consensum trahantur ex distensione violenta partis primariò conuulsæ, vt difficillimum sit omnium symptomatum reddere verissimas causas, nisi hæc omnia teneantur memoriâ, præcipuè consensus partium neruosarum inter se, ita enim in ægris variatur interdum partium positio, quod ab amicissimis non cognoscantur, ita referente Areteo.

Præfocantur etiam, inquit Auicenna, in Tetano Opisthonico, & vt ego existimo, magis quàm in seipso experietur, si violenter retrorsum caput inclinet; ex hoc enim decubitu multò magis comprimitur caput asperæ arteriæ, & vt inquit Aretens, guttur exrat, vigilant ita affecti, doloribus assiduis, & intolerabilibus excruciantur, Hinc mala alimenti concoctio, flatuum crasso-

rum

rum multitudo, inflatio, palpitatio partium faciei, vrinæ incoctio, quæ communia sunt cuicumque speciei conuulsionis, quæ si Thoracem, & partes respirationis afficiat, vitam cum morte facillimè commutat. Desperatas etiam ponit Areteus conuulsiones ex abortu, conuellitur, inquit, & ex abortu mulier, verum & rarò admodum euadit.

CAPVT III.

De Curatione Tetani.

ANtequam medelam huius mali adducamus, notate, nos non agere de Tetano ex inanitione, hic enim paulatim fit, nec inter acutos morbos reponitur. Solùm ergo adducemus curationem Tetani ex repletione. Dicit ergo Auicennas quòd cura Tetani est eadem cum curatione spasmi. Ratio est clara; quia spasmus est conuulsio simplex; Tetanus verò est composita ex duobus spasmis, vt anteà diximus, & indè in curatione non variant, sed solùm in celeritate occurrendi, eo quòd breuius periculum Tetanus pollicetur, & ita celerius ei occurrere licet. Ante verò quàm ad remedia maiora accedamus, notabitis diligenter à qua dependeat causa. Putant enim multi, & non sine ratione, Tetanum causari frequentissimè ab immoderata copia flatuum crassorum, & crudorum, nam tanta rigiditas, & tensio, & per tot partes extensa à flatibus potiùs quàm ab humoribus nasci videtur, túncque de flatibus habenda maior certitudo, si repentè eueniat absque signis plenitudinis, & ingluuie, viníque ingurgitatione progressis, cognoscetúrque etiam huiusmodi causa, eo quòd tensio est crudelis, nam flatus efficaciùs distendit quàm humor: & rumpendo partes excruciat, cum hac tamen intolerabili dilaceratione grauitas, & ponderis sensus, aut leuis, aut nullus est: quando verò ab humore dependet, è contra euenit; molestatur nimium æger à tensione, & grauitate simul. Si ergo à flatibus crudis Tetanus originetur, summum, & certum auxilium erit febris. Si enim hæc conuulsionem à crassis, & frigidis pendentem persanat, liquando, & resoluendo humorum corpulentiam, faciliùs id in flatibus eueniet, cùm minus attenuationi, & resolutioni resistere possint. Si verò non superueniat febris, inungendæ sunt partes distentæ laxantibus oleis, & calefacientibus. Laxantia dico commoda præstant, & dolorem placare, quia minus soluitur partium continuitas; & vias reddere aptiores, vt flatus exspirent; qui enim exsiccantibus, & calidis tantùm flatus discutere tentant, cutem exsiccando duplici quantitate, siccitate per se, & calore per accidens cutem plus indurando geminant malum, quia non resoluitur flatus densata cute, & loco, intra quem includitur, reddito arctiori, noua, & maior quàm anteà sequitur distensio; nimirum vt corpus laxum rumpitur minus, sic densatum non cedens dilaceratur magis, & dolet. Sic molles frictiones, & placidè factæ cum relatis oleis vtilissimæ sunt, & continuæ esse debent; laxant enim, & calorem vitalem auocant, sicque resoluuntur flatus idoneè, & sensu blando, & mulcebri animum suspendunt, & ab immanibus doloribus distrahunt mentem. Sic vbi sine plenitudine ex distemperie frigida aëris poros coarctante, & debilitando naturalem calorem accumulante flatus inopinatum Tetanum causat. Post dictam laxantem vnctionem cucurbitarum vsus per totum corpus, & supra partes rigentes vtilissimus est; extrahit enim incantamenti modo flatulentam substantiam, vt docuit Galenus, & *in initiò cap.* 10. dixit Princeps: *Veruntamen vsus ventosarum super membra hic (id est, in Tetano) plus fiat quàm in spasmo; & hoc,* inquit, *vt reducatur calor, hoc est, vt*

A *trahatur ad resolutionem flatulenta substantia.* Quod si post oblationem cucurbitarum idonea potione sudorem moueatis, non leue auxilium erit; humectata enim cute laxa redditur, & simul cum aqua flatus euolant, & minuitur tensio, cauentes post sudorem ne infrigidetur cutis, quia vt hic animaduertit Princeps, quando corpus sudat, propter sudoris vehementiam, aut ex medicina, non dimittatur, vt infrigidatio ei superueniat, quantum ipsum lædit; impeditur verò infrigidatio, & exsiccando sudorem calidis linteis, & diligenter ægrum cooperiendo, ne aëri exponatur, & aërem cubilis arte calefaciendo, & claudendo fenestras.

B Si verò iis auxiliis non modeletur dolor, nec alia symptomata tepescant, dubitabitis, an liceat sanguinem mittere in Tetano flatulento; videtur enim esse secundùm venam in doctrina Galeni, qui 1. *Aphor. com.* 23. *ad finem* dixit: *In maximis verò doloribus, nullum maius inuenit remedium, quam vsque ad animi deliquium euacuare.* Et paulò supra, id esse faciendum per sanguinis missionem docuerat, dicendo: *Ea igitur animi defectio, quæ fit ratione euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta est esse mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus.* Anteà verò non fuit loquutus Galenus de alia euacuatione, nisi de missione sanguinis.

Ex alia parte repugnat frigidus affectus, & causa mali non minus, nam flatus crudos venæ sectionem indicare nullus dixit. Mihi videtur dicendum, non esse præter rationem in tanta distensione, & dolorum acer-

C bitate sanguinem mittere. Id constat ex Galeni loco citato, sine distinctione dicentis, esse magnum auxilium in vehementissimis doloribus. Nec obstat, quòd in fine Aphorismi citati docuerat id esse intelligendum adhibita priùs distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat vsque ad animi defectionem; nam præterquàm quod hæc verba addita esse, & suppositicia, docent multi; quia expurgare ad animi deliquium, aut hoc imperare, esset chimæricum, aut irrationale: constat, quòd cùm flatus neque ut educi expurgatione, & illam indicant, nunquam necessariò sit sanguis mittendus, quia duo remedia solùm enumerans, si vnum non conuenit, aliud necessariò conueniet. Hippocrates 2. *Epidem. sect.* 5. *text.* 11. ita reliquit scrip-

D tum: *Anemia venæ sectio*: est enim anemia idem quòd flatus; & sic exponit Galen. iuxta mentem Hippocratis: & quamuis intelligat Vallesius morbos causatos à flatu in quantum commouent sanguinem, & magnam in illo faciunt perturbationem, vt non ita sit causa morborum, sicut flatus, sicut sanguis agitatus, & commotus in hanc, aut illam partem. Cõstat in nostro casu nec id deesse, quia tanta copia flatuum secum non commouere aliquam humorum portionem repugnat; sed etsi hoc non efficerent, nec flatus venæ sectionem indicarent, est necessarium aliquando auxilium, quia inanitis venis laxatur corpus, & redditur perspirabile, & viæ patulæ magis, vt indè commoueantur flatus, vt pelli possint. Præterquam quod magna copia extrahitur per venæ sectionem; nam ad replendum vacuum nil citiùs

E quàm aer se offert; nec implicat tam distensas esse partes, vt pellere nequeant, si contractione fibrarum expellunt, in quo euentu inanitio expultrici auxiliatur, quia locum concedit, vt trahat fibram transuersam: nec obstat id per laxantia effici posse: nam præterquam quod Cauitates internæ non redduntur maiores, non semper laxatio expultricem iuuat, quia effœminat sine dubio robur cuiusque potentiæ, traduntur verò insesiùs olea laxantia, & resoluentia.

Si verò Tetanus ex repletione humorali dependeat, euacuandum est corpus iuxta vrgentiam periculi tam ex parte doloris, quàm alterius grauis, & funesti symptomatis, respirationis præsertim difficilis, & suffoca-

tionis : est verò extrahendus sanguis copiosè In affectu phlegmonoso musculorum, & cordarum, si respiratio difficilis breue minetur periculum; nec enim in morbo intra primum quaternarium iudicando, obseruandum præceptum Galeni, & Auicennæ imperantium non esse extrahendum totum quod est necessariom. Præterquàm quòd Galenus 1 *ad Glauc. cap.* 13. non loquitur de spasmi medela, sed de cura febris spasmo associatæ, est enim multò diuersum mederi febri & conuulsioni; vt enim in vehementibos doloribus, & inflammationibus Galenus ad animi deliquium euacuat, quando sperat vi euacuationis morbos cessaturos; ita in Tetano ex phlegmonoso affectu inflanmatorio magno atroci dolori associato ad animi deliquium euacuandum indicare; fortius nimirum indicat duplex iodicans idem remedium, quàm si vnum solum molester. Nec implicat cum Tetano tantam esse virtotem, quod euacuando id quod morbus requirit, benè roleret. Inquit itaque Princeps loquendo de Tetano ex plenitudine: *Et non extrahat totum quod necessarium est ex sanguine, cuius extractio est propter spasmum, aut ægritudinem aliam significantem eius extractionem, imò retine ex eo aliquid, vt resistat spasmo, & resoluatur resolutione motuum spasmi.* Certè Auicenna, nec quilibet alius reddit rationem commodam, vndè repugnet semper euacuare totum quod petit spasmus; nec eoim semper doloribus ita molestat, vt respiratione difficili; & quantò acutior fuetit Tetanus, tantò minus obsernandom præceptum Principis, quia breuiori tempore iudicandus cùm sit, vt tenue alimentum extremè sufficit, ita plus indicat, euacuari posse si opus fuerit, quia vt nimis eget alimento, ita & sanguine ob breuem constitutionem. Si verò conuulsio tam breue periculum sibi non assorit, & doloribua molestet, obseruandum Auicennæ præceptum, præcipuè si alium affectum ei complicatum auferre intendamus. De hac enim complicatione loquitur Galenus *loco citato*, dum dicit: *Nec verò si aliquis conuulsus sit, simúlque sanguinis egeat missione, huic semel omninò tantum detrahes, quantum affectus exigit*, &c.

Sunt verò obseruanda similia præcepta circa venas secandas, ac *in cap. de Apoplexia* retulimus. Si enim Tetanus multum vrgeat ob periculum suffocationis, diligenter contemplabitis vndè difficilis respiratio intermittator, quam læsionem spiritum offendentem appellauit Hippocrates, eo quòd musculi Thoracis conoellunrur, secabitur vena interna, euacuat enim ocyssimè ex Thorace. Norar tamen Rondeletius, quòd in Tetano, aliisque colli conuulsionibus, vt & in Epilepsia, secare conuenit venam non omnibus notam, quæ in prima dorsi vertebra conspicitur eleuata, & per summum vertebrarum spinæ vsque ad os sacrum deorsum præstat, & paulò supra primam eam dorsi vertebram in spinam subiens occulitur. Sic sanguis, inquit, deriuatione à collo deducitor, & vna cum sanguine quidquid humoris piruitosi musculos colli perfundit, & imbuit, aut si nunquam ea apparet, scarificandæ sunt cucurbitæ eo loco, qoæ etiam vtiles sunt euacuato iam corpore supra partes conuulsas: extrahunt enim violenter materiam in neruis, & musculis impactam, & dolor leuatur. Dixit enim Paulus *lib.* 3. c. 20. *Et cucurbitulas admouere cum lancinatu; leues enim noxam inferunt ceruicibus etiam, & vtrique spinæ parti, & pectori, quæ est musculosius*, &c. Cauendū tamen, ne tendonibus affigantur, sed musculi principio, aut medio; locis verò quibus scarificata cucurbita repugnat, vt labiis, superciliis, digitis, sanguisugæ applicandæ. Docuit verò Areteus eum parua flamma esse applicandas cucurbitas; nam circumpressio, quæ fit à labiis, doloris, conuolsionísque solet esse auctor, diutiùs enim trahere præstat; ac molitur magis quàm plurimum breui tempore; sic enim in conuexum locus, qui concidendus est, sine dolore attolletur.

Si verò ex crassiori materia, & piruitosiori sanguine

A Tetanus fiat, sanguis in minori copia extrahetur, & celeriter præparabitur humor non semel, sed bis, & ter, si opus fuerit, in die, suioendo serapia, si vrgeanc dolores, & respiratio difficilis; deindr forrioribus medicamentis euacuanda materia crassa, nam & qoia talis, & nimis imbibita intra neruos, & musculos, & extrauasata non cedit leuioribus, ob quod in cura huius mali dicit Princepa; *Si enim est humidus, oportet vt curetur cum euacuationibus, & purgantibus fortibus, & clysteribus acutis.* Dixit enim Hippocrates *in Coacis prænotionibus: Repentinarum conuulsionum remedium est febris, & alui fluor.* Et sic pillulis vtontur ferè omnes auctores, quia fortiùs expurgant, sed non est contemnendum præceptum, priùs expurgare primam regionem, & venas; nam si hæc excrementis scateant, impediunt ea lon-
B ginquis tractionem. Prima regio lenientibus statim, & clysteribus ante missionem sanguinis: regio secunda, euacuato iam per venæ sectionem corpore, & præparato, dandaque sunt medicamenta seligentia peccantem humorem: iis factis commodè tertia regio exporgabitur; in hac enim continentur sueci conuellentes. Conferunt ad hanc intentionem pillulæ Cochiæ fœtidæ, & de Agarico cum modico Castorei, & aquæ vitæ, & pro robustioribus addenda gra. vj. trociscorum de alhandal, si pituita crassa, & lenta superabundet. Pro quibus etiam ℈iiij Hieræ, logadij (sex mensium à composirione) extolluntur à Montagnana ad purgandam materiam ex cerebro, neruis præbet illas dissolutas in quarta parte ciathi vini aromatici, aut dissolui possunt in decocto flor. saluiæ, roris marini, melissæ, adiecta nuce
C muscata. Notat tamen hic Auctor, quòd quia Hiera logadij est horribilis gustu, redigatur in pillolas cum succo rosarum formatas, paratas ex ʒj. specierum eios, dicitque esse diuinum auxilium. Holerius *cap. de Paralysi* sic parat. Recipe pul. Hieræ, diacolocint. ʒij. Mastichis, Bdelij ana ℈j. nucis muscatæ, spicæ rosar. ana ℈j. omnia incorporentur conserua borraginis. Aut sic. Recipe polipodij ℥ß. fiat decoctio ad ℥iij. coletur per manicam Hip. cum ℥j. mellis albi, cinnamomi ʒß. in colatura dissolue pulueris Hieræ diacolocinti ℈iiij. puluer. Hieræ pieræ ℈ij. fiat potus. Vbi longior fit affectio, purgandum corpus per Epicrasim, ad quem vsum vtilissimæ sunt pillulæ phlegmagogæ de absinthio Quercetani *folio* 281.

D Si verò melancholia conuellat, danda sunt medicamenta illam educentia, interdum ad Helleborum veniendum est in robustis hominibus, vt Hip. fecit præbendo Helleborum nigrum in lacte asinino, & pipere. Vbi verò piruita cum bile infestat, optimè datur medullæ easiæ fistulæ ℥j. Therebintbinæ perlucidæ ℥ß. nucis miristicæ ℈j. misce, & fiant buccellæ cum saccaro. Conferunt etiam pro melancholia pillolæ fumariæ, Indæ hali, de lapide lazuli, & de lapide armeno, aut potione, purgabitur ex decocto Epynimi, Polipodij, & fol. Sennæ, aut in sero lactis eadem infundennir simplicia, flores vtriusque boglossæ, expressionis sume ℥vj. confectionis Hamech. ʒiiij. misce. Vbi verò materia pituitosa, & melancholica simul infestant, miscebuntur medicamenta relata, &
E ad purgandas reliquias paulatim singularis est sirupus helleboratus Quercetani, quem minorem appellat. *fol.* 638.

Topica auxilia multi sont momenti in hoc malo: in principio anodina, & moderatè laxantia, deinde augenda vis resoluentium, & attrahentium ad extra. Sic in principio oleum amygdalarum dulcium, lumbricorum, camemali, anethi cum modico Castorei conueniunt. Præstat etiam oleum baechar. lauri, vulpinum, & Castorei cum oleo amygdalarum dulcium, & modico aquæ vitæ: Vbi dolor ioanis est, in balneum ex oleo dulci mittitur æger, mirè dolores deoulcet, sed in illo non est demorandum nimis, quia

quia, vt aduertit Paulus, maximè vires conuellit. Hoc remedium præcipuè conuenit in vniuersali Tetano, quando nimirum totum corpus rigidum est tensum. Hoc enim aliquando euenit, teste Aretæo, qui ita loquitur. Propria Tetani sunt distensio totius in rectum, nulla prorsus in partem detorta, nec declinans; recta quoque sunt crura, & manus, &c. Confert etiam, si plures partes occupat: vbi verò dolor vnicam tantum partem, aut paucas excruciat, balneum particulare sufficit, ne totum debilitetur, nisi robustum appareat. Sunt qui ad mitigandos dolores commendent Pulmones animalium recenter extractos, & calentes appositos. Præstat butyrum recens cum croco, aut vnguentum resumptiuum cum æsypo permixtum, quæ anodina præcipuè conueniunt, quando non licet euacuare materiã maioribus auxilijs; nam sine dubio præcipua ratio tollendi dolorem stat in resolutione, & euacuatione materiæ: quod munus præstant olea Castorei, rutæ, ceu irenum cum modico olei de solphure, & euphorbio, aut pettolei, semper miscendo oleum amygdalarum dulcium, aut butyrum, aut axungiæ recentis gallinarum ad materiæ emollitionem, & laxitatem viarum, & dolorem sedandum. Est vsitatum remedium; & celebre, sumere Catulum magnum, & pinguem, aut vulpem, aut ciconiam, mundentur ab intestinis, & plumis, & pelle, venter infarciatur radicibus liliorum, quia molliunt, digerúntque: duæ ergo vnciæ contundantur cum melle ad formam cataplasmatis, & adde radicis ireos ʒß. herbæ paralysis, maioranæ, betonicæ, saluiæ ana p.j. seminis altheæ, & hyosciami ana ℥ß. fol. lauri, baccar. iuniperi, radic. angelicæ, flor. melilothi, camemali, saluiæ, ana p.j. castorei ʒß. leniter omnia contundantur, & deinde misce cum oleo liliaceo, & castoreo, & ventri animalis infundantur; deinde lenitè assetur animal caryophilis confixum; irrigetur verò aqua vitæ, & butyro, pinguedo, quæ distillat, custodiatur, cùm nihil amplius dimanat pinguedinis, tunc coquatur animal ad tabitudinem, & quæ supernatat pinguedo, seruetur; tandem exprimatur caro, & ossa frangantur, & medulla eximatur; quibus pinguedinibus vngantur partes dolētes, & conuulsæ, quia mirè releuantur à molestia. Heurnius. Vel accipe vnguenti marciatonis, & agrippæ, olei laurini, ana ℥ß. galbani, opponacis ana ʒj. castorei ʒß. misce: vel recipe bubulum vitellinum, vel hœdinum, recens calidum cum tota pinguedine, & admoueatur principio conuulsionis, & detineatur dum exarescat, vel fœteat, & tunc eo reiecto imponatur nouus, vel recipe olei de angelica (aperit enim, attenuat, & discutit) olei lumbricorum, therebintinæ, ana ℥ß. adipis humani ʒj. styracis ʒß. liquefiant, & inungantur partes, vti adeps leonum cum galbano commendatur à Theodoto: Nos accipimus oleum vulpium cum balsamo de galbano. Pinguedo etiam taxi, & vulpis cum galbaneto, mirum est, quantum solatij afferat, si post balneum illiniantur partes. Quantùm verò conferant olea ebuli semine, aut ex semine hiosciami, Mathiolus docuit *lib. 1. cap. 33. & cap. 56.* Nec contemnendum oleum ouorum reliquis mixtum. Sacculus plenus sale torrefacto mirè exsiccat neruos conuulsos, si calidus applicetur: quod Leonellus sæpè fuit expertus in omni conuulsione ex repletione: Mirificè, inquit, confortat, & est solenne mitigatorium doloris, quem neruorum rigor infert. Messues verò inquit: Sal calefactus, & positus ad originem spasmi, cum solut.

Balneum paratur ad resolutionem materiæ, & sedationem doloris, ex decocto radicum altheæ, liliorum alborum, iridis, lauendulæ, folior. lauri, camepiteos, geranis, maioris hiperici, rutæ, calaminthæ, radicum cucumeris agrestis, ibiridis, seminis lini, fœnugreci, anethi, camemali, melilothi, sambuci; &

A addi poterunt intestina verrecis, aut catulus, & effunde olei lib. iij. Et si malum inueteratum sit, emollitioni magis studendum, addendo capita veruecis, vulpem, vel felem pinguem. Resoluet magis balneum, si sulphur addatur, balnea sulphurea vtilissima sunt; & vbi materia fuerit pituitosa, sudationes ex guaiaco, & radice Chinæ, vel smilacis asperæ.

Contingit sæpe indurari materiam intra partes neruosas, & musculos, vnde & contractio durat, & longissima redditur; requirit verò emollientia medicamenta, deinde quæ emollita resoluunt, aut simul admixta. Dissecat optimè lapidatam materiam vapor receptus ex aceto scillino supra molarem lapidem eiecto, & membrum coopertum recipiat fumum, deinde diachilon ireatum, & emplastrum mellilotum in oleo li-

B liorum alborum, & crocei, aut amygdalorum dulcium, dissoluantur cum modico castorei, & parti contractæ applicentur. Est etiam suffitus optimus qui paratur ex ℥ß. lapidis marcasitæ, myrrhæ, & mastichis ana ʒij. storacis liquidæ, vel storacis benzoini ana ʒj. radic. ireos ʒß. cum farina fiant trocisci; qui supra prunas iniecti, fumum vtilem ad dissecandum, & emolliendum materiam exspirabunt. Deinde post suffitum apponatur sequens emplastrũ. Recipe gummi amnoniaci ʒj. galbani, oppoponacis, bdelij ana ʒß. dissoluantur in aqua vitæ; adde storacis calaminthæ ʒij. axungiæ, anseris, medullæ cruris vituli, ana ℥ß. thuris ʒj. radicum ireos ℈ij. hermodactylorum ʒj. latiuæ, & resinæ communis quod suf. fiat emplastrum.

Si verò articulus patiatur materiæ indurationem,

C oportet per interualla aliquo roborante vti, nam immoderatè applicata emollientia laxant ligamenta, & effœminatur motiua vis: vndè conuenit articulum fouere, & corroborare decocto saluiæ, iuæ, & florum roris marini facto in vino albo generoso, & calybeato. Idem præstat oleum laurinum cum sale. Rursus per interualla, vtendum emollientibus, nam molesta est duratio huius mali iam inueterati, ob quod alius fotus parandus sic. Recipe radic. altheæ, brioniæ, ireos, liliorum recentium incisorum, ana ℥ij. absynthij, thimi, saluiæ, ana m. j. flor. camemali, melilothi, sambuci ana p. j. seminum lini, fœnugreci ana p. ß. coquantur in decocto intestinorum capitis, & pedum vituli, addito pauco vino albo, in quo decocto foueatur membrum contractum. Deindè emplastrum relatum appli-

D cetur, & tandem oleum petrolei ob tenuitatem summè penetrans, & resoluens, cui oleum castoreum cum nuce muscata addi possunt. Vel recipe emplastri oxycrocei ʒß. emplastri de mucilaginibus ʒvj. euphorbij, serapini, oppoponacis, ammoniaci ana ʒj. resinæ selectæ ʒvj. ceræ albæ ʒiiij. dissoluatur gummi in aceto forti, & addantur cera, & resina, & fiat ceratum Montagnani *fol* 1322.

CAPVT IV.

De præcautione conuulsionis ex nerui punctura.

E Nihil frequentius, & periculosius quàm ex nerui punctura conuulsionem sequi; quæ si semel prebendat, exitium certissimum causat, & ideò omni ingenio, & arte præcauendus est euentus illius. Cur verò tam frequens fit ex punctura conuulsio, dependet ex exquisitissimo sensu, & quia cerebrum trahitur in consensum, promptissimè facit, nimirum sensus acuties, quòd dolor vehemens ægrotum molestet, & inde impetuosè præcipitentur humores in partem dolentem, quæ cùm neruosa sit, & inflammata, cerebrum in consensum citissimè trahit, & indè conuulsio, deliria, & mors subsequuntur, & hoc

citiùs multò, si æger cacochymus fuerit, sensus perspicacis, & debilis cerebri. Quod si cæca fuerit nerui punctura, relata symptomata certiora eueniunt, quia nihil sanguinis euacuatur, & excrementa interius inculcata dolorem, & putredinem geminant, quia pars repletur ocyssimè, nihil exspirans per vlcus. Habetur de hoc historia celebris *lib. 5. Epidem. text. 42.* quæ infelicem sutorem intra triduum perdidit. Putantur verò periculosiores puncturæ si capita musculorum afficiantur, quia in capite musculi ferè denudantur carne, nerui, tendones, & ligamenta, si non longè ab articulis sint, si neruos, vel tendones denudatos molestent, aut musculos temporales: & quò maior fuerit neruus compunctus, tantò periculosior punctura, quia citius & facilius trahitur cerebrum in consensum, quòd per viam capaciorem transmittatur, quod læsurum est cerebrum; sic musculi temporales ob cerebri affinitatem periculosissimè feriuntur. Potuit verò sutor ille intra triduum vitam finire, & quia profundissima fuit punctura, & quia cæca, & omninò neglexit illius medelam, & quia erat in parte multis, & grandioribus neruis ornata. Quia verò in nobis sunt nerui, tendones, & ligamenta, & cuilibet punctura accedere potest, certum est periculosiùs neruum vulnerari, quia exquisitissimè sentit, & magis cum cerebro communicat, seu directius. Tendo verò, quia ex neruo, & ligamento componitur, sentit obtusius, eo quòd ligamentum nullatenus sentit, & indè tendonis punctura minoris putatur momenti, & periculi, non solùm ob dicta, sed quia cùm germinet ex musculo, non seruat cum cerebro rectitudinem, vt neruus. Vnde quando dixit *6. Method. cap. 4.* de tendonibus loquens, *nunc verò minus quàm ipsi nerui conuulsionem accersunt*, non est intelligendum, quòd tam facilè, & grauiter, sed quòd vt nerui compuncti conuulsionem causant, ita & tendones; non sentiunt verò ligamenta, quia immediatè ex ossibus germinant, quæ insensibilia cùm sint, nec ligamenta, quibus ossa diuersa alligantur, & articulum componunt, aliquem sensum participant; indeque ligamenti punctura nec conuulsionem, nec periculum affert.

De neruorum punctura, & eius medela longè, & doctissimè egit Galenus *6. Method. capite 2. & 3. lib. medic. secundum genera, cap. 2. & 3. & in arte Medica, cap. 92.* Est in primis instituendus tenuissimus victus ob metum malignæ phlegmonis, quæ timetur; fluxioni quidem multum obstat inedia: vinum vt venenum arcendum, frictiones, ligaturæque implacidæ ad reuellendum debent esse incessantes, conciliandus somnus omni ingenio, quia indolentiam affert, & humorum cohibet fluxum, aluus lubrica seruetur, aër temperatissimus sit, & mollissimum lectum, & ita situetur compuncta pars, vt minus quàm fieri possit, excrucietur dolore; sic enim minus virtus labescit, & præcipitantur humores.

Momentum totum curationis puncturæ in prohibitione phlegmonis, & sedatione doloris consistere Galenus docuit *6. Method. cap. 2.* quo loco sectam Thessalicam damnans, quòd eodem modo vulnus quodcumque sanare docebat, non sumens indicationem à partibus, quarum diuersitati diuersa medela debetur, simul etiam tradidit sibi gloriam, adscribens, neminem statim ab initio puncturæ ab eo inuentis auxiliis vsum fuisse, qui neruorum conuulsione tentaretur.

Est verò primum principium curationis puncturam apertam seruare; Secundum, euacuare corpus exquisitissimè missione sanguinis, si non sit quod impediat, & expurgatione, si vitium humoris infestet. Est enim summè timenda cacochymia in puncturis neruorum, quia ob dolorem commouentur humores, & cùm propter vitium sit natura non leuiter stimulata, impetuosè in partem dolentem fluxio concitatur, etsi sit le-

A uissima occasio, nedum occasione tam magna punctura, & vlcus seruanda reclusa, & aperta, vt exspirent excrementa ex vlcere emanantia. Vnde constat nunquam per primam intensionem puncturas sanari posse. Vndè colligitur ex doctrina Galeni, cæcas puncturas aperiendas esse, vt etiam illæ, quæ etsi cæcæ non sint, sunt tamen minores quàm excrementorum, & saniei expurgationi conueniant. Tutius, inquit, fuerit, etsi quis cutem latiùs incidat. Est verò summum artificium medicamenta parare, quæ etsi vlcus seruent apertum, calore & partium tenuitate moderentur simul, & mitigent dolorem, ad quem sedandum, & mitigandam inflammationem, etsi calidæ aquæ balneum in phlegmonia vtilissimum sit; est nihilominus, inquit Galenus, improbandum omninò in puncturis neruorum;
B nam cum substantia eorum ex frigida concreta, & humidiori materia formetur, omnia calefacientia, & humectantia substantiam neruorum eliquant, resoluunt, effæminant, & putrefaciunt. Oleo igitur calido, & partium subtilium pars compuncta fouenda calido, ne frigidate vlcus incrudetur, & vias occludat, & cùm frigidum sit inimicum vlceribus, nullis magis quàm neruorum, quia facilè in distemperiem frigidam incidunt. Ob quod dixit Hippocrates *5. Aphor. text. 18.* frigidum esse neruis inimicum, & omnibus partibus exsanguibus. Quod etiam præceptum *6. Method. cap. 3.* Galenus edocuit. Partium verò subtilium, vt altiùs, & intimius penetret, quando sub cute, & carne occultatur nerui punctura.

Nec obstat, quòd si aqua calida vituperatur, quia
C calefacit, & humectat, & neruos eliquat, eadem ratione sit oleum condemnandum, quia calidum, & humidum est, & suppuratorium. Respondetur, esse minus humidum, & multò minus debilitare nerui firmitudinem, quia aqua propter dicta calori natiuo opponitur, & vitalibus spiritibus; non enim fouet calorem, vt oleum, & statim reducitur ad propriam frigiditatem, qua neruos, & calorem vitalem destruit: Oleum verò actualem calorem fouet, & seruat, humectat minus, & dolorem mitigat, seruando simul vlcus apertum; quia verò suspicione non caret, alia medicamenta parant Auctores ad exequendam curationem puncturæ.

Hæc dixit Galenus *loco citato*, tenuium partium debere esse moderati caloris, & exsiccantia, & omninò
D indolentia: partium tenuium vt vlcus maneat apertum, & penetrent ad profundum puncturæ moderati caloris; quia frigida, vt diximus, multifariam vlcera lædunt, & neruos; erit tamen moderatus calor, ne maior ad phlegmonem generationem incitet: & quia moderatè caliditas sensus blandum causans dolorem mitigat, & laxans naturam sensuum blandiori explicatu vlcus seruatur apertum, exsiccantia esse debent ad seruandam nerui naturam, ad impediendam putrilaginem nerui, absumendos ichores malignos manantes ab vlcere, & attrahendum etiam ad extra cum moderato calore: est nimirum magna indicatio trahendi ad extra quidquid emanat ab vlcere, & influit in neruos, ne causetur dolor intolerabilis, si impingatur in illos, & sequatur conuulsio. Suspicantur etiam Au-
E ctores, malignam conditionem induere quod resudat ex nerui punctura, vt ex partis proprietate, aut quia non angusto loco conclusum, & non ventilatum malignè corrumpitur. Debent vlteriùs non causare dolorem, quia molestissimè toleratur à neruis, & sequuta phlegmone conuulsioni datur initium.

Antè verò quòd medicamenta applicentur, si cæca punctura molestet, aperiendum magis, & dilatandum vulnus, vt docet Galen. Tutius, inquit, fuerit etiam, si quis cutem latiùs incidat; fiunt verò duæ sectiones longitudinales; aut cutis in formam crucis secanda, vt sic exspirent medicamenta, vis medicamentorum altiùs

penetret

penetret; quo facto si opus fuerit, iniicietur in vlcus resina therebinthina, aut sola, aut admixta Euphorbio; sola in pueris, & mulieribus, & molli carne constantibus, cum Euphorbio verò, si duriori sint carne. In hunc vsum accommodatissimè, & melius oleum therebinthinæ iniicietur intra puncturam, quia penetrat magis, & vtiliter miscetur aliquid sulphuris viui, suprà verò ponitur galbani emplastrum, quia mitè trahit ad extra vlceris sordes, exsiccat etiam, & calefacit. Singulare censetur, si sumatur olei therebinthinæ ℥j. lumbricorum ʒß. pulu. Euphorbij ℈j. misce. Est etiam probatum Galeni remedium, quod parat ex ceræ ℥j. therebinthinæ, & picis ana ℥ß. Euphorbij ʒß. fiat linimentum, quo pars tota vulnerata illiniatur: totum membrum compunctum vngendum oleo rosaceo, lumbricorum, liliorum alborum, hyperici, amygdalarum dulcium, & camemeli, ad impediendum dolorem & conuulsionem: quibus etiam vnguntur caput, spina, ceruix, partes supernæ: Si brachium compunctum extitat, vt inguina, & spina, si pars inferior pungatur, vt docet Galenus 6. *Method. cap.* 3.

Vbi dolor viget, confert oleum ex vitellis ouorum, aut seorsum, aut aliis admixtum, si hoc non sufficiat. Tagaeertius *lib. 2. fol.* 200. micam panis in aqua calida immersam laudat. Est verò commune micam panis recens à furno extractam in lac iniicere, cum oleo rosarum, & lumbricorum, & croco emplastrum molle conficere, & tepidum applicare. Obseruandum tamen, ne pondere grauet & dolor augeatur, vt solet. Habetur secretum ad mitigandum dolorem, & extrahendū ichorosas materias, assumere ammoniaci ℥j. diachilonis ℥ij. thuris, & mastyches ana ℈ij. ceræ flauæ parum, misce. Fermentum ex triticea farina acidum quantum fieri possit, summe laudatur à Galeno *lib. de medicam. secund. gener. cap.* 2. quia cum temperato calore exsiccat nimis, & reuocat ad extra materias ichorosas, etsi in profundo vlceris lateant. Si verò ob vetustatem friabile sit fermentum (quod præcipuè desideratur à Galeno) emolliendum est oleo hyperici, aut castorei, vel iasminorum; semper enim medicamenta puncturis idonea in forma liquida vtiliora putantur ab Aetio, quia plus penetrant, & minus grauant. Hoc verò trahit validissimè. Recipe olei Euphorbij ℥j. therebinthinæ abietinæ ℥ß. diachilonis gūmati ʒx. ammoniaci & bdelij dissolutorum in aceto, ana ʒij. resinæ pini, gummi limonum, & picis naualis, ana ʒv. ceræ quod sufficiat ad ceratum molle. Daza.

Confert rursus ad sedandum dolorem balneum partis affectæ ex decocto radicum althææ, maluæ, violariæ, sem. lini, fænugræci, florum camemali, & meliloti, aut ex decocto intestinorum capitis & pedum veruecis, aut vulpis; quòd si non sufficiant, ad narcotica veniendum, vt si panis mica recens, & calida in decocto capitum papaueris humectetur, cui opij ℈j. & parum croci addantur, aut puls conficitur ex triticea farina, & succo hyosciami, & calida applicetur. Præstat theriaca recens aut balneum ex lacte tepido, cui opij aliquid misceatur. Est etiam pro hac indicatione conciliandus somnus omni arte, quia summè confert.

Si iis remediis non semittatur dolor, & sanies emanans sit tenuis, ichorosa, & virulenta, signum putrilaginis, nerui inflammatio, & febris molestant; & grauia accidentia superueniant, præcipit Daza, vt cauterizetur punctura; sic enim exsiccantur ichorosa excrementa, & impeditur nerui putrilago, & crusta facta in neruo, cessat dolor, & non recipit amplius in se, cauterizatur oleo feruenti, in quo madefiat collyrium, & cum idoneo excremento vsque ad neruum accedat, quod non semel, inquit, sed bis, ter, quater faciendum, si opus fuerit, qui modus cauterizandi summè vtilis ad tollendum dentium, & molarium dolorem, præcipuè si perforatæ sint, vt per foramen applicetur cauterium; alij verò securius putant candente auro, aut argento vstionem efficere, præcipuè si nerui putrilago molestet. Dicitque Daza esse auxilium certum trahens securitatem, quod præcipuè tentandum vbi frustrata fuerit virtus emplastri, quod ex farinis, & oxymelle, aut serapio simplici acetoso paratur: habet enim strenuam vim dissecandi, & cohibendi putrilaginem, cuius vsus frequens esse debet, ita vt statim in principio medelæ euacuato iam corpore conueniat.

Si verò adhuc molestent symptomata, dolor excruciet, febris intendatur, & phlegmona increscat, esse secandum neruum omninò per transuersum, docent Auctores cum Galeno 6. *Method. cap.* 3. dicente: *At si totus neruus præcisus sit, metus præterea nullus instat.* Idem docuit Actuarius, & Princeps noster sic scripsit: *Et fit interim multoties necessarium tunc abscindere vulneratum, & punctum, & prouenit ex eo quies, & separantur accidentia mala.*

Est verò duplex dubium contra dicta. Primum, qua ratione possit esse salutare neruum totaliter secare, si sola punctura ob dolorem iam sæua symptomata causat: videtur enim maior morbus, & inde ægrorum maiori periculo exponi. Secundum est, cur Galenus, & Chirurgorum turba Euphorbium medicamentis admisceant, si verum est quod præcipit Galenus, esse nimirum applicanda medicamenta mordacitatis expertia, & id indicat sensus exquisitus neruorum. Respondeo primò, quòd intra nerui puncturam abscondita excrementa dolore molestissimo irritant, & intra nerui substantiam imbibuntur paulatim; sicque & dolore, quo commouetur fluxio, & propria corporatura inflammationem concitant, & inde conuulsionem. idem euenit si transuersà vulneratus sit neruus, & non dissectus totaliter; eo verò omnino dissecto, exspirant excrementa liberè, nec amplius neruos molestant; nec dolor excruciat, sicque non commouetur fluxio. Neruus etiam totus dissectus vnitur in se, & minus quàm anteà recipit. Euphorbium oleis admixtum mordacitatem deponit, & quia valenter exsiccat, & trahit ad extra, & moderatè calefacit, vtilissimum est, vlcusque seruat apertum.

SECTIO II.

DISPVTATIO VNICA.

De acutis Aurium morbis.

CAPVT I.

De Auris inflammatione.

DVPLEX fors inflammationis auribus accidit, periculosa satis, & solerti indigens Medico. Prima intra aurem ipsam, & præcipuè in neruo auditorio. Secunda verò ad extra in glandulis retrò aures existentibus, quæ propter loci affinitatem ad idem *caput de morbis acutis aurium* reducimus; licet in rigore glandulæ illæ, seu adenes aurium partes non sint. Inflammatio verò in neruo auditorio, & partibus aurium internis, de qua in *præsenti cap.* agimus, non aliter excitatur, quàm in reliquis partibus corporis, multò scilicet sanguine ad partes illas præcipitato, si exquisita, & propria inflammatio excitetur, aut alio quouis humore in relatas partes internas transmisso,

& in poris partis vehementer inflammatæ impacto, quæ non capientes cauitates, & pori turgent,& in tumorem præter naturam assurgunt. Vnde nomine inflammationis aurium, quemcunque tumorem contra naturam ex succo putrescente intelligimus, vt interdum exquisita sit inflammatio, quando nimirum sanguis solus, aut omnes humores, vt naturalem mensuram massæ sanguinariæ constituunt, abundantiam in partem aliquam internam aurium confluunt: Sic si bilis eundem locum molester, exquisitum orietur erysipelas; si melancholia,erit scirrhosa inflammatio, aut œdematosa, si pituita; tenentur autem, vt diximus, putrescere omnes.

Est morbus in aucta magnitudine, vt omnes alij tumores contra naturam. Causæ enumeratæ iam sunt omnes, scilicet humores,sed calidi præcipuè ad præsens caput relegantur; hi enim acutas passiones generant ob intensas febres, dolorum acerbitatem, vigilias, & inquietudinem, & præsertim quia succi actiuiores cum sint, & ex alia parte minus stabiles, ocyssimè cerebrum in consensum trahunt calore,& inflammatione eidem communicatis,indéque deliria,& Phrenitis oriuntur: communicatur verò causa huius mali non rarò à toto corpore, sæpè à iecinore squallido, sed frequentiùs à cerebri repletione humor redundans præcipitatur in aures, cùm habeant ex illo neruos ex quinto pari eorum qui à cerebro oriuntur, & satis proximè sint. Verùm non dubiè à quanis parte in aures redundans excrementum truditur, quia cum omnibus quælibet pars consentire potest, licet frequentissimè in consensum trahatur à partibus, cum quibus per vasa, & neruos communionem nanciscitur.

Signa inflammationis pendentis ex putrescente sanguine, aut bile, satis conspicua sunt, dolor nimirum acutus, & grauis,cum continuitate, & pulsatione molesta, febris acuta cum pulsus duritie, tensionis,grauitatis, & caloris sensus in parte. Hæc enim sunt essentialia huius inflammationis signa: caput dolere solet, & ad dolorem illius, & auris, sequuntur vigilia præter naturam assidua, inquietudo, & iactatio: quæ molesta sensatio cerebri ardori copulata inseparabiles vigilias causat, & indè deliria; & nil mirum, nam dolere vigilare est, & calori cerebri vigilias, & delirium annexa esse passim docet Galenus: est dolor acerbior, & febris acutior,& maior; si bilis redundet cerebrum incenditur, pallet facies, os amaricat, & signa redundantis bilis se ostentant; facies extenuatur, & mordacior calor sentitur, plus molestant vigiliæ, sitis, & inquietudo, & plus æger periclitatur, quòd facilius ex bile cerebrum inflammetur, & delirium adueniat.

Hippocrates pluribus in locis meminit huius mali, quæ repetitio grauitatem illius, & perniciem declarant; nunquam enim nisi rerum magni momenti pluries recordatur Hippocrates. Est ita huius morbi tanta malitia, quòd interdum intra triduum vitam cum morte commutet. Sic enim Hippocrates tradidit 6. *Epidem. sect.6. text.*13. dicendo: *Propter aures, & ex auribus sæpè moriuntur tertia die.* Rationem periculi adduxit 3. *lib. Prognost. text.*18. dicendo: *Auris acutus dolor cum febre continua, & vehementi,graue est; periculum enim, ne desipiat homo & moriatur*: quasi diceret, periculum oriri ex eo, quòd cerebrum ob propinquitatem cum meatu auditorio in consensum adducatur: quam perniciosam translationem materiæ contemplatus Galenus in huius loci expositione, dixit: *Quare multi ægri, & derepentè quidem etiam moriuntur, perindè atque Apoplectici, vbi effluxio, quæ dolorem aurium concitabat, cerebrum confestim peruaserit.* Ex quibus constat aurium inflammationem non ita esse morbum lethalem, vt est mortale signum; nam morbum partis non principis, & cuius actio ablata nullum ad mortem infert nocu-

A mentum, mortalem ex se esse repugnat: quia ergo locus affectus, angustus, & paruissimæ capacitatis conspicitur,quod redundantis fluxionis ob paruitatem non capit,in proximam partem,& tam capacem, & cauam, cerebrum scilicet, & ventriculos regurgitans, & velut retrocedens inflammationes, & deliria causat,& interdum subitò, & inopinatè ventriculos obstruens, præcipitem mortem affert, vt per Apoplexias consueuit. Et *in commento* tradidit Galenus.Hæc est fallacia huius loci, quam in textu allegato commendat Hippocrates dicendo: *Cùm igitur hic locus fallax sit, celeriter oportet animum aduertere omnibus signis à primo die*; id est, celeriter agnoscenda est huius loci inflammatio, nam intra se paucum fluentis humoris suscipiat: quod illius redundat, in cerebrum dilabitur, & deliria, phrenitidem,& mortem inopinatam inducet. Est autem agnos-

B cenda celeriter, & ad præsagiendum periculum, & vt curatio sit præsta, antequam in consensum cerebrum deducatur. Eandem fallaciam animaduertit Hippocrates 6. *Epidem. sect.*5. *text.*12. dicendo: *Si auris doleat, lanam digito circumdans vnguine aliquo intingere, &c.* Et in fine dictionis seorsim scripsit: *Dolus.* Habetur de hoc pulchra historia 7. *Epidem.* in filio Cydis ex auris inflammatione, per multos labores, & diuersa symptomata mortuo. Est huius morbi pueritia ferax, quòd puerorum capita ob humiditatem excrementis sint plena, vt ab Hipp. emanatio excrementorum per aures inter morbos pueritiæ reponatur,cùm hoc tamen nulli ætati non competat, quas in periculo graduauit

C Hippocrates 3. *Progn.* dicendo *Moriuntur vero ex tali morbo iuniores homines septimo die, aut citius; seniores verò tardius multò.* Rationem reddit ita: *Febres enim, & deliria iuniores ipsos occidunt, atque ideò aures possunt suppurari: Verùm his ætatibus recidiua morbi accidentes multos interimunt, iuniores verò antequam auris suppuret, moriuntur Si autem fluit pus album ex aure iunioris, spes est eum superuicturum, si aliud etiam signum optimum accidat.* Iuuenes itaque periclitantur magis, quia calidior sanguis dolores acerbos, & intensas febres causat. Minus quietus humor continetur, & quia plus irritat mordaci natura, & quia tenuior, & mobilior, & indè facilius transfunditur ex aure in cerebrum; & ita antequam suppuretur inflammatio, occiduntur febribus, doloribus, delirio, & conuulsione. Senis verò quia

D frigidioris temperamenti,tepidior est febris, dolor remissior, omniaque accidentia leniora, & rarò præueniuntur morte,antequam inflammatio suppuretur,minúsque multò cerebrum consentit,quia vt pulchrè notauit Tralianus, senes neque affectu conuulsorio, nec delirio corripiuntur; nam cùm humor qui superat, frigidior, & crassior existat, ipse sibi ligamentum factus in affecta parte manet,indè in cerebrum non transfunditur. Notauit similiter non solùm recidiuis, vt putauit Hippocrates, sed coctione tarda, & diuturnitate vires senum absumere, & ita periclitari. Est tamen nihilominus alia ratio periculi in senibus; nam idem temperamentum frigidum, causa est quòd coctrix facultas non sit satis firma, & per consequens non co-

E quat totam inflammationem æqualiter, nam magis putris, & crassa non superat adæquatè, & relinquendo in succis non commutatis recidiuæ fomitem, cedit putredo cum nouo dolore, & febre, & sic per multas recidiuas interimuntur. Est enim hic modus deficiendi propriissimus senibus; non enim ita opprimuntur acutie, & intensione symptomatum, quàm diuturnitate, & duratione, ob crassitiem succorum, & coquentem facultatem collapsam: quibus accedit corporis densitas, & minus constans expultrix; ob quæ omnia rarò exquisitè perpurgatur corpus, quia siccum præter modum, & frigidum.

Constat verò non esse statim prænuntiandum periculum, quamuis inflammatio partem internam auris obsideat,

obsideat; nam cùm sæpè coquatur, & suppuretur, ad firmum præsagium alia signa contemplanda sunt: si enim praua inueniantur, mors non sine ratione timebitur. Sunt autem perspicua signa, delirium, phrenitis, respitatio difficilis, vrina non bona, & pulsus inæqualis, & debilis, quæ si deficiant, suppuratio speranda, & exitus bonus. Proinde Hippocr. *in Coacis pranot.* ita reliquit scriptum: *Aurium dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo eorum quæ leniter difficilia sunt, iuuenes quidem septimo die interficit & multo celerius adfert delirium, nisi pus multum ex aure, aut sanguis è naribus effluat, aut aliud bonum signum appareat.* Qui locus ad præsagiendum validissimus est; nam ad præsagij firmitudinem est magni momenti, non esse solum signum, quod salutem, aut mortem pollicetur; aliis tamen associatum firmissimum redditur, vt raro decipiat. Quia verò auris inflammationis sæpè copulatur, aliud cerebri malum, aut putrida febris, si inflammatio suppuretur, satis est ad bonum iudicium, quod inflammationi debetur, non tamen ad præsagiendam salutem, nisi aliud signum optimum accidat, vt monet Hippocrates. Est autem optimum signum, non esse aliud quod morbum cumplicatum, cum inflammatione ostendat pulsus, constans mens, vrinæ coctæ, & optima respiratio. Notatur similiter, quòd cùm hic morbus sit infantibus familiaris, sæpè pereunt, quia dolor, & malum ignoratur, eo quod nesciant dolorem referre. Vnde summa cautio est, si sit febris acuta, cum quadam conuulsione, & continuo flatu, auribus applicare anodina repellentia, & mitigatoria primò; deinde resoluentia, quia locus doloris ignoratur: testatúrque experimentum sæpè liberari pueros à magna febre, & in cessante flatu pure emanante per aures, qui sine dubio periissent, si non suppuraretur humorem incognita affectiona.

Curatio huius mali maximam diligentiam requirit, vt obstemus malis quæ pollicetur, phrenitidi scilicet, delirio, conuulsioni, aut apoplexiæ: Est verò studium magnum in sedatione tam acerbi doloris, & breuissima reuulsione, deriuatione, & euacuatione à parte. Nec satis mirari possum, doctissimum Tralianum nullatenus sanguinem mittere, cùm in nullo alio auxilio curatio huius mali, & aliorum præcautio iam validè constet. Est ergo statim secanda vena communis ex directo auris dolentis; deindè cephalica communis, si totum sit directum repletum; cephalica, si cerebrum solùm, & repetetur euacuatio non semel, sed bis, & ter eodem die; si vrgeat dolor, & assiduè molestet, sitque febris intensa: Sic enim tractari debet malum enecans intra triduum, & tot morbos, & tam perniciosos associans. Deinde cucurbitarum vsus vtilis est, & cum scarificatione in partibus superioribus, vt deponatur plenitudo in cerebrum transfundenda, crurum, & brachiorum assiduæ frictiones, sed crurum præcipuè: balnea etiam in cruribus, vbi bilis & sanguis acer molestet, strenuè attemperant, & reuellunt, sic conferunt ligaturæ molestæ, & hyrudines iam inanito corpore retrò aurem dolentem affixæ, & supra venas tumidiores in collo, & partibus proximis auri. Si cacochymia biliosa percipiatur, expurgandum est corpus, vt in filio Cydis exercuit Hippocrates, & melius habebat; id enim statim à missione sanguinis confert sine materiæ coctione, quia ad reuulsoriam expurgationem coctio est impertinens, & melius quò fit maturius, quia minus confluit in partem, & est plus quod timetur fluere, & indicat reuulsionem, quæ perfectissima est ob distantiam inter partem affectam & locum, ad quem retrahuntur humores. Nec obstat, quod Hipocrat. *in 4. Aphor. in initio* inflammationis expurgationem vituperat, quia cruda passio non cedit; id enim verissimum est de humore intra partem inflammatam incluso; minimè verò de illo qui in eandem mittendus à natura timetur: hic enim nec crudus est, nec impactus, sed in motu potius, aut proximus vt moueatur: solùm obstat contraria inclinatio naturæ deprauato motu, & erroneo sursum pellentis, quæ eo ipso quod errat, inclinanda ad oppositum, & minuendi succi, quos ducit in aures & cerebrum.

Euacuabitur commodè rhabarbaro infuso in aqua cichoriæ cum serapio solutiuo regio, aut rosarum, vel cum manna in sero lactis dissoluta, aut ex decocto thamarindorum violarum cum serapio solutiuo, & cassiæ medulla. Idem indicat succus atrabiliarius, præcipuè si exustus acerbos inducat dolores, addendo medicamenta respuentia atrabilem; nec enim semel tantùm in hoc filius Cydis expurgatus, & semper à purgatione habuit melius, etsi teneretur delirio. Expurgandi iuuat audaciam, si corpus mittit ad supera; tum quia timendum est esse multum quod potest transmitti, tum etiam quia cedit facilius: si verò solum caput mittat in aures, minus benè expurgatio succedet, quòd sit locus distantior. Est tamen solatium, minus esse quod fluxurum timemus comparatum ad totum, & venæ sectionibus, & scarificatis cucurbitis releuabitur satis natura; nec ita timendus retrocessus humorum in cerebrum, quando hoc pellit in aures, quàm si totum in illas excrementa deponeret; non tamen propterea non est expurgandum. Quòd verò clysmata reuellentia conueniant, & aluum continuè sollicitare in fluxionibus capitis, præceptore non eget; erunt tamen attemperantia simul, si bilis, aut acer succus molestet, in sanguinea verò inflammatione sectioni venæ insistendum. Est enim parui vsus medicamen expurgans, quod materia antecedens, cuius indicatione purgamus, sub obiecto expurgationis non cadat.

Euacuato corpore, & interim quòd exquisitè euacuatur, repellentia, & anodina accommodanda sunt iuxta exigentiam doloris, & ardoris. Nec obstat esse proximum cerebrum, vt repellentia vitentur, ne recedat ad illud: aduertit enim optimè Rondeletius materiam esse paucam, & qualitate potiùs quàm quantitate irritare, creátque molestissimum dolorem, quo trahitur humor abundè, quia pars nimis sensibilis, estque accidentarium nimis quòd ad cerebrum recedat. Si auris doleat, lacte vtatur, dicit Hippocrates *Epid. sect. 5. text. 23. Est enim vtilis lactis instillatio, si dolet auris ex calida intemperie, aut inflammatione, vtilius verò si ex mamilla instilletur.* Vnde Tralianus *lib. 1. cap. 1.* in feruidis inflammationibus, & acerbis doloribus Glauci cum æquali pondere mixtum cum oleo, & ex lacte mulicbri infusum, vt vtile auxilium commendat; vt strenuum verò in magnis doloribus laudat castoreum æquali mensura cum oleo leuigatum ex sapa, & tepidum auri iniiciatur. Galenus *3. localium, cap. 1.* oui candidum opium, & lac admiscet, & castoreum, & opium, vt Tralianus in sapa: æquali mensura oleum, & castoreum sunt vehementi dolore; in dupla verò quantitate castoreum ponatur in maiori dolore, vt Galenus docet. Castoreum priùs leuigatur exquisitè, opium in sapa dissoluitur, & post iniicitur castoreum, & prout misceantur. Si verò inflammatio erysipelacea sit, & feruida, succus cucurbitæ rosaceo admixtus confert vt per se solus.

Mediocribus verò inflammationibus commodum est oui candidum oleo rosaceo admixtum, cum guttulis aceti rosati, & modico croci, oleum ex vitellis ouorum ad demulcendos aurium dolores: Auenzoar vt expertum extollit. Mucumtem ex cochleis distillans summum auxilium ad dolores censet Rondeletius, & quia cochleæ à proprietate doloribus auxiliantur in omni causa, sunt vtiles, si incoquantur in oleo conuenienti affectioni millepedæ, seu asseli oleo communi

incocti

incocti laudantur ab Aëtio,& Rondeletio: desumpserunt ex Scribonio, qui præ cæteris extollit florem picis oleo communi admixtum, vt sit olei tertia pars, nam & dolores sedat,& non permittit suppurationem fieri, & si facta fuerit, sanat. *Ego ipse*, inquit, *diu vexatus ab aure, cum multa frustra tentassem, ab hoc sum persanatus, & alios plures sanaui: florem picis appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana supposita eius vapori*. Medulla porci saliti præstantissima est, in omni causa, inquit Rondeletius, sed magis in frigida; in causa ergo calida sic parabitis medicamentum. Recipe olei Nenupharis, violarum,& amygdalarum dulcium ana ℥.ij.millepedum ℥.j.coquantur in oleis prius contusi, fiat expressio lenis; cui addi potest oleum ex vitellis ouorum, aut eliquati medulla cruris porci saliti; oleum tutum crudum rosaceo admixtum laudat Hollerius in initio. Tralianus succum Perdiciadis, aut Parietariæ ad dolores ex ardore extollit, aut solum, aut rosaceo mixtum.

Est tamen, dum vrget dolor, obseruandum Galeni præceptum *6. localium*; quod etiam Tralianus transtulit; verba sunt: Verùm ego nullum pharmacum dolore vexatis iofundo: nuper lanam instillo, vtpotè qui experientia edoctus sim, quod præstat, nec omninò contingere doloris tempore auditorium meatum, sed per auriculare specillum lana mollissima obuolutum dolore vexatos foueo, pharmacúmque ita moderato tempore in auri fossorio specillo præparatum iniicio, vt interrogato per nos ægro, num tepidum esse videatur, & num calidius ipsum fieri possit, ad tantam caliditatem procedam, vt nil ampliùs offundat tinctum; itaque hoc modo præparato pharmaco specillum ad principium meatus moderatè imponito, & in altum defluere ex eo pharmacum permittito, & posteà iterum, & sæpiùs intingito; idemque facito nullo tempore intermisso; palam est autem, cùm hoc fit etiam foris, omninò aliquid effluxurum esse; expleto nimirum toto auditorio meatu,hoc igitur quantum possibile est, moderatè excipe, neque autem contingas. Postquam verò probè foueris, meatum pharmaco expletum sinito, & mollem lanam forinsecus tum meatus osculo, tum vniuersæ auri imponito, atque vbi rursus fomenta adhiberi oportebit, incumbenter foris lanam leniter tollito, rursúsque similiter foueto, diligenter cauens, ne aliquid aliud graue aurem contingat. D Ad hoc verò præceptum maximè animum aduertas, vtpotè quod omnium optimum sit in aurium curatione: fomenta verò fiunt per ea quæ dolorem sedant, quale optimum est nardinum vnguentum paucissimo in eo tetrapharmaco dissoluto.

Quando verò linire dolorem,& resoluere intentum fuerit, tota externa regio auris per circulum foueatur blandissimè sequenti decocto. Recipe maluæ, bismalnæ, violarum, lactucæ, fol. salicis, & meliloti ana m. j. seminis cithoneorum, maluarum ana ʒ. ij. florum camemali, rosar. rubrar. & nimpheæ ana p. ß. coquantur, decocti sumatur ℔. j. ß. olei rosʃ. amygdal. dulc. ana ℥. j. misce. Huius etiam decocti per infundibulum, aut arundinem vaporem intra aurem suscipiat; est enim suaue remedium, & mulcebre. Vbi E verò crassitudo humoris resolutionem impediat,& dolor vrgeat, optimum est Aëtij remedium: sumitur enim lana succida, & aceto albo incoquitur, & quod intra se continet, breuiter exprimitur intra aurem, & lana similiter intus remaneat, aut oleo amygdalarum dulcium, rosarum, & liliorum, externa auris regio foueatur, ad sedationem doloris, emollitionem materiæ, & resolutionem, quibus miscendæ recentes pinguedines eliquatæ, gallinæ, anatis, aut cuniculi: quibus si crocum admisceatur, concoctorium magis euadet medicamentum: & si resoluere magis velimus, prædictis addemus Castorei modicum: hæc eadem A suppurationem iuuant, si illam natura tentet, vt foris ex hydroleo moderatè calido, & si obtusos rumpatur, vt vlcus curabitur, aqua hordei saccarata semper supra aurem decumbet, aut mulsa, vel rosaceo melle cum aqua hordei, vt intus non retrocedat pus.

Si verò signis percipiat Medicus, naturam tentare suppurationem, iuuanda maturatio est. Est enim frequens huiusmodi permutatio, quam iuuat frequens emplastrum anodinum, & suppuratorium simul. Recipe succi maluarum, altheæ, ana ℥. j. succi caulium ℥. ß. butyri recentis ʒ. x. farinæ tritici ℥. j. ß. pinguedinis suillæ,& gallinæ, ana ℥. j. vitella ouorum recentium n. ij. croci ʒ. ß. olei liliorum albotum, quod sufficiat ad impinguandum emplastrum. Si dolorem mitigare magis velimus, addendum erit lac rebus B prædictis.

Quia verò capiti vehementer timemus in hoc malo, ne superueniat delirium, & phrenitis, attemperandum est communi oxyrrhodino, quo etiam roboratur, ue facilè recipiat. Vinum vt venenum est; alimentum tenue conuenit, somnus conciliandus serapio papaueris amygdalato, ex semine melonis, cucurbitæ, amygdalarum, & papauer. semine, attemperanda febris communibus serapiis, & apocimatibus, in principio conueniunt, præcipuè serapium ex infusione rosarum rub. granatorum, de rosis, aut limonum, & acetositatis citri, & endiuiæ, & condrilæ. Posteà præcipuè si putrida febris complicetur cum febri accidenti inflammationis: hæc cum attemperantia cum moderata adstrictione requirit ad impediendum humoris C affluxum. Puttida verò adstringentia renuit, quòd transpirationem fuliginis putridæ remorentur. Vnde in principio diluentur serapia decocto radicum Pentaphilli, Centinodiæ semine, plantag. rosʃ. rubr.& foliis cichoriæ. Succus etiam ex granis acidis granatorum crebrò assumptus, mirè attemperat, & feruentem, commotámque bilem reprimit. Quia verò dolor magnus auris percussione in inflammationem degenerat, aliquando curandus est, sumendo thus album, & in lacte mulieris dissoluatur exquisitè,& tepidum lac in aurem instilletur guttatim, statim enim dolorem mitigat, & minuit.

CAPVT II.

De Parotidibus.

SVnt Parotides teste Paulo *lib.3. cap.25. Affectus glandularum iuxta aures*. Per affectum intelligit tumorem præter naturam, & in hoc conueniunt Medici. Glandulæ verò sunt spongiosa caro, & rara, & pinguis, & friabilis, aptissima quidem, vt intra se admittat corporis recrementa; nam spongiosa natura, & laxa ad id est prompta, cui constitutioni expultrix valida repugnat, & inde tenaciter hæret, quod semel admisit: sunt verò glandulosa hæc corpora per plura loca corporis disseminata, vt latè explicuit Hippocrates *loco proprio*, & *libello de glandulis*, & de iis, quarum instituitur sermo, expressam mentionem feci dicendo: *Glandulæ porrò sunt ab vtraque aurium parte iuxta venas iugulares colli*. Parotis igitur est tumor contra naturam harum glandularum, & acutissimus esse solet, & citò interficere; agimus de illo in præsentia.

Testantur ergo Auctores huiusmodi malum sæpe comitari pestilentes febres,interdum esse parotidas terminationem aliorum morborum, & veluti iudicium, & inde huic morbo accidit, quod alteri cuicumque crisi per abscessum factæ, posse nimirum esse & bonam terminationem, & mortalem; interdum verò (etsi rarius) euenit, quòd parotis sit morbus per se primò

incipiens

incipiens vt quæuis alia inflammatio: est tamen frequentissimum non incipere per se, sed aliis morbis superuenire, & sæpè cum certo exitio ægrotantium, & quando simul cum aliis morbis incipiunt semper, vt signum pernitiosæ putantur, vt est perniciosum, & graue, iudicia, & crises statim cum morbis incipere, & cùm ferè semper superueniat morbis ex materia putrida ortis, sic ferè semper sunt Parotides inflammatio glandularum post aures; ob quod Galenus 3. *lib. secundum locos, cap. 3.* dicebat: *Parotides ex genere quidem sunt inflammationum; sunt autem glandulis circa aures affectus.* Est tamen certum; quòd nec est necessaria putredo in materia, vt dicatur Parotis, nec quòd sit inflammatio propriè dicta, vt dicitur tumor ex solo sanguine pendens; nam quomodocumque tumeant partes adenosæ aurium, si tumoris causa sit humor, dicitur tumor Parotis. Vndè constat esse morbum in magnitudine aucta, & causam quemcumque humorem, frequentiorem verò putridum, quia, vt docuit, frequentius est morbis ex putredine ortis superuenire, veluti terminationem eorum.

Notabitis tamen, quòd etsi verè dictum sit, quòd quilibet humor possit esse causa Parotidum; est tamen rarum à nimis tenuibus, & crassis pendere, vnde raro in illas terminantur acuti morbi, qui propriissimè tales dicuntur. Similiter nec morbi chronici, & diuturni. Ratio primi est, quia morbi propriè acuti ex tenui, & calida materia pendent, quæ dum partes superiores, & cerebrum petit, sanguinis eruptiones, delitia, & Paraphrenitides causat, minimè verò partem in tumorem eleuat, & cùm natura semper tentet quod melius est, & per consequens humorem quem pellit, conetur extra corpus ducere, sitque materia calida, & tenuis tam apta, vt extra corpus pellatur: hinc est, quòd quando crisi pellitur, non relinquatur in corpore, sed vomitu, sudoribus, & sanguinis fluxu foras eiiciatur. Cui expulsioni conducit plurimum calidæ, & tenuis materiæ mordacitas, quam partes non sustinent. Contraria ratione non succedunt Parotides diuturnis, & longis morbis: est nimirum harum materia crassa nimis, frigida, & lenta, & caliditas febrium chronicarum tepida in comparatione ad acutarum calorem: Vnde nec à calore sublevatur, nec attenuatur, vt feratur ad superiores partes, nec apta est vt sursum pellatur à natura, quia grauitas, lentor, & crassities nimium resistunt delationi sursum, & cùm alioqui in chronicis febribus virtus expultrix labescat, vt debilitantur omnes diuturnitate afflictionis, non sursum, sed deorsum præcipitat succos, quem motum grauitas eorum non parum iuuat, vt resistit contrario, ad quem maxima, & valida virtus requiritur. Ad quod accedit, quòd vt partem eleuet in tumorem, opus est impetu magno, quia in poros penitissimos partis ingredi debet, quod sine magna vi impellentis crassi humores non assequuntur; valida autem expultrix rarò datur in longis passionibus. Quod verò respiciens Hippocrat. 4. *Aphor. text. 44.* dicebat: *Quos febres longa exercent, iis tumores, & labores fiunt in articulis: nam articuli satis magnam capacitatem habent, & sic facilè suscipiunt crassos humores, non verò præsagit Parotides.* Exclusis contrariis extremis deducetur facilè hos tumores caussari in morbis mediis; tales autem sunt aut ex materia mediocri pendentes, aut quia decidentes ex acutis fiunt; in iis enim nec materia est tam tenuis, & irritans, vt in propriissimè acutis, & ex mobili materia pendentibus, & inde non ita facilè reiicitur extra corpus, nec est adeò tenax, crassa, & ponderosa, vt materia febrium chronicarum, & inde non ita resistit delationi sursum; accenditur etiam magis, & plus naturam irritat, & sic sursum potest detrudi, & à caliditate propria euehi: cùm tamen ob maiorem quàm in propriè acutis crassitiem, non ita per poros extra mitti possit omninò, & ita decumbens in partem, in quam expellitur, tumorem præter naturam causat.

Ex dictis constat, in quibus affectibus sint præcipuè expectandæ Parotides. Significant verò futuras Parotides accidentia non pauca, quæ quia timorosa, & grauia non rarò monstrantur, diligenter à Medico contemplanda sunt; ne in præsagio, & cognitione turpiter erret. Dicebat ergo Hippocrat. *in Coacis prænot. Comate oppressi, fastidiosè ab hypocondrio dolentes, pauca euomentes, in aures abscessus habent; prius autem tumores circa faciem cum comate.* Præcipuum itaque signum Parotidas antecedens est somnus profundus, & comatosus; significat verò in cerebrum rapi materiam: huic adiunguntur vt magna signa hypocondrij cótentio, capitis grauitas, & surditas, & faciei tumefactio quædam cum rubore. Significant materiæ translationem in partem superiorem: quòd si signa prædicta, anxietas, & perturbatio præcesserint ex cognitione criticá materiæ, à qua fastidiosi, & euomentes afficiuntur interdum ægroti, certius Parotides expectare licet, præcipuè si morbus inter acutos, & longos mediam naturam participet, vt diximus. Tradit Hippocrates inferius, similia signa referens, frequentem, & paucam sputationem inter signa parotidum, innuit enim commutationem materiæ versus cerebrum, cuius portio tenuior intrò inclinata, & repulsa per canalem naturalem resudat in os, & inde frequens causatur sputitio, quæ si copiosa, & abundans sit, minuit materiam parotidum, tantaque esse potest, vt omninò fieri prohibeat, ob quod dixit Hippocrates, tussiculæ cum frequenti sputo abscessum post aures tollunt.

Signa verò iam præsentes Parotides significantia præceptore non egent, cùm humor ipse satis conspicuus in adenibus aurium appareat. Sanguineæ monstrantur ex dolore magno cum duritie & rubore, & partis tensione. Biliosæ ex incendio, maiori febre, timore minuti. Melancholicæ duriores omnibus percipiuntur sine magno dolore, cum nigredine schirrhi naturam æmulantes. Pituitosæ verò laxæ sunt, indolentes, molles, & albicantes; quibus addenda sunt signa reliqua causam significantia antecedentium morborum, quorum abscessus putantur parotidæ, & veluti crises, cùm ex eadem materia causentur.

Habentur apud Hippocratem *in Coacis*, & *opere Prorrhetico*, innumera præsagia Parotidum; indè tamen maligna generatio earum esse constat, quòd nesciant succedere, nisi priùs grauiter cerebrum molestent, vt ex signis ipsas antecedentibus patet, vt certiùs videatur non ita directè in adenes extrudi materiam, vt inclinatur in cerebrum deprauata, & turbata natura in ipsa expulsione. Cerebrum verò expultricis vigore retrogradum motum materiæ in adenes efficit, sicque generantur, & fiunt: hinc rarò terminantur in bonum, nam & in ipsa generatione cerebro insidiantur, & iam genitæ ob affinitatem loci molestant, & in consensum trahunt; loqunt de Parotidibus morbos cerebri non indicantibus; quæ enim cerebri affectus indicant, priùs illos grauiter læserunt, quos frequentius indicant, melius quam morbos totius, aut febriles passiones: nam cùm sit maior, & copiosior materia, si tota in adenes transferatur, periculum suffocationis, delirij, aut Phrenitidis afferunt, doloribus vehementibus torquent, & vigiliis, & veluti conuulsos tenent ægrotos; sæpè verò angustia loci non capiens totam reiectam à natura materiam, loca vicina occupat, & desperatas passiones generat, nisi naturæ robur post parotidas aliam euacuationem procuret. Hinc dicebat Hippocrates *in Coacis: Tumores circa aures, maximè ex acutis in febribus ardentibus fiunt; quòd si morbum non soluunt, nec maturantur, aut ex naribus sanguis fluat, vel vrinâ deponant sedimentum crassum, moriuntur ægri, vt plurimum*

verò

verò antequam moriantur eiusmodi tumores subsident, atque abolentur.

Est quidem rarissimum, quòd febris vniuersalis iudicetur perfectè per Parotides ob loci angustiam, vt dixi, vnde suppuratio earum securior existit quàm resolutio, quia per vomicam, & expurgatur reiectum, & datur locus vt continuet natura in locum vacuum noxiæ materiæ expulsionem: quòd si iuxta magnitudinem tumores acquisierint, & duret nihilominus febris, quæ ipsarum accidens non sit, celeriter tentanda suppuratio, vt sequantur commoda dicta, & quod interius materiæ febris relinquitur, per vomicam expurgetur paulatim: si verò hæc non fiant, nec natura per alias partes noxiam materiam euacuat, debilitas arguitur, & periclitatur. Aduertit tamen Hippocrates quod & sæpè experimur, antequam nimirum periclitetur vita, subsidere Parotides, & repentè euanescere maligno recursu intrò reuersa materia: indeque moriuntur deliri, in caput translata sæpè etiam suffocantur, retrocèndo ad Pulmones; nam succus qui ob debilitatem naturæ non continetur, sed liberè diuagatur per corpus, & facilè à Pulmonibus trahitur sua continua motione, & in corpore ipsorum laxo receptus suffocat.

Si verò in partem principem recursus non fiat, non necessariò sequetur mors, sed noua succeder morbi generatio, & recidiua, quam indicabit nouum febris incrementum sine mortalibus signis; quod ad præsagium notare maximè oportet, & animaduertit Hippocrates post adductam sententiam, qui auctor docuit, *quòd tumores iuxta aures parui in longis morbis, si indè sanguis fluat ex naribus, & tenebræ oculis offusæ moueantur, lethale est.* Et rursus *Tumores circa aures in longis morbis non suppurantes, lethales.* Ratio primi, quia in longis datur vt causa materia tenax, & crassa; hanc verò importunè, & erroneè ad superna inclinat natura, quia non conuenit regio superior ascensui crassorum, & in delatione illa multum fatigatur natura, vt tandem defessa desistat ab opere incepto. Sanguinis verò exeretio per nares vbi succi crudi molestant, inutilis est ad iudicium, & euacuatur quod retinere oportebat procrassorum coctione, & inde debilior redditur æger, & succi crudi contumaciùs adhærent defectu caloris, & sanguinis infrigidati, & facti crassiores. Inde patet, quòd si Parotides in longis suppurentur, significat crassam materiam, & per consequens non esse expulsionem idoneam per superiores regiones, simulque arguit naturæ lapsum, quia manent incoctæ; vndè nisi per aluum reuter natura euacuationem materiæ, deficere solet. Debet verò virtus constare, ne in materiæ translatione deficiat, & indè securius putatur crassior vrina, quia per hanc regionem deriuati humores minus fatigant, quàm si excernantur. Sudores verò inutiles sunt in tenaci, & crassa materia, quia per cutem commodè euacuari non potest.

Est etiam certum ad securitatem Parotidum valere plurimum præcessisse materiæ coctionem, quia benigniores sunt, terminantur faciliùs, & minus debilitant partem, nec ita facilè ad intra recurrunt. E contra verò in principio morborum, & ante septimum raro non interficiunt, vt ait Holerius, qui confitetur se raro vidisse salutares Parotides, *fol.*447. Duo tamen habent satis suspecta, & parum secura, nimirum quòd ad superiora humor à natura inclinetur, & quòd in partem cerebro propinquissimam decubitum tentet. Semper enim Hippocrates laudat abscessus deorsum fieri, & longissimè à principalibus partibus. Vtrumque verò in Parotidibus deficit, si nimium doleant, timendæ, etsi mitiores quàm sustineri possint, aut minores, vt non sint satis ad indicandum morbum; debilitatem enim naturæ significant, & geminatur malum, quia antiquum non soluitur, & aduenit nouum. Bonum

A tamen est, vt insinuauimus, si post earum apparitionem multa sputatio sequatur. Dixit enim Hippocrates *in Coacis*: *Abscessus ad aures soluunt sufficientibus cum sputationibus, qui decubitus non est omninò securus, quia impetum capit materia versus Pulmonem, & asperam arteriam; indicat verò frequens sputum in iis partibus non firmari, sed extra pelli succum retrocedentem.*

Tandem dixit Hippocrates *in Coacis*, *Tumores post aures post expurgata plurima grauiter olentia in acuta febre hypocondrio intento tardius excitati interficiunt.* Duplex vitium significat, & quod post auri fluxionem ad superiorem regimen moueat humores natura, & quod tardius excitentur Parotidæ, quia iam fractis viribus exurgunt, & incipit æger de nouo cruciari; vbi grauěolentia succorum eos corruptione insolente, & inemendabili fœdari significat: quinimò & viscera, iecur B præcipuè eadem labe fœdari, marcida, & putrida apparere, si dissecetur corpus, testatur Holerius. Fatetur nihilominus Tralianus, quòd quædam ipsarum ratione crisis apparentis fiunt, quæ nec praua, sed curatu faciles existunt, multósque magis periculo liberant: aliæ verò ex copia cruda contingunt, quæ naturam grauant simul, & nonnihil irritant: quare etiam procedente tempore periclitantur, & Medicis multa tentantibus vix ad suppurationem, aut concoctionem perueniunt. Si verò superuenientibus Parotidibus febris residet, ipsæ tamen non resoluantur, nec suppurentur, diarrheam biliosam, aut dysenteriam, aut crassarum vrinarum subsidentiam Parotidas indicare Hippocrates tradit 1. *Epid. sect.*3. *fol.*22. sicque & Clazomeno, & Hermippo C euenisse. Est tamen communis animaduersio, quòd si Parotidibus copuletur putrida febris, habet quilibet morbus suam propriam iudicationem, & non esse satis benè resolui, aut maturari Parotidas ad præsagiendam salutem, nec è contra concoqui febrem, si recrudescant Parotidæ ad præsagiendam salutem.

CAPVT III.

De curatione Parotidum.

EGit de curatione Parotidum Galenus *suo libello de facili Parab. cap.*24. & longius *lib.*5. *local. cap.*2. Nostrum D verò institutum *in hoc cap.* erit, Parotidum curationem adducere, non vt ex se ipsis incipiunt, & sunt morbi primarij, sed vt aliis acutis morbis succedunt, vt crises eorum reponente natura in partibus dictis primi morbi materiam; sic enim periculosissimæ esse solent, & per certas morborum maligniorum constitutiones summa clade grassari: quæ enim Parotides ex se ipsis incipiunt, raro interficiunt, & earum medela notissima est vt facilis; & ex dicendis in curatione malignarum fiet satis perspicua.

Auxilia repellentia Galenus vituperat, & condemnanda magis in Parotidibus post alios morbos venientibus. Est enim locus affectus cerebro proximus, in quod repelli potest materia Parotidum; & cùm natura E tentet per illas se liberare à maiori, & præcedente morbo, nullatenus sistendus primus illius impetus, sed iuuandus potius laxantibus: quæ nihil memorabile efficiunt, inquit Galenus, etiam cucurbitam affigemus supra inflammatum locum, aut fomenta assidua adhibebimus. Intendimus enim, vt affligens humor internè ad extra trahatur, præsertim si in capite affectio firmata fuerit: *Quin* (inquit) *& cùm citra capitis affectionem in febribus acutis natura superfluos humores ex vasis effundens ad regionem inter cutem, & subiecta corpora interponit: quod sanè & glandulæ effusis humoribus percipiant; melius itaque etiam tunc videtur naturam adiuuare per humorum ex loco in locum impetuosum*

illapsum

illapsum febres curantem. Quæ doctrina sequenda est, vbi lente natura Parotides creat, nam si impetu magno natoram moueatis, fluxus iuuandus non est, sed totum negotium ei committendum, ne impetu tractionia medicamentorum, & pulsu naturæ magna sequatur inflammatio, & dolor magnus, & febris ægrum excrucient, & virtus exsoluatur. Proinde docet Galenus, esse applicanda mitigatoria, & nullatenus adiuuandos fluxus: mitigant & demulcent dolores oleum amygdal. dulcium recens, camemali, violaceum, quibus adiungitur recens pinguedo Gallinæ liquata, & prius pars blandè fouebitur decocto fænugreci, radic. ebisci, fol. maluarum, violariæ, & flor. camemali. Galenus ex farina hordei, triticea, aut seminis lini in mulsa incocta mitigatorium cataplasma conficit, & in summa quæ moderatè calefaciunt, & humectant, conueniunt, digerunt enim moderatè viatum laxitate, qua pars minus cumpitur, & præterea sensu voluptuoso, & blando, à vehementiori detrahit sensum, & sic dolorem mitigant.

Vbi verò influens materia calore immodico extorquec, vt præstantissimum auxilium extollit Tralianus alreecum, & lapathum cum axungia leuigata, & bis, aut ter immutatur ex ipsis paratum cataplasma. Galenus vtitur in dicto casu hyosciamo cum butyro ad formam emplastri. Est etiam optimum, & securius, si folia hyosciami & violarum, & maluarum in oleo amygdalorum dulcium, & violarum incoquantur, & per setaceum traiecta vitella duorum ouorum addantur cum modico cruen, & puluera ex floribus nimpheæ; & si post morbum malignæ, & venenosæ naturæ superueniant Parotides, theriaca recens addetur, aut oleum Mathioli, theriaca antiqua, si resolutio intédatur, & refractio qualitatis malignæ. Præstat etiam fotus ex oleo violaceo, nenuphatis, amygdalorum dulcium, rosaceo, & Mathioli: quo oleo, yrino, & rutaceo vtendum cum oleo amygdal. dulcium admixtis. si in morbo maligno pigrè natura moueat, statim à principio parotidum. Deinde cucurbita applicanda, mox inungenda pars oleis prædictis, aut applicanda in lana succida imbuta, cauendo ne refrigerentur.

Si autem non resoluantur, sed maturari desiderent, quæ puris generationi conferunt, admouenda, vt fotus ex hydroleo calente, quo assiduè est vtendum. Deinde apponendum cataplasma ex triticea farina cum hydroleo, vitellis ouorum, axungiis, butyro, & croco. Confert etiam, quod sic paratur. Recipe medullæ panis ℥. j. carnis, vuarum passarum, & ficuum siccarum ana ℥. ß. butyri recentis, axungiæ, ana ℥. j. fermenti ℥. ß. cremoris seminis lini ʒ. ij. croci ʒ. ß. vitella ouorum n. iij. fiat cataplasma. Vbi verò maligna fuerit Parotida, & venenosa, sic maturabitur. Sumantur duæ cæpæ albæ, & magnæ, assentur sub cineribus; adde fermenti ℥. ij. axungiæ porcinæ ℥. j. æsypi ℥. ß. croci ℈. ij. olei scorpionum ℥. ß. theriacæ magnæ ʒ. ij. vitella ouorum n. iij. pulu. scordij ʒ. j. ß. olei yrini, quod sufficiat. Semper tamen cataplasmatis appositionem præcedat fotus ex hydroleo moderatè calido, quia dolorem mitigat, & mirè suppurationi auxiliatur. Sequenti nullum putat præstantius Tralianus, ad suppurandum Parotidas. Accipe axungiæ ℔. j. oua ansarina n. iij. sapæ ℥. iiij. farinæ pollinis ℔. j. præbe, leuigata continuò applicentur.

His, aut aliis suppurato tumore duplicem indicationem tradidit Galenus, aut ferro, aut medicamento apertionem moliri, si spontè non fiat, & deinceps, vt cætera vlcera curandum vlcus relictum. Secunda indicatio est, soluere genitum iam pus idoneis medicamentis: sine apertione id esse efficiendum docet Galenus per medicamenta attractoria, & tenuium partium, discutientiaque bis in die applicata, & fomentis admotis, donec remiserint, & laxati fuerint dolores: Vbi verò pluri-

A mum pueis discussum fuerit, semel tantum soluere prædicta medicamenta sufficit. Hæc Galeni doctrina, quantum ad resolutionem puris mihi non probatur in Parotidibus, neque in extremis inflammationibus; nam prætetquam quod rem difficillimam tentat, est suspecta methodus, quòd rem ferè impossibilem tentet. Constat, quia humorem non potuit natura adiuta medicamentis resoluere: ergo multò minus poterit resoluere pus. Constat, quia est crassius multo, & tenax, & lentum; nam per coctionem talis redditur humor, est autem suppuratio coctio quædam, vt Galenus docuit. Accedit, quòd pus iam contentum in vomica est quasi extra naturam, quia iam vltimam elaborationem per alterationem tentauit illa, & inde non retinet illud: & quando in pus nondum mutatus est

B humor, est dispersus per poros particulæ, & ipsum alterat, vt resoluatur.

Sed & quòd sit suspecta methodus, probatur facillimè ex vtilitatibus ad apertionem sequutis. Prima est, quòd enacuatur statim quod iam vt purum excrementum relictum est à natura, quod intra corpus detinere; irritationabile est; nam & dolore, & pondere molestat. Est etiam omne pus exedens, & corrosiuum partis, & humorum, quos tangens corrumpit, & putrefacit, quia nunquam à pure auacuatur omninò calor acris, & erodens, vt experimento probatur; iis ergo læsionibus exponitur æger, interim quòd abscessus resoluitur. Rursus si aperiatur vomica, & diu, vt dicet, seruetur aperta, non solùm enacuatur tota colluuies in pus commutata, sed etiam reliqui humores semiusti,

C & per morbos antecedentes vitiati, vt vomica aperta deseruiat pro fonte, per quem perenniter extrudat natura quæcumque noxia esse possunt: quo beneficio priuatur resolutio; hæc enim solùm euacuabit pus. & satis difficillimè totum; resoluentia enim ratò non mutant in tophos, & terream naturam crassiores partes humorum: est autem crassissimum pus, & inde incerta resolutio illius recidiuæ periculum adfert: id ex sacrariis Hippocratis clarè deducitur; 6. enim *Epid. sect. 4.* ita reliquit scriptum: *Omne suppurans est sine recidiua*; hæc enim concoctio, & crisis simul & abscessus est. Vt ergo tumorem suppurari securior indicatio est, quàm resolui; sic pus iam genitum securius multò sensibiliter excerni, quàm per halitum digeri, vt omnis solutio mor-

D bi ex materia pendentis securior à Galeno putetur, si sensibili excretione, quàm si insensibili, seu resolutione fiat. Est ergo vomicæ apertio curatio non fallax; resolutio verò facillima, & in tumore iam suppurato magis; quia nunquam suppuratio fit nisi in multa, aut crassa materia, multam verò, & crassam in halitus permutari totaliter, & incertè, & tardissimè fit. Patitur ergo æger plus, & nouo recidiuæ periculo exponitur, dum puris resolutio tentatur, & hoc perniciosè imperatur si malignus morbus præcessit, cuius abscessus nec suppurationem secure (vt inferius videbimus,) admittit.

Neque id communi doctrinæ Galeni, & omnium refragatur. Putant enim (Chirurgi præsertim) tumorum resolutionem suppurationi præferendam esse; id enim nos fatemur, nam resolutio est morbi sublenatio; suppuratio verò permutatio in alium morbum; verùm etsi ita sit, non tamen cuicumque tumori est mollior, & securior resolutio, quia si ob multitudinem, aut crassitiem nequeat resolui, erit resolutio infida curatio, & fallax: est ergo resolutio melior terminatio genericè, non tamen cuicumque morbo est melior; nam in morbo indigente suppuratione deterior est, vt in febre pendente ex multa materia securior est crisis per sensibilem euacuationem tentata, quàm per halitus. Translata igitur hac doctrina ad resolutionem puris, constat clarè crassitiem illius, lentorem, & tenacitatem, vt resolui possit, reddere ineptum, & inde securum non esse per halitus digeri, nisi paucissima sit mate-

ria, & benigna. An verò eadem doctrina seruanda sit A in inflammationibus internis, *cap. de Pleuritide* explicabitur.

An verò iis indicationibus satisfactum sit, nondum constat; nam si Parotidæ ex morbo maligno nascantur, qui ex perniciosa materia dependeat, aut quia etsi materia morbi maligna non sit, morbum tamen periculosum creauit, aut ob loci præstantiam, aut multitudinem, aut intensam inflammationem, & alterationem, securius videtur statim quod Parotidæ idoneum susceperunt incrementum (est verò illud, quod nec pro magnitudine suffocat, nec pro paruitate iudicare sufficienter repugnat) nulla expectata resolutione, aut suppuratione tentata ipsam Parotidam vstione aperire. Est Vallesij doctrina *lib. 5. Epid. comm.* 16. in historia Hippoconi, cuius verba sunt. Ego quoque in Parotidibus, quæ ex mor- B bis aliis non lenibus fiunt citò, vel nulla expectata suppuratione, vstione vtor in ipso tumore, nulla enim ratione melius prauidetur, ne tumor recurrat, sed materia per ipsum vlcus, quod infligitur, expurgetur. Ego verò dixi id non esse faciendum in Parotidibus, quæ pro magnitudine suffocant, si non quieuerit fluxio; nam vstione, & partis calore, & dolore auidissimè traheret, quod natura tam copiosè præcipitata mittit, & inde prius suffocaretur æger tractione, quàm expurgatione per vlcus manaretur. In iis ergo Parotidibus cum principio naturæ increscentibus cephalicæ primò secabitur bis, & ter, si opus fuerit, & permiserint vires, scarificabuntur cucurbitulæ in dorso ex directo respondente, & in omni alio auxilio cohibebitur fluxio, sedata verò fluxione vrendus est tumor, & C quò maior fuerit, id indicatur magis, quia periculum maius suffocationis, & retrocessus ad intra, & adhuc magis si maligna materia fuerit, nam & igne corripitur, & citius per vlcus expirat; parui verò tumores vrendi non sunt, quia tanto remedio non egent ob paucitatem materiæ, & vt signum semper sunt perniciosi, & imbecillitatem naturæ significant. Vnde sicut euacuatio materiæ facientis Parotidas satis non est ad solutionem morbi, nec sensibilis vtilitas sequitur ex diminuta expulsione, ita cauterium paruæ vtilitatis censendum; & vt natura non potest præ imbecillitate ad locum inflammatum idoneam materiam expellere, ita non mittet post apertionem. Conuenit ergo cauterium in Pa- D rotidibus iustam magnitudinem habentibus, in eis præcipuè si post quatuor apertionem, & iustam magnitudinem durat febris prior, vt per vlcus expurgetur paulatim, quod non potuit capere locus confestim.

Tandem notate; quòd vbi in morbis longis succedunt Parotides, quarum exitus ab Hippocrate vituperatur, vt vidimus, securum præceptum est expurgare corpus, si constent vires. Ratio est, quia iam natura non detinet succos, sed commouet, cùm pellat in adenes aurium: & cùm hæc transmissio depraualè tentetur, ne fit congrua grauitati, & crassitiei humorum, securius est expurgare, quia deorsum melius feruntur, & non est expectanda coctio, si iam non appareat, quia succi commori nullo modo coquuntur. Significat verò expulsio tentata, iam grauari naturam, aut malignitate E irritari.

Nec obstat quòd contrarium motum expurgationi tentet natura, nam tentat, quod nullo modo vtile esse potest, & melius est, quod per medicamentum extra corpus mittatur id quod in aures transmissum vtile esse repugnat, & ex alia parte nouum, & molestum morbum crea-, & cerebrum in consensum adducit.

Quæ resoluunt parotidas satis communia sunt. Vnum tantum extollit Galenus 3. *localium in fine* c. 2. dicendo: Præstat & hoc: Butyri ℥. j. ceræ sextantem, & vnciæ dimidium, ostreorum vstorum quartenuius semitritorum sextantem. Liquescibilia liquefacito, ostreaque infarcito, ac vnitis vtitor confidenter. Est enim efficacissimum ad Parotidas. Sextans est pondus ℥. ij. Aliud optimum, Emplastri Zachariæ ℥. j. olei Therebintinæ ℥. ß. olei sulphuris ʒ. ij. olei violacei ℥. ß. croci puluerizati ʒ. ß. misce.

SECTIO III.

DISPVTATIO VNICA.

De Acutis morbis faucium, gutturis, & gurgulionis.

De Angina.

Acvivm, gutturis, & gurgulionis inflammationes inter acutos morbos enumerantur; strangulant enim, si increscant, ad faucium etiam acutos morbos pertinet desperata passio, quæ vulgò *Garrotillo* appellatur, cuius naturam, præsagium, & medelam iam expusuimus. Quia verò inter morbos faucium, & gutturis præcipuè collocatur Angina, de illa fiet priùs mentio.

CAPVT I.

Quid sit Angina?

Avicenna *fen. 9. lib. 3. text. 1. c. 8.* peculiare caput instituit de suffocationibus, in quo præfocationis multas species, & causas enumerat; & quia Angina est affectio suffocans, ideò aliis speciebus, & causis suffocationis Anginam adiungit. Est ergo Angina non quæuis passio suffocans, sed quæ determinatas partes afficiendo, & certo affectu, respirationem, & deglutionem impedit. Galenus 4. *de victus ration. in acutis, commen. 20.* scripsit: *Angina partium, quæ in gutture sita sunt, phlegmone est*, id est, *inflammatio partium, quæ sunt in gutture.* Idem constat ex 4. *de cau. pulf. capite 20.* & 3. *Prognost. comm.* 16. estque communis iam doctrina, & receptissima. Vnde constat, esse morbum in aucta magnitudine, vt omnia alius tumor contra naturam. Dicitur verò inflammatio faucium, aut gutturis, quia quando solùm hæ partes patiuntur affectum inflammatorium, & animal periclitatur suffocari, Angina dicitur esse, eo quod à tumore præter naturam via respirationis occluditur, caput nimirum asperæ arteriæ; ob quod dixit Galenus 6. *de locis affect. cap. 5.* differre anginam ab aliis passionibus suffocantibus Pulmonis, & Thoracis, quia in Angina sensus angustiæ, & oppressionis in summo gutture est: itaque sola ea suffocatio appellatur propriè, & rigorosè Angina, quæ ex inflammatione gutturis, aut faucium nascitur. Vnde constat immediatum morbum ad conformationem potius pertinere: nam occlusio viæ respirationis, defectus cauitatis conuenientis est, & ita morbus ex conformatione ortus ex tumore præter naturam. Nomine verò inflammationis non intelligitur propriè dicta, ita vt à solo sanguine fiat angina: fatentur enim omnes, esse angustiam pituitosam, biliosam, & melancholicam. Restat ergo quòd dicatur inflammatio, eo quòd omnis tumor ex succo putrescente ortus inflammatio dicitur: sed nec hac ratione propriè definitur, quia experimento constat, dari Anginam sine febre, & nequit ex alio signo constare, causam fluentem ad guttur verè putrefieri, quia verò tarissimum est, humorem fluentem non putrescere, quia tumorem facit, & non

venula

ventilatur; ideò pec inflammationem communiter definiunt Auctores cum Galeno, qui melius dicerent; Angina est tumor contra naturā gutturis, aut facium, quia signa essentialia Anginæ sine humoris putredine datur.

Nec obstat contra dicta, quòd signa essentialia huius morbi dentur sine inflammatione, aut tumore contra naturam, ac vt quando conuelluntur musculi capius asperæ atteriæ, vel laborant Paralysi ob solam distemperiem siccam, aut humidam, vel frigidam, tunc non suffocabitur æger sine tumore, aut inflammatione. Similiter quando laxantur vertebræ colli versus partem internam gutturis, datur simile signum; suffocant enim vt Angina, & breuissime. Respondetur, ita esse non dubiè; verùm Auctores omnes noluerunt appellare anginosos, nisi eus, quos tumor, aut inflammatio partium prædictarum suffocabat, & inde quamuis ex affectibus aliis eiusdem partis æger suffocetur, non dicetur anginosus in rigore. Mihique videtur nō bene probasse Galenum *lib. 4. de locis affectis, c. 5.* citato, comprehendisse Hippocratem nomine Anginæ omnes affectus prædictis partibus euenientes, quos spirandi difficultas comitatur: & probat ex *3. lib. Prognostic.* cuius loci verba in Præsagiis adducemus; nam ibi solùm agit de tumoribus præter naturam faucium, aut gutturis, vt ex verbis textus satis perspicuum fit, cùm ex tumore, & rubore extra apparentibus, aut secus adducat diuersa præsagia; & ita clarè loquitur de difficultate spirandi ex humoribus fluentibus orta, & non de quauis alia passione, vt putauit Galenus.

Pars affecta in Angina sunt fauces aut guttur. fauces verò sunt internus oris guttur, vbi simul conueniuntur partes externæ, seu capita gutturis, aut gulæ, vt docuit Galenus *4. de locis, c. 3.* fauces verò vocantur à Græcis Pharinga, id est, proiacens gulæ, & gutturis sedes, quæ quando lingua comprimitur deorsum, euidentem amplitudinem commonstrat, in qua duplex orificium, seu gemina ostiola visuntur, tum gulæ, tum gutturis, vt *3. Prognost. comment. 16.* Galen. ostendit. Vnde *4. Aphor. comment. 43.* dixit, sequutus Homerum, fauces esse spatium illud, quod inter gulam, & guttur proiacet: guttur verò, quod & larynx dicitur, est caput asperæ arteriæ, seu prima pars, & secundum vocis instrumentum summo ori continua, constans musculis, neruis, membrana, & cartilaginibus; hæc pars sub mento satis conspicua est, collo enim extat, & tactu dura percipitur, sursúmque mouetur in deglutione alimenti, ne aliquid illius per asperam arteriam ingrediens inopinatè deglutientem strangulet, vt solet: per hanc viam ingreditur aër, qui inspirationibus trahitur ad cordis refrigerium, & per eandem excrementa fuliginosa expirationibus expelluntur ad extra. Quòd verò relatæ partes in Angina afficiantur, liquidè docuit Galenus *Acut. 4 comment. 30.* vbi non semel id repetit Hippocratem explicando; idem insinuauit *4. Aph. 34. & 1. de locis c. 3.* estque iam omnium Medicorum concors sententia, quam sine fundamento probabili reliquit Cesalpinus *lib. 2. q. medic. c. 17 & 18*, contra illum docuit Magister *lib. de locis affect. disp. 34. c. 3.* Nec obstat quod Hippoc. *4. de vict. rat. in acutis, text. 30.* dicat, Anginam fieri, quando hyeme, aut vere fluxio multa, aut viriosa ad venas iugulares defluxerit, &c. Nam hic, & in aliis textibus loquitur de via, per quam ex cerebro in guttur, aut fauces præcipitantur humores: tradiditque Auctor, quòd frequentissimam est, generari scilicet Anginam translatis humoribus ex capite per venas iugulares in musculos faucium, & gutturis: non itaque tradidit locum affectum, sed viam, per quam in illum feruntur humores commoti, & sic exposuit illum locum Galenus.

Quia verò fauces duplici sorte musculorum constant, internis, & externis, idémque in gutture euenit; quatuor species Anginæ enumerant Medici ex diuersitate loci patientis. Primam, & leuiorem, si afficiantur faucium A musculi externi, & appellant Parasynanchen: secundā si interni, & appellāt synanchen. Si verò externi musculi gutturis inflammentur, dicitur Parasynanche, & si interni, synanche, quæ omnium grauissima, & malignior putatur. Auicenna verò in hoc cap. quatuor species ex locis affectis enumerat, licet diuerso modo, quæ diuersitas paruipendenda est, cùm non mutet curationem. Quatuor iam relatas partes ex Medicorum consensu Tralianus recenset *lib. 4. c. 1.* Galenus verò *4. Aph. comm. 34.* Parasynanchen vocat omnem inflammationem extra guttur existentem: & Parasynanchen, quando non fauces, sed eis adiacentes partes inflammantur.

Ex parte verò humorū sunt tot species, quot humores, cùm quilibet possit tumorem efficere propria corporatura: Hippocrates verò vt magis celebres duas tan- B tùm recenset *4. de vict. rat. in acu. text. 30 & 31.* Primam pituitosam: secundam biliosam, & acrem; hanc autumno; illam verò hyeme fieri docet. At *3. Aphor. text. 16;* in pluuiarum multitudine Anginam oriri docuit; replent enim pluuiæ corpora nostra (cerebrum præcipuè) humiditatibus excrementitiis, & vix laxantur, infirmatúrque retentrix, & à quouis calore eliquantur excrementa humida, & inde in fauces, & guttur ex cerebro facillimè præcipitantur succi liquati. Est enim frequentius pituitosas Anginas fieri ineunte vere, & inde inter morbos illius Anginam enumerat *3. Aph. tex. 20.* Concreti enim humores algore hyemis consistentes fiunt, & tenaciter hærent, sunt etenim vix densatæ. Ver autem incipiens moderato calore ad resolutionem ineptā concretam pituitam eliquat, & vias laxat, & sic fluxio- C nes causantur. Ob quod *6. lib. tex. 55.* dixit Hippocrates; dolores podagrici, & autumno maximè mouentur. Rectè etiam dixit Auicenna in hoc capite, quòd schinantia, & affectus ei similes multiplicantur in vere hyemali, liquat nimirum ver, & hyemalis distemperies intro humores liquatos repellit.

Sed inter Auctores summa discordia est de intelligētia Arethei certam speciem Anginæ constituentis ex Inflammatione spirituum absque inflammatione aliqua: *Duæ* (inquit) *sunt species Anginæ; aut enim instrumentorum respirandi phlegmone est, aut solius spiritus habentis in se ipso causam affectus.* Et inferius explicando magis huius Anginæ naturam sic loquitur: *Ego verò existimo ipsius solius spiritus id vitium esse praua conuersione ad calidissimum, siccissimúmque conuersi, nulla corporis parte* D *inflammatione laborante*, &c. Ludouicus Mercatus per spiritum non intelligit vitalem, nec animalem, sed vaporem externum, aut aërem crassum, & densum, adstringentisque naturæ, vt intra asperæ arteriæ cauitatem contineri non possit, sed veluti viam respirationis obstruens, & intercipiens, cor non ventiletur, nec remittatur incendiū fuliginum, sed quòd suffocetur æger; Vega vero *4. lib. de loc. affect. c. 3.* vt paradoxum reprobat Arethei placitum. Vtrumque Auctorem reprobat Magister noster *lib. de locis affect. disp. 34. c. 2.* Constat enim vel ex ipsa lectione Arethei, de vitio internæ causæ, & non de extrinseca agere; licet exempla ad comprobandam vitij interni possibilitatem ex rebus externis desumpserit, & indè relati Auctores Aretheum de E solo vitio externo exponentes ferendi non sunt.

Magister noster loco citato admittit ex causa externa rectè hoc vitium contrahi, vt putarunt Mercatus, & Vega; verùm non solùm ex ista causa, sed etiam ob internā, non tantùm, quia interius possit generari venenū suffocans, sed mutatione spiritus in calidissimum, & siccissimum, propter quem vsum auctum tanta sit respirationis necessitas, vt non sufficiat, sed breuiter homo suffocetur. Video tamen (inquit Magister) talem euentum non reperiri in ardentissima febre, etsi nimis cor calefiat; non est enim irrationabile, maiorem indigentiam respirationis concipere, cuius defectu animal suffocetur.

Hæc doctrina Magistri mihi non probatur. Non enim

est Galeni doctrinæ consonum, ex sola intemperie dari suffocationem: *lib.* enim 4. *Præsag. ex puls. c.* 1. non longè à fine ita loquitur: *Nam solam intemperiem nullum suffocationis periculum excipit.* Et 4. *Aph. comm.* 34. dicit: *Nec enim aliud est suffocatio, nisi interitus subitus propter defectum inspirationis; qui fit ex angustia alicuius instrumenti ex iis quæ inseruiunt respirationi.* Vbi angustiã ponit, & inspirationis defectum. Constat verò, nullum ex iis oriri ex intemperie sola. Et *inferius*: Suffocatio verò omninò fit ex angustia, &c. Et ratio à priori est, quia suffocatio nunquam fit sine interposito corpore suffocante: est enim effectus pendens ex corporatura impediente ventilationem, & aëris ingressum, quam sola intemperies calida nullatenus aufert: itaque aliud est posse dari tam intensum calorem, vt ei satis non sit respiratio per naturam possibilis, & hoc negari non potest, sicque defectu respirationis constitui dispositionem incompossibilem cum forma; hoc verò non est suffocari, quia non dicitur ad conuertendum periri calore, & periri suffocatione, & si calore immodico æger suffocari possit, in nulla passione is effectus eueniet magis, quàm in ardentissimis febribus, cùm nulla sit passio prædictis calidior. Et constat, quia suffocati non dicuntur quia calore intereant, cùm multi pereant suffocati ex vaporibus frigidis.

Ob id mihi videtur dicendum adductam speciem Anginæ oriri ex resiccato gutturis corpore ob impensam conuersionem spirituum, & fuliginum in calidam, & siccam naturam, sicque densari, & immobiles reddi musculos, & viam respirationis occludi, idque euenire ob incendium intra cor, & Pulmones. Sic Galen. 4. *de præsag. pul. c.* 1. per calidas Pulmonis distemperies, fauces, & linguam exsiccari docuit. Et clariùs 4. *Aph. comm.* 34. *in fin.* id tuetur dicendo: *Nec impossibile est propter nimiam siccitatem musculis internis gutturis supra modum extensis meatum reddi angustiorem*: id verò dixit exponendo, qualiter repentè suffocatio euenire possit per febres, sed ratione ardoris, quod etiam explicuit 3. *de caus. sympt. c.* 2. vbi in ardentissimis, & siccissimis febribus docuit, sæpè ita exsiccari linguam, vt loquela impediatur, & immobilis fiat. Idem verò gutturi accidere posse negandum non est: quam veritatem sequutus Auicenna *c.* 8. sic loquitur. *Et scias quòd lacertus anhelitus cùm deficiat à motione sua, & operatione sua propter siccitatem congregatam super hunc lacertum, qui est in interiori parte Epiglotidis, & quæ sequuntur ipsam, non est possibile quòd anhelet*, &c. Desumpsit ex Rasi 3. *lib. continentis. cap. vlt.* quem in expositione huius loci etiam citat Gentilis, & acutè, vt solet, Auicenna declarat. Constat autem, quòd etsi musculi laryngis aërem non trahant, deseruiunt enim delationi, quia viam, per quam aër in Pulmonem deducitur, seruant apertam: hæc Arethei expositio consonat signis, quibus prædictam speciem suffocationis exponit: dicitur enim contraria huius sorti Anginæ euenire iis quæ in Angina ex inflammatione contingunt, instrumentorum respirandi collapsionem, maciem, & extenuationẽ insignem, adestque simul strangulatio vehemens, vt ipsismet in pectore, latentioribúsque partibus circũ cor, atque Pulmones abdita esse inflammatio videatur. Et inferius de eadem specie loquendo ait. Anginam autẽ collapsio, gracilitas, pallor comitantur, oculi caui interius demersi, fauces, & gurgulio retracti, tonsillæ multò magis subsidentes, vocisque priuatio: huiusce speciei strangulatus longè, quàm prioris violentior; quippè cùm in pectore malum sit, vbi spirandi initium ponitur, eo die moriuntur qui celerrimè.

Crediderim tamen, angustiam gutturis, & resiccationẽ non esse tam magnam, vt sola illa interimat obstando respirationi, sed maiorẽ causã mali, & suffocationis esse plenitudinem asperæ arteriæ, & leuia Pulmonum, nam cùm ibi succi putrescant, copia fuliginum immensa eleuatur, quæ gutturis resiccatione, & occlusione adiuta

A magnum suffocationis periculum inuehit. Dixit verò Aretheus, solius spiritus vitium esse, quia fuligo exusta propria corporatura viam respirationis replet, & exsiccatione guttur coarctat, & occludit. Cõstat verò huiusmodi malum propriissimè suffocare modo dicto; sed impropriissimè fuisse nuncupatam Anginam, quia inflammatio gutturis, aut faucium non est, sed incendium Pulmonis, & cordis cum gutturis occlusione.

CAPVT II.

De Signis, & Prognosticis Anginæ.

SI Angina non est vnica pars afflicta, nec signa essentialia poterunt esse communia cuicumque speciei
B Anginæ. Rursus si ex diuersis humoribus originari potest, sequitur etiam nec ex quauis causa eadem signa speranda esse. De exquisita ergo Angina ex parte humorum loquentes (est autem illa, quæ ex calidis humoribus pendet, cùm sit acutus morbus:) conueniunt Auctores esse essentialia signa ea quæ inflammationi ex calidis succis debentur, nimirũ dolere, partem calidiorem sentiri, & pulsum esse durum; hæc enim inseparabilia sunt à quilibet inflammatione partem sentientem obsidente: Est etiã inseparabile, quod pars ruborem contrahat, hæc igitur signa, siue inflammentur partes, siue guttur, necessariò inueniuntur, quia sequuntur solùm naturam succi apostematis, partem priuatam sensu tactus. Est etiã mihi videri inseparabilis à qualibet Anginæ exquisitæ specie deglutio difficilis, si inflammentur musculi faucium, res
C est certissima, quia vt docuit Galen. *lib. de dissectione musculorum, c.* 15. in faucibus musculus vtrimque vnitus habetur, tunc munere suo fungens cùm vox editur, aut deglutio fit, hæc minus, si guttur patiatur. Ratio est, quia omnes istæ partes in deglutione mouentur non leuiter, repugnat verò in ipsa motione non dolere magis, ac per consequens deglutionem difficilem fieri, quia refugiendo natura doloris augmentum, pigrè musculos mouet, & tardissimo conatu, leuique compressione, & inde necessariò læditur deglutio, quia non fit naturali modo, & celeritate. Hoc respiciens Rasis, qui ad Almansorem *cap. de angustia* dixit, cùm in deglutiendo sentitur angustia, adest passio, quæ sehinantia vocatur, quasi sit inseparabilis difficilis deglutio ab omni Angina. Et ex his
D constat, quòd licet respiratio difficilis sit inseparabilis, quoniam guttur afficitur, quia redditur angustior respirationis via; id tamen non eueniet necessariò, quando fauces patiuntur. Ratio est, quia non comprimitur necessariò, nec coarctatur guttur, si inflammentur fauces, & inde nec respiratio difficilis redditur, tum quia non mouetur pars inflammata ad motum respirationis, & ita non dolet, dum fit, quod docuit Cesalpin. *lib.* 2. *qq. Medicarum, q.* 19. constat ex Galeno 3. *Progn. com.* 22. in quo explicando secundam speciem Anginæ dicit: Qui nec magnopere dolent, nec difficilem habent respirationem, nulla in re affecto gutture: ergo si nullatenus afficitur guttur, illæsa respiratio manebit. Idem docuit Hippoc. 6. *sect.* 7. *text.* 1. dicendo: *In summa, qui solùm deglutire non poterant, iis valdè mites, ac tolerata faciles erant.* Vbi in sola deglutione læsionem ponit, id est, quando alimentum assumitur, vt interpretatur noster Vallesius, & Hippocratis doctrinam tradit Auic. *cap.* 9. *fen.* 9. *lib.* 3. dicendo: *Et difficilis inter malum apostema, quod non sanatur, & quod non est cum illa malitia, imò & in postrema lacerti mei est, quàm videtur, quòd cum eo non constringatur anhelitus, nisi cùm est deglutio.*

Nec obstat quòd idem Auctor *in initio c.* 9. dicat: *Intentio communis omnibus speciebus præfocationũ est constrictio anhelitus, & difficultas deglutiendi.* Nam per omnem intentionem non intelligit, quod cuicumque speciei illa duo symptomata compeтant, sed tradidit quod omnibus est commune, & inseparabile, quia omnis Angina

necessariò

necessariò lædit deglutionem, aut respirationem, & in eodem sensu intelligendus Galenus venit, vbi læsionem respirationis vt inseparabilem tradidit ab Angina.

Dico vlteriùs, quòd tanto minus inflamatio partium oris meretur nomen Anginæ, quantò minorem suffocationem inducit (vt rigurosè loquendo) illæ tantum inflammationes Anginæ dicendæ sint, quæ difficilem causant respirationem : id constat primò ex ipsa nominis etymologia, dicitur enim Angina ab angendo, seu molestia inducta per suffocationem, vt refert Aurelianus *lib. 3. acut. passion. cap. 1.* & Aretæus inquit : *Angina peracutus affectus est, spiritus enim comprehensio est.* Et Galen. 4. *de locis affect.* 8. sic loquitur : *Ex iis constat, omnes passiones, quæ huic loco accidunt, si respirationem quoquo modo reddant deteriorem, ab ipso Anginas nominari.* Hinc Hippocrates velut distinguens inflammationes faucium ab Angina 6 *Epid. sect. 7. tex.* 1. quibusdam autem fauces inflammabuntur, quibusdam autem Anginæ. In cuius loci expositione nostram assertionem tuetur Vallesius, vt sit probabilissimum, & rationi magis consentaneum, nullam inflammationem oris esse veram Anginam, nisi respirationem offendat, vt quando sine noxa illius inflammatur pars, appellanda sit inflammatio talis partis, non Angina.

Præsagia huius mali varia sunt. Est autem, vt testatur Tralianus, acutissimus morbus, ægros enim laquei, funisque modo strangulat. Est verò acutissima præ cæteris speciebus, quæ musculos internos gutturis afficit, nam intra diē hominem perdit, vt testatur Hippoc. 3. *Progn. tex.* 26. Ratio periculi in Angina ex difficili respiratione monstratur, cum non aliter quàm suffocando interimat: *Grauissimæ Anginæ sunt* (inquit Hippocrates) *& celerrimè interimunt, quæ nihil conspicuum in faucibus faciunt, nec in ceruice; plurimum tamē dolorem inferunt, atque Orthopnœā, hæ enim eodem die strangulant, &* 2. *&* 3. *&* 4. His enim signis inflammatio internorum musculorum gutturis significatur, insidiatur etiam hæc species Anginæ cordi, & Pulmoni, quia ex internis musculis facilè præcipitatur materia in Pulmones, & cor, præcipuè si nimis astringentibus vtatur Medicus, quibus translatio materiæ ocyssimè fit. Quam transmutationem cum vitæ periculo experta fuit vxor Polemarchi 5. *Epid. tex.* 57. etsi tumor fuisset conspicuus Hippocrati. Constat verò talis permutatio in Pulmones ex propriis Pulmoniæ signis, ex tussi nimirum Thoracis, grauitate molliori, pulsu, & continua febre cum maxillarum rubedine. Si verò ad cor permutatur, inquit Auic. *in præsenti cap.* pulsus debilitatur valdè, & fit paruus, & tardus, & tremulus, & incipit syncopis : tunc enim (inquit Auic.) natura est effusa ad partē cordis, si ex nausea, & vomitu colligi in ventriculum transmitti materiam Anginæ. Verùm non omnis translatio, aut permutatio vituperada est; nam si Angina grauissima vt depingitur ab Hippocrate, intra diem interficere possit, Pulmonia verò non potest, nā intra septimum ad mortem terminari, vel ad suppurationem, docuit Hippocrates; videtur securius, quòd in Pulmoniam permutetur, quod ego verissimum iudico, nisi esset, quòd talis materiæ translatio, & ad interna recursus arguat nescio quid malignum, & tam pessimam significationem sortitur, vt rarissimum sit periculum effugere. Est enim maligna succi conditio cum semel in parte firmatus tam molestè ferantur, vt veluti insurgens, de nouo natura in interna viscera illum detrudat, in quibus de nouo firmatus viscerum debilitatē ostendat. Dixit etiam Galen. 4. *de præsag. ex puls. c.* 1. celerrimam cordi, & omnium maximā noxam dat Pulmo.

Est verò dignum animaduersione præsagium Hippoc. *in Coacis prænot.* dicentis: *In Angina dolores in crura decumbentes cum febre lethales, siquidem sine signis.* Videntur enim non posse non esse salutares, cùm permutetur materia Anginæ in crura, in quibus nullum periculum esse potest; quod si 3. *Progn.* cōmendat quòd extra guttur appareat materia Anginosa, securius est quod pellatur in crura, quia maiorem vim expultricis significat, & magis distat materia à principibus partibus. Rursus 2. *Progn. tex.* 67. affirmauit, abscessus in crura in furtibus, & periculosis Pulmoniis vtiles esse omnes, cur ergo in Angina lethales erunt aliquando & in Pulmonia nunquā, cùm sit eadem ratio. Sed solutio dubij pendet ex illa particula, *Siquidem sine signis*; est verò sine signis leuationis intelligendum : id verò euenit multis de causis, nam crura dolere, quando non leuatur Angina, non est permutatio Anginæ in alium morbum, sed complicatio contingit, nimirum copiam fluentis materiæ intra locum Anginæ contineri non posse, & quod regurgitat in crura transmitti : hoc verò non leuat, sed grauat, quia geminat morbos, non permutat; rursus in

B ipsa permutatione in cruribus solet esse graue periculum, & inopinata mors: quia humor pellitur ex faucibus & gutture per asperam arteriam, vt repleantur vasa ad ventriculos cordis pertinentia. Vnde etsi aliqua portio succi transmissi in crura pellatur, quia transit per cordis ventriculos, dupliciter necat, & in ipso transitu, & quia multa portio humoris ibi solet firmari: qua permutatione extincta fuit vxor Polemarchi citata ex 5. *lib. Epid.* In qua permutatione solet Medicus vel facilè decipi; in transitu enim humoris ex loco anginoso in Pulmones, aut cor facilius respirat, minus dolet, & loquitur expeditiùs, & bonum sperans, rursus firmatur humor in Pulmonibus, aut corde, & perit æger nouo accedente morbo. Est verò præter rationem illa alleuatio, id est, non fida, neque secura, & si omnia signa contem-

C pletur Medicus, vt debet, nunquam deficient ostendentia fallaciam, quia vt docuit 2. *Aphor. text.* 27. Hippocrates, fidendum non est iis, quæ præter rationem eueniunt. Est verò præter rationem, suffocationem cessare, si non cessat febris, & adhuc difficile æger respitat, anxius existit, & pulsus redditur inæqualior, aut in aliquam deteriorem speciem, seu differentiam mutatur. Tempus idoneum curationi Anginæ permissum non fuit; id enim permutationem malignam pertimescere facit, præcipuè si nec multa sputio, nec in suppurationem mutatio præcesserit, & hoc est quod per multas sententias *in Coacis præsag.* damnauit Hippocrates : sic experimentum monstrauit, laborantes Angina maligna, vulgò Garrotillo appellata, periisse in quarta die qui in tertia sine signis, vt dicebat Hippocrates, melius ha-

D buerunt. Est verò artificium ne in præsagio hallucinetur Medicus, timari attentè, quæ bonæ solutioni debentur, si hæc deficiant, & si meliùs se habeat ægrotus, bonum vt suspectum habendum, tuncque diligentius contemplabitur, appareantne aliqua signa permutationis in alium morbum, erit enim impossibile aliquo modo non deocculrari, & iuxta signa morbi de nouo apparentis iudicium ferat, sicque inculpabilis vulgo, & admirabilis erit. Inde Hippocrates tertiam Anginæ speciem vt securam adducit, dummodo ignis sacer non recurrat intrò; exteriùs verò partes tumere bonum in Angina putatur, dummodo inquit Auicenna, non fit per viam additionis, sed per viam euacuationis, & translationis materiæ.

E Præsagia ex sputis non adducunt recentiores Scriptores, quorum fecit mentionem Hippoc. *in Coacis prænot.* dicendo : *In Anginosis, subarida sputa gracilium malum.* Significat enim malignum incendium materiam resudantem ex loco inflammato exurens, & aridam reddens; intelligit verò nomine gracilium laborantes inflammatione partium internarum gutturis, in quibus partes otis tumidæ non sunt, nec rubræ, ob quod appellat graciles. In quem sensum dixit Hippoc. 3. *Prorrhit. Fauces dolentes graciles cum quadam molestia suffocantes citò exitium afferunt.* Et 4. *Acutor. tex.* 31. 4 idem refert. Est verò extrema periculosa Anginæ tam graui calorem immodicū adiungi, hic enim magnā copiā aëris frigidi requirit,

quam non permittit angustia laryngis, & inde ineuitabilem fore mortem docuit Gal. 4. *Aph. comm.* 34. cuius doctrinā transtulit Princeps *in præsenti cap.* dicendo: *Et quando est enim præfocationibus malis febris vehemens, tunc mors festinat, quātum febris facit indigere anhelitu magno.*

Dixit rursus Hippocrates in eodem opere: *Anginosi qui non celeriter cocta spuunt, lethaliter habent.* Ratio est, quia totum quod fluit, colligitur sine resudatione in loco inflammato; & inde eandem perniciem pollicetur Angina grauis sine sputo, quam promittit sicca Pleuritis: lege verò contrariorum optimum erit Anginosum spuere, tenetur verò esse coctum, vt securum putetur; ob quod in alia sententia dixit: *Ex Angina spuma viscida, crassa, alba, vi purgata, malum.* Coctum enim viscidum non est, nec vi repurgatur, sed facilè addit in eadem sententia: *Ac purgatio multa deorsum particularis resolutionis modò eos interficit.* De quo præsagio *cap. de Pleuritide* agemus.

Addit Auicenna, esse desperatam Anginam, si appareat spuma, de quo diximus latè *cap. de Apoplexia.* Addit rursus: *Et quando accidit Angina in die crisis, timorosum est, & perniciosum, nam crisis cum Apostematibus præfocationis est perniciosa procul dubio.* Cognoscitur verò per viam crisis fieri, quando præcedente febre subitò euenit. Estque doctrina Hippoc. 4. *Aphor. text.* 34. dicentis: *Si febrem habenti suffocatio repentè superuenerit, nullo tumore in faucibus existente, lethale.* Est enim mala crisis, cui duo conuenire necesse est, & subitò fieri, & in deterius, aut mortem terminari. Si verò hæc permutatio in die critico eueniat, funesta magis putatur: Addunt nimirum critici diei firmitudinem iis, quæ in eis contingunt, vt boni indicatio sit melior, quàm in aliis diebus, mala verò deterior non quantum ad molestiam, sed quantum ad firmitudinem. Est etiam notandum, quod *in comm. Aphor.* docuit Galenus, soli scilicet gutturi conuenire posse suffocare repente, quod mihi non probatur; nam Pulmonia suppurata in apertione aposthematis subitam mortem inducere experimento probatur; quòd enim vetat repleri subitò asperam arteriam Pulmonis ex illuuie puris reiecti; quin & asthmaticos subitò perire quotidie experimur. Nec sibi constat Galenus, nam 6. *Aphor. comment.* exponens sententiam Hippocratis dicentis: *A tuberculi intus ruptione virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit;* sic reliquit scriptum: *Sicuti tuberculorum in Thoracem, atque Pulmonem ruptio non vomitiones, sed ex necessitate quidem tussim excitat, sæpius etiam suffocat.* Constat verò quòd suffocatio si fiat ex tuberculi ruptione, non possit esse nisi subitanea, quia solùm suffocat, quando rumpitur abscessus.

CAPVT III.

De curatione Anginæ.

IN *capitibus* 10. & 11. disputat Auicenna de curatione Anginæ; *in* 10. de cura in communi, quæ omni causæ debetur, *in* 11. autem agit de cura debita cuicumque causæ in particulari, cùm sit alia Angina sanguinea, alia biliosa, pituitosa, aut melancolica. Dicit ergo primò Auicenna, in omni causa Anginæ esse mittendum sanguinem, & sollicitandum ventrem, & reuellendam causam fluentem ad partes longinquas, & oppositas cucurbitulis, & ligaturis dolorosis. Rectè tamen notauit Gentilis, in omni Angina esse extrahendum sanguinem, si causa fluens sanguini sit permixta, & sic esse intelligendos Auctores sine discrimine hoc auxilium consulentes. Notat tamen, & bene, interdum contingere, quòd pituita à corpore distillet, quæ pura sit, cruda, & omninò secreta à sanguinis consortio, in quo casu arcenda omninò est venæ sectio: Multi enim (inquit) mortui sunt ex hoc, id est, quia secatur vena fluente Pituita sincera: idem docet, si sincera, & secreta bilis confluat; tunc enim nullum auxilium suscipit fluxio, quia non fluit pituita, aut bilis per venas in locum affectum: vnde sanguinis extractio sine vtilitate debilitat, cruda pituita recrudescit de nouo, cerebrum refrigeratur magis, & inde exitialiter extrahitur sanguis eodem modo, sed contraria ratione, efferatur, efferuescitque bilis, si secetur vena, dum sincera fluit, & è venis non transmittitur. Si verò inquiratis, qua ratione eueniat hosce humores sinceros fluere, & non ex vasis. Respondeo, id euenire, quando distemperata pars humores ipsos præternaturales generat in se ipsa, tunc enim alimentum proprium in excrementitias substantias permutat, & fluunt ex parte, & non ex vasis, & velut excrementa seorsim excernit. Contingit etiam nimis superabundare intra vasa, quos sinceros natura extrudit in partem debilem, & tunc sit mitatur sanguis, redditur affectio deterior, quia recrudescit Pituita, & efferuescit bilis, vt latè exposuimus agentes de cura causonidis, & in curatione communi febrium.

Venæ sectio fit ex communi, cephalica, & interim ex talo: ex communi, quando euacuatio aliqua inferior non est suppressa, & affectus non vrget. Cephalica, quando vrget, quia euacuat magis ex parte affecta, quòd si menstrua euacuatio suppressa fuerit, aut proxima sit, vel actu fluat ex talo. Primò sanguis extrahetur, nisi vrgentissimum sit suffocationis periculum; tunc enim non ex parte inferiori, sed ex cephalica primò extrahetur cucurbitulis, & molestis ligaturis in partibus internis detinendo, quod in regione inferiori continetur, vt non feratur ad supera: minuto iam periculo suffocationis, ad talos recurrere oportet. Circa quod errauit Pareda, & sine ratione nostrum Vegam sugillat, quòd ex talo primò consulat missionem sanguinis, si menstrua suppressa præcesserint. Est enim non dubiè faciendum, si inflammatio non vrgeat. Est quidem efficax auxilium euacuare à parte mittente, in contrariam simul inclinando humorem, quod facit sectio ex talis, euacuat nimirum ab vtero, cuius plenitudo in guttur, & fauces reiicit, quia per viam consuetam non pellit: Si enim ex superiis primò mittatur, nunquam cessat pars mittens à suo deprauato motu, sed inclinatur magis inanitis partibus superioribus: quod præceptum omnes ferè tradunt, & ex Traliano sumpserunt *lib.* 4. *c.* 1. cuius sunt sequentia verba: *In muliere autem venas ad talum aperui, cum ipsam mensibus non purgari cognoscerem, atque illinc potiùs ei morbi occasionem euenire, ac duplex ægrotāti commodum ex eo subsequutum est, nempe consuetarum euacuationum admonitio, & affectus liberatio.* Eandem doctrinam tradit Auic. *fen.* 9. *lib* 3. *c.* 11. & *in comment.* Gentilis, & Iacobus, Eustachius *lib.* 1. *c.* 42. & Holer. *lib.* 1. *c.* 23. Semper seruanda rectitudo cum loco affecto. Si enim in medio laryngis aut faucium, humor molestet, ex vtroque brachio secanda vena. Si verò in latus determinatum decumbat, ex illo semper secabitur.

Faciunt tamen difficultatem magnam Gentili sui Principis verba, *c.* 11. *cit.* dicentia: *Et secundùm veritatem dispositionis cum dispositio tolerat expulsionem phlebotomiæ vsque ad maturitatem, tunc illud est melius, ad hoc vt remaneat virtus in corpore, & cadat euacuatio ipsius materiæ ægritudinis:* quod est dicere, & quando dispositio tolerat, quod in principio non fiat sanguinis missio vsque ad coctionem materiæ, melius est non fieri vsque ad illud tempus quia sic durat plus virtus, & euacuatur materia ægritudinis. Gentilis postquam Dini expositionem improbat, dicit, quòd quando in principio, in quo fluebat pituita, aut bilis sincera, ob quod noxia existimatur venæ sectio, optimum sit cessare ab hoc auxilio; potest tamen conuenire, quando iā coquitur materia illa, tunc enim augentur accidentia, feruor nimirum, dolor, & febris: & quia ratione doloris, & caloris ingentis trahitur sanguis ad locum dolentem de nouo,

&

& inde periclitatur æger, inaniendus est sanguinis missione, vt impediatur sanguis de nouo, & ne corrumpatur sanguis in venis propinquis parti inflammatæ ob magnum incendium. Rursus & postquam cocta est iam materia, & in pus permutata, siue ruptus fuerit abscessus, siue non. potest conuenire sanguinis missio, quia potest esse multa infectio ratione contagij in sanguine venarum propinquarum loco inflammato, & in sanguine venarum capitis, à quibus locis, & inflammatione putrilaginosis sequatur partium internarum gangrena. Sic enim, inquit. aliqui mortui sunt ea Angina, quia corrumpitur gula: quæ doctrina probabilissimè adducitur, & tradit præceptum satis notabile de necessitate mittendi sanguinem, postquam pus genitum est, & ruptus adhuc abscessus. Putrilago verò illa inducta in venis proximis loco inflammato, & sanguine capitis, deducetur ea fœtore nimio puris, & oris, & magis ex duratione febris lentæ post ruptionem abscessus; nam quando materia illius solum corrumpitur, & mutatur in pus, statim à reiectione puris collecti euanescit febris omninò. Eritque febris durans ex putrilagine partium sine dolore alicuius momenti, quia in partium sphacelo, vt minuitur febris, ita & dolor, quia sensus destruitur corruptione organi, vires continuò deficient, æger languescet non sine admiratione Medici, cùm videat rupturam abscessus, & ægrum deterius habere.

Ego verò in alium sensum feror, quòd quando Angina in principio non requirit sanguinis missionem, quia inflammatio est parua, & in corpore non datur plenitudo, cuius timore sanguis extrahatur, melius est cessare ab auxilio, quousque fluxerit in maiori copia ad locum affectum; tunc enim euacuabitur directè ea cephalica sanguis intra partem contentus, & non inanietur corpus, durabitque virtus quæ frustra conteritur in principio, quando quod continetur in parte, non vrget, nec totum plethoricum est, nam in principio multum extrahitur ex toto, & paucum ea parte inflammata & sic euacuamus vnde non oportet; id verò non eueniet, si secetur vena cephalica post fluxam materiam.

Si secta vena ex partibus relatis malum non remittatur, ad sectionem venarum sub lingua vt ad remedium celebre confugiunt Auctores; euacuant enim immediatius ea faucibus, & larynge: accedimus verò ad hoc auxilium tardius, aut citius iuxta rationem periculi, nunquam enim secantur huiusmodi venæ, nisi præsente periculo: quod si primo die adueniat, in eo secandæ sunt, quod his verbis tradit Princeps *cap.* 11. *Et non postponatur phlebotomia venæ, quæ est sub lingua, imò oportet quod incipiatur illud saltem eodem die.* Vtilior putatur ab Aretheo, quando deglutio impeditur, quia plus ex faucibus euacuant; ob quod dixit Galenus 4. *de vict. rat. text.* 30. *Venæ quæ sub lingua sunt sectæ, eam quæ in faucibus est, phlegmonem sine medicamentis euacuant.* Et *in eodem text.* earundem sectionem commendauit Hippocrates; non semel tantùm secandæ sunt huiusmodi venæ, sed bis, & ter, si opus fuerit, repetenda euacuatio. Consulunt verò aliqui ob vrgentem suffocationem secandas esse primò leonicas, deinde ad cephalicas recurrendum. In nulla verò Angina citò suffocante securius videtur secare primò venas relatas, quàm in eueniente subitò, vt iudicium erroneum morbi prioris, in quo inanitum fuit corpus; nam ob hoc, & quia tota materia simul reiicitur in laryngem, aut fauces, methodicè secantur venæ sub lingua, nec in hoc casu aliis est opus.

Deinde commendat Auicenna vsum expurgantis medicamenti, quod propriè conuenit in humorum vitio, & cacochymia ad reuellendum quod fluere potest, est enim reuulsoria expurgatio, ad quam non est speranda concoctio, quia in hoc malo nec hoc præceptum seruari potest; nam quod fluit, aut paratum est fluere,
A crudum non est, quia non est necessariò putridum, & supposito quod est in motu actuali, aut paratum moueri, habemus adminiculantem naturam. Præcipuè conuenit hoc auxilium, quando sinceri humores mouentur, in quibus parum tuta censetur venæ sectio; nunquam enim purgamus ob id, quod in loco inflammato continetur, sed ratione illius quod confluere potest; sicque Rasis *cap. proprio*, inquit: *Si in fauce non sit rubedo, & fluxerit ab ore saliuæ multitudo, & æger fuerit humectatus, soluatur in principio venter ex Cochiis.* In expositione huius textus præcipit Herculanus, quòd si bilis nimia sanguinem excedat, expurgetur ante phlebotomiam. Si verò non inueniatur alicuius humoris excessus, sed sanguis confluat, libenter cessarem ab expurgatione post sectionem venæ, licet ferè omnes
B id consulant. Ratio est, quia sanguis ante fluxionem non est vitiatus, & ita non cadit sub obiecto expurgationis, sed ei vt adæquatum auxilium debetur sanguinis missio. Inde Galenus 6. *lib. local cap.* 1. sub distinctione loquitur dicendo: *Etenim venæ sectione vtimur, expurgatione, & clysteribus, & inedia vbi totum corpus apparuerit, aut multitudine humorum refertum, aut eorundem malitia vitiatum: si verò neutrum horum adsit, statim ad curationem per localia remedia deuenimus.* Idem docuit 4. *de vict. rat. in acutis, comm.* 3c. vbi Valles. existimat, nulli magis, quàm Anginæ pituitosæ conuenire auxilium expurgans, & in præcipiti periculo fortiora medicamenta conueniunt, Vnde Eustachius Traliani imitator, quatuor & quinque grana scammonij in decocto violarum propinat. Circa quod auxilium ad-
C uertit Holerius vim summam inesse Hieræ simplici ad euellendum hunc morbum; quo auxilio exitiosa illa, & pestifera Angina, quæ Romæ quamplurimos è medio sustulit, propriam perniciem deposuit. A frugali enim cœna ℈.ij. Hieræ in pillularum forma sumebant; quo auxilio quicumque vsi sunt, periculum euitarunt tam atrocis morbi. Huius auxilij recordatur Auicenna *in hoc cap.* dicendo: *Ingenietur post phlebotomias in attrahendo materias ad inferiora, & quandoque fit hoc cum Hiera pigra, habet enim proprietatem in deponendo humores, qui sunt coram supremo oris stomachi, & meri, & gutturis.* Constat verò auctoritate Traliani, eodem die esse mittendum sanguinem non semel, sed bis, & expurgari similiter, quando affectus vehementer dominatur.
D Secuit etiam idem auctor iugulares venas non apparentibus leonicis summa vtilitate.

Deinde Auicenna commendat medicamenta adstringentia detergentibus mixta. Pars, in quam humor influit, adstringentibus firmatur, ne recipiat facilè, & ex recepto aliquid pellat; vniuntur enim pori, & cauitates in se: quia verò partes affectæ in Angina ob tunicæ tenuitatem semper resudant aliquid ex succis confluxis, detergentia miscenda sunt repellentibus, ne detineatur occasione adstringentium, quod exsudari debet. Dicimus enim ex doctrina Hippocratis, Anginas per sputum iudicari, vt pleuritis; nec obstat ex hoc sequi, nec adstringentia Anginis esse idonea, quia impediant iudicium per sputum, vt in pleuriticis reprobantur ob eandem rationem. Sed est ratio dispar; in
E pleuritide enim si exterius apponantur quæ repellant, & adstringunt, reiicitur materia in Pulmones, & cor necessariò. Thorax etiam frigidis, & adstringentibus læditur nimis, quia neruosus, & quia statim in tussim incidit, & perpetuò dilatatur, & comprimitur, sicque multifariam læditur. Interius verò propinata adstringentia circa Pulmones & cor materiam per sputum expurgandam retinent, & suffocant. At in Angina id non euenit, sicque vtilissima sunt euacuato corpore, si vt hic docet Princeps, adstringentibus misceantur.

Circa horum vsum reprobanda est communis consuetudo Medicorum imperantium gargarizationem prædictis medicamentis; lædit enim non dubiè talis

commotio, quia vt dicebat Galenus, omne inflammatum integram quietem desiderat, augetur enim fluxio commotione, & ratione motus quo dilatatur pars, & calefit de nouo, & ratione doloris de nouo excitati ob concussionem inflammatæ partis, ob quod in ore continenda sunt adstringentia, & sensim percolanda ad partem inflammatam, sicque faciendum, quousque cocta sit inflammatio, & exspuitionis maioris idoneum tempus; tunc enim commotio partis vtilis est, quia resoluit, & ad expulsionem materiæ conducit. Quia verò materia influens in partem diuersa est, varianda sunt medicamenta iuxta conditionem humoris; sic anginæ biliosæ summè confert gargarisma ex aquis plantag. rosar. rubr. Portulacæ, & hordei cum succo granat. acidor. & saccar. vt si dicatis, aquæ plantag. ℥. x. rosar. rubr. Portulacæ, & hordei, ana ℥. ij. succi granat. acid. ℥. ij. saccari albi ℥. j. misce; aisdem aquis diluuntur diamorum, & diacharion in officinis communiter parata & vtilissima pro his inflammationibus, quibus aliquid serapij acetosi simplicis, aut oxysaccar. commodè miscetur ad materiæ impactæ dissecationem, cum quo simul roborant partem. Per interualla verò, ne pars exasperetur continuo adstringentium vsu, sicque tussis irritetur, & vt exspuatur quod resudat, sumitur aliquid serapij adianti. liquiritiæ, aut rodosaccarum. Est etiam mirabilis, & gratus succus ex granis granatorum dulcacidorum, quibus saccarum sit conspersum, sputum enim mouet, & partem roborat, & attemperat. Est communissimum auxilium gargarizatio cum aceto, quam in hoc capite laudat Auicenna: mihi verò pro leuioribus Anginis, & pauperibus vsitatissimus vsus aceti rosacei diluti aqua hordei, cui saccarum admisceo. Item & succus Omphacij, aqua plantaginis, & hordei dilutus cum saccaro. Vbi ardor fauces & guttur fatigant, doléntque nimis, serapium & papauer gargarismis miscendum, quod nimis extollit Auicenna in hoc cap. in commento. Dicit deinde Auicenna, quòd lac est ex melioribus medicinis in principio, & statu; repellit enim, & abstergit, & dolorem sedat. Aduertit Vigo *lib. 2. Apostemat. c. 17.* quod in principio chalibeetur, quia magis adstringit. Idem tradit Galen. *lib. 10. symptom. cap.* 8. lac commodans pro inflammationibus oris, & Anginæ.

Similia auxilia opitulantur Anginæ sanguineæ, & sic exsiccantia magis desiderantur: vnde acida omnia vtilissima sunt, vt acetum, succus granatorum, omphacium, succus citoneorum, plantag. centinodiæ, rosarum siccarum, radicum pentaphilæ, foliorum oliuæ, & caudæ equinæ, decocto temperata. Est etiam succus solar. optimus: & si nimis madeant partes, aliquid aluminis miscendum, quod & exsiccat, & adstringit efficaciter.

Si verò pituita defluxerit, conuenit propriè diacarion: est verò medicamentum ex succo nucum viridium, & melle paratum, quod extollit Galenus *lib. 6 localium*, quia summè penetrat partes omnes, & adstrictione firmat; huic miscendum aliquid oxymelitis, vt dissecetur pituita, & exspuatur. Diluetur verò decoctu foliorum mentæ, nucum cupressi, & mastichis, rosarum rubrarum, & equiseti. Sic parat Eustachius. Recipe fol. mentæ p. j. nucum cupressi ℥. ß. mastichis ʒ. ij. aquæ rosar. ℔. ij. fiat decoctio ad consumptionem dimidij: colaturæ addatur dianucum ℥. iij. misce. Notauit Veg. *loco citato*, in pituitosa Angina semper esse miscendum auxiliis aliquid aluminis. aceti, & parum croci: Sic in melancholica Angina, quæ rarissimè euenit, miscenda sunt quæ emolliant, ne in schirrum, vt solet, permutetur, vt decoctum radicum altheæ, caricarum, fœnugræci, meliloti, passularum, florum camemali, & furfuris depurati. Confert etiam decoctum liquiritiæ, & florum violarum, & vtriusque buglossæ.

Hæc quæ diximus conueniunt Anginæ melancholi-

A cæ, conueniunt etiam in augmento aliarum inflammationum, sunt enim miscenda quæ concoquant, & resoluant, emolliántque, & adiuuent concoctionem, & exspuitionem, ob quod dicebat Princeps *in hoc cap.* deinde gradatim fiat ad maturantia, deinde ad apertiua fortiora vsque ad gradum salis ammoniaci, & piretri. Est itaque obseruandum in Angina, quod in quouis alio tumore, conuenire scilicet in principio repellentia sola, deinde in augmento miscenda resoluentia, in vigore similiter resoluentia augebuntur, in declinatione non apponenda merè resoluentia, vt adnotauit Mercatus, ob nimiam laxitatem partis ob calorem inflammationis, & quia par est ex principibus quantum ad necessitatem. Deseruit enim respirationi, & inde aliquid roborans miscendum. Præterquam quod est pars satis

B obnoxia fluxionibus, & ob id semper roboranda; & cum hic morbus acutissimus sit, dixit Rondeletius, quòd principium illius solet esse, primus dies, augmentum secundus, vigor tertius, & quartus, post quos declinare solet. Constat verò id perpetuum esse non posse, cùm multum differant in acutie ex impetu fluxionis, & ratione diuersitatis causarum. Certum obseruabitis, rarò non esse miscenda medicamenta plurium facultatum, quia repellere partem, firmare, lenire dolorem, sputum iuuare, & detergere, ferè semper indicantur. Notabitis tamen euacuato corpore vtilissimum esse fauces, & guttur fulcire succino, vt testatur Mathiolus, cuius fumus per infundibulum commodè recipitur. est etiam & sulfureum, & roborans, & sic re-

C primendo resoluit etiam.

Concoquunt, & moderatè resoluunt, tollúntque asperitatem faucium, & gutturis, mulsa, in qua caro dactylorum incoxerit, aut decoctum passularum sine acinis ficuum siccarum, croci, & mirrhæ, aut decoctum florum camemali, meliloti, fænugreci, radicum altheæ, liquiritiæ, & hyssopi, si magis resoluere oporteat: decocto relato, aut mulsæ addetur pulvis hirundinum combustarum, quem laudat Galenus 2. *lib. sympt. cap.* 31. & in Angina pituitosa, aut aliàs exposcente citam resolutionem ob acutiem, parabitur decoctum hyssopi, origani, radicis ireos, serpilli, calaminthi, liquiritiæ, & stechados, & huius decocto ℔. j. addetur oximellis, & serapij de Prassio, aut de hyssopo ℥. j.

D pulueris stercoris canis ʒj. nam vt testatur Galenus 2. *symptom. cap.* 18. in dysenteria, & Angina summè vtile est stercus caninum, & vt expertum commendat, sicut & in vlceribus extremè malignis: de stercore humano *cap.* 2. tradit historiam mirabilem illius qui omnes Anginas curabat sine venæ sectione, puluere stercoris humani admixto melli, & vt magnum secretum id occultabat. Puluis horum stercorum melli admiscetur, vt deglutiatur paulatim, aut gossipio imbibitur, & parti affectæ applicatur, aut in conuenientis decocti libra iniiciatur ʒj. ß. pulueris.

Resoluit etiam optimè, vt tradit Alexis collutio ex vino albo, in quo tres, aut quatuor gutæ olei vitrioli iniectæ fuerint, aut, vt notat Colle, iniiciantur in decocto iridis, hyssopi, pulegij, origani, liquiritiæ, hor-

E dei, & scabiosæ, à quo auctore laudatur etiam oleum modò datum; hoc epitema super locum affectum vt secretum habetur. Recipe aquæ vitæ ℥. j. scabiosæ lib. j. misce: in tribus horis Anginæ auxiliatur: ad Anginam pituitosam mellis rosacei ℥. iij. Oxymellis scillitici ℥. ß. mirrhæ ʒ. ß. croci ℈. j. misce, & paulatim deglutiatur, aut gargarizetur: aut accipe passularum sine acinis ℥. j. cariarum n. vj. seminis lini, & fænugreci, ana ℥. ß. coquantur ad medietatem, & libræ colaturæ adde dianucum ℥j. ß. pulueris mirrhæ, & croci ana ℈. j. pulueris hyrundinum ʒ. j ß. misce pro gargarismo. Est etiam optimum auxilium Dioscor. *lib. 2. cap.* 106. semen raphani, in aceto mulso coquatur, & gargarizetur.

Exterius etiam spponit Anicenna medicamenta anodina, & resoluentia: *Et circundetur* (inquit) *collum lana, & propriè lana hyssopi, quæ sit infusa in oleo oliua, aut camemalino*: Lenificant enim, & dolorem sedant. *Postremò* (inquit) *admisceantur attractiua, si relata non conferunt, vt Baurac, sinapis, costus, castoreum, & sulphur, & vnguentum forte rubificans, & mel anacardi, & omne quod vesicat.* Quæ exteriùs apponuntur, varia esse debent, quia causa mali varia est, & in mali principio euacuato iam corpore communissimum est, oleo amygdal. dulc. camemali, anethi, semin. lini, & liliorum alborum collum fouere, aut lana relatis oleis imbuta collo applicatur: sic enim dolor sedatur, & exterior regio laxatur, vt recipiat in se quod ad interna detrusit natura, ob quod si leuiora non sufficiant, attractoria, & vesicantia commendat Auicenna, vt euocetur succus inclusus, & trahatur ad extra. Estque doctrina Hippocratis 3. *acut. text.* 30. dicentis, quod post sectam venam medicamentis attractoriis vtamur: quod præceptum Galenus intelligit de remediis applicandis collo; *quantum melius est partes superficiarias, quàm imas, seu internas pati.* Quam doctrinam sequutus Lupeius *lib.* 1. *de arte curatiua, cap. de Angina*, Sinapismum applicat parti tumenti, si exterius demonstretur: quod si nullus tumor appareat, iuxta primam vertebram ponatur: Strenuam, inquit, opem præstare solet admotus sinapismus parti anteriori capitis, medicamenta etiam, quæ attrahere possunt, naribus infusa iuuant: moderate ergo resoluentia sunt, oleum camemali, anethi, rutaceum, irinum, liliorum alborum cum axungiis, dialthea, vnguento resumptiuo, & æsipo, aut ex æquali quantitate horum quatuor cum pulueribus hirundinum vstatum, & oleo amygdal. dulcium facto linimento efficacius resoluit. Emplastrum ex nido hyrundinum quod in officinis paratur communiter. Est etiam mirabile, quod ex succo apij, farina hordei, & puluere stercoris canini conficitur, vt expertum laudat Arnaldus, quod sic paratur. Sumitur panis calidissimus, quando à furno extrahitur, & mica eius infunditur in succo apij, cui æqualis portio mellis admixta sit, & omnia bene permixta gutturi applicantur calida: iis addetur vtiliter theriaca magna antiqua, aut puluis stercoris humani exsiccati: aliud optimum sic paratur. Recipe farinæ fænugræci, seminis lini, & camemali, ana p. j. pulueris Centauri minoris ʒ. ß. puluerem, & stercora vnius nidi hirundinum, omnia decoquantur in Sapa, & in fine adde olei irini, liliorum alborum, & camemali, ana ℥. j. rutacei ℥. ß. croci pulrerizati ʒ. j. pulueris stercoris canis ʒ. jß. misce, & fiat cataplasma. Scribit enim Dioscorides, hominis, & canis excrementa vbi exaruerint, melle permixta gutturi applicata, esse Anginæ celebre remedium, & minimè fallax, commodè permiscentur dialthea, aut vnguento resumptiuo, & butyro. His non conferentibus, ad attractoria, & vessicantia veniendum, vt iubet Auctor, desumpsit ex Rasi, qui melle ex anacardis collum inungit. Conferunt Sinapismi ex sinapi ficubus in aqua maceratis, & ad emplastri formam redactis; quo tempore Archigenes, & Rasis confugiunt ad decoctum synapis, quo gargariaet æger, aut in lb. j. mulsæ incoquatur synapis ʒ. j. Auicenna laudat hunc puluerem. Recipe stercoris pueri, stercoris canis, pulueris hirundinum vstarum, salis ammoniaci, ana ʒ. j. conterantur omnia, & in guttur insufflentur, aut in mulsa iniecta paretur gargarismus. Si angustia adhuc vrgeat, & præsertim in internis musculis gutturis existat, sectio iugularium confert, aut colli scarificatio, & per cucurbitas. Beniuenius anginosum deploratum liberauit, colli, & maxillarum profundis incisionibus, *obseruation.* 38.

Sed circa remedia nimis discutientia diligenter notandum quod animaduertit Contheus, se minus vtilia

A expertum fuisse, quia concitant nouum humoris affluxum, quare anodinis lenientibus, & concoquentibus tutius in hoc malo proceditur: quod præceptum etiam notandum circa repellentia, & adstringentia. Est enim securius detergentia, & anodina, concoquentiaque permiscere, ne impediatur sputum, nec repellatur materia in cor, & Pulmones, aut in scbirrhum permutetur. Animaduertit etiam Galenus 6. *local. cap.* 1. ne malignum aliquod medicamentum gargarismis admisceatur, quia si deglutiatur aliquid illius, necabit, aut vehementer lædet. Sunt etiam applicanda, & paranda medicamenta suauiori modo, quia applicantur B parti, & organo gustus; vnde vomitum mouent, sicque phlegmone exasperatur, & ad locum affectum conuocantur humores, & tussis concitatur in noua molestia. Docuit etiam Hippocrates 1. *de vict. rat. text.* 30. quòd calida gargarismata exhibeantur, etiamsi repellentia sint, quia actualis frigiditas est inimica viis respirationis, excretionem impedit, & tussim mouet, & minus intromittitur vis adstringens medicamentorum, quia frigus vias sibi occludit; moderatè verò calida contrarium faciunt. Vnde nisi nimius ardor percipiatur, actualis frigiditas adhuc in principio timenda.

Est non minus notandum id quod Hippocrates præcipit eodem loco, nimirum quòd radatur caput, ceratumque capiti, & collo circumponatur. Præcepti ratio est, quando caput est prima fluxionis origo, vt frequenter euenit, tunc enim attracta materia ad extrema virtute cerati impeditur fluxio, & mirè auxiliatur, qua C indicatione quando cerebrum percipitur fluxionis origo, præcipiunt Auctores secare venam frontis, aut nasi, aut hirudinibus per capitis venas disseminatis, & post aures euacuare transmittentem partem. Auicenna *cap.* a. venam frontis secat, quando adeò vrget Angina, vt ad syncopem ducat: sic distillationes in thoracem Galenus reprimit; cerato capiti apposito ex columbino stercore, aut ex Euphorbio, quæ per tres horas permittebat; quod præceptum imitatus Lupeius diait: Quod admotus sinapismus parti anteriori capitis strenuum auxilium esse solet detinendo humores fluentes in gutture ex cerebro. Paratur verò ceratum de Euphorbio sic. Recipe olei camemali ℥. j. Euphorbij ʒ. ij. cum cera quantum sit satis, fiat ceratum super aluta D extensum, & applicetur sincipiti. Easdem vires sortitur medicamentum bregmati appositum; quod quia literam T. repræsentat, vulgò dicitur *Tau*; sicque paratur à Roberto. Recipe guttæ amoniaci vino generoso dissolutæ ʒ. iiij. tapsiæ ʒ. ij. mastichis ʒ. j. therebintinæ, quod sufficiat vt fiat emplastrum in figura literæ dictæ; retrahit enim, & suspendit fluxiones. Sic eadem indicatione cucurbita cum scarificatione sincipiti apponitur. Súntque dicta remedia maximè vtilia in distillationibus suffocantibus quocumque modo, si à crudis succis dependeant, & cuicumque fluxioni in oculos, aures, aliásve partes mirè auxiliantur. Si caput cognoscatur primò origo fluxionis, ob eandem indicationem errina conueniunt post euacuationem totius; quo tempore balnea partium inferiorum, cucurbitarum frequens E vsus, frictiones ante prandium, & longè ab illo implacidæ ligaturæ conueniunt, vt parsimonia cibi, aquæ potus, non dormire à prandio, & minus quàm per naturam; oneratur enim guttur in somno, præcipuè si caput transmittit. Est enim laudatissimum alimentum, quod ex amygdalis, & nucleis pinnarum, seu strobiliis paratur cum melle cocto vsque ad duritiem, præcipuè si aliquid piperis, aut gingiberis addatur, vulgò dicitur *Turron.* lenit guttur, & fauces, resoluit, concoquit, & sputum mouet.

Nec minus notandum, quòd si caput transmittit, sit necessarium, & vtile, quando somnus conciliatur, aliquid diacodij ægroto propinare, vt inhibeatur instillatio;

tio, aut quatuor ex his pillulis mirè catarrhum A coercentibus. Recipe myrrhæ, stiracis, calaminthæ, ana ℈. j. opij g. xvj. cum sirupo rosaceo, fiant pillulæ; dandæ sunt post duas horas à cœna, habéntque non contemnendam vim ad concoquendam materiam faucibus, aut laryngi impactam.

Dolores vigere solent, quibus succurendum lacte tepido gargarizato; quod laudat Galenus 10. *lib. sympt. cap.* 9. aut si sumatur cremoris hordei ℥. vj. aquæ ros. lib. ß. camphoræ g. vj. misce. Confert etiam decoctum florum nimpheæ cum emulsione seminum melonis: optimum putatur emplastrum factum ex æqualibus partibus medullæ cassiæ recenter extractæ, & olei amygd. dulc. quibus misceri potest puluis florum nimpheæ, & violarum. Eustachius sic parat. Recipe medullam panis, infunditur in lacte, & foliis rosa- B rum rubratum, & floribus camemali, fiat mixtura, euacuato iam corpore, applicanda in virtute, inquit, huius medicamenti: excipere solent magnam copiam, & mirè iuuantur. Par[illegible]tur melius, si leuiter incoquantur in lacte, & deinde per setaceum traiiciantur, priùs benè pistata dolori maximo auxiliatur aqua lactucæ, cui insit mucago seminis psillij extracta ex decocto violarum; si adsit axcoriatio, coquantur in aqua hordei ficus, flores maluarum, & althææ cum semine lini, & persilij; est enim mirabile, & experimentum Heurnij.

Quæ à proprietate conferunt, sunt hæc: aqua periclimeni, seu caprifolij, extracta ex foliis, & floribus celebris putatur: excrementum corticosum, seu cutiaceum, quod in sambuco antiqua, & annosa enasci C solet; quod prædurum cùm sit, aquæ iniectum mollescit, & veluti spongia tumet, insipidúmque est celebre, potatur intus, & extra applicatum forte, id est, quod Leonellus fungum sambucinum appellat, & vino incoquitur, & potatur, vt auxilium celebre a multis traditur. Vndè Cbalmeteus sic parat medicamentum: gommi sambuci ʒ. ij. aristolochiæ rotundæ ʒ. ij. aquæ capipholij ℥. iiij. coquantur breuiter, & eis fiat gargarismus: agaricum occultos abscessus absorbat, vt docet Aëtius *lib.* 15. *c.* 6. in taleolas secatur, & maceratur in decocto radicum altheæ, & ficuum cum momento gingiberis; & 4. part. vini albi, & additur colaturæ syropos de altea, cum quo gargarismus paratur, & calidum in ore detinetur, mitè rumpit abscessum, Schenchius *fol.* 242. Bibere per guttur lupi, certissimam D inducit salutem anginosis, vt tradit Ioannes Agricola. Bdelium saliua hominis ieiuni dissolutum, & gutturi applicatum mirè confert, Varignana, vt & peonia collo suspensa sanat comitiales, ita succus cirenaicus columellam inflammatam, vt docet Galenus 6. *symptomat.* & Dioscorid. *lib.* 3. *cap.* 88. succum cirenaicum gargarizatum cum mulsa commendat; quod experimento probauit Cardanus *errore* 90. Est autem succus Cirenaicus perfactum beleoinum, vt idem auctor docet, & Laguna *in comment. Dioscorid.* sic assa fœtida collo suspensa, vt secretum tradit Zoar. Auicenna verò sic loquitur: *Et ex rebus expertis est, vt sumantur fila, & propriè tincta cum murice marino, & præfocetur cum eis vipera, deindè circandetur cum eis collum; est enim illius iuuamentum mirabile.* Idem adduxit Galenus, & tradunt Hirandus, & Varignana. E

Si verò relata remedia fine frustrentur, inquit Auicenna: *Si iam creditur perditio futura, illud per quod speratur euasio, est scissio cannæ, seu aspera arteria, ita vt scindantur ligamenta inter duos annulos cannæ, & accipiat scissura aliquid de cartilagine, ita vt per illud orificium anhelet, seu respiret, sicque maneat orificium, donec apostema curetur, deindè vulnus curetur.* Hoc remedium est vltimum, de quo magna lis inter Auctoras: Aretheua, & Aurelianus aliter illud improbant. Alij quamplures experimentis testantur, sanitati restituisse desperatos; de quo doctè egit Conciliator *differ.* 188.

A Idem Paulus *lib.* 6. *cap.* 33. ex sententia Antili, Auenzoar *lib.* 5. *text. cap.* 14. Mussa 4. *lib. de vict. rat. in acutis*, Gentilis, & Iacobus *in comment. nostri cap.* Galenus *lib. introductorio, seu medico, cap.* 14. idem docet ex Asclepiadis placito. Idem docent Haliabbas, Albucasis, Iobertus, & Ioannes Agricola, & mihi videtur sequenda hæc sententia, dummodo fiat vulnus in parte cartilaginis, quam non tetigit inflammatio, constet virtus, fiat parua scissura, quia leuis est satis ad aëris ingressum, quam esse iam factam indicat aëris ingressio, & egressio cum murmure, & quia æger omninò priuatur voce, & sermone, respirat tamen liberiùs quàm anteà.

Si verò locus, per quem fieri debet, inflammatione tenetur, tentandum non est relatum auxilium, & vt ex doctrina Antili retulit Paulus. Conuenit ergo B quando inflammatio solùm occupat fauces aut guttur, aut tonsillas, aut aliam partem; manet tamen sana, & incolumis asperà arteria; est verò facienda sectio, cùm infra caput asperæ arteriæ spatio trium, aut quatuor circulorum illius manum adegerimus, & partem asperæ arteriæ scalpello pertundens; totam verò diuidere securum non est, &c. Legatur Brassauolus *comment.* 4. *lib. sect.* 35. *de vict. ration. in acutis*, apertis experimentis id confirmans, & vulnus asperæ arteriæ solidari non posse, sine ratione tenent Aretheus, & Aurelianus. Sunt enim inter annulos, inter quos sectio facienda est, musculi inserti carnosi, opt quorum vlcus ad cicatricem ducitur. Legatur Schenchius multa experimenta ex diuersis Auctoribus referens, *lib.* 1. *fol.* 243. diluítque vel facilè Brassauolus quæ ex aliis auctoribus C hoc reprobant auxilium.

CAPVT IV.

De inflammatiane Gurgulionis.

AVicenna *fen.* 11. *lib.* 3. *cap.* 22. agit de inflammatione Gurgulionis, quam inter acutos morbos enumerauit Aretheus. Est verò Gurgulio pars carnosa in superiori parte oris enascens, ab ráque pendens, quam plectrum vocis appellauit Paulus, estque latior, & ampla vbi palato continuatur; inferius verò velut pendens inuersa pyramis acutior apparet: est præcipuus illius vsus vocis modulatio, deindè attemperat D aërem, ne tam frigidus vt inspiratur, Pulmonem, & Thoracem alteret, & partem vitalem distemperet. Patitur hæc pars (oculis satis conspicua, si deprimatur lingua) affectiones varias: nam quando fluxione infestatur, & pars illius secundùm naturam acutior rotunda efficitur, quia in partem extremam fluxio feratur; in parte verò, quæ palato superno adhæret, gracilior conspicitur, vua dicitur talis affectio, imitatur enim vuæ formationem; quando verò ob humidam effluxionem laxatur gurgulio, longiórque apparet, columella, seu columna dicitur, quia columnæ formationem æmulatur: aliquando verò ab acri, & calida fluxione extenuata percipitur particula illa, & veluti corium exsiccatum apparet, & dicitur lorum. Est verò huius partis inflammatio frequentissimum malum, & inter- E dum acutum, eo quòd respirationem cohibere soleat; distenta enim pars discumbit laryngi, & viam aëri occludens suffocat, vt Angina: origo mali rarò non pendet ex capite, quod aut plenum, aut calefactum liquatis illius succis, aut infrigidatum, in prædictam partem sanguinem, & humores detrudit, oculis, vt dixi, satis conspicua fit passio, depressa enim lingua percipitur: gargareon turgens magnus, & ruber, sæpè sine febre satis molestat, aliquando cum illa; nam etsi inflammetur, quia aëri expositus est, solet non putrefieri humor: fatigat etiam inani labore ægrotantes; nam cùm sit pendula pars, ponderans, & impediens aëris, & ali-

mentorum

mentorum ingressum, conantur illud obstaculum deglutire, quod incumbat faucibus velut pars alimenti.

Huius mali curatio est tradita pro Angina: conueniunt enim similia remedia quantùm ad euacuationes, & repellentia in principio; deinde quæ leniant, concoquant, & resoluant. Vtuntur tamen Auctores fortioribus adstringentibus quàm in Angina, quia minor læsio expectatur ab illis, non enim repellitur humor in principem partem, nec respirationi deseruit hæc pars, nec mouetur, nec exasperata tussim inducit; & quia hæc pars humecta, & madida nimis effici solet, exsiccantia maiora conueniunt. Succi ergo fluentis natura attente contemplata occultari non potest, & iuxta illius naturam applicabuntur contraria, ob quod quando ardor, & inflammatio calidior percipitur, laudat Auctor aquam solatri, semen rosarum rubrar. aut eius folia; vtilis est etiam myrthi, & fol. oliuæ, & rosar. decoctio, cuius libræ succi omphacij ℥ij. addantur, conueniuntque omnia quæ pro calida Angina retulimus: habetque hæc pars inflammata commodum hoc, nimirum, quod citra gargarismorum vsum gossipio, aut alio instrumento remedia applicari possunt, & pars adstringi, & firmari.

Quando verò gurgulio intumescit nimium, & læsus, madidúsque percipitur, administrentur pontica, inquit Auicenna, id est, astringentia maiora, & acerba: quem vsum præstat puluis gallæ, succo citoneorum admixtus; adstringit enim mirabiliter, & dissecat partem emollitam laxam, si penna, aut gossipio applicetur. Idem præstat puluis simech, & seminis myrrhi, oui candido, & aceti rof. guttul. mist. eodem modo applicatus. Puluis etiam aluminis succo granatorum acidorum admixtus optimus est; sed decoctum hyppuris, melicorij, gallarum, cupressi, rosar. rubrarum, & seminis earum, cui succus citoneorum, & saccarum admisceantur, optimè reprimit, éstque innumera sylua simplicium, sed arida magis probantur, vbi laxitas, & emollitio grandiorum efficiunt gargareonem. In quem vsum laudat Galenus 6. *localium ad finem, c.*3. auxilium quod recipit piperis albi, & myrrhæ, ana ʒ.j. aluminis scissi, & gallarum omphacitidis ana ʒ.ij. trita admoue. Aetius nitro contrito gargareonem fricat madentem. Indè enim, inquit, distillauit plurima pituita, eàque cruenta, & sanabitur: hoc naturali proprietate vtilissimum tradidit ex Philumeno. Picem liquidam accipe, qua extremum pollicis inficiatur, & altera manu sincipitis capilli distendantur, & vuam pice liquida illine, recurret enim statim: est etiam expertus pulu is Donati, qui recipit piperis, cinamomi, ana ℈.ß. corticum thuris, gallarum, ana ℈.j. rosar. rubrar. siccatum ʒ.ij. conterantur simul, & applicentur. Extollit Auicenna suffumigationem cum ramis anethi: est enim (inquit) ex his quæ validè constringunt vuam. Sic verò siccum Galenus 6. *local. cap.* 3. ex Asclepiade refert, quòd sumatur anethum vstum, & pulueri illius addatur dimidium pulueris radic. ireos. Est verò medicamentum hoc resolutorium. Reprehendit enim Galenus Asclepiadem, quòd per arundinem iubeat insufflare prædictum puluerem; impellitur enim multum medicamentum in gulam; in quam reprehensionem incidit Mercurialis. Præstat, inquit Galenus, cochleario indita medicamenta applicare, vt ego vti soleo. Vapores tamen medicamentorum recipere per os, non reprobat Galenus, etsi id præcipiat Archigenes: expertum auxilium, quod ex Scribonio Rondeletius tradit. Sumitur piper cum æqoali mirrhæ portione, & cum melle mixta parti gossipio applicantur; maxima enim pituitæ copia liquatur, & spuitur.

Sed quod difficilius est, pendet ex sectione gurgulionis, quando vim medicamentorum contemnens sic incumbit laryngi, vt omninò suffocet, de quo agendo Hippocrates 3. *Prognost. text.* 21. scripsit: *Gurgulionem*

A *secari, aut scarificari, periculosum est, quandiu rubens fuerit, & magnus: etenim inflammationes superueniunt ei, & sanguinis fluxus; verum oportet tunc temporis talia curare aliis medicamentis extenuare; cùm verò secretum fuerit totum id quod vocant vuam, & factum fuerit summum gurgulionis, & supra est tenuius, hoc tempore tutum est manus admouere; melius autem est subducta etiam aluo Chirurgia vti, si tempus concesserit, & non suffocetur homo.* Ex qua doctrina constat non esse secandum, scarificandum, aut vrendum, dum magnus, & rubens fuerit, sed omni euacuatione, resolutione, adstrictione extenuandam esse partem, per quam sectio facienda est, aut vstio; est verò pars superior, & tunc

B securè tentatur scarificatio, vstio, aut sectio. Addit Vallesius noster *in expositione huius loci*, quòd si fieri possit, religetur gurgulio filo pertenui, & eo paulatim constricto vsquedum gracilescat gurgulio, qua parte secandus est; ex inducta verò gracilitate secandus est, aut scarificandus, aut vrendus; nam vstionis meminit Galenus *6. lib. local.* tradendo Hippocratis prognosticum, in cuius expositione Vega noster putauit securius esse vrere, quàm secare; nam vstio scaram inducit, sectio verò hemorrhagiæ periculum affert. Alij verò caustico adhibito vrunt, & scaram creant, cauendo partes reliquas. Est ergo secanda, aut vrenda pars, quando quod occumbit laryngi, crassum, & rotundum appareat; pars verò superiori palato adhærens gracilis fit, quod iis verbis dixit Auicenna, & non oportet vt scindatur, nisi cùm radici aduenerit extenuatio, quomodo est in ea timor magnus. Et *cap.* 15. Cùm autem

C est rubea, apostemosa, eius incisio timorosa est, & quandoque manat sanguis, & non absconditur aliqua medicina.

Vstio igitur securior putatur: si verò æger ignem pertimescat cauterio potentiali id opus tentandum: est verò auxilium applicandum per cãnulam ferream satis amplam, per quam immittatur specillum ignitum, vel gossypio in aqua forti madefacto, inuoluto specillo comprimente linguam, collocato ægro in loco lucido, & capite à ministro firmiter detento, cauendo interim diligenter, ne tota auferatur, sed aliqua relinquatur portio, vt adnotauit Messues *text. de ægritudinibus gutturis, cap.* 3. nec ita, inquit, radicitus incidatur, quin aliquid extremitatis eius remaneat, fortassis enim ex eo

D sumet aliquod officium natura. Legatur Paulus *lib.* 6. *c.* 41. Aëtius *Tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 41. & Celsus *lib.* 7. *cap.* 12. & Galenus 14. *Method. cap.* 13. est etiam optimum scharoticum, oleum vitrioli. A proprietate verò opinatur Marcellus fol. Brassicæ crudæ leuissimè tritum, & applicatum gurgulioni prodesse, aut ex eius succo vuam illiniri; illo enim contracta plurimum subleuatur. Miraldus verò *in horto medico, area* 1. brassicæ succum summo capiti admouet, & vt arcanum prædicat. Galenus verò pueri stercus cum melle attico applicitum, si teratur prius subtiliter, prius tamen per biduum nutriendus puer lupinis, & pane benè fermentato, & salito, & vino veteri, & tertio die excrementum expulsum sumatur, & desiccetur, vt in puluerem reducatur.

E

CAPVT V.

De Anginæ malignæ essentia.

NOmine Anginæ malignæ non quamcunqoe speciem illius intelligimus, sed eam solùm quæ vulgo *Garrotillo* appellatur; affectio quidem de toto genere exitiosissima, quia & breuissimè interficit, & rarissimè remediis placatur: trademus verò breuissimè, & per modum compendij ad essentiam illius, prognostica, & ad medelã pertinentia; non enim ad vnius morbi explicationem

plicationem integrum librum (vt alij fecere) confi-cere placuit : & cum inter Auctores, qui hactenus naturam huius morbi exposuerunt, tanta sit discordia, vt neque in essentia, nec in curatione conueniant, nullatenus mentem ipsorum, sed opinandi modos referemus, sed per assertiones, quid nobis in tanta lite consentaneum rationi videatur, trademus, non curantes, qualiter alij opinati, ne dicam obcæcati fuerint, tútneque diuersa sensere. Verùm hoc non mirum, cùm perdifficile sit morbi de nouo incipientis, aut si non incepit, de nouo obliuioni iam traditi primo insultu ad amussim, & exquisitè naturam explicare.

Existimo ergo probabilius affectionem hanc strangulantem, à nobis *Garrotillo* appellatam, sic definiendam esse; *est Angina exulcerata malignè*. Ita docet Ludouicus Mercado *lib. de consultat. c.24.* quem sequitur doctissimus Ildephonsus Nuñez à cubiculo Medicus Regius; éstque iam communis sententia. Constat ergo esse affectionem compositam ex tumore anginoso, & vlcere maligno, idque experimento testatur, quia nec datur sine vlceribus, nec sine accidentibus ex tumore suffocante enatis; vlcera sensui conspicua cùm sint, nullus hactenus negauit : imò quia magis patentia, & clara ob sorditiam, & crustas, multi putarunt, in sola vlcerum maligna natura esse reponendum hunc morbum, quos carpit, & sugillat doctissimus Nuñez, non quia in vlcerum malignorum natura morbi naturã reducant, sed quia in solis vlceribus eam constituant; nam suffocatio tam breuis, vt in hoc exitioso morbo contingit, ex nullo alio morbo, quàm ex tumore anginoso originari potest. Vlcera enim non tantùm impediunt liberum aeris ingressum per asperam arteriam ad cor : Verùm si eorum attendamus naturam sub formali ratione vlcerum, ampliorem, magisque capacem aeris viam constituunt, quia exulcerando carnem exedunt, ob idque existimo ab aliquibus statui modi huius naturam in solis vlceribus, quia inflammatio internos gutturis musculos obsidebat. In quo euentu nullum sensibile signum inflammationis se ostentat, vt docuit Hippocrates 3. *Prognost.* Ex eo enim quod visus nullum signum inflammationis percipiat, malè colligitur, sine inflammatione dari : oculis quidem occultatur ex toto inflammatio, quando afficit solos internos gutturis musculos, in quo euentu suffocatio breuissima, & continua febris cum dolore interno gutturis, & pulsus duritie affectum inflammatorium manifestè significant : ad quod accedit, rarissimè dari affectionem prædictam, quin in colli regione exteriori tumor satis conspicuus appareat. Et confirmatur hoc efficaciter : quia nullus, qui interiit per solius gutturis, aut faucium affectum, sine tumore migrauit è vita. Consultò dixi, per solius gutturis, aut faucium affectum, quia sæpè obseruauimus malo omninò in guttute, & faucibus deficiente ægrotos sensim perire, quia putredo per gulam, aut asperam arteriam interius communicata deliquiis, syncope, inappetentia, & alimenti assiduo vomitu cum frigiditate extremorum miseros ægrotantes necauit paolatim sine febre sæpissimè, etsi aderat, lenta & remissa percipiebatur; nam malum quod corruptione, & partium mortificatione adimit vitam, febrem nullam, aut tepidissimam causat in fine, quia sine copia vitalis caloris febris magna non datur; deficit verò calor vitalis ex partium sphacelismo, & gangrena, nec in hoc modo mortis succi putrescunt copiosè, sed cùm paulatim serpat putredo per continuam alterationem partibus solidis communicatam, non est quòd eff.umer, & cor totum afficiat, sed glutinosa potiùs putrilagine, & minimè euaporabili interna afficiuntur. Ij ergo qui sic perierunt, inflammatione in ore, & reliquis partibus sedata, licet per Anginam malignam contraxerint periculum, non tamen Angina perierunt, vt constat,

A quia nullo dolore, aut suffocatione præsente in gutture, aut faucibus, sed putredine interna gulæ ventriculi, aut cordis, & asperæ arteriæ. Et quia frequentissimè associatur hæc serpens putredo anginoso tumori, communicatúrque pluribus partibus medio contagio, quibus non communicatur inflammatio ipsa, ideò putauerunt multi, sine inflammatione dari huiusmodi morbum, quia interiùs existens maligna inflammatio, neque conspicua visui, contagione inficit partes externas, quæ cum mucidæ, & putrilaginosæ solùm conspicerentur absque inflammatione aliqua, absolutè docuerunt in vlceribus solùm morbi naturam constituendam esse, decepti apparentibus.

Probatur vlterius, quia nullum genus vlcerum, etsi malignum, deglutionem, aut respirationem impedit B viam earum actionum obstruendo; nullus enim inter signa malignorum vlcerum oris internas partes afficientium deglutionem, aut respirationem impeditam constituit ob viæ defectum : Experimur verò in morbo hoc suffocante ita contingere; potum enim, & liquida reddunt per nares, & impedita via deglutionis suffocantur similiter, non alio modo quàm coarctata aspera arteria : ergo verè inuenitur impedimentum, & obstaculum ad huiusmodi actiones : non ergo posito qoduia vlcere ponitur morbus suffocans, nisi inflammatione suffocetur. Quòd si diligentius attendamus causas, ob quas difficultet ægroti respirant, ex Galeno innumeris locis, præsertim 4. *lib. de loc. affectis, cap.* 8. *&* 1. *difficult. resp. cap.* 4. clarè inueniemus repugnare ex vlceC ris natura causari, nam nec impeditur cauitas, nec dolor in corde contra naturam producitur, nec instrumenta respirandi læduntur modo necessario ad difficulter respirandum : quia euidenter confirmat ferè semper apparere vlcera anginosa in loco ad respirationem minimè necessario, & ita si impediunt respiratio, est quia ratione tumoris per consensum coarctatur aspera arteria; idémque argumentum de deglutione læsa fieri potest.

Similiter vt hoc malum propriam sortiatur naturam, non sufficit esse inflammationem in partibus oris, faucium, aut guttoris, sed etiam requiritur cum inflammatione tantam malignitatem esse in causa, vt partem pessimè exulceret; nam etsi ad suffocandos ægrotos vlcus D impertinens sit, non tamen vt constituatur integra morbi essentia, *Garrotillo* appellata, sed communi in consensu vtrumque requiritur, *& inflammatio tumida cum malignis vlceribus*. Vnde sola inflammatio existens sine vlceratione, Angina dicetur, aut vocabitur ex nomine quo insignitur quæuis pars oris interna, dum tumore corripitur. Similiter si solum malignum vlcus signis percipiatur affligere absque tumore, aut inflammatione tumida, vlcus vocabitur, minimè verò *Garrotillo*. *Est ergo hæc perniciosa morbi constitutio complicatio quædam tumoris præter naturam cum vlcere prauo.*

Ex dictis patet garrulum auctorem Polyanteæ ineptè definiuisse morbum prædictum. Dixit enim esse interdum inflammationem venenosam faucium, & tonsillarum, interdum vlcus contagiosum ex venenosa materia ariE da, & feruenti; peccat enim in multis definitio relata, tum quia inflammatio venenosa in prædictis partibus dari potest sine vlcere aliquo, sine quo Garrotillo non datur : tum etiam quia cùm supponat vt certum, periclitari ita affectos ob suffocationem, explicare non potuit, qualiter ab vlcere solo tale symptoma oriatur. Prætereaquam quod eundem morbum in specie explicare per duos omninò diuersos disiunctiuè, repugnat veræ definitioni : nam si natura morbi composita vtrumque morbum necessariò respicit, vtrumque simul & coniunctè explicare tenetur definitio, non disiunctiuè, aut seorsim, vt ille fecit.

Malè etiam Doctor Villareal *lib.* 1. *in fine, cap.* 7. docuit, non esse dubium, prædictum morbum esse Angin:m

ginam, si habet signa pathognomonica eius, nempè difficultatem respirandi, & deglutiendi: Consistit, inquit, Angina in angustia gutturis, angustia autem semper est eadem, à quauis causa dependeat. Malè quidem id censet; nam etsi quæuis angustia sit idem morbus in conformatione, non tamen quæuis angustia gutturis appellatur Angina, vt doctè adnotauit Magister *lib. de locis affect. cap. proprio.* Nam si à siccitate conuellerentur musculi gutturis, non diceretur angustia anginosa, nam hæc solùm dicitur talis quando ex causa efficiente tumorem suffocatio contingit: nullus enim ex antiquis Anginam curauit nisi auxiliis euacuantibus; vnde etsi ille fateatur, prædictam suffocationem à materia causari, loquitur adhuc impropriè, quia nullus Medicus appellat Anginam, nisi ortam ex tumore præter naturam ab humoribus orto. Ille autem putauit materiam huius morbi non tumefacere ob impensam crassitiem, cuius ratione per poros angustos intrare non potest, & sic per solam irrigationem causari putauit, quod vtinam ita esset, redderetur morbus curabilior, mirandumque est ita opinatum fuisse; cùm tam magni tumores, tàmque conspicui in hoc morbo inueniantur, clarè monstrantes non esse tam crassam materiam, vt ad porus partium transmitti non possit.

Dixi vlterius in definitione, hunc morbum esse malignum, quia non solùm inducit inflammationem cum vlcere prauo, sed etiam habet suam propriam malignitatem adiunctam: nam præterquam quod contagio communicatur celeriter, carnem, & partes, quas allicit, exedit, corrumpit, & mucosa putredine destruit, ita vt vsque ad ossa non sistatur putredo, vt docuit Mercatus. Habet etiam plurimum venenosæ naturæ, vt ex accidentibus liquet adducendis postcà. Errauit non leuiter Doctor Guadalaxara *cap. 7.* putans hunc morbum contagiosum non esse; contrarium enim experimento monstratur, & docet Mercatus historia illa celebri *lib. consult. cons. 24.* Et ratio est, quia in causa huius morbi inueniuntur omnia requisita ad contagium, nam est maligna putredo, & causa lentoram habet, fortémque permixtionem. Estque probabilius morbum non esse contagiosum ad distans, sed solo contactu, aut medio fomite, quia tam mucilaginosa est materia, tantoque lentore ornata, vt nulli ferè vapores eleuentur ab illa, & ita solùm per contactum, aut medio fomite communicatur.

An verò causæ huius morbi insit venenosa qualitas, difficile percipi potest: nam vt doctè adnotauit doctissimus Nuñez contra Mercatum, nec ex celerrima morte id colligere licet: nam cùm sit hic morbus de Anginarum natura, & hæc intra diem suffocare possit, vt docuit Hippocrates 3. *lib. Prognost.* Ita & morbus iste absque maligna qualitate breuissimam affert mortem, tum etiam quia cùm causa tam validè putrefaciat, & partes mortificet, insitque viæ respirationis, per quam aër ad cor ingreditur, grauia symptomata causat ex se sine coniunctione qualitatis malignæ. Hanc enim Medici inquirunt, vbi dantur symptomata in manifestam causam irreducibilia, quod hic non euenit, cùm tam patens sit subitæ mortis, & aliorum accidentium origo.

Ex alia verò parte pulsus paruitas, & debilitas statim accedens, extremorum frigus, somnus profundus non vaporibus obstruentibus, vt ego existimo, semper causatus, sed resolutione nimia animalium spirituum, quod indicat impotentia ad motum, & debilitas in reliquis internis potentiis, deliquia animi, & syncopes, quibus ita affectos versari percipimus, non leuem suspicionem malignitatis, & veneni afferunt. Demonstrant enim hæc symptomata morbum hunc cordi insidiari, quod est proprium venenis. Quod confirmat, causam huius mali ita reddi toto genere contra naturam, vt incoctilis sit, omninòque inseparabilis. Videmus enim suppuratos, etsi magnam copiam puris in thorace contineant, & cordi tam proximam, non ita debilitari, sed per multum tempus durare sine relatis accidentibus: Suspicio igitur aliqua venenosæ naturæ esse potest, præcipuè vbi tam intolerabilis fœtor adest perpetuò, & causam tam paruam in quantitate magnis remediis non cedere, sed vim auxiliorum ita contemnere, vt nullis etsi tempestiuè exhibitis edomari possit, illud non minus indicat. Ad quod accedit, quòd maior pars correptorum hoc morbo internecatur. Signum pestilentis affectus & maligni; & cùm nihil sit magis proprium veneno, quam naturam humanam confertim corrumpere, hocque experiamur in adducto morbo, non quia obstruat viam respirationis, sed cor alterando tota substantia & corrumpendo spiritus summámque imbecillitatem inferendo, venenosæ naturæ satis magnum præbet indicium.

CAPVT VI.

De signis huius morbi.

SI essentiam huius morbi compositam fecimus ex tumore contra naturam, & vlcere, signa apparebunt vtique morbo essentialia. Statim ergo in principio mali ore aperto, & lingua depressa tumor contra naturam intra illud apparet cum sordibus, ichoribus, putrilagine ex vlcere emanantibus, ideoque facillima est huius mali cognitio. Sæpè verò ex solis externis signis facillimè perspicitur; nam tumor apparet in partibus exterioribus colli satis conspicuus, cum difficili respiratione, & mucosa excretione per nares, & vox rauca producitur. Frequentissimum est vlceris sordiciem albam monstrari, aliquando verò mox in coloribus variat ob diuersam naturam influentium humorum, mixtionem diuersam, & variam succorum, & partis corruptionem, & ita interdum pallida, interdum nigra, interim liuida, aut cineracea, aut diuersis coloribus variegata, crusta percipitur, aut sordules, & excrementum ex vlcere resudantia simili causa in coloribus variant. Constat verò velante tacente, tumorem præter naturam visui conspicuum signis non egere, vt cognoscatur; nam cùm sit morbus in aucta magnitudine, & hæc sit commune sensibile, cognoscitur per seipsam. Dum verò visui occultatur, aliis signis percipitur, dolore scilicet, pulsus duritie, nisi pendeat ex pituita, nam tunc mollior, quam secundùm naturam erit, vt est durior ex aliis causis. Frequentissimum est in hoc malo vel respirare difficilè, vel deglutire malè, aut vtrumque contingere, secundùm quod aspera arteria, aut gula magis, aut minus afficiantur à distendente tumore, & relatas partes coarctante, vt minus benè deglutio, & respiratio fiant. Febris etiam continua statim in initio apparet, symptomatica quidem, vtpotè ex inflammatione pendens, cui non rarò associatur putrida ex materia intra vasa per contagium faucium corrupta; nec inconuenit putridam esse excitatam ex solo affectu inflammatorio, quando tanta est in faucibus, gutture, & partibus oris putredo, vt ex illa eleuentur vapores corrupti, & ad cor, & totum distribuantur, variat febris in sua intensione quamplurimum, prout ex feruidiori causa tumor causatur: sæpè verò remissa percipitur, quia ex succo frigidiori dependet, paruior est inflammatio, & partes externas oris potiùs afficit, estque remissa putredo.

Ingrauescente malo tumor increscit, corruptio partium, sordes, & fœtor augentur, respirant difficillimè, nec faciliùs deglutiunt, sicque potum reiiciunt per nares cum malignis ichoribus, cæterisque colliquamentis per easdem expulsis, tumor totum occupat

collum , ceruicem concellit , induται tensione , vt nisi rectè respirare non possint , & interim tumor ad Thoracem extenditur , cum non leui desperatione salutis, inæqualis redditur pulsus , debilis , & creber , cum febre maiori vox depranatur , raucedine per nares loquuntur , cruda reiectant , media tussi sine lenamine, & somno grauiori sopiuntur , non tam obstructione causato, quàm vitali, & animali spiritu extinctis , vt ad commodè sentiendum satis non sint remanentes. Alimenta vomunt , anxiique quiescunt , nullibi perpetuò iacendi figuram euariantes. Estque frequentissimum gurgulionem inflammari , corrumpi putredine, vt exedatur totus, & corruptus pellatur, & quando in desperationem res venit , raucedo increscit , per asperam arteriam putredo serpit ad cor , & consumptis vitalibus spiritibus , paulatim infrigidantur extrema , mitior fit febris ad raritatem , & paruitatem cum summa debilitate, pulsus mutatur , & sæpè bene respirantes , nullóque vitio in ore apparente abeunt. Eodem modo , sed non tam breuiter necat , quando per gulam vsque ad ventriculum putredo transitur , corrumpuntur etiam spiritus, alimentum vomitur assiduè cum potu , sic per os colatorium cerebrum afficitur , & per nares stillæ sanguinis emanant , signum omninò mortale ; innuit enim versus cerebrum putredinem tendere , ex multis enim , in quibus hoc signum apparuit, nescio an præter vnum liberatus fuerit.

Mira tamen variatio in signis percipitur ; sæpè enim inflammationis , & tumoris manifestissima signa monstrantur , vlceris verò , aut nulla , aut quasi præludia. Deindè verò tractu temporis crusta , & vlcus apparent manifestè , aliquando verò èconirà , statim à principio mali eschara , crusta , vlcúsque satis conspicua cernuntur ; inflammatio verò leuissima, & paruissima est ; increscit tamen posteà : sæpè verò vlceris signa occultantur , quia latet in internis musculis gutturis , aut faucium , cognoscitur verò coniecturis non leuibus ; nam prætèrquam quod tumor exterius apparet cum dolore in partibus interioribus , & difficili respiratione , & deglutione , semper ferè per nares viriatam humiditatem emittunt , lentam , glutinosam, & crassam , vox deprauatur , & lingua versus partes internas , & eius radices albicans percipitur , quod indicat in partibus internis crustam , & vlcus existere, & incipiunt se manifestare per albedinem linguæ causatam ex excrementis pituitosis , putridísque ab vlcero interno emanantibus , & linguæ suo lentore hærentibus.

A ius mali pernicies , & acuties. Hæc Angina dicitur ab antiquis Cynanche: quando verò externi musculi gutturis inflammantur , minus periculosa est affectio ; est autem lethalis, & dicitur Paracynanche. Si verò musculi externi faucium inflammentur , dicitur Synanche , sicut Parasynanche , quando inflammantur interni. In his igitur partibus existere tenetur inflammatio cum vlcere , vt dicatur Garrotillo , qui inter species Anginæ collocatur ab auctoribus melius sentientibus. Vnde sicut in medico rigore non appellatur Angina inflammatio cum vlcere maligno in qualibet parte , sed tantùm in illis , in quibus excitatur Angina: sic etiam Gurgulionis inflammatio non appellatur Angina , nec inflammatio glandularum à lateribus gulæ , & gutturis existentium : ita nec dicitur Garrotil-
B lo in rigore prædictarum partium inflammatio cum gutture , quia non habent , vt putant aliqui , tanquam signum essentiale , & necessarium difficilem inducere respirationem ; sed illam solùm lædit , quando nimis increuit , & magnum acquisiuit tumorem. Est autem in omni Angina inseparabile , quòd statim primo insultu difficilem respirationem causet. Quidquid autem sit de hoc , certum est , quòd sicut antiquitas noluit Anginam appellare , nisi affectum inflammatorium gutturis , aut faucium , ita nec appellabitur vere Garrotillo , nisi inflammatio exulcerata relatas partes obsideat : Communiter tamen vbi in quauis parte oris interna , dummodo lingua non sit , inflammatio cum vlcere sit , Garrotillo appellatur , licèt in rigore , &
C propriè loquendo talis non sit ; experimento enim constat , sæpè incipere huiusmodi malum ab inflammatione vlcerata gurgulionis , aut glandularum , & crescente malo suffocari ægrotantes gutturi , & faucibus communicato.

Excitatur huiusmodi malum à quouis humore exulcerare potente , non quidem ex sua natiua temperie ; nam sic sola bilis auctor illius putaretur. Cùm ergo exedatur locus affectus , & exulceretur ob malignam corruptionem , quam contra naturam acquirit , & nullus sit humor incapax huius corruptionis, ab omnibus causabitur. Et cùm rursus ad corrodentem naturam acquirendam paratior sit bilis , quàm alius quiuis humor , videtur constituenda , vt causa frequentior ; Sine ratione enim videntur quidam asserere , quòd san-
D guis huius morbi causa esse nequeat , eo quòd nunquam rubor in parte vlcerata inuenitur : contrarium enim euidenter experimento probatur. Nec obstat, quòd semper persoicies alba percipiatur in vlcerata particula ; nam prætèrquam quod hoc non est verum, constat illum albicantem colorem non pendere semper ex humore fluente , sed ex parte , quæ exeditur, & putredine corrumpitur. Accedit etiam , quòd partes afflictæ sunt semper humidis , & pituitosis excrementis imbutæ , quæ debilitatem morbi sequentia nec concoquunt , neque expellunt pituitosa , & ita abundant , & obscurant causam immediatam , & propriam huius mali.

Verùm inter omnes conuenit frequentiores causas
E esse bilem , melancholiam , pituitam salsam præsertim , sicque constare ex coloribus tumorum præter naturam ; quia verò malum hoc semper ferè dependet à capite tanquam à parte mittente in fauces , & guttur, quod de omni Angina Galenus tradit , & caput semper ferè excrementis crassis , & pituitosis scatet , adeò frequentissimum est , relatum malum causari à pituitosis humoribus talem contrahentibus labem , & violentam naturam , quòd corrosiui reddantur , & exedentes. Vndè cùm alias tales humores crassitiem cum lentore participent partibus adhærent validissimè, & diutius detenti illas exulcerant malignè : hincque constat, cur pueri, & tenerioris ætatis frequentiùs hac labe infestetur;

CAPVT VII.

De parte affecta, & de causis.

SI rigorosè loquamur, affecta pars in hoc morbo , vt propriè dicatur morbus suffocans , & Garrotillo, debet esse illa quæ in affectionibus anginosis patitur, ac per consequens patietur guttur , quod caput asperæ arteriæ dicitur ab omnibus , aut patientur fauces ; nam in quacumque harum partium excitata inflammatio Angina appellatur. Sciendum igitur est , in capite asperæ arteriæ seu guttore esse internos , & externos musculos ; ita etiam in faucibus sunt interni, & externi. Grauissima excitatur Angina , quando interni musculi gutturis inflammantur , occluditur enim facillimè via respirationis , & ideò docuit Hippocrates , intra diem vitam cum morte commutare , eodémque modo experimur in morbo hoc suffocante ; intra diem scilicet ægros suffocari , tanta enim est hu-

sunt

sunt quippè humidissimi cerebri, vndè distillationibus in guttur, & fauces obnoxij. Legatur Galenus *in comment. Aphor.* 2. 6. *lib.* Hoc tamen in causa huius mali peculiare inuenitur, prout distinguitur contra causas Anginæ simplicioris, quod tam pessima conditione sigillatur, & corrumpitur, vt incoctilis omninò reddatur: in quo non leue periculum est; nunquam enim in supputationem veram illius causa mutatur, sed inutilis omninò, & toto genere contra naturam redditur quasi excrementum malignum; vndè supputatione, vel resolutione, media coctione caret, ad quod non parum facit debilitas summa, quam ex tam perniciosa causa contrahit pars, vt ex duplici capite incoctilis fit materia huius mali, & quia extraneam putredinem, & corruptionem concipit, & quia extremè effœminatur partis temperies, & vitali calore, natiuoque destituitur, vt impotens maneat ad coquendum non solum tam malignam causam, verùm & proprium, ac naturale alimentum. quia & hoc fœdatur non minus quàm partis afflictæ temperies.

Signa verò diuersas causas monstrantia ex natura tumoris & vlcerum sordibus, satis conspicua erunt; nam vbi rubor cum dolore, & calore, tensioneque percipitur, adestque durities in pulsu, cum non leni febre, sanguis calidus in causa est. Vbi albicans regio gutturis, faucium, & oris apparet, tumor laxus, pulsusque cum mollitie percipitur; dolor moderatus, & febris remissa apparent, pituita erit causa: si nigra eschara, aut liuida circa ingentem dolorem, ex melancholia dependet, tensioque adest: quòd si nigrities cum maximo incendio percipiatur, adsitque crusta veluti exsiccata vstione, & ex feruenti sanguine, & in atrabilem mutato tumor nascetur, magna erit febris cum siti implacabili, & difficultate nimia deglutiendi, & respirandi; exsiccata enim est musculorum caro adustione, & quasi in carbonem versa, & ideò difficulter mouentur, & magno dolore. Interim verò liuidus, aut niger inuenitur color, non quia ex succis nigris natura, aut adustione dependeat, sed quia sphacelo pars denigratur, aut liuida redditur, vt in externis partibus experimur, quando maligna fluxione destituitur omninò partium naturalis temperies, & gangrenâ mortificatæ liuidæ redduntur, aut nigræ cum fœtore intolerabili.

Quando verò partium corrosio celerrimè extenditur, & ad plures partes dilatatur, acerrimus significatur humor, & summè penetrans partes: sæpè verò accidit, humorem esse lentum, & crassum, & non nimis acrem, & partibus primò affectis tenaciter hæret, nec serpit in alias contagium ob lentam actionem ex remissa virtute. Legite Aretheum *lib.* 1. *de natura acutorum morborum*, *c.* 9. vbi doctissimè, & eleganter huius morbi naturam exponit, quidquid reclament Neotherici Scriptores, putantes hoc genus morbi antiquis ignotum fuisse, cuius vestigia fuit sequutus Aetius, & verba Arethei transtulit.

CAPVT VIII.

De Prognosticis huius morbi.

FAllacissimam esse huius morbi naturam confitentur omnes. Est autem duplex principalis fallacia. Prima, qua vlceribus oris, & partium, quæ visui existebant conspicuæ, rectè curatis, & sedata inflammatione æger periclitatur. Ratio pendet ex eo quod paulatim serpit putredo per asperam arteriam ad cor, aut per gulam ad ventriculum sine aliquo dolore, aut febre sensibili, cuius sit habenda cura: & cùm medicis auxiliis ablata fuerint vlcera, & inflammationes sedatæ in partibus visui patentibus, Medici triuiales salutem pollicentur, cùm aliòqui occulta putredo paulatim mortificans partes internas, cordi insidietur, & tabe, paruissimis, & debilissimis pulsibus, extinctione caloris, refrigeratione extremorum, faciei extenuatione, inappetentia perpetua, & molesta mutatione decubitus, somno fallaci, & apparente, quia vigilandi impotentia somnum verum æmulatur, miserè ægrotantes interficit, vt visum iam sit subita, & inopinata morte periisse aliquos ob Medici præceptum, & imperitiam è lecto surgentes, & intra domos ambulantes, ob quod etsi quæ vitiata apparebant in faucibus, aut partibus aliis, in melius mutata conspiciantur, non licet salutem polliceri, quia solet, vt dixi, communicari paulatim putredo, & gangrena partibus internis versus cor per asperam arteriam, aut ventriculum per gulam, aut ad cerebrum per partem oris supernam, gurgulionem, & alias vias, & anguem in herbis latere, quando partes, quæ erant visui patentes, non tantùm mutantur in melius, verùm omninò sanæ, absque vlcere, aut inflammatione visuntur.

Secunda fallacia est: Quòd si nimis tumeant partes externæ, perniciosum sit signum, quod in reliquis anginis putatur saluberrimum, vt ex Hippocrate constat 3. *Prognostic. & 6. Aphorism. text.* 37. *& 7. Aphorism. text.* 49. Ratio diuersitatis est, quia in hoc morbo humorum confluxus per vasa iugularia in internas partes delabitur, vt rarissimum sit non affici priùs partes externas colli, & ex illis præcipitari humores ad intima. Vndè quia malum internum fouetur ex defluxione externorum, quantò magis tument externa, compatiuntur interna, sicque perniciosum, exitialéque signum existit, glandulas cordis, & partes externas, thoracémque in magnum fastigium eleuari, nimísque intumescere. Ad quod accedit, ita partes affectas in hoc malo debilitari, vt quod receperunt semel, nequeant in alias transferre; nam cum sorditie, corruptione, & inflammatione efferata, tam laxa, putrilaginosa, aut in crustam conuersa pars percipiatur affecta, vt meritò dicas radicaliter esse subuersum temperamentum eius natiuum, nequiuit extrudere quod semel recepit. Ad quod conducit non parum humorum crassities, & lentor, à quibus causa huius mali ferè semper oritur: quæ omnia, cùm in aliis Anginis adsint, non mirum partes affectas conuenientibus auxiliis adiutas traiicere non posse, quæ semel receperunt. At verò in Angina maligna non tument externa, quia in illa ex externis translata materia fuerit, sed quia ita adimplentur interna, vt materiam fluentem non capiant, & sic ad externa dilabitur:

Est etiam perniciosum signum quodcunque significans putrilaginem intus existere: nam auxilia nequeunt illud vitium corrigere ob indebitam applicationem, glutinositas enim & crassities escharæ, & magna requirunt auxilia, & applicata diutiùs, & eadem requirit maligna putredo, & partium gangrena. Hæc verò nec deuorari sine periculo vitæ, nec applicari partibus internis tempore commodo possunt. Nec existimo, ob aliud tam desperatum esse huiusmodi malum, quàm ob celerrimum contagium partibus non conspicuis communicatum; nam cùm vitia in ore consecuta tam assiduam diligentiam requirant, tamque continuatam auxiliorum applicationem, vt moderari possint, quid sperandum, nisi certum exitium, vbi interna contaminantur? Hinc ichor, seu sanies graueolens per nares emanans certam innuit perniciem: cui si adiungatur in somnum falsum delatio, desperata res est; maligna enim indicant corruptio internas partes exedens, estque tam pessima humorum conditio, támque aduersa naturæ, vt spiritus dissipando nequeant vigilare ægrotantes, quod est falsè, & apparenter dormire.

Eandem malignam significationem præbet segnis sanguis stillans è naribus; ex corrosione quippè vasorum, & putrilagine emanat, innuitque certissimam mortem, quia putredo interna cohiberi non potest: idem de sanguine excreto per os summa ratione iudicandum est; nam etsi partes non afficiantur principales, neque affectus vasorum exitialis existat, tamen in quantum istarum partium erosio principalem causam, & valdè corrodentem, aut putrefacientem significant, indéque inemendabilem à natura; ideò periculosissimus censetur sanguinis fluxus ex naribus, aut ore. Quidam cum hoc signo nullum vidisse liberatum docent: nos verò vnicum solum ægrotum summa diligentia à tanto periculo vindicauimus.

Est etiam pernitiosum signum, quod remittatur febris, quando vlcus putrilaginosum magis conspicitur, & inflammatio, aut tumor non minuitur; summa enim extinctio vitalis caloris arguitur, & partium gangrena. Ratio est, quia humor commotus ad focum, putrescit calore fuliginum, quæ eleuantur ex partium nutritione, & actione caloris, & humore transmisso ad sui nutritionem: partes verò iam mortuæ sphacelismo nec nutriuntur, nec habent calorem, medio quo intra se fuligines eleuent ex humoribus ad nutritionem dicatis. Vnde eis confluant humores Anginam facturi in locum affectum, non alterantur, nec putrescunt, & sic nec febris augetur, sed constante eleuatione fuliginum, & materia non mutata in vapores, nullus calor cordi, & vniuerso corpori communicatur contra naturam, & ita deficit febris ad proportionem, qua corrumpuntur partes. Adduximus locum Galeni celebrem *text. de temporibus morborum*, vbi docuit: *Febris eleuationem sæpè pendere ex defectu natiui caloris, & partium mortificatione.* Legite locum 3. *lib. Epid. in histor. Hermocratis, comment.* 8.

Vbi apparet crusta, aut eschara liuida, aut nigra, periculosissimus excitatur morbus ex humoribus adustis atrabiliariis causatus: Estque cancrosa gutturis affectio, & exulceratio, indeque lethalis, cum non talis censeatur ab omnibus affectio relata, etsi alias partes non principes obsideat, possintque commodè auxilia idonea applicari: maiori ratione lethalis censebitur, dum guttur, & fauces molestat. Dixit enim Hippocrates 2. *Aphor. dyspnœam ab atrabile causatam lethalem esse.* Est autem guttur pars ad vitam necessaria magis quàm intestina, & eius passiones citò interimunt.

Ratione partis affectæ sumitur maius, aut minus periculum; nam si afficiatur pars interna gutturis eodem die, aliquando strangulat, vt de Angina docuit Hippocrates *in Prognost.* Cognoscitur verò ex eo quòd nihil conspicuum in faucibus sit, nec tumor, & rubor appareat depressa lingua: inducit tamen difficillimam respirationem, seu orthopnœam, maximùmque dolorem: secundum locum participat, quo afficiuntur musculi externi gutturis: tertium, quando interni faucium: quartum, quando externi: vltimum, quando glandulæ ad linguæ radicem constitutæ. Nullum verò genus est securum, quia ex quacumque parte facilè communicatur internis: & cùm aër deductus ad cor per affectas partes necessariò transeat, & alteretur, secúmque deferat quod vaporosum ex putrilagine eleuatur, compatitur cor facillimè, & læditur vehementer: eisdem de causis compatitur cerebrum; repugnat verò cum cibo, & potu aliquid putridum non delabi in ventriculum. Omnibus principibus partibus insidiatur hoc malum, totum corpus contaminatur: præsenti, & patente periculo, ægrorum imaginationem eorum excruciat: nullus quippe ignorat illius malignitatem, & ferocitatem, vt animi agonia debilitentur non minus quam sæuitia symptomatum. Habet hoc insigne periculum, non posse scilicet naturam aliquã salutarem crisim tentare

A ob debilitatem extremam facultatibus partium inductam, humorisque crassitudinem, & lentitiam. Indéque experimento monstratur, quamcumque euacuationem per aluum, aut sudorem, inutilem esse, & nociuam, quia cùm non prosit, necessariò debilitat. Est autem aliqua spes in frequenti exspuitione, quando crassa & glutinosa excreantur; nam inflãmatio anginosa sic iudicatur, teste Hippocrate *in Coacis prænot.* Et cùm magna vis requiratur ad excreandas crassas materias, ideò infantes, & pueri plus periclitantur, imò loco excretionis ad extra ichores, & excrementa à vulneribus resudantia deglutiunt, viscera inficientia veneno.

Proximam verò esse mortem, quando sublime respirant ægroti, & in paruitatem, & raritatem pulsus permutatur cum animi exsolutione, frigiditate extremorum,
B nullus ignorat. Est enim in hoc malo perniciosa virium debilitas; nam si in Angina simpliciori eam damnauit Galenus, in maligna erit execrabilior, & peior; infantium & puerorum multitudo maxima periit, quia nec exspuere, nec excreare lentas, & crustraceas materias possunt, minus auxiliis obediunt, & quia calidi, & humidi, malignæ putrescentiæ magis obnoxij sunt, etiam cerebri humidioris, & excrementitij, indéque in guttur facilè liquata excrementa præcipitantur, partes oris internas, laxas, porosas, & tenerrimas habent, sicque recipientes promptissimè quod in eas transfertur, & instar spongiæ recrementa imbibentes, exsoluuntur, & putrescunt quàm facilè, quia tenera, & mollis partium conditio causæ erodenti, & putrefacienti resistere nequit. Hinc summa, & intensa putredo
C intolerabilem causans fœtorem, in sese concidere partes gutturis cogit ob impensam mollitiem. Concidentia verò, inflammatione, crassis, lentisque excrementis occlusum omninò respirationis foramen, quando iam nihil per vocem significantes cum summa raucedine, & animi angore è vita discedunt.

CAPVT XI.

De Curatione huius mali.

SI diuersa placita, & opinantium varietas circa medelam tam perniciosi mali referenda essent, fastidiosa satis euaderet curatio. Mirum quidem est, quàm varie
D curatio ab auctoribus exponatur. Adducemus ergo indicationes curatiuas ex essentia morbi depromptas, & interim si aliqua opinio contra nostram doctrinam aliquod fundamentum adduxerit, expungetur à nobis, eiúsque argumenta diluentur.

Victus ratio refrigerans, & attemperans acrimoniam succorum imperatur ab omnibus. Constat verò varietatem insignem accipere, prout maior, aut minor fuerit febris, & acrimonia causarum. Omnibus tamen confert iuribus, & alimentis iniicere succum agrestæ, limonis, aut citri; refrigerant enim, & exsiccant, & gustui gratissima sunt, & moderatè adstringendo roborant partes internas, & spiritus minus dissipabiles reddunt, & putredinem humorum mirè cohibent, cum hoc tamen attenuant succos crassiores, vt omnem indica-
E tionem adimpleant, cùm acidus succus limonis, aranciorum, aut citri præter dicta commoda venenis resistant; attenuat magis succus acidus citri, secundo loco limonis, tertio qui ex aranciis exprimitur. Omphacium verò adstringit magis, & minimum attenuat; acetum etiam limpidissimum ex vino albo commodum est, licet cum aciditate acrimoniam quandam participet inimicam vlceribus, qua priuantur acida dicta: grana mali punici dulcacidi saccaro albo respersa sumuntur vtiliter, nam cum saccari abstersione separantur vlcerum excrementa, & incendium eorum mitigat granatorum succus cum quadam roboratione partis,

ne

ne recipiat tam facilè, & sputum non leuiter mouet; acida enim cum adstrictione attenuant, & dissecant humorum crassitiem: quia acidus sapor in partium tenuitate consistit, vt docuit Galenus; intimè etiam partium substantiam penetrant, quia moderata adstrictione impellitur introrsum, vt de rosaceo idem auctor nos docuit.

Circa hoc notandus est error Riulij super Dioscorid. transferentis quòd acida granata noceant ori, atque gingiuis, cùm deberet scribere esse ingrata, nun tamen nociua, cùm non sit idem ingratum esse, & nociuum. Hoc adnotauit Mercurialis *lib. 2. de curat. affect. cap.* 2. quem citat etiam doctissimus Nuñez ad finem citationis.

Alimenti quantitas mediocris etiam imperatur ab omnibus, quia vires in hoc affectu labescunt facillimè, strenuaque fit spirituum dissipatio. Estque commune præceptum in omni morbo maligno, desumiturque ex Galeno *lib. 3. de vulg. morb. sect. 3. text.* 58 vbi docuit; *in quadam pestilente constitutione effugisse venenum, & mortem comedentes viriliter.* Ratio est, quia præterquam quod vt diximus, effæminatur extremè in morbis malignis, operatur debilius venenatus humor, quo plus admiscetur cibarijs, nam cùm necessariò ab alimentis separatur, medietque inter venenum, & nos, seu partes viuentes, remittitur opus veneni. Sic experimento constat, tardiùs venenum necare admixtum cibarijs, quàm si nudum, & solum sumatur. Ob quod putauit Cardanus *error.* 53. errorem esse non leuem antidota in peste, malignisque febribus admiscere cibarijs, quia remittitur vis, qua pugnat contra venena ex admixtione ciborum, quod non cadit sub dubio: præterquam quod ingrata alimenta redduntur, quod summè est nociuum, quia cùm ob ingratitudinem nauseabundus reddatur ventriculus, coquuntur quàm pessimè, quia non retinentur. Est verò summa pernicies malè commutari alimenta in morbis acutis: quod consilium semper magnifeci, sicque multò ante cibum antidota exhibeo, & alimenta gratiosa, quantum intra limites morbi permittitur, impero, quod à *lib. Aphor.* 38. præcipit Hippocrates, dicens: *Parum deterior potus, aut cibus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus.*

Docuit Mercatus, lactantibus pueris sufficere lac. Si verò iam solidiora alimenta gustauerint, iura concedit pullorum, admisceitque alexipharmaca, fat etiam optimum est. Si verò alimenta crassiora ingerere nequeant, distillationem parant hoc modo. Recipe pullos duos ab omni excremento mundaros, corum ventres repleantur folijs Plantaginis, Scordij ana m. j. radicum scorzoneræ ℥. j. ß. confectionis Alchermes, & hiacynthorum dilutæ in ℥iij. aquæ rosarum, & scorzoneræ ad ℥ij. immorentur omnia vino albo, & coquantur in lib. iiij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & omnia simul instillentur in duplici vase cum iure prædicto, cuius distillationis aliquid admiscebitur porui, & dabitur bis, aut ter in die. Constat verò in assumentibus lac, solùm esse regendam nutricem optimo victu, & attemperante, vinum interdicendum omnino, cum distillationibus sit perniciosum. Potus sit aqua radic. cond illæ, & cinnamomo decocta, aut hordeo cum modico liquiritiæ, aut frusto auri calybeata, vel pro grandioribus succo limonis, & citri, vel granatorum admixta, quibus etiam vinum arcendum, nisi virtus debilis illud requirat.

Somnus moderatissimus sufficit in hoc malo, præsertim quando caput pars transmittens censetur, grauatur enim somno, & repletur, ideoque amplius in fauces distillat. Nunquam tamen somnus detrior, quàm post prandium, quia nunquam magis grauatur cerebrum. Continuæ frictiones crurum conueniunt, vt ligaturæ implacidæ: venter solicitandus clysteribus,

A si ætas ferat: sin minus suppositorijs. Oportet enim omni arte, & ingenio ad interna retrahere materiam fluentem in fauces, & guttur.

Aer verò morbi exordio ad frigidius inclinet; est enim principium tempus fluxionis, quæ calore medij augeretur; quando verò iam instat exspuitio materiæ, cessauit fluxio, estque tempus separationis febaræ, moderatè calidus conuenit, quem etiam vlcera semper exposcunt, nisi febris obstaret: Est enim frigidum, teste Hippocrate 5. *Aphorism.* 20. inimicum vlceribus, increduntur enim, exasperantur, & dolent vlceratæ partes frigoris alteratione; sunt enim debilis caloris, quia
B exhalantur per vlcus spiritus: pusillus verò calor extinguitur frigidis. Est etiam molestum frigus, quia non consuetum; nam etsi cutis partium denudatarum alterationi frigoris ambientis sit assueta, non tamen partium interna substantia. Vnde cum per vlcus hæc exponatur ambienti frigiditati, quia cute denudator ob solutionem continui, ægrè, & molestè fert ambientis frigiditatem: subintrat etiam ob eandem rationem proptiam partium vlceratarum substantiam, quia se denudatas exponunt, sicque mordentur à frigido, teste Galeno *in comment. Aphor.*

CAPVT X.

De Sanguinis missione.

C Breuissimè secandam esse venam in hoc malo, confitentur omnes; nam cùm ita firmetur causa in gutture, & faucibus, & tam difficile ob crassitiem, lentorem, & partium debilitatem possit euelli, si secando vanam statim non impediatur tumoris incrementum, frustra deinceps omnis labor suscipitur, ob quod summa ratione consuluit doctissimus Nuñez, non solùm semel in die, sed bis, & ter, si virtus toleret, secandam esse venam; sic enim reuellitur mirè & commodo magno humor fluxurus ad guttur, indeque consulit non esse expectandam accessionis inclinationem, sed in quouis tempore particulari transacto rigore, si quis fuerit, secandam esse venam. Esse verò efficiendas parcas missiones in quantitate, dum reuellere intendimus, docuit antiquitas tota, & Galenus doctissimè 5. *Me-*
D *thodi, cap.* 3. quod præceptum magis obseruandum in morbo præsenti, in quo nimis timemus virium iacturam. Copiosa enim sanguinis missio, præterquam quòd minus propriè reuellit, deficit vires; & si animi deliquium causetur ob immodicam euacuationem, linquuntur ægroti cum magno periculo, quia & ad pulmones fluit materia, & suffocantur faciliùs; fit enim in deliquio magnus retrocessus humorum ad intra, præterquam quod debilitatur virtus motiua in deliquiis, qua maximè egemus in hoc malo ad respirationem, tussim, & excreationem crassorum magno indigentem impetu; gargarisma etiam, & collusiones idoneis medicamentis aguntur motu locali partium internarum oris, ob quæ seruanda in robore virtus est motiua.

E Secatur vena communis, aut cephalica in principio, quæ verò eligenda, corporis status, & morbi indicabit; nam vbi plenitudo premit, & quod fluxit, non vrget, secanda communis semel, aut bis ad minuendam plenitudinem totius: dixi totius, quia si caput solùm sit plenum ob peculiarem occasionem, vt solet, semper secanda cephalica, quia & pars mittens, & locus affectus id indicant. Si verò quod fluxit ad guttur, & fauces, ob multitudinem vrgeat, secanda Cephalica, etsi plenitudo grauet; nam ex communi tardum speratur auxilium, quia paucum euacuat ex faucibus; & vbi tardè vocatus Medicus fuerit, vt iam grauet, & vrgeat quod in locis affectis continetur; constat non esse

esse efficiendas euacuationes reuulsorias, repetitas inquam, per paucas quantitates, sed semel euacuandum vberius, quia iam multum confluxit ad partem. Idemque obseruandum, si statim in principio (hoe est, primo die) ita præcipitetur natura, vt breuissimè magnam copiam transmiserit, vt solet, tunc enim reuulsoriis euacuationibus locus non datur, sed confestim euacuandum quod partibus hæret. Constat verò hoc vrgentiæ præceptum non tollere, quòd euacuatio eodem die repetatur, nam repeti debet magis quàm dum reuellere intendimus. Quòd ergo tollit, est, ne fiant tam moderatæ euacuationes, vt quandu reuellimus, quia vrget quòd intra partem continetur abundè. Quòd si semel corrumpatur malignè, frustrà tentatur curatio. Euacuandum verò quàm breuiter, antequam corrumpatur contagio. Breuissime ergo secanda vena in hoc malo, & idem auxilium eodem die repetendum, prout vires permiserint, & postulauerit morbos; in hoc enim maior spes salutis collocatur ab omnibus; serum enim, & pigrum videtur auxilium, vt multi faciunt eodem die, semel tantum euacuantes, nam morbo intra diem necanti, & impetuosæ fluxioni, impar auxilium est semel tantum in die vnò euacuare.

Sed non quia breuiter euacuate non consulimus, multum, & copiosè euacuare præcipimus, sed quod dicimus est, *quod euacuandum morbus expostit, euacuetur breuissimè*, hoc est, intra breuius spatium, quia si multum confluat in partem, exitialis efficitur morbus. Quod verò in morbis malignis breuiter destruentibus vires, & poscentibus simul robur animalis virtutis ad sui sanationem, multum euacuare non liceat proponendum non est, ne noctuas Athenas. vt enim in talibus plus datur alimenti, vt frenetur malignitas, impediatur virtutis collapsio, & robur in thoraee seruetur ad respirandum, & tussiendum, & excreationem crassiorum, ita multum euacuare non licet, & si quid euacuandum est, breuiter extrahere oportet, vt impediatur humorum affluxus, & ne desperatus morbus causetur.

Sed inter Scriptores non desunt existimantes, primam missionem sanguinis ex talo esse faciendam; sic enim putant reuelli depravatos humores ad partes distantes à corde, & membris nobilibus: nam si omnes euacuationes fierent ex brachiis, traherentur humores vitiosi ad partes supernas, præcipuè si corpus esset plethoricum, & inflammatio augeretur. Quod confirmatur ex humoris natura, nam cùm sit crassus, fertur deorsum facillimè pondere interno, sicque separatur à visceribus: quod præcipuè faciendum suadent *in menstruorum defectu, aut vbi inferior euacuatio aliqua suppressa sit, & antea consueta*. Ita etiam docet Ludouicus Mercatus *loc. cit.* dummodo plurima copia humorum ad fauces non defluxerit; nam in hoc casu, vt antea docuimus, ex partibus supernis sanguinem extrahit, & tundit cephalicas sin aliter, inquit, in pueris plurimo sanguine abundantibus ex cruribus primò, & mox eadem die ex brachiis: sic docent quidam experimento brachij obseruasse in principio morbi, appositis primò cucurbitulis in suris cum scarificatione, pueros sanitati citissimè restitutos fuisse, citatque Galenus *in fine libelli*, cuius titulus est: *Præsagium experientia confirmatum*. Et *lib. de cucurb. & scarif.* vbi ita reliquit scriptum: *Et sanè dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, nèque etiam morbus attigisset, secunda morbi die emissione febris facta crus scarificaui, duásque ferè sanguinis libras detraxi, & periculum vitaui.* Et Aët. *tetrab. 2. serm. 4. c. 46.* in fœminis menstrua etsi nondum venerint, sanguinem primò mittit ex talo.

Quæ doctrina non est improbabilis, duabus habitis conditionibus. Prima, quòd caput non mittat in fauces: nam tunc sine commodo secarentur venæ in malleolis. Secunda, quòd plurimum non fluxerit in locum affectum; & constat totum transmittere in guttur, tunc enim commodissimè vena secatur in talo ob dictas vtilitates, aut scarificantur in pueris suræ: quòd si corpus plethoricum transmiserit malum in guttur, vt cogamur primò ex cephalicis sanguinem mittere, eodem die scarificare suras optimum est ad vacuandum plenitudinem ad partes infernas, sit enim scarificatione vehemens attractio ratione doloris, & suctu cucurbitarum. Constat verò in pueris, si non possit vena secari ob ætatem, aut aliam causam, scarificanda esse brachia secundùm rectitudinem tumoris, aut apponendæ hyrudines supra communem, aut cephalicam venam: rarò mittendus sanguis in pueris ante tertium annum completum, & quia resoluuntur facillimè, lene alimentum dabitur ante missionem sanguinis, vt est in communi vsu.

B Verùm circa missionem sanguinis in hoc morbo prætermittendum non est quod putauit quidam huius scholæ publicus Professor, tex. de missione sanguinis, cuius verba sunt. Et propter hanc rationem in carbunculo anginoso, Hispanicè *Garrotillo*, nimis nocuum est sanguinem in maxima quantitate mittere: nam eùm fauces in hoc affectu, & caput asperæ arteriæ nimis debiles sint: quod constat ex eo quòd tanta excrementa coguntur recipere, vt ex alia parte pars quæ transmittit, scilicet vniuersum, corpus melius transmittat deposita sarcina, nimis nocuum est sanguinem mittere in maxima copia, cùm pars quæ recipit, eandem obtineat debilitatem post nimiam sanguinis missionem, & ex alia parte efficiens sit potentius.

C Quæ doctrina sustineri non potest, non quia edocet, euacuationem non esse efficiendam nimiam; nam hoc docēt omnes, & nos adduximus anteà; sed quia putat, quòd ad proportionem, quia quo plus sanguinis extrahitur, mittitur plus in locum affectum eo modo, quo in morbillis euenit. Docent enim omnes in morbillis, & variolis esse euacuandum corpus, etsi inceperint apparere exantemata, quia deonerata natura à multitud ne, grauatione potentior redditur contra remanentes humores vitiosos, eósque facilius, & magis ad cutem transmittit: idemque contingit in anginoso carbunculo, nimirum, plus à natura mitti in fauces, aut guttur, quo plus deonerata euacuata materia. Hæc, inquam, doctrina & eius fundamentum peccat in multis. Primò quia si onus, aut sarcina humorum tullit quod natura

D non pellat, non solùm non licet euacuare copiosè, verùm licebit nullo modo euacuate. Patet euidenter, quia impedimentum ad pellendum in faucesest multitudo grauans virtutem: ergo plus grauata natura mittet minus: ergo nullo modo erit tentanda euacuatio aliqua; melius ergo colligeret, quia natura deonerata missione sanguinis plus mittit in fauces, nullo modo deonerartur, quia sic mittet minus; nam sient nimis expellere est omninò vitandum, quia hoc sequitur ad magnas euacuationes; ita magis expellere, vitari debet, quia est eodem modo magis nocuum: sed per moderatam euacuationem redditur potentior natura supra residuam: ergo plus mittet quam anteà: ergo nullo modo euacuandum post, quia in opinione huius auctoris euacuatio nullam aliam vtilitatem causat, nisi deponere

E sarcinam, vt indè natura abundantiùs mittat in fauces. Peccat secundò, quia quod irritat quantitate, fit insuperabile vi euacuationis, quod est omnino chimæricum. Patet: Nam si duæ libræ sanguinis solùm natuam irritant, si hæ extrahantur, venæ sectione cessabit transmissio, quia cessat occasio mittendi. Innititur ergo eius doctrina fallaci argumento, quia supponit, plus remanere expellendum in fauces, quò plus euacuatur venæ sectione: hoc enim figmentum est, cùm possit euacuari omninò quod peccat, & non remanere quod irritet.

Tertiò, quia quotidie experimur mittere naturam totam materiam morbillorum, aut variolarũ ad cutem, & perfectissimè iudicare illos morbos, aut febrem progres-

fam

sam absque eo quòd Medicus aliquid euacuet : ergo si euacuaret antequam expelleret natura, mitteretur minus ad cutem, & iudicaretur perfectissimè morbus : ergo quando natura cœpit iam mittere in fauces, poterit mittere totum quod grauat; nam supposito quòd onus vitare non potuit, quòd incipiat expulsio, nec impediet quòd non continuetur, quia ad proportionem qua mittit in fauces, deoneratur pars, aut totum transmittens; poterit ergo mittere totum quod grauat : ergo euacuando illud, mittet minus absque dubio, & per consequens erit summum peccatum non euacuare copiosè, si ita plenitudo expostulet; quia sicut mittere totam materiam ad cutem in morbillis est saluberrimum, ita erit lethale totam materiam mittere in guttur.

Quartò, quia experimentum docet, quòd quando minus euacuatur corpus missione sanguinis, & morbillis, & variolis retrahuntur humores ad intra, ob quod timent Medici euacuationes immodicas, postquam apparere cœperunt, quia venæ inanitæ trahunt quod gratia vacui monetur : ergo eodem modo venæ inanitæ in morbo anginoso trahere poterunt ex loco patiente, aut mouebitur humor inflammationem faciens ad vacuum replendum. Quintò, quod habet rationem sarcinæ, respectu vasorum magnorum, non erit sarcina, si transferatur ex vasis grauatis ad alia : ergo cùm venæ sectione transferantur humores ex partibus internis, & vasis maioribus ad partes, in quibus venæ secantur, auferetur occasio mittendi, quia distribuitur sanguis in partes alias inanitas venæ sectione; nec explicare poterit, qui ita opinetur, quod commodum fiat venæ sectione moderata, quod non sequatur ex multa : nam si reuellit, euacuat, aut deriuat moderata euacuatio, eadem commoda inducet, imò & maiora, si maior imperatur, & fiat; & cùm minor euacuatio naturam deoneret, vt possit mittere plus, & ex alia parte plus mittendum relinquat in corpore, quod immoderata non facit, minus securum erit modicè euacuare, quàm euacuare copiosè.

Sextò, quia non distinguit hic Auctor hoc quod est pellere melius, ab eo quod est pellere magis : natura enim iam deonerata melius expellit quod remanet: primò expellit facilius, & minori impetu, atque labore; non tamen constat pellere magis, quia restat minus pellendum quo plus euacuatur.

Nec argumentum quod contra se conficit, videtur perfectè solutum; nam in dolore pleuritico, inquit, esset nociua sanguinis missio, quando venæ mittunt in pleuram, quia reddunt fortiores ad pellendum quò plus euacuatur, & sic inflammatio pleuræ magis augebitur. Respondet, esse discrimen, quia pars affecta in morbo suffocante est multò debilior quàm pleura in laterali dolore; nam sicut deterior morbus est suffocans, ita debiliorem reddet partem affectam. Est quidem solutio ridicula; nam morbum augere, amethodum est, & turpe facinus: ergo si euacuando multum in dolore pleuritico, mittitur plus ad locum affectum, quid interest partem patientem minus debilem esse morbi ratione? nam recipiet quod mittitur, vt recipiebat antea : ergo si mittuntur plus venæ, quo plus euacuantur, augebitur tumor, & inflammatio in pleura, etsi sit minus debilis quàm guttur, aut fauces morbi ratione : inquirendus ergo erat sic opinans, in dolore pleuritico, vel mittitur plus ad locum affectum, quo plus extrahitur sanguis, aut non. Si mittitur plus: ergo perniciosè extrahetur, quia augebitur pleuræ inflammatio. Si verò non plus mittitur quo plus euacuatur : ergo idem continget in affectu anginoso : nam partem affectam esse magis debilem, non facit ad maiorem fluxionem, sed ad recipiendum faciliùs quod influit: quod doctè adnotauit Galenus 6. *Aphor. comment.* 28. Eunuchi nec laborant Podagra, nec fiunt calui : si enim superfluitates in corpore desint, etsi partes aliquæ debilissimæ sint, non patiuntur fluxiones; quia non est quod mittatur in alias : *Euacuandum igitur est quantum expostulat plenitudo, & vires permiserint, eo modo quo diximus.*

Sic euacuato corpore missione sanguinis, notandum est, an suffocatio vrgeat ratione tumoris; nam in eo euentu secandæ sunt venæ sub lingua, euacuant enim miro modo à loco affecto, & celerrimam inducunt vtilitatem, vt ex Hippocrate acceperunt omnes. Hoc remedium vituperat Villarreal *lib. 2. c. 2.* sed sine fundamento. Supponit enim causam suffocantem non causare tumorem, sed erigendo latera cauitatum impedire respirationem. Dixi consulto, si vrgeat suffocatio ratione tumoris, & inflammationis, quia si sordibus crassis adhærentibus, vt solet, via respirationis obstruatur, non inflammationis magnitudine, nullius momenti erit venas leoninas tundere : supponit vt falsum Villarreal solùm euacuari sanguinem tenuiorem sectis venis sub lingua, vt minimè crassum educi, certè experimentum docet oppositum. Nam crassæ pituitæ multa copia videtur in sanguine extracto, quod præcipuè contingit, quando in aquam calidam lingua submergitur; nam aquæ calore, & humiditate, ita venæ, etsi paruæ, aperiuntur, vt facilè admittant crassum sanguinem : sæpeque experimur, relatas venas turgidas esse, satisque magnas, vt secentur quàm optimè, & euacuetur causa coniuncta, & non contineri hanc in poris, & capillaribus venis, docuit ille Auctor sinistrè; nam tumor contra naturam patentissimus oculis aliter generari non potest, quàm translato humore ex vasis maioribus ad capillaria, & poros partium tumentium.

Vbi tumor satis conspicuus apparet in collo, commodè contra illum sanguisugæ applicantur, nam ab humore illo fouetur interna inflammatio, & sic oportet illud celerrimè extrahere : quod faciunt optimè hyrudines suctu, nimirum trahunt vt cucurbita, sine dolore, sine magno virium dispendio, quia euacuant paulatim. Rectè autem adnotauit Mercatus, tumorantem causam esse extrahendam celerrimè, anteà nimirum quàm corrumpatur malignè, quia semel corrupta remedium non habet, & hyrudinum applicatio supplet in pueris sectionem venarum sub lingua, in eis enim secari non possunt, quibus etiam feris sanguinem mittimus in tenera ætate applicatis venis brachiorum; nam sicut ante tertium annum completum secare venam non licet, ita conuenit hirudines applicare venis brachiorum, aut scarificatione earundem minuere plenitudinem.

CAPVT XI.

De Expurgatione.

NOn minus controuersum est inter Medicos de vsu medicamenti expurgantis : Placet enim quibusdam non solùm statim à principio conuenire hoc remedium, verùm ante missionem sanguinis esse exercendum; nam cùm tantam contemplentur malitiam in causa, & humore fluente, vt à natura corrigi nequeat, & tam magnum vitium, & cacochymiam in sanguine pariat, esse educendum statim seligente medicamento docent. Quam doctrinam meritò Mercatus impugnat; nam impetuosa fluxio in partem tam nocibilem breuissimum, & certum exposcit reuulsorium auxilium, quæ commoda expurgatio non præstat, quia & tardè operatur ad venæ sectionem comparata, & est auxilium incertum, cùm tot causis sine frustretur; tum etiam, quia crassos humores purgare sine præparatione & cum corpore pleno, quis non videat difficillimum

esse, ne dicam periculosum; corpora enim plena non sunt fluida, humores crassi non sunt incisi, nec attenuati. Vnde impetata expurgatio in corpore pleno nil aliud est, quam succorum commotio vehemens cum parua eductione; commoti verò humores impetuosius irruete in guttur, probatione non eget. Quòd si contemplemur distantiam partis mittentis, frequentiùs id conuenire non posse inueniemus: nam leue medicamentum, vt in hoc concedibur malo, ex cerebro trahere, quod frequentius est pars transmittens, repugnat omninò, præcipuè vbi præparatio nulla præcessit, Est etiam commune præceptum in arte, vbi vtrumque auxilium indicat morbus, expurganti esse antepoendam venæ sectionem.

Iam verò euacuato corpore missione sanguinis, quòd liceat date medicamentum expurgans, docent omnes:
B nam cùm fluens humor tam malignam inducat naturam, vt coqui, & emendari non possit, omni arte euacuandus, antequam irruat in partem, & eam corrumpat. Dabitur verò moderatum medicamentum, iam bis, aut ter sanguine misso. Interim verò dū sanguis extrahitur, corpus conuenientibus serapiis vacuabitur, vt expurgetur facilius, & melius, vnde & bis, & ter in primis diebos imperabuntur apozimata idonea, quæ & humorem fluentem recipiant, incendium attemperent, & corpus lubricum reddant Parabitur verò ex serapio borraginis cum melle rosaceo, & modico oxymellitis, cum decocto hordei, radicum condrillæ, borrag. endiuiæ, oxalidis, semin. citri, cardui benedicti, pempinellæ veræ, scordij, adianti viridis, scabiosæ, quæ
C in gutturis tumoribus anginosis celebratur à multis: flor. cordialium, & radicis dictæ *contrayerua*. Præstant etiam serapia ex acido citri, limonis, de succo acetosæ, radicum condrillæ, endiuiæ, & rosar. rubear. diluta aquis idoneis ex iam relatis simplicibus: quibus potionibus immiscebuntur antidota, vt hiacyothorum confectio, pulu. elect. de gemmis sine speciebus, confectio Alchermis, & lapis bezoar, orientalis præsertim. *Obseruabitis tamen, nunquam esse deuoranda hac, aut alia, quin prius os internè mundetur à sordibus, ne simul cum illis intrò feratur venenosa sordities ab vlcere emanans.*

Rectè autem notauit doctissimus Nuñez esse imperandum huiusmodi auxilium, antequam desperata res
D putetur; nam si inflammatio magna sit, aut vlcus adeò malignum, quòd certissimam, & breuem mortem pollicatur, attenda omninò expurgatio, ne Medico mors imputetur. Purgandum igitur corpus breuius quàm fieri possit, antequam vires labescant, & malum increscat, & reddatur desperatum. Habet enim hoc infelicissimum apud vulgus impetata expurgatio in principio morbi, præsertim quòd mors, aut morbi incrementum remedio imputetur, non morbi malitiæ: & cùm expurgatio imperetur non ad euacuandum humorem in parte inflammata contentum, sed paratum fluxioni, aut actu fluentem, constat in principio eius esse occasionem: voco autem principium, tempus fluxionis. Conuenit autem præcipuè, quando totum mittit in guttur, & nimio humorum vitio cacochymia excitatur. Nam si caput transmittat, aut corpus sanguineum sit, securius existimo non expurgare, sed clysteribus hanc indicationem supplere. Nec enim caret periculo, succos iam inclinatos in partem determinatam agitare magis, & mouere; nam sic irritat magis naturam, & eos mittit in partem quam afficere cœperat.

Exercetur purgatio serapio solutiuo Regis, aut ex 9. infusionibus rosi. cum decocto Pugini, aut eisdem serapiis, cum diacatholico, & decocto cordiali, & fol. Senæ: & si bilis abundauerit, infundetur Rhabarbarum in eodem decocto, & dabitur cum aliquo ex dictis serapiis solutiuis. Agaricum vituperatur à doctissimo
A Nuñez, quia vomitum monet, & sic ad partem affectam inclinat humores: ob quam rationem & cartami semen suspectum videtur, quod tamen non timet Mercatus. Quia verò constat expurgationem agi, vt humores trahantur ex toto, aut ex cerebro, suntque pituitosi frequentiùs, satisque crassi, non licet tam leuiter expurgare, vt commotio magis quàm euacuatio resultet, sed dandum medicamentum respectu ætatis, & virium, quod mediocriter purget. Confert pueris serapium Regiom, aut ex pluribus infusionibus violarum, mel rosaceum persicum, aut manna in iure dissoluta. Quòd si pueri renuant, vt solent, medicamentum assumere, res agetur clysteribus, quibus insit vis expurgandi, & venter ab vmbilico inferius vngetur vnguento Agrippæ, & Arthanitæ.

CAPVT XII.

De Topicis auxiliis.

Topica medicamenta intus applicanda plurimam habent difficultatem, quia contraria sunt quodammodo ob permixtionem, quæ ex inflammatione, & vlcere desumuntur. Vlcus sordidum detergentia desiderat, vt abstergantur sordes. Hæc verò medicamenta inflammationem irritant, & fluxionem conuocant, & reddant partem recipientem debiliorem, quia poros aperiunt: at inflammatio in principio præsertim repellentia, & astringentia desiderat, vt firmetur pars, & repellatur quod fluxit: quod si repellentia, & adstringentia applicemus inflammationis ratione, vlcus deterius redditur, quia sunt frigida inimica, & adstringentia, repellentiaque non solùm sordes non auferunt, sed illas magis impingunt, sicque putredinem augent, & sordidius redditur vlcus. Rursus exsiccantia, quæ vlcera exposcunt, inflammationem indurant, prohibéntque crassorum exspuitionem, & excreationem: quo opere maximè indigemus, & quò magis serpit putredo, maligniórque redditur, tantò plus exsiccantia requirit, & quæ escharam efficiant: Hæc verò resudationem, & resolutionem humoris impediunt, quia cutem exsiccant, & poros occludunt, & humor impactus redditur crassior, sicque resolutioni magis ineptus. Deindè exsiccantia omnis, & quæ escharam inducunt ad compescendam serpentem putrilaginem, & inflammationem augent, & vlcus reddunt malignius, sordibus, vt anteà dixi, detentis, inducto dolore, & hoc, & calore conuocata fluxione de nouo. Qua ergo ratione omnibus subueniendum sit, paucis accipite.

Multi putant, ex inflammatione, & vlcere plus indicare inflammationem, quia suffocationis periculum non ab vlcere, sed à tumore breuiter suffocante emanat. Vlcus enim tardissimè necat; quod ego fateor ingenuè: ergo applicanda medicamenta statim à principio, quæ repellant, & moderatè astringant; sic enim firmatur pars, ne recipiat: quia verò inflammatio in parte molli, & tenui contecta tunica existit; idéque semper aliquid resudat, quod exspoi debet, & hoc excrementum aliquid detergens exposcit, quod etiam vlcus sordidum petit miscendo moderatè abstergentia, nec inflammationi, nec vlceri lædimus, sed efficimus quod indicant ambo. Sic ergo in principio gargarisma parabitis. Aquæ hordei ℔.ß. aquæ plantag. & cap. rosar. ana ℔.j. succi granatorum acidorum ℥.iiij. saccari albi ℥.j. misce. hordeum attemperat, & abstergit: aqua plantag. & cap. rosi. exsiccant, & adstringunt cum attemperatione, quod succus granatorum efficit, & si magis adstringat: saccarum etiam detergit, & sputum mouet, & omnia præter saccarum putrilaginem inhibent. Est enim vlceribus gratum lactis serum calybeatum cum osisaccaro simplici, & saccarū oprimum est,

est, vlcera abluit serum, & attemperat, dolorémque mitigat, detergit, vt saccarum & oxisaccara roborat: attenuat etiam, seu dissecat crassos humores, & putredinem inhibet. Componitur enim ex granatorum acidorum succo, & saccaro, & aceto, indéque huic affectioni vtilissimum auxillum, quia rarò non fit ex miscella crassorum humorum cum calidis, & biliosis; os attemperat mirè, pituitosos, & crassos humores incédit, & cum hoc roborat partem affectam. Serum verò calybeatum magis exsiccans redditur, & putredinem arcet. Præstat etiam decoctum hordei, rosar. rubr. liquiritiæ, fol. plantaginis, de quo sumantur ℔. ij. aceti ros. ℥.j. ß. diamoronis ℥. j. misce. His, & aliis gargarismum parandum statim in principio, quia vlcus non vrget: inflammationi verò timemus. Oportet enim eadem die prædictis decoctis aliquid aquæ aluminosæ miscere, maximè vbi incendium in ore sentitur, & excoriantur partes calore: refrigerat enim, exsiccat, & acrimoniam mitigat, & roborat partem, & obstat putredini. Componitur enim ex succis plantaginis, agrestæ, portulacæ, & albuminibus ouorum, cum alumine: sunt enim omnia simplicia frigida, præter alumen, calefacit enim, & exsiccat, adstringit, vlcera putrida emandat, & humida exsiccat, carnémque supercrescentem in vlceribus reprimit.

Quòd si vlcus sordidius appareat, decoctis prædictis addenda sunt simplicia abstergentia magis, & quæ putrilagini obstent, vt lupinorum, orobi, hordei, lentium, & fabarum decoctum cum melle rosaceo, & oxymellite. Præstat etiam mel rosaceum cum modica orobi farina permixtum, nam mirè sordicies detergit ab vlcere. Hoc tamen notabitis; quòd si simul inflammatio nimis molestet, & sordidum vlcus appareat, conuenit per interualla diuersis auxiliis vti, aut mixtum à diuersis componere, ne aliquod malum increscat, ita vt immedicabile fiat; & hæc sunt medicamenta, quæ propriè conueniunt vlceri sordido, renuisoribus humiditatibus, & ichoribus mediocris naturæ.

Si verò vlcus sordidius appareat mucosum, & viscidum, sorditie fœdatum, maiora adstringentia, exsiccantiaque magis conueniunt, vt impediamus, ne in carnem serpat putredo, & interius communicata desperatus morbus reddatur; melli igitur optimo, & pellucido puluis mirrhæ miscetur, aut mel rosaceum cum pauco aluminis crudi, & sulphuris: myrrha enim calefacit, exsiccat, abstergit, & putredinem cohibet, habétque vim glutinandi vlcera. Mel verò mirè abstergit, calefacit, & exsiccat, putredini obstat, & vtrumque excreationem crassorum humorum iuuat; eandem vim participat sulphur, etsi magis sit calidum, & resolutorium quàm myrrha; abstergit tamen mirificè: qualiter verò myrrha calida, & sicca cùm sit, somnum conciliet, non est huius loci. Celebris est, vtilissimaque vnguenti Ægytiaci lotura, sumuntur quidem ʒ. ij. & infunduntur in ℥. ij. aquæ hordei, plantaginis, aut seri lactis: post infusionem percolatur per linteum, & colatura tangitur vlcus: pro pueris verò delicatioribus satis est vnguentum Ægyptiacum linteo inuolutum, aquæ rosatum, hordei, aut plantag. iniicere, & illa aqua vlcus intingere. Si verò serpat putredo, & maiori exsiccatione, & abstersione sit opus, vnguentum Ægyptiacum melli optimo, aut rosaceo miscetur cum guttulis optimi vini albi. Hac mixtura vtitur doctissimus Nuñez, præsertim quando vlcus putridum incipit fieri. Recipe vnguenti Ægytiaci ʒ. ij. pulueris aluminis vsti ʒ. j. cornu cerui vsti, & coralli & myrrhæ, ana ʒ. ß. oxymellis schilitici, & rodomellis partes æquales sufficientes, vt benè permisceantur pulueres prædicti, vt fiat quasi opiata solida. Quo medicamento tangitur vlcus ter, aut quater in die, si opus fuerit: per interualla verò hoc gargarismate vtetur. Reci-

A pe rosar. rubr. fol. plantag. ana p. ß. hordei integri p. j. lentium ʒ. iiij. lupinorum n. xij. radicum ciperi ʒ. ij. radicum gentianæ ʒ. j. fol. oliuæ viridium n. xvj. coquantur secundum artem in tribus aquæ libris, colaturæ ℔. ij. & adde oxisaccaræ simplicis, & mellis ros. ana ℥. j. ß. oximellis simplicis ℥. j. misce. Vt expertum laudatur à quibusdam hoc medicamentum. Recipe pulueris radicum gentianæ, & æruginis, ana ʒ. j. decocti gentianæ ℥. viij. misce, & lauetur vlcus, deindo aspergatur puluere prædicto.

Si verò vlcus corrosiuum, aut putrefactiuum appareat, & serpat in partes alias, vt metus sit ad interna transire, exsiccantia, adstringentia, & scharam inducentia sunt necessaria. Optimum est quod parat Mercatus hoc modo. Recipe succi malicorij, & rosar. rub.
B ana ℥. j. ß. aquæ aluminosæ ℥. j. aquæ plantag. ℥. ß. pulueris atramenti sutorij ʒ. ß. sulphuris ℈. ij. misce. Præstat etiam miscere succo malicorij puluerem gentianæ, & aluminis cum pauco atramenti sutorij, & boli armenlaei, fol. plantag. radic. ciperi, & corticum lentisci, & centauræ. Quod si adhuc non satis exsiccetur vlcus, & putridum, serpénsque maneat, sumuntur arsenici gr. iiij. æruginis ℈. j. aquæ ros. ℥. ij. vini albi ℥. j. misce, & vlcus tangatur. Optimum fit præsidium hoc modo. Recipe stercoris canini ʒ. ij. pulueris hirundinum vstarum, & centauræ adustæ. ana ʒ. ß. inspergatur supra partem affectam. Est quidem mirabilis, vbi vlcus humidum, mucilaginosum, & serpens conspicitur, vt ego cum multis sum expertus.
C Nam caninum stercus Anginæ, & malignis vlceribus summè vtile esse Galenus docuit s . *lib. symptom. cap. proprio.* Hyrundines verò contra Anginam prærogatiuam habere, docent omnes cum Galeno 11. *lib. symptom. cap. proprio.* Centaura verò vlcera agglutinat, abstergit, resoluit, & exsiccat, & à mœrore putredioem inhibet. Vbi verò pulùis hyrundinum vstarum non inuenitur, loco illius substituo puluerem radicis gentianæ.

Si verò adhuc malum non mitescat, sed grauius affligat partem, quod constabit ex lucido, aut nigro colore, vel ex nimia mollitudine causata ex impensa putredine cum intolerabili fœtore, scarificabitur profundè, prout partis natura tulerit, & eadem aqua parata
D ex arsenico, & ærugine lauabitur, & inspergentur pulueres gentianæ, myrrhæ, & æruginis, aut cum melle rosaceo miscebitur atramentum sutorium, & pars tangetur, donec crusta fiat, & cohibeatur serpere vlterius putredo. Oleum salis arte chymica extractum, quod paratur à doctissimo Croleo, celebre puto esse medicamentum, & sine periculo ad cohibendam putredinem, penetrat nimis cum magna exsiccatione, moderato calore, & resolutione, & eater malignitate. Aqua Chalmetei ad lauanda sordida. & corrodentia vlcera, optima est, ita paratur. Recipe succorum rubi Sumah, virgæ Pastoris, plantag. solani, acetosæ, ana ℥. ij. albuminа ouorum n. 6. aluminis triti ℥. iiij. omnia distillentur alembico plumbeo: huius aquæ ℥. ij. misceri possunt quatuor arsenici grana, & partem iam incipien-
E tem corrumpi tangere. Confert etiam in hoc extremo periculo vj. aut viij. guttas olei vittioli ℥. j. aquæ plantaginis miscere, & tangere partem incipientem corrumpi. Est enim potentissimum remedium ad inhibendam putredioem, quia cum aciditate potenter exsiccat, & adstringit; sicque ad intima penetrat. Aqua aluminosa Falopi est etiam mirabilis: eam tradit Fragoso in antidotario, & auctor proprius *lib. de morbo Gallico, cap. 93. & 96.* attemperatur duabus partibus aquæ rosar. solani, aut plantaginis. Sic dispensatur. Recipe aquæ plantag. & ros. ana ℔. j. aluminis, & arsenici, ana ʒ. ij. redigantur in pulverem, & aquis misceantur in vase vitreato; igni exponatur supra craticulam, aut coquantur vsque ad consumptionem medietatis, sic permaneant:

neant simul per dies quinque, vt ad fundum resideant alumen, & arsanicum. Deinde aqua extrahatur, vsusque seruetur. Hæc verò medicamenta caustica, quæ in forma liquida applicantur, oportet ita applicare partibus malè affectis, vt alias non attingant, exulcerant enim illa, & maximum dolorem inducunt. Est verò opus in his partibus vlceratis malignè, medicamentis tam vehementibus, cum propter affectum, cum etiam quia humidissimæ sunt a natura, & excrementitiæ,& præcipuè quia in partibus oris detineri non possunt medicamenta caustica rectè applicata, & ita applicanda sunt quæ breuitar opus perficiant, & impediant putredinem.

Quòd si ardor & dolor relinquatur in partibus, decocto hordei cum saccaro, & lacte asinino gargarizato attemperabitur. Præstant etiam aquæ cucurbitæ, portulacæ, & plantaginis cum sirupo rosaceo, & papaueris, sed lac asininum mirabile est, quia attemperando detergit ob multam seri copiam quam habet. Confert etiam emulsio seminum frig. maiorum,& semin. papaueris albi cum aquis portulacæ, solatri, maluarum, & plantaginis. Item & serum lactis cum succo granatorum dulcacidorum, & saccaro.

Quòd si malum adhuc non cedat, ad cauterium actuale veniendum est, quo leuiter pars mucida, & putrilaginosa tangatur, & cauterium non erit nimis ignitum. Cautè tamen applicandum, ne partes sanas alteret, ob quod inuoluitur panno linteo aqua frigida madido, bolo armenico, aut cauterium intra fistulam immittitur, & sic alias partes non lædit, sed solùm læsas pertingit.

Circa quod auxilium notabitis diligenter idque doctissimè Noñez citatus animaduertit, non esse tentandum hoc remedium, quando constiterit corruptionem partes internas afficere, ita vt omnes partes putridæ cauterio actuali alterari non possint: nam etsi conspicuis auxiliemur, non tollitur vitæ periculum, quia internæ malè affectæ interimunt. Consulit ergo applicandum esse, quando putredo aliis remediis non cedit, & vsque ad finem vlcerum datur locus vrendi, & malum non est desperatum ob virium defectum, aut alium complicatum malum. Neque circa hoc remedium audiendus est Villarreal. *lib. 2. cap. 4.* Nam cum vlcera putrilaginosa, & serpentia, malignaque non admittat, in hoc malo nil mirum vituperata remedium.

Sed circa hoc celebre auxilium meritò dubitabitis, an semper sit expectanda omnium auxiliorum applicatio, antequam ad ignem veniamus, aut ad medicamenta potentialia: nam auctores grauissimi, quorum mentionem fecimus, ad actualia cautéria, aut potentialia solùm accedunt, quando reliqua auxilia effectu frustrata corruptionem partium reprimere non potuerunt: hoc autem videtur esse contra rationem, & perfectã methodũ. Nam si vlcus ex propria natura ita malignum est, vt lenibus remediis non cedat, & statim incipiens tam pessimam induat naturam, vt superet vim auxiliorum minorum, frustranea, & irrita erit eorum applicatio, cùm impatia sint viribus, & inæqualia morbo. Nam etsi incipiens vlcus in mole, seu quantitate paruum videatur, est tamen potentissimum in virtute. Vlteriùs, quia vt sæpè insinuauimus, maius periculum in hoc morbo includitur, putrefactione internis partibus communicata, vt sit necessarium statim omni auxiliorum genere impedire, ne serpat corruptio, & interna contaminet. Id verò nullo auxilio melius consequemur, quàm cauterio applicato omne venenum, & corruptionem stringente, præsertim cùm sæpè experiamur, vlcus paruissimum, & nullum dolorem, aut leuissimum inferens, neque aliud symptoma horribile, breuissimè, & intra noctis spatium tam magnum introduxisse contagium in reliquas partes vicinas, & in-

A ternas, vt omninò irremediabile fiat. Quomodo igitur periculo tam magno, & venturo tam breuiter auxiliabimur nisi applicato cauterio.

Præterea si pars animalis venenosi punctura, aut morsu vlcerata non solùm statim scarificatur, & vritur, verùm rescinditur, & extirpatur, ne inficiat partes internas, & vitam adimat, cur non licebit partem vlceratam tam venenoso humore, tamque malignum contagium communicandum promittente, & quia nescit sedari leuioribus auxiliis, statim scarificare, & vrere.

Mihi quidem ita videtur faciendum, si statim in principio cognoscatur vlcus esse corrosiuum, aut putrefaciens, de quo genere ferè semper sunt vlcera huius morbi suffocantis; nam morbi venenati, & contagiosi B tam breue exitium minantes magni sunt primo occursu, & horribiles, & per consequens magna requirunt auxilia, vt moderentur. Vnde breuiter euacuato corpore missione sanguinis, eo modo, quo diximus, ita vt bis, & ter eodem die mittatur, si virtus toleret, statim accederem ad absumendum venenum ferro candenti aut medicamento caustico, & scharum causante, impedientéque, ne vlterius serpat putredo, vt hinc constet non semper esse verum quod multi existimant, nimirum in mali principio habere inflammationem rationem vrgentis: sæpè enim, imò & frequentius experimur oppositum, nam cum satis moderata inflammatione non laue vlcus apparet, & aspectui horribile, & malè morigeratum: quòd si leuioribus tractes auxiliis, oleum & operam perdes cum manifesta ægro- C tantium pernicie, suntque ferè semper maiores, aut plus vrgentes morbi à tota substantia, & venenati, quam quilibet alij; nec obstat commune præceptum Galeni 4. *Meth. cap* 2. esse incipiendam curationem ab inflammatione, si cum vlcere complicatur, nam præterquam quod sic fit, cum priùs mittamus sanguinem, constat esse intelligendum præceptum, quando non datur vrgens, quod oppositum indicet.

Vt ergo id exquisitè assequamini, notabitis naturam inflammationis, & vlceris,& si inflammatio sit magna, vlcus verò paruissimum, boni coloris, non inæquale, nec malè morigeratum, quia nec plurimum infert dolorem, nec apparet crustaneum, liuidum, aut nigrum, aut alterius parui coloris, & æger benè tolerat morbum, non erit necessarium statim nisi mittere sangui- D nem, frigidis, & siccis, moderatéque adstringentibus medicamentis, cum aliquibus detergentibus mixtis ardorem reprimere, & partem firmare, & mitigare acrimoniam humoris, & abluere sordes, & omni ingenio reuellere, diligenter contemplando, num vlcus nimium fiat, & augeatur, aut non: si enim hoc secundum eueniat, & sordidum tantum apparet, tota ferè curatio ad inflammationem vertetur. Si verò serpat putredo, aut corrosio, nimiúmque fiat vlcus, cures illud statim, ne interna contaminet, nam timor qui multos terret, ne inflammatio augeatur, rusticus est, cùm facilius sit multò, inflammationi auxiliari, quàm aucto contagio; & cùm tarum sit extendi putredinem, quin inflammatio augeatur, & quando nimis extenditur, etsi E inflammatio sit magna, cogimur vrere ob mortis periculum, quantò facilius est statim à principio venenum extinguere, & impedire incrementum putredinis: nam etsi inflammatio fiat maior, minus malum censendum, quàm quòd fiat maior putredo, & extendatur vlcus, præter quàm non est ita certum inflammationem augeri, ad quod accedit, sæpè in crassis humoribus causam existere, qui nec multùm inflammantur, nec fluunt tam facilè, neque igne irritantur, & contra fluxionem venturam mille auxiliis pugnamus impedire valentibus, ne fiat ferocior, quibus fluxus humorum cedit facilius, quàm maligna putredo nimis extensa suis proportionatis remediis. Legatur Hippocrat. 5. *Epidem.* *tex* 4.

tex.4. in historia duorum fratrum, in cuius *comment.* sic loquitur Galen. *Quod quidem nos monet non obscurè in malignis inflammationibus, & gangrenis, non esse expectandum seruan auxilium in solis remediis vniuersalibus, tametsi hæc debent topica antecedere, sed cuissimè veniendum esse ad sectionem, vstionem & sectionem maximam, quin etiam considerandum, an materia venenosa sit, tuncque à pharmacis, quæ versus corpus trahere, abstinendum, nisi in toto corpore plurimum redundet, & missione sanguinis, quam ita affecti possint tolerare, vtendum, & diaphoreticis primo per halitum discutientibus, quæ simul sint alexipharmaca vtendis, maxque in ipsa parte ferro, igne, & sic cissimis medicamentis conandum putrescentiam extirpare, nam hac ratione in pestilentibus constitutionibus seruantur plurimi.*

Cùm ergo conueniant omnes benè sentientes, cauterium esse applicandum, quando malum non cessat, B quia putredo, & corruptio partium ita fieri suadet, quando securius est idem auxilium tentare, quando vires constant, malum curabilius existit, & minor est putredo, nam indicatio cauterij statim apparet, quia vlcus malignũ est in principio, & mali moris, & incipit cum partiu corruptione, & putrefactione: nam vleus nō fit ab humoribus sine deperditione substantiæ in parte vlcerata, præterquā quòd cauterizatio quò minor fuerit, tātò minus alterat partem, minor verò multò requiritur incipiente morbo, quàm quādo plures partes occupauit.

Docent Auctores, cauterium non debere esse multum ignitum, nec nisi leuiter esse applicandum, nam ignefactio profunda timenda est in his partibus, linteis madidis in ouorum albumine totum os defenditur C facilè; ponuntur enim supra partes sanas, vt læsa solùm discooperta relinquatur, atque facilè vritur sine aliarum læsione: facta vstione ponitur linteum eodem albumine ouì madidum supra partem vstam; sic enim attemperatur, & cohibent fluxio, reliqua verò lintea auferuntur, ad quod opus exercendum lingua deprimitur optimè, & totum os apertum tenetur apposito instrumento, quod nostro sermone à chirurgicis appellatur *Badal*, Græci verò *Glossocatho*con appellant. Constat verò cauterium debere esse ex classe dactylorum, sequenti die linteum aufertur, & vlcus lauatur bis, ter, aut quater in die, si id exposcat malignitas; lotio verò exsiccans, & abstergens conuenit, vt exsiccetur, si aliquid malignum igne consumptum non fuit, & excidat crusta; inentoque timeretur putrefactio, & erasio noua, si emollientibus, & concoctoriis crustam, aut D escharam tentaremus auferre in parte tam humida, & in causa maligna: est autem tale medicamentum succi pori depurati ℥. ij. succi scabiosæ ℥. ß. sulphuris viui, calcitidis vstæ, & lotæ ana gr. iij æruginis gr. iij. pulueris radic. gentianæ ℈. j. theriacæ recentis, quatuor scilicet, aut sexmensium ʒ. j mellis optimi ʒ. j. ß. misce; & quo medicamento parum vleeri applicatur. Est etiam optimum hoc: succi granatorum acidorum ℥. j. aquæ arnoglossæ, & scabiosæ ana ℥. ß. vnguenti Ægypciaci ʒ. ß. misceantur benè, & liquore tangitur vleus. Optima est aqua, quam ex Calmeteo adduximus antea, præsertim in pueris; sed est mirabile præsidium, & securissimum extrahere succum ex foliis durioribus oliuæ, & melle mixtum: extrahitur verò, si cum vino pistentur, & postea fiat vehemens expressio. Idem beneficium præ- E stat succus expressus ex foliis sumach, & cum melle applicatur: nec minus confert puluis radicis dracunculæ, seu serpentariæ cum melle applicatus; mirè enim cohibet vlcera depascentia: Confert etiam aqua viridis, quam ex arsenici gran. iiij. & ærugine adduximus anteà in aqua rosacea liquatis. Confert vbi cancrosum vlcus apparet, mixtura ex succis plantaginis, solani, & scabiosæ, cum pauco puluere sublimati miscentur benè, & mixtura tangitur crusta, & pars vlcerata. Non est autem opus docere, hæc medicamenta esse applicanda, ita vt alias partes sanas non attingant: sumitur ita penicillum, seu spicillũ, & in extremitate ligatur lana mollis, & A limpida, aut parum gossipij, & liquore madefactũ imponetur vlceri medicamentũ, & lauatur blandè, estque continuanda lotio, donec cadat crusta, & vlcus mundũ appareat esse, nec satis mundatum ex dolore cognoscitur, vt docuit Galen. quando sentitur, qui anteà ob sorditiem nō sentiebatur, præterquam quòd visu satis benè percipitur, tunc verò cessandū est à fortioribus medicamentis, & detergendum vlcus aqua hordei cum iodo mellis, aut mulsa, & decocto rosar. rubr. & fol. plantag.

Quibus verò ferrum, aut autum ignitum applicari non potest, vel ob timorem, vel aliam occasionem, applicabitur aliquod medicamentũ ex adductis pro lotione: sunt enim eiusdē effectus, licet remissioris, & sic pueris magis conueniencia. Idem præstat oleum vitrioli, aqua rosf. vel plantag. attemperatū, & quæ diximus conuenire, quando vlcus sit sordidum carnis, aut partis putrefactione, aut erosione.

Exterius iam diximus applicari hirudines supra tumorem post euacuationem totius: multi etiam consulunt esse applicandum cauterium actuale, aut potentiale supra tumorem in parte inferiori illius, nam cùm materia incoctilis sit, & maligna, solùm intendunt euacuationē illius, desperantes omninò de actione aliqua vtili à natura. Hoc remedium exercent, quando totum euacuatum est, & reliquis remediis non cedit, præcipuè si vesicatoria præcesserint, sed nullo modo. Itaque sicut in maligna febri cogimur euacuare materiam ante coctionem, etsi non sit incoctilis ex se, vt est materia huius morbi, ita cogimur ob eandem rationem bubonē aperire, quia malignus est, & incoctilis omninò. Hoc remediū adducitur à similiex doctrina Vallesij, qui *lib.7 Epid. tex.9.* tumores post aures, in quos terminari solet febris maligna ferro candenti aperit ante maturationem, cuius doctrina, quia tradit præceptum celebre in praxi, non sine altercatione multorum, putantium amethodum esse etudum tumorē ferro aperire, ad verbū transfertur. Sunt autem hæc. *Ego verò, quod in huiu remedi agretis, quibus per febres malignas parotides oriuntur, facere soleā, dicere non grauabor; quandoquidē censeo multos ita esse seruatos, quì aliequin interiissent. Mox ac orti incipiunt, partē laxātes oleo fusco, vt chamæmalino: itaque flexire curēt etur, loco ipsius cucurbitā affigo, ut abscessus fit minor, quā vt possit ferro: vbi autem satis manifestus iam factus fit, si breui increscat plurimum mitto rursum sanguinē, ne fit minor quām possit fistiteri: mox verò durū adhuc tumorē, quae vlla suppuratione expectata ignito ferro aperio, altera quidē in parte, si alteram solam obsederit tumor; in vtraque verò si vtramque, & cataplasma suppurans appono: plerumque res cedit benè, nam breui computrescens cū infista sibara tumor, manare pus incipit, & reliqua viscera purgantur, nec hoc videri debet nimiā atrox, pars enim adenosa per sese quidē vilis est, quamque eh id vrere licet, & secare, & vtrumque coētinere.* Hactenus Vallesius. Ex quibus verbis constat, non esse expectādam materiæ suppurationem in materia adhuc coctili propter maligniatem, & statim euacuandam esse: ergo meliori de causa in materia omninò incoctili tentabitur euacuatio, quando corpus iam inanitum est & alia auxilia irrita fiūt: quòd si cauterium actuale timeatur, potentiali exeitabitur; & quamuis fuppuratio in hoc malo impossibilis cēseatur à Medicis, nō possumus non apponere aliquid supra crustam inductā à caustico, vt vlcus maneat apertum, & expiret virulenta materia, etsi cocta non sit. Apponitur verò medicamentum suppurans solùm supra escharam, nam sūmè nociuum est partibus internis, & proinde in partibus aliis colli, vbi tumor non est, applicabuntur siccantia, & abstergentia, vt cohibeatur interna putredo. Hoc vnū vt certum tenendū est, quòd hæc medicamenta escharam inducentia, in puttilaginoso vlcere, & corrosiuo summè necessaria sunt, vt sunt nociua in vlcere, quod tantùmodo est sordidum. Rursus in ætatibus teniuoribus adhuc requirūtur magis, quia corrūpuntur facillimè, diligentet notādo, quòd nō incipit putredo ex internis, & ad extra cōmunicetur, quia vt Doctissimus Nuñez notauit, fine vtilitate tam atrox tentaretur auxilium, si omnes partes affectæ contagio leuiter vri non possint.

Medicamenta

Medicamenta verò, quæ collo applicari solent ad resolutionem inflammationis internæ, non debent esse oleosa, nec pinguia, sunt enim perniciosa, quia augent putredinem, & corrosionem. Vndè communiter vtuntur auctores emplastro ex farinis; quod contrastiomenum appellant cum oxymellite, aut serapio acetoso simplici, resoluit enim, & exsiccat, & putredinem cohibet: cui addere soleo puluerem stercoris canis, aut hirundinum vstarum, & antiquam theriacam. Vbi verò sordida vlcera sunt, conficio emplastrum ex hordei farina, succo apij, cum eisdem pulueribus, & idem stercus caninum rosaceo melli admixtum, paulatim per modum linctus absumitur, resoluit enim, abstergit, & desiccat. Emplastrum ex nido hirundinum celebre, dummodo olea, & vnctuosa auferantur, proinde paratur optime à Riolano, *sect. de morbis oris, cap.* 7. sumit enim nidum arundinis, & melle subigitur ad emplastri formam, & collo applicatur; huic addi potest stercus caninum puluerizatum, theriaca magna antiqua, & puluis radicis ireos, & flor. camemali, & apij succus: sola theriaca cum pulueribus stercoris canis, & hirundinum optima est. Quidam vt expertum laudant hoc. Recipe olei communis ℥. iij. salis ʒ. ij. coquantur ad mediciatis consumptionem, & calidum applicetur supra partes adenosas, & retro aures; sal enim videtur tollere noxam inferendam oleo: diligerem potius oleum Mathioli, vt quidam laudant.

Sunt autem plurimi per attrahentia pharmaca parti anteriori capitis imposita, conantes attrahere ad extra materiam fluentem ex cerebro, quos carpunt Mercatus, & doctissimus Nuñez: nam præterquam quod tam impetuosæ fluxioni ab eis tardum expectatur auxilium, augent mali causam, quia eam maligniorem reddunt, eo quòd magis acrem, & exulcerantem; nam cùm mordax, aut putrefaciens sit huiusmodi causa, calore medicamentorum attrahentium augentur illæ qualitates; doctissiméque animaduertit Nuñesius contra multos Auctores, quos sola Traliani lectio fefellit, nunquam Galenum in calidis fluxionibus cerebro imposuisse medicamenta ex sinapi, & tapsia, vt constat ex lectione Galeni 6. *de sanitate tuenda*, *cap.* 9. & 2. *lib. med. secund. loc. cit. de cataplasmatis in dolor. cap. ex doctrina Archigenis, &* 3. *meth.* 22. vbi in calidis cerebri distemperiebus abominatur Galenus vsum medicamentorum calefacientium, præterquam quod magno periculo applicantur medicamenta, & prædicta auxilia, tam cùm malum, vt sæpè retulimus, pendeat ex crassa materia intra cerebrum existente, trahi ad extra est difficillimum, facillimum verò, quòd calefacta liquetur, & fluat magis, aut quòd reddita crassior, & acrior fiat malignior, vtramque enim & liquari aliquando plus, & aliquando incrassari, certum est in Philosophia, reddi tamen perpetuò maligniorem, probatione non eget.

Distillationes ex cerebro cohibet Rolandus apponendo sincipiti emplastrum paratum ex acri fermento cum pulueribus carabei albi, bis illud renouat in die, manè, & vesperè in humida distillatione non exulcerante, etsi partes omnes columellæ, & faucium nimis extumescerint, miré fuit auxiliatum emplastrum in forma T. applicatum coronali suturæ. quod Iobertus pro Angina commendat: sic parari potest. Recipe ammoniaci dissoluti in vino albo ʒ. ij. taphsæ, aut sinapis ʒ. j. mastichis ʒ. j. ß. puluer. carab. albi ʒ. ij. cum therebintina, aut resina, paretur emplastrum ad formam literæ T. & sincipiti applicetur.

Multi etiam vesicatoria consulunt spatulis applicata, euacuato iam corpore; retrahitur enim materia ex locis fluentibus ad vlceratum dorsum; quod auxilium parum prodesse semper vidi: Est etiam satis molestum, quia in parte supra quam decumbunt ægroti, & inde continuò exacerbatur dolor. Si verò velletis aliquando applicare, ex probatissimis causticis est hoc. Recipe rutæ viridis, lentium, & florum camemali ana ʒ. iij. cepæ ℥. ß. caricarum siccarum n. vj. coquantur, & pistentur bene, deinde adde axungiæ porcinæ ℥. j. ammoniaci ʒ. iij. calcis viuæ ʒ. ij. saponis ℥. ß. cantaridarum n. iiij. theriacæ magnæ ʒ. ij. auros ℈. ij. reducantur ad formam emplastri, & calidum applicetur, spatulis sumitur quantitas pro qualibet spatulam grandioribus, quæ ponderet ʒ. ß. pro minoribus verò satis erunt duæ dragmæ pro qualibet spatula: hoc etiam est optimum. Recipe fermenti acris ℥. j. butyri, & axungiæ porcinæ ℥. ß. pulueris seminis nasturcij, & erucæ ana ℈. j. argenti sublimati, vitri combusti, & calcitidis lotæ, & vstæ, ana gran. vj. Euphorbij gr. v. theriacæ magnæ recentis ʒ. ß. aceti acerrimi parum, cum ℥. j. farinæ hordeaceæ, benè commixtis omnibus paretur emplastrum; delicatioribus verò, & pueris hoc præcipue conuenit. Recipe fermenti acris, & butyri ana ʒ. ij. pulu. nasturc. piperis longi ana ℈. ß. lapidis bezoar gran. vj. Euphorbij, calcitidis vstæ, & lotæ ana ℈. ß. farinæ hordei ʒ. iij. aceti acrioris ℥. j. vniantur omnia, & cuilibet spatulæ applica ʒ. iij. aut iiij. Confitetur Auctor Polyantheæ se plurimos à tanto malo liberasse: sumitur vermium, quos vulgus *cubyllas*, aut *cuberas* appellat, ʒ. j. ß. olei scorpionum ℥. iiij. misce, & in vase vitreo soli æstiuo exponatur per xj. dies, postea oleum percoletur, cui adde puluer. lapidis bezoar grān. iiij. vitri combusti præparati, & loti, calcitidis vstæ, & lotæ ana ʒ. ß. & cum cera alba fiat vnguentum secundum artem, cum quo vngatur spatula ad magnitudinem argenti magni, priùs tamen quàm aliquod ex dictis vesicantibus applicetur, lauanda est pars aqua calida, aut vino albo; depiletur etiam, & posteà linteo asperiori fricetur, vt rubeat, nam sic citiùs, & melius operantur caustica, quorum aliquod apponi potest supra tumorem externum: si citra actuale cauterium aperire velitis, vt paulatim instillet virulentus humor.

Non solùm in dictis partibus vesicantia applicant Auctores, sed etiam in corpore manus, vbi disseminatur vena cephalica; nam reuelluntur ad manus extremas humores ex capite, & gutture, & faucibus, quo etiam auxilio molèsti dolores dentium sedari solent, quæ nimirum extrinseca auxilia pueris necessaria sunt, quia externa máximè recusant, & si aliquod fortè auxilium intus apponatur, facilè deuorat aliquid illius, & summè læduntur. Vndè consilium Galeni, & omnium Medicorum memoriæ mandabitis tenaciter, nimirum esse distinguendam ætatem ab ætate, & temperaturam à temperatura, & per consequens robustioribus fortiora auxilia conuenire, moderata moderatis, debiliora debilioribus. Vnde doctissimè aduertit Nuñez in pueris vlcera esse abstergenda melle rosaceo; & si calida nimis fuerint, sirupo rosaceo, decocto hordei, vel aqua plantaginis, vel melle crudo cum puluere aluminis admixto succo plantaginis, quod est auxilium mediocre pro sordidis vlceribus, & vbi maior fuerit necessitas, conuenit lotura Ægyptiaci vnguenti cum modico aliquo ex dictis permixti, & si corrosiua conspiciantur, miscebitur mel rosaceum cum succo plantaginis, aqua aluminosa, & vnguento Ægyptiaco. Pro quibus etiam optimum est, quod ex succo folior. oliuæ melli permixto, modico myrrhæ, & aluminis paratur. Oleum etiam vitrioli aqua plantaginis temperatum, aut sirupo rosaceo securissimè applicari experientia docuit. Lapis lipis vocatus in decocto plantaginis, rosarum rubr. & halaustiorum dissolutus, dissecat optimè, & abstergit; si prædicto decocto pars vlcerata tangatur. Commodissimè etiam diluetur lapis ille pro pueris in aqua aluminosa communi cum succo plantaginis Aetius loco citando inferius dicit, mirabiliter auferre crustas malignorum vlcerum faucium stercus caninum

cum

cum melle illitum, & ciois hirundinum vstatum, & centauræ minoris vstæ eum melle.

Celebre medicamentum, & fecurum, quod Galeous parat pro malignis vlceribus depafcentibus: eft enim expers omnis malignæ qualitatis, ob quod omoibus fcharoticis præferendum effe docet: fic paratur: teritur galla ex acerrimo aceto, donec ad eam craffitudinem veniat, vt illiniri poffit, quod medicamentum cum fucco foliot.caudæ equinæ commodiffimè applicabitur; exficcat enim mitè cum adftrictione fine calore, & mordacitate.

Tandem circa vlcerum curationem aduertenda eft fententia Aetij *tetrab. 2 ferm.8.cap.46.* quòd vlcera hæc maligna nec digito tangantur, aut faltem id fiat leuiffimo, & blandiffimo tactu: Nam infeij (inquit) ad quos in rebus dubiis præcipuè homines confugiunt, B vehementius illiniunt, fimulque inflammatum locum comprimunt, fimùlque cruftam detrahunt; quod minimè facere conuenit, prinfquam eleuatam, & vix innitentem cruftam confpiciamus; quòd fi enim adhæreotem adhuc cruftam auellere aggrediamor, vlcerationes magis in profundum procedunt, & inflammationes confequuntur, augentur dolores, & in vlcera ferpentia præficiunt, itaque ficca remedia infufflare oportet; liquida verò cum pinnula illinito, ita vt quantum licuerit, pinnulam penitiffimè immittamus. Ex quo præcepto docent Medici, quòd cùm pueri nequeaot gargarifmatis vti, iniciantur cum fitinga medicamenta liquida.

Simplicia ergo, ex quibus parantur decocta pro gargarifmatibus in malignis faucium vlceribus, funt hordeum, rof. rubr. cicer, orobus, lupini, ariftolochia, C cyperi radix, hanc extollit Galeous 7. *fimp.* pro vlceribus humidis, quia exficcat cum adftrictione fine acrimonia. Idem Diofcor. Galeo. 8. *fimplicium*, cameleam melli admixtam vlcera fordida, & quæ maximas habent cruftas, purgare poffe tradit. Gentiana, yfatis fatiua, & filueftris, radix helenij, centaura minor, yua, feu camepitheos, prafius, iuniperus, abfinthium, plantago, fabioa, fcordeum, fcabiofa, flor. tenera fraxini, in aqua coquuntur, & decocto fumma vtilitate lauantur vlcera canerofa, decoctum marrubij, abfinthij, aloës, & mirrhæ cum pauco melle putridis vlceribus efficaciter auxiliantur, & nomas cohibet. Thelephi decoctum vlcera felephia dicta perfanat, de quo Diofcor. *cap. vlt. lib. 2.* laudat Galen. ad vlcera maligna terram D lemniam, bolum armenicum, & caninum ftercus: poteoter exficcat, & fine morfu, leuiterque adftringit decoctum radicis filicis, vt teftatur Galeous 5 *lib. med. fecundum genera, cap.1.* dum exponit panaceam antidotum; inquit enim fimplicia explicaos, quòd panacea recipit cameleontem, & centaurum, quorum vtrumque maligna vlcera iuuare notum eft. Accipit præterea ariftolochiam, & ytidem imbecilliorem prædictis, non tamen repudiandam pro malignis vlceribus: herbas autem (inquit) valentes affumit, quæ folæ maligna vlcera curare folent, camepitbium fcilicet, polium, & fimpbitum, quibus valentius eft marrubium, & helenium, laudatur vis tortæ lege pro malignis vlceribus oris, & faucium apud Roffeum *tex. de fcorbuto, fol. 172.* qua loco herbæ britannicæ vtitur.

E vltimò notabitis, huic malo non rarò febrem malignam affociari, cui auxiliandum ferapio de acido citri limonum, endiviæ, oxalidis, borraginis, fcorcioneræ, acetofo fimp. & aliis eum decocto fcordij, cardui benedicti, hordei, oxalidis viperiæ, radicum endiuiæ, bugloffæ, borraginis medullæ tamarindorum, feminis citri, pimpinellæ, fcabiofæ, & radicis contra yerua dictæ, cuius decoctum pro malignis vlceribus laudat Mercatus ad exficcanda vlcera, & cohibendam malignitatem cum moderata adftrictione.

Quod fi decocta tenuatis, inftillatiras aquas ferapiis

A mifcebitis, quæ ex relatis fimplicibus inftillantur non obliuifcendo antidota cordialia, & in poriooibus, & feorfim adhibita. Cordis habenda cura, & coiufque rei deglotionem præcedat excrementorum oris excreatio, & derfio, ne lotione venenofa excrementa cum rebus degluriendis ferantur ad vifcera.



SECTIO IV.

De Morbis acutis Thoracis.

SVnt exitiofæ paffiones, quæ Thoracem infeftant acutè, omnes enim cordi infidiantur principaliffimo vifceri, cuius acuta mala ocifsimè enecant: Sunt verò præcipuæ paflioaes pleuræ inflammatio fepti tranfverfi, mediaftini, Pulmonis, fanguinis fputum, & fluor, & pro omnibus acutiores putantur, fyncope inducentes. De iis igitur feorfim inftituendus fermo. Notabitis tamen, quòd Auicenna *fen. 10. 3. text. 4. cap. 10.* per plura capita agit de hoc morbo, & aliis inflammationibus partium diuerfarum thoracis; tam confusè tamen varia fimul inculcans, quòd effet faftidiofum nimis ordinem illius imitari, ob quod felectiora, & melius digefta vobis exponam, ne prolixitas afferat tædium.



DISPVTATIO I.

De Pleuritide.

CAPVT I.

Quid fit Pleuritis, & quibus cognofcatur fignis?

PLeuritis exquifita, prout diftinguitur contra omnem alium dolorem lateris, eft *Inflammatio membranæ fubcingentis coftas, à bile, aut fanguine caufata*; eft affectio, quæ nomen à loco affecto recipit, Pleura fcilicet, vt teftatur Galen. *2. met. cap. 2.* Vnde conftat, Pleuritidem propriè fignificare inflammationem illius partis, & dolorem lateris fecundariò, quia neceffariò fequitur inflammationis naturam. Dum verò dicimus effe inflammationem, fumimus illam pro tumore contra naturam, non pro phlogofi, vt malè opinatus fuit Vega *in Schol. cap. 2. lib. 5. de locis*: contra quem duo conficiuntur fortiffima argumenta. Primum, quòd pulfus durus, & ferraos eft accidens effentiale morbi ex communi doctrina Galeni, & Medicorum: non effet verò tale, fi folùm ardorem cum humoris affluxu includeret, quia in omni febre putrida repente datur calida diftemperies cum humoris affluxu, non datur verò pulfus durus, vt accidens effentiale illius. Secundò fumitur ex fputo, & modo iudicationis Pleuritidis; non enim fputo indicatur, fi folum incendium includeret, quinimò ficca pleuritis effet falubrior quàm humida, in qua multum exfpuitur. Patet quia humida fluxionem magoam in Pleuram fignificat, quam quia non capit, extra regurgitat: hoc autem deterius eft, quàm fi tam moderata fit fluxio, quòd nihil regurgitet, fed totum intra Pleuram imbibatur; at contrarium docet Galenus, & Medicorum fchola, vt defperatas pleuritides indicantes, in quibus nihil exfpuitur, quod clarè fignificat Auicenna in litera dicendo: Verùm non eft pleurefis nifi àpoftema calidum in partibus pectoris. Nec fundamentum Vegæ eft fatis efficax; nam quòd pleuritici ab eo

dissecti nullum haberent in Pleura tumorem, non obstat, quia potuit mutari in aliam partem. Secundò, quia non est idem dolere latus, & laborare Pleuritide: experimur enim quotidiè, pleuras, & partes alias Thoracis esse fucum in malignis febribus, & latus dolere, & perire ob malignitatem febris, & non ratione tumoris, quia non erat; & sic putandum est euenisse dissectis ab illo, & non dantur fluxiones in cerebrum, & causantur phrenitides, & lethargiæ absque tumore; ita pleuram eodem modo afficere possunt, in quo euentu erit dolor lateris, non tamen vera Pleuritis, quia hæc exposcit durum pulsum, vt essentiale signum, quem phrenitis non requirit, etsi illum habere possit. Dum verò dixit Galenus *lib. de constit. artis medic. cap. 15.* quòd Pleuritis est affectus phlegmonosus, quia necessariò habet symptomata tumorem, ruborem, & dolorem, non est intelligendus, quòd tumor sit symptoma morbi constituentis Pleuritidem, est enim potius illius essentia: sed Galenus considerando, quòd omnis tumor fluens in partes contra naturam, prius illam distemperat, quàm in tumorem eleuet, ideò illius distemperiei dicitur tumor symptoma, quamuis essentia Pleuritidis in illo consistat, quia est distemperie posterior, vt est omne symptoma respectu morbi à quo pendet. Dixi verò esse inflammationem membranæ subcingentis costas, quia sic definiuit Galenus *1. de loc. cap. 6. & lib. 5. cap. 2. & lib. de constitut. artis medic. cap. 15.* quem omnes Græci sequuntur: Auicenna verò Pleuritides appellat apostemata omnia Thoracem infestantia secundùm membranas, aut musculos, quia loquitur de propria, & impropria Pleuritide. Exquisita verò solius Pleuræ inflammatio putatur à Galeno, cuius ratio examinabitur posteà. Dixi vlterius debere fieri à sanguine, aut bile, si exquisita sit, quia Pleuritis exquisita est acutissimus morbus, acutiem verò deponit, si ex pituita, aut melancholia causetur: quod in litera capitis Auicenna testatur dicendo, & nos iam ostendimus in lib. vniuersalibus, quod non est ex conditione apostematis calidi, vt non sit ex phlegmate, & ex melancholia, imò quando fit ex phlegmate, & melancolia secundùm modum, vt non sit acutum, nisi quando ex cholera, aut sanguine est; nam si est ea aliis ab iis diebus, est chronicum, & hæc inquit, res est, ob quam plures hominum non comprehenderunt, qua ratione a pituita, & melancolia fieri possit, quæ sunt frigidi humores, cùm tamen ad rationem apostematis calidi satis sit, aut quòd humores fluentes sint calidi ex propria natura, aut ratione putredinis, & ita quando pituita, aut melancolia putrescunt, calidum apostema creant; requirit verò Pleuritis, quòd putrescant humores, & ideò omnis pleuritis est apostema calidum.

Signa huius inflammationis Pleuræ, quam exquisitam dicimus, traduntur ab Auicenna *cap. 2.* Primum est febris inseparabilis, id est, continua. Reddit rationem, quia apostema est in loco cordi propinquo; desumpsit ex Galen. *lib. 5. de locis, cap. 3.* dicente: *Atque vehemens quoque febris huiusmodi inflammationem perpetuò sequitur, quia sedes affecta & parum distat à corde, & cum panniculo ipsum inuoluente, ac septo transuerso cognationem habet.* Vbi claré docet, non solùm esse continuam, quia necessariò sequitur; sed esse vehementem: quem locum non rectè calluit doctissimus Mercatus: docet enim hanc febrem esse de genere ardentium, non quidem ex affectus conditione, & natura, sed ex situ affectæ particulæ, quia propè cor sita est pleura. Est enim euidens, quòd si pituita, aut melancolia in pleura putrescant, non causabitur febris ardens, quia frigidi humores nunquam tantum calorem concipiunt, quòd ardentem febrem generent: Vnde enim implacabilis sitis, & ingens flamma per corpus totum, si in omnia ipsa ingentem calorem concipi impugnat: ergo non sufficit locum affectum esse cordi propinquum, sed esse

A determinatum affectum, vt ardens febris oriatur; quòd claré colligitur ex Galeni doctrina *lib. de constit. artis medic. c. 15.* dicentis: *Febris comitatur necessariò, tum propter affectum, tum ob situm particulæ affectæ, quorum si adsit alterum, non necessariò consequetur febris*, &c. Si verò ad febrem absoluté requirit Galenus & situm propinquum cordi, & determinatum affectum; multò magis hæc duo requiruntur ad ardenter & acutè febricitandum, cùm plus sit ardenter febrire, quàm absoluté; esset enim omnis hectica ardens, quia nulla magis cordi propinqua, quàm hectica, cùm febricitet ea se in opinione communi, & ita passum, & agens non distant; distant verò in Pleuritide: quando verò Galenus dicit *5. de locis, cap. 3.* febris est vehemens, quia sedes affecta parum distat à corde; illud dicit, quia supponit
B affectum esse inflammatorium, atqui vehemens (inquit) febris huiusmodi inflammationem perpetuo sequitur, quia sedes affecta parum distat à corde: est ergo vehemens propter duo, & quia malum est inflammatio, & quia partem cordi propinquam necessariò molestat.

Secundum signum (inquit Auicenna) est dolor pungitiuus sub costis. Rationem reddit: *Quantum pars affecta est panniculosa, id est, membranosa.* Galen. *lib. de constit. artis medica, cap. 15.* loquitur sic: *Dolor igitur homo quantum affecta est inflammatio, species verò doloris pungens, quod membranosa sit partis affectus substantia.* Idem docuit *2. de cris. cap. 10.* Est verò pungitiuus dolor, quia cùm sit densa nimis substantia membranæ, non penetratur, nisi per minima diuidatur humor, dum in-
C ingreditur poros membranæ; & ideò apparet, ac velut si re acuta, vel stilo pungeretur; densum enim quàm minimos poros participat. Aduertit Auicenna, quòd hic dolor sæpè non apparet, nisi quando respiramus. Ratio est, quia dolor non fit, nisi quando natura corrumpitur: Sæpè verò humor non fluit, nec corrumpit de nouo; quando verò Thorax mouetur, corrumpitur ob duo, & quia distensio in dilatatione fit maior, sicque rumpitur; & quia ad motum Thoracis commouetur etiam humor, & tangit partem, alteratque de nouo, ob quod dicebat Galen. *1. lib. de diff. respirat. cap. 9.* omne inflammatum desiderare integram quietem. *Si enim* (inquit) *moueantur, & inuicem terantur, ipsius partes premuntur, & fluxione infestantur, & omnifariam dolore affliguntur.*

D Addit Auicenna: *Et quandoque est cum punctura tensio, & quandoque est plurimum, & tensio quidem significat multitudinem, & punctura fortitudinem in penetratione, & mordacitate.* Vt causetur dolor punctorius, sufficit humoris penetratio per minima, vt dixi: vt ergo sit tensiuus, non est satis quælibet humoris accumulatio, sed requiritur magna, vt pondere partem distendat, & grauet; si ergo accumuletur magna humoris quantitas, erit duplex ratio immutandi, & dilacerandi membranam; punctura nimirum, & pondere. Constat verò hoc duplex obiectum non sentiri ab eadem numero parte exquisita, si Galeno credimus *2. Aphor. comment. 46.* exponendo enim hanc sententiam Hippoc. *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus vehementior alterum obscurat*: dixit *in comm.* nunquam posse duos do-
E lores in eodem loco fieri; quod etiam tanquam certum tradit Magister *lib. de locis affect. disp. 44. c. 4.* quæ doctrina mihi non probatur, nec video vnde sit repugnantia, quòd eadem pars exquisita sentiat simul duo obiecta molesta, vt visus videt simul diuersa, & gustus etiam percipit, & sic existimo in pleura esse posse simul in eadem parte dolorem pungentem, & grauantē; si enim ob grauitatem, & copiam humoris tota Pleura distēdatur, vt potest, & accedat de nouo humor biliosus per minima penetrans, dolebit punctoriè, & tensiuè. Nec mihi placet doctrina Ambrosij Nuñez *in exposit. Aphor.* non posse esse dolores in eadem exquisita parte, quia

quælibet

quælibet causa infert sensum tristem, & inde conspirat vtraque in eadem sensatione; certè sensus tristis genericum quid est diuersas molestias specificè includens; alioqui neque seorsim obiecta diuerso modo immutarent, sed causaretur idem dolor semper. Patet, quia semper inducitur tristis sensatio: vt ergo seorsim applicata obiecta diuersa diuersè mutant tactum, & verè distinguitur vna sensatio ab alia, ita si simul occurrant, percipientur simul, quia immutabunt diuerso modo, vt immutant seorsim, cùm per simultaneum concursum naturam non mutent.

Tertium signum (inquit Auicenna) est constrictio anhelitus propter coarctationem factus ab apostemate, & paruitas, & frequentia eius: coarctatio respirationis est strictura quædam, & sensus angustiæ inductus ab ipso tumore comprimente, & veluti conuellente membranam. Ex hac tensione, & compressione sequitur paruitas, quia membrum distentum per vim motiuam dilatari nequit per magnum spatium. præter hanc causam est alia paruæ respirationis, nempè dolor, qui augetur in ipsa distensione, & commotione Thoracis, inde fugiente natura incrementum doloris, cessat à commotione, & distensione Thoracis; frequentia, seu crebritas respirationis nascitur ex eo quod non satisfacit vsui natura per paruam dilatationem, & ita opponit crebritatem; sed ita fuga doloris crebritatem causat, quia vt quando Thorax dilatatur, fit dilaceratio loci inflammati, & fugit natura dolorem, sic quia in ipso termino dilatationis adhuc continuitas soluitur, refugit natura magnam quietem, & sic parum in quiete detenta comprimi incipit, quod est facere respirationem crebram, ob quod dicebat Hippoc. 1. *Prognost. Spiritus creber dolorem significat, aut inflammationem in partibus, quæ sunt circa septum transuersum.* Vnde Galen. 1. *diff. resp. c. 7.* per solum dolorem in instrumentis respirandi crebram respirationem fieri docet: vbi notauit, quòd vt doloris incrementum impedit celeritatem motus, quia auget dolor etiam in motu celeri; sed minus multò (inquit) impedit celeritas, quàm magnitudo, quia magis hæc, quàm celeritas facit ad incrementum doloris.

Sed dices: ad dolorem requiritur subitanea naturæ corruptio, nam quæ paulatim corrumpunt, indolentia sunt: ergo celeritas motus plus facit ad dolorem, quàm magnitudo. Patet clarè, quia si per motũ corrumpitur, & hic fiat lentè & tardè, non erit corruptio subita, sed lenta, & per consequens indolens: ergo tota dolendi causa in celeritate est, non in motu distensionis fugienda: ergo magis celeritas, quàm magnitudo. Respũdetur, quòd corruptio celeris non pendet in Pleura ex celeritate motus Thoracis, sed ex distensione partis inflammatæ, & renitentis, quamuis distensio paulatim fiat. Ratio est, quia respiratio sequitur distensionem membranæ propria renitentia, seu soliditate ruptioni resistendo. Vndè quando rumpitur fit subitò, etsi tendatur paulatim, exemplo constat, si fustem duram, & renitentem frangas, nam quando curuatur, & vna extremitas alteri approximatur, quamuis lentè incuruetur, rumpitur continuitas subitò, quod indicat fragor magnus ad ruptionem sequutus: sic contingit in casu argumenti ob renitentiam membranæ.

Quartum signum tradit Auicenna dicendo: *Et quartum est pulsus serrinus, cuius causa vel diuersitas augmentatur, & egreditur ab ordine apud statum, & debilitatem virtutis, & multitudinem materiæ.* Idem docuit Galen. *de constitut. artis medic. cap. citato. Pulsant* (inquit) *ipsis arteriæ magis, celerius, crebriusque quantum febricitant.* Quia verè neruosa est pars, quæ phlegmone laborat vnà cum tensione, & duritie non est verò intelligendus, quòd ad duritiem pulsus sit requisitum, quòd inflammatio partem neruosam molestet; nam in angina, & pulmonia biliosa pulsum durum concedit, & non afficiuntur partes neruosæ. Vnde *lib. de puls. ad tyrones*, enu-

A merando pulsus inflammationem, dixit tensionem, & duritiem habere rationem effectus. Vnde in duritie nullatenus colligit Medicus pati partem neruosam; ex magna verò tensione, & duritie colliget rectè. Vnde melius scripsit Galenus 2. *de cris. cap.* 10. Pulsus pleuriticorum, vt duram tensionem præ se fert, neruosum esse locum affectum ostendere: & clarius 4. *de caus. puls. cap.* 7. dixit: quòd neruosa etiam sit pars, quæ afficitur, hinc Insigniter durus est. Fit verò pulsus durus in hoc malo, quamuis Pleura careat arteriis, quia ex duabus, quas participant tunicis, exteriorem à Pleura mendicant. Vnde magna tensio etiam videtur causari, quia arteriarum origo secundùm partem laborat. Galen. 6. *de vsu partium, cap.* 5. *&* 7. *de annot. adm. cap.* 2.

B Serrans pulsus non est alius à duro: addit tamen supra duritiem, quòd sit inæqualis, ac per consequens repræsentetur vt serra, quæ dura est, & inæqualis, habet enim partes quasdam eminentiores, quas dentes appellat vulgus; prouenit verò hæc inæqualitas, vt Galen. docet 4. *de caus. puls.* inflammationis, ob inæqualem intemperiem arteriarum. Verba sunt: *Rectè igitur omnes, quos ex inflammatione febris arripuit, habent pulsum durum, & verò etiam ob intemperiem arteriarum in vno pulsu inæqualem: quæ si ambo coniuncta sint, existet proculdubio species illa pulsus, quæ veluti serrat tactum: eam enim oportet, qui tangit, vt imaginem concipiat, vbi inæqualiter instrumentum durum occurrat.* Si enim partes arteriæ inæqualiter sint calidæ, dilatabitur plus calidior pars, & per consequens occurret inæqualis immutatio in digito, C quia pars plus distenta erit eleuatior, & veluti dens in serra. Sed præcipua ratio huius inæqualitatis pendet ex inæquali tensione; nam cùm humor fluat inæqualiter, non distenditur pleura vniformiter, & ita tendit inæqualiter arterias. Est etiam necessarium, quòd tendantur minus partes, quæ magis distant; & propterea dixit Galenus, quòd hæc differentia pulsus est propria pleuriticorum. Est verò differentia propria in Galen. quæ conuenit omni, non tamen soli; dixerat enim in principio capitis: *Omnis inflammatio habet communem pulsum veluti serrantem.* Ex quo loco conuincitur error Eustachij putantis, quòd distinguatur Pleuritis à ceteris inflammatione per pulsum serrinum, cùm ex Galeni doctrina omni inflammationi sit communis; est verò magna differentia in magnitudine, & paruitate D in Pleuritide, quia vt durior est, arteria redditur paruior, vt minus tensa, è contra: sic ratione finis, & aucti caloris nimis euariat in eisdem differentiis; & inde Galenus interdum appellat paruum pulsum, interdum magnum, sed quod magis obseruandum est, pendet ex falsa repræsentatione vehementiæ; omnis enim tensio in arteria imaginem vehementiæ apparentis demonstrat, quia resistit pulpæ digitorum, cui vehementiæ fidendum non est, cùm sit apparens, non vera, quod doctè notauit Galenus *lib. de Puls. ad Tyrones, cap. de puls. Pleur. &* 4. *de caus. puls. eodem cap.* Dicit tamen Auicenna, *quòd redditur pulsus inæqualior, & inordinatior in statu, & debilitate, & multitudine materiæ*: in statu, quia tunc efferuescentia instrumentum vitiat magis E in materiæ multitudine: ob eandem rationem in virtutis debilitate, quia hæc non est nisi vbi morbus increuit, & sic cum multitudine coincidit; est enim idem ad inæqualitatem pulsus causandam, inflammationem incrementum suscipere, aut ipsa non aucta effæminari cutem, quia tam impotens est virtus in vno euentu, quàm in alio.

Quintum signum (inquit Auicenna) est *tussis, quandoque enim accidit in principio huius ægritudinis tussis sicca, deinde cum sputo, & quandoque est hæc tussis in principio cum sputo, & laudabile est valdè, & tussis quidem accidit, nisi propterea quod Pulmo læditur ex vicinitate, amplius resudat ad ipsũ, id quod resudat, est materia ægritudinis, quare indiget sputo eius.* Hæc doctrina desũpta fuit

ex Galen. *lib. de constit. art. medic. cap.* 55. *&* 2. *lib. de crís. cap.* 10. reddit rationem, nam quando inflammatur pars aliqua, quæ cute rara, tenuique substantia tegitur, necesse est vt ex loco inflãmato resudet aliquid per poros, vt patet in inflammatione oculorum, & oris: vnde cum tenuitate substantiæ constet pleura, necesse est, quòd ex ipsa inflammata aliquid resudet, & tussim moueat, quia lædit pulmonem, & aëris ingressum impedit; est enim Pulmo Pleuræ vicinus, & ideò statim trahitur in consensum, trahitur verò necessariò; aliquid resudat in exquisita Pleuritide: dicit verò Auicenna, quòd hæc tussis aliquando est sicca, quia non semper resudat tanta copia, quæ ad sputum sufficiat, requiritur enim minor quantitas ad tussim, quàm ad sputum: Si verò statim tussiat æger, & exspuat, laudabile est, quia inflammatio significatur blandior, & mitior, & concoctu facilior: non exspuere verò, malignum est, vt dicemus. Est enim notanda doctrina Auicennæ dicentis, quòd tussis non accidit, nisi quia vicinitate læditur pulmo, amplius resudat ad ipsum, id quod resudat ex materia ægritudinis, hoc est tussis non fit, quia resudat necessariò aliquid ex loco inflammato, & quia locus est Pulmoni vicinus, necessariò trahitur in consensum, & inde in tussim, nam vicinitas non est satis ad tussim, nisi resudet aliquid. Galen. 2. *crís. cap.* 10. sic loquitur: *Tussiat igitur statim homo, non etenim omninò statim exspuet, sed si quidem multum, ac crassum ab inflammatione defluxerit, cum tussi exspuat: si verò paucum, & tenue, irritabitur quidem necessario, ita vt tussis moueatur, non tamen exspuet, antequam collectum simul, atque concoctum ad multitudinem, crassitudinémque peruenerit; nam cùm pars sufficienter angusta fuerit, & veluti alligans in se ipsa vniuersum fluxum cohibuerit, tunc facit morbos laterales, qui succi nominantur.*

Hæc sunt quinque signa ab omnibus celebrata, vtpote constituentia integram sindromen signorum essentiam Pleuritidis exquisitè demonstrantium, quæ insufficienter fuisse enumerata ostendit doctrina Galeni *lib. de constitut. art. medic. cap.* 10. qui post enumerationem horum quinque signorum sic loquitur: *Hæc itaque ex necessitate subiungentis membrana phlegmonem sequuntur symptomata; ex necessitate autem, & quodpiam vnum ex consequentibus, nempè decubitum, aut minus in affectum latus, aut in oppositum, aut in vtrumque similiter dolorem excitare; nam cùm duplex membrana ea sit, si pars eius exterior circa ossa infestatur, valentius in oppositum declinatur facilius; opprimuntur enim, si super affecta parte cubent; quòd si pars altera, quæ in tussi, id quod ex magna parte accidere consueuit, in oppositum magis decumbentes dolent, suspensa enim ipsis pars phlegmone vitiata, sin in latus affectum minus, non enim ad ossa comprimitur, nec pendet, sed ab vtroque humor liber euasit: at affectis ambabus subcingentis partibus, super latere vtroque similiter decumbunt*, &c. Petrus Vaecius in suo *comment. medic.* respondet, quod melius, aut deterius in vnum vel aliud latus cubare, non sequitur quamlibet Pleuritidem, sed magnum ita esse accidens superueniens, non essentiale: sed solutio est inualida. Patet ex contextu Galeni dicentis: *Sequi tale accidens necessariè, vt priora signa relata*; præterquam quod ratio id probat, non videtur impossibile, quòd inflammatio suspensa non doleat magis, quàm si corpori molli eam sustinenti adhærescat. Item repugnat, quòd supra corpus solidum, & durum reclinans, non excrucietur magis quam si supra molle, & ita necessariò sequitur quod dicit Galen. *lib. de constit. artis medic.* nec sibi constat, dum 1. *Aphor. comment.* 12. inter signa accidentia, illud enumerat; mihi videtur, quòd argumentum non probat, dari aliquod nouum signum distinctum à quinque communibus, sed solùm dari augmentum, aut remissionem eiusdem signi, quia solùm datur magis, aut minus dolere.

Tandem aduertite, quod prudentissimè Aretheus no-

A tauit, debere huiusmodi quinque signa, vt demonstrent Pleuritidem, pendere omnia ab eodem morbo, nam ex complicatione plurium morborum dabuntur signa similia, & Pleuritis non erit. Vidi circa hunc morbum mirabilem casum. Parochus quidam ex refrigeratione capitis magna incidit in distillationẽ, quæ per musculos internos grauiter excruciabat in transitu. Laborabat tussi cum sputis rubris, dolore magno, febre continua, & difficilè respirabat, vel non nimis: sic per duos dies detinebatur à Medico sine missiona sanguinis, ob metum refrigerij cerebri: vocatus in consultationem statim venam secari impero, & sola facta secunda missione sanguinis tam inopinatè cessarunt symptomata omnia, quod clarè demonstrauit euentus, nihil firmatum fuisse in musculis, & Pleura, sed totum, quod B ex cerebro præcipitabatur, expelli à partibus in cauitatem Thoracis, & expelli per tussim; erat enim copiosum sputum, & satis rubrum, nec difficilè excreabatur, etsi non leuiter doleret in latere: & inde statim à misso sanguine reuulsa materia, & quod fluebat extracto, cessarunt morbus, & symptomata subitò.

CAPVT II.

De signis distinguentibus Pleuritidem ab aliis Thoracis inflammationibus.

C EST celebre hoc caput, & vtilissimum ad distinguendas inflammationes omnes Thoracis; nam præter Pleuræ inflammationem, cuius retulimus signa, eodem molestantur morbo musculi intercostales interni, & externi; mediastinum etiam, & tunica, seu membrana cor contegens, à Græcis Pericardion dicta, inflammatur etiam tunica ossa cooperiens Periostion dicta, & tandem septum transuersum.

Inflammatio musculorum externorum agnoscitur facilè, tactu enim percipitur dolor, si parti dolenti applicatur, vt Galenus docet 5. *de locis cap.* 2. quia comprimitur inflammata pars, quod internis non euenit, teste Galeno ibi: Respiratio difficilis est, sed minus quàm in inflammatione Pleuræ, quia musculi sunt minus sensibiles, & inde minus dolent in motu, ac per conse-D quens minus illum refugiunt, & sic liberius inspirant, quod etiam iuuat laxitas maior, & mollitudo ipsorum, quia sic minus tenduntur ad inflammationem, ac per consequens obediunt melius dilatationi, & contractioni Thoracis, febris remissa est ob cordis distantiam, & quia per cutem euaporat magis, ventilatur melius: est etiam locus frigidior, & etiam minor causæ putredo.

Addit Galenus *loco citato*, quòd pulsus nec tensionem, neque duritiem aliquam refert, quia ob distantiam Pleuræ distendi non potest, & sic nec arteriæ. Vndè nisi prægrandis sit inflammatio, non indurabitur pulsus: tussis verò, quæ à Pleuræ inflammatione inseparabilis est, deficiet etiam, quia nil in pulmonem resudat ad tussiendum irritans, vt idem Galenus docet *cap. 2. citato ad fin.* Iis adiungeris iugulũ nec detrahi, nec E hypocondria comprimi, vt in Pleura inflãmata experimur, & decubitus circa latus affectum molestissimus est, quia comprimitur, & dilaceratur pari inflammatione.

Interni musculi inflammati febrem continuam causant, difficilem respirationem, paruam scilicet, celerem, & crebram, pulsum durum, sed minus quàm si inflammetur Pleura, vt Galenus docet 5. *de locis, cap.* 2. tussis etiam erit, quia quod resudat ob Pleuræ propinquitatem, facilè communicatur Thoraci, quæ contra Galenum sine ratione negauit Riolanus: solùm differt hæc inflammatio à vera Pleuritide in opinione Medicorum, quòd non detur in illa dolor punctorius, cùm non sit membranosus musculus, loco cuius datur dolor

pulsatiuu

pulsatoriùs, quia musculi arteriis ornati à pulsante do lore cruciantur, quod exte nis musculis etiam conuenit: pleura verò in iis partibus, quibus costis adhæret, caret arteriis: & quamuis in mediis spatiis intercostalibus arterias sortiatur, non dolet pulsatoriè, quia non comprimitur à musculis, nisi quando ingens est inflammatio, aut dum suppuratur, ob feruorem enim distenditur flatibus.

Ne tamen intelligaris, quòd musculi nequeant punctoriè dolere, nam si acu, aut stilo pungantur, ita sentient non dubie; sic in vlcerosa lassitudine experimur, musculos, & cutem dolore pungente molestari, quia per minima diuiditur humor, dum extrauasatur; at verò quando inflammantur musculi, punctoriè non dolent, quia tunc in cauitatibus accumulatur humor non diuisus per minima, sed iunctus, vt infla mmet; est etiam dolor tam internorum, quàm externorum non extensus, vt in Pleura euenit, sed circumscriptus, & determinatus, velut sunt determinati, & circumscripti musculi propria formatione.

Mediastinum etiam inflammatur non minori, sed certiori periculo quàm Pleura. Est verò mediastinum Pleuræ reduplicatio quædam Thoracis cauitatem in duos sinus diuidens: ne malum vnius lateris alteri fiat statim commune: cum ergo eiusdem naturæ sit cum Pleura, quando phlegmone infestatur, similis præber signa, dolorem scilicet pungentem, tussim continu m, & acutam febr am, pulsum durum, & difficilem respirationem: mouetur enim ad thoracis motum, vt Pleura: distinguitur verò à Pleuræ inflammatione, quia dolor non ad latera, sed in medio Thoracis magis fatigat, præcipuè in regione ossis dicti *sternon*, eo quòd illi alligatur, estque, vt inquit Zoar, dolor extensiuus in longitudine, est tamen tussis siccior, minus enim resudat ex mediastino, quia non sit musculis proximum vt Pleura, frigidius est, & densius, & quia, vt ait Riolanus, quòd resudat, veluti in pyxide continetur conclusum, & vt est reduplicata Pleura, sic difficiliùs resudat, quod tussim moneat, & indè rariùs quàm in Pleuritide tussiunt, at dor Thoracem medium molestat, & quia cor compatitur, plus anxius existit æger. Addit Ludouicus Mercatus *lib. 2. praxis, cap. 6. in principio*, quòd dolor in mediastina inflammatione aut nullus est, aut quam leuissimus, & quòd respiratio est celerrima, & frequens, quibus à vera Pleuritide distinguitur facilè. Primum mihi videtur intelligibile, si verum est, quod Anathomici docent, mediastinum scilicet esse Pleuræ reduplicationem, & sic eundè sensum participat. Vtrumque verò Auicennæ nostro opponitur, qui *fen. 10. lib. 3. tex. 3. c. 1.* sic loquitur: *Impuraque est in velamine distinguente: est dolor declinans ad ossa pectoris, & est permixtio ratiams in ipsa, & fiunt vehementiora accidentia, & dolor, & difficultas anhelitus.* Estque rationi consonum, plus dolere medistinum, quàm pleuram, si minus resudat ex illo, quando infl ummatur: est etiam Galeno dissonum, posse esse celerrimum motum in parte inflammata, sunt enim duo impedientia celeritatem magnam, & inobedientia partis distentæ à tumore, & dolor magnus, qui augetur in ipso respirationis motu: Sunt enim similes rationes: itaque in Pleura inflammata & paruior, & tardior respiratio redditur; hoc enim est esse difficiliorem anhelitum; vbi vsus vrget, crebertimam esse respirationem, certissimum est: mirandum tamen est, quòd hic doctissi nus vir similia signa referat pro inflammato mediastino, & pericardio, cùm inter se variè differant, vt iam ostendo, si priùs vobis referam signa tradita à Zoar. *lib. 3. text. 16. cap. 6. Et sequitur ex hoc apostemate tussis continua successiua, & dolor extensiuus in longitudine, & perturbatio anhelitus, & febris acuta, & pulsus serrinus est, & diuersus propter inæqualitatem membri, & vicinitatem ad cor, & sentit infirmus inflammationem cum valida siti, & forti, & ex inspiratione*

A *frigidi aëris magis mitigatur, quàm ex potu aquæ frigidæ, & anhelitus est paruus, & frequens.*

Est ergo pericardion tunica, seu membrana cor vestiens, & inuoluens: *Positum* (inquit Auicenna) *est cor in panniculo solido valdè subtili, qui quamuis sit ex genere panniculorum, tamen non inuenitur panniculus comparens ei in spissitudine, vt sit cordi tutamen, & clypeus.* Non enim decebat tam illustre viscus facilè alterari ab externis, nec tangere nudum pectoris ossa: firmior etiam est huius membranæ substantia; ne perpetua cordis inquietudine, præcipuè dum palpitat, dilaceretur, distat à corde requisito interuallo ad naturales pulsationes, intra quod aqua, seu serosa substantia continetur, irrigans cor, ne assiduo, & laborioso motu exsiccatum tabescat, intra quam veluti innatans subleuatur, & agitatur

B faciliùs.

Hæc ergo membrana inflammata molestabit dolore, vt reliquæ, acuta erit febris, quia locus affectus cordis immediatus inflammatur, anxius erit ægrotans exustus in medio Thoracis cum inextinguibili siti, & desiderio inspirandi frigidissimum aërem: erit cordis angustia, & compressio à tumente capsula eius, & cùm inter causas tumoris cordis enumeretur à Principe nostro *fen. 11. 3. lib. text. 2. c. 1.* Pericardij inflammatio mouebitur tremulè, aut palpitatiuè infestabit, eritque mira in pulsu inæqualitas ob cordis oppressionem, & ventriculorum angustiam: vnde liquet suspectam esse Mercati doctrinam dicentis: *Item pulsus qualis pleuriticorum durus & inæqualis, non tamen æquè manifesta inæ-*

C *qualitate, sed aliquando maiore*: videtur enim impossibile non fore inæqualiores pulsus in pericardio inflammato, cùm sit similis affectus, & ex alia parte supra cor constitutum, & quasi pars eius, quod respiciens, inferius educuit celeri motu, & interdum inopinatè hoc malum ægrotantem perdere.

Sed læsio respirationis diuersissima est in pericardio inflammato ab ea, quam mediastinum causat, cuius contrarium sustinuit Mercatus. Probatur efficaciter, quia mediastinum necessariò mouetur ad motum Thoracis, est enim illi alligatum, & inde parua, & tarda erit respiratio, vt pleuriticorum: at Pericardium nullatenus pendet à motu Thoracis, nec ad illum consequitur, sed solùm ad cordis motum agitatur, & inde læsio respirationis in eius inflammatione non erit alia,

D quàm quæ vsui aucto debetur, magna scilicet, celer, & crebra, nec facultas cordis tam constans, & firma manebit, vt in Pleuritide manet. Innotescit igitur Pericardij inflammatio ex dolore pungente supra cor, febre æstuosa, & implacabili siti, angustia, & oppressione cordis. Pulsus erit debilis, creber, cum mira inæqualitate, & inordinatione, & aliquali duritie; & si affectio increscat, cor palpitabit, & impetuosè mouebitur ad reiiciendam suæ oppressionis causam: aucta passione mouebitur tremulè, & durante, aut magis increscente, sequetur inopinata mors. Respiratio erit magna, celer, & crebra, qua & pulsus inæqualitate maiori satis discernitur à mediastino inflammato, ob quæ symptomata docuit Galenus 5. *lib. de locis ad finem, cap. 1.* quòd

E panniculus cordis quomodocumque afficiatur, inter ignobiles partes reputatur, nisi inflammatione infestetur. Si enim ita contingat, inter affectus partium nobilium enumerandus, quia cor statim opprimitur, & in consensum adducitur.

Septum transuersum significat continua febris, parua, & crebra respiratio, tussis, dolor grauans, & si tunica inflammetur, pungens, vt in Pleuritide pulsus durus, & serrans. Differt à Pleuritide, quia dolor in profundo Thoracis molestat ad finem illius per infernam reginnem, quia septum imponit finem Thoraci, diuidendo partem vitalem à naturali. Est etiam pulsus sæpti inflammati durior, quàm Pleuritidis, ob quod dicebat Auicenna, pulsum durum vehementer à proprietate

significare septi inflammationem; desumpsit ex Galeno 4. *de præsag. ex pulsu, cap.* 4. dicente: *Tensionem verò nulla perinde alia pars infert arteriis, præcipuè si nervosa pars sit affecta; est enim septum validissimus musculus, & nimis nervosus, quo solo naturalem respirationem edimus, & inde extremè pulsum indurat.*

Habet vlterius suum inseparabile signum, nempè hypocondria seorsum, & intro renersa, vt docuit Galen. 5. *de locis, cap.* 3. dicendo; *Sursum reuelli hypocondrium, septi transuersi illicò patientis proprium indicium est.* Idem docuit 2. *Prorrhet. comm.* 10. & 3. *Epidem. sect.* 2. *comment.* 10. estque essentiale signum septi inflammati. Pleuritidis verò, & Phrenitidis superueniens esse solet, vt *duobus locis vtim.* notauit Galen. & clarius 5. *de locu. cap.* 4. citato. Oportet autem retractionem hypocondriorum intelligere, & quòd trahantur B sursum, & quòd trahantur intrò, quod ex formatione, & positu Galenus colligit 2. *Prorrhit. cit.* Septum enim incipit à termino ossis pectoris, quod sternum dicitur, atque hinc sensim obliquè descendens, tum intrò, tum infra ad lumbos peruenit, ita vt plurimum quidem totius ipsius profundis hypocondriis subiaceat. Sternum verò principium alnius sit: ob hæc igitur (inquit Galenus) ad internam, supernamque sedem trahi videtur; & si hæc inter se comparaueris, plus intrò, quàm sursum transmutatum esse tibi videbitur. Semel in sene obseruaui hunc affectum, & cum tactu statum hypocondrij explorarem ab vmbilico ad costas mendosas ea tota regio manifestam cauitatem velut foueam repræsentabat ob magnam rettactionem hipocondriorum ad intra, & quia inflammatio ex crudo pendebat sanguine, non causabat delirium vsque ad summum diem, nam inflammatio huius partis, quia nimis trahit promptissimè cerebrum in consensum, & mentem deprauat, ex doctrina Galen. 5. *de locis.* 3. citato, ita vt putent aliqui, tam continuum inferre delirium, vt vera phrenitis, de quo *proprio cap.* egimus.

Periostium inflammatum significant dolor pungens, fixus tamen in eodem loco; febris magna non est, quia paruissimis venis constat; pulsus medìocriter durus, & rarissima tussis, & decubitus supra latus affectum molestior, quia si fit inflammatio in parte interna periostij, comprimitur ex decubitu illo, & dolot intendit; si verò sit in parte interna, recrinatur, & decidit supra corpus durum, costam scilicet, & magis excruciat; in latere verò opposito si quiescat, reclinatur D supra Pleuram molem: habet etiam peculiare hoc inflammatio, quòd dolor ad determinatam circumscriptionem costæ finiatur, nec extendatur ad plures partes, vt quando inflammatur Pleura.

CAPVT III.

De causis, & præsagijs Pleuritidis.

Pleuritidis causas retulit Princeps *fen.* 10. 3. *tex.* 4. *cap.* 6. præsagia verò *cap.* 4. *eiusdem textus*; & ex litera constat, Pleuritidem, prout comprehendit spuriam, & legitimam, ab omnibus humoribus pendere posse. Diximus verò anteà exquisitam à bile, aut sanguine fieri debere, quia non putant auctores acutas passiones à melancolia, & pituita generari. Fundamentum esse potest, quia morbi sunt celeris motus: pituita verò, & melancholia tardè mouentur; quod videtur difficile, eo quòd acuties Pleuritidis non pendet ex morbo intemperiei, sed ex tumore præter naturam, difficilem, & suffocantem reddentem respirationem; hanc verò rectè affert melancholicus humor, quia nullus magis indurat partem affectam, & inobedientem reddit motioni. Sed putandum est, periculum Pleuritidis pendere magis ex dolore, & febre, quàm ex alia

A causa, nam dolor, prætetquam quod vires exsoluit continuò, & vehementer haber, vt peculiarem modum lædendi respirationem, in quantum vehementer excruciat, si moueatur inflammata pars, & ideò in hanc causam reduxit Galenus paruitatem, & tarditatem respirationis in Pleuritide; cessat enim æger à motu doloris metu, & cùm parue respiret, & habeat simul adiunctam auctam febrem indigentem magna respiratione, vt incendium cordis temperetur, sequitur periculi magnitudo ex paruitate, & tarditate respirationis; quia verò pituita, & melancholia nec inflammantur nimia ob natiuam frigiditatem, & crassitiem, nec dolorem magnum afferre possunt, ideò non datur periculum cum celeritate coniunctum, quia nec febris est magna, nec tam difficilis respiratio, quia minus dolor molestat. Causa ergo primò Pleuritidis cognoscitur ex sputis, ex loco dolente, & ex vehementia febris, inquit Auicenna; nam si sputum est rubeum, significat sanguinem, & si est citrinum, seu pallidum, significat bilem, & flauum significat amborum congregationem, & si est album, significat pituitam, & quando est nigrum, aut plumbeum ex se, significat melancholiam: hæc est communissima doctrina Galeni, & Medicorum omnium, quia quod exspuitur, resudat ex humore fluente, & inde illum demonstrat.

Ex loco dulente (inquit Auicenna) agnoscitur Pleuritidis causa, quia in pituitosa, & melancholica secundum plurimos est descendens, id est, dolor vergit ad hypocondria, & non ad clauiculam, eò quòd graues humores, & crassi faciliùs finiuntur deorsum, & difficillimè sursum. Addit etiam, quod dolor in melancholica, & pituitosa Pleuritide est lenior, seu remissior, nam pituita & molliter laxat potius quàm rumpat violentet tumidam partem, vt patet in ædemate, & indè est tumor indolens, melancholia verò est humor nimis ferosus in opinione multorum, crassus etiam est: vnde non impellitur facilè vt tumidam reddat partem, & fastigiatam, sed imbibitur potius in venulis, & maioribus cauitatibus partis tumorem efficit, & sic dolet leuiter, quia non soluit partis continuitatem: partem etiam remissè distemperat, quia cùm sit frigidus, & putrefiat, non est distemperies excedens, quia contristet, & lædat, & indè sumit tertium indicium Auicenna, quia febris remissa melancholiam, aut pituitam significat; ardens verò, & magnam bilem, aut sanguinem, nam frigidi humores inflammantur remissè, calidi verò intensè.

Dixit vltimò, quòd quandoque Pleuritis per paroxysmos affert bonam significationem, id est, certam de causa illius: nam si per ternos repetat, ex bile, aut sanguine erit; si quotidie, ex pituita; si per quarternos, ex melancholia, quia, vt docuit ipse, *cap. de febre apost.* eodem modo repetunt humores, quando apostema generant. ac quando sine illis febres putridas faciunt: & inde Galenus docuit 1. *Aph.* 12. Pleuritidem, & Phrenitidem magna ex parte ternos dies repetere, eo quòd magna ex parte ex bile, & sanguine fiunt. Sunt verò attendenda omnia, quia sæpè in principio mali nullum sputum emittitur.

Quintum, ad præsagia notandum est, quod Galenus docuit 2. *Prognost. comment.* 44. vbi sanguineas, & pi- E tuitosas fluxiones moderatas appellat; quas verò flaua, aut atrabilis patit, molestas; earum enim vtraque corpora æquè excedit; verum flaua bilis peculiaritee acutas febres innuhit; atra autem contumacem affectum generat; crassa enim, & terrena cùm sit, partibus adeò impingitur, vt ægrè detergi possit. Addit verò 5. *de præsag. ex puls. cap.* 4. quòd si pulsus reddatur insigniter durus, & paruus, tam desperatum fit signum, quòd nullus liberetur cum eo: quod meo iudicio idem est ac dicere, ex magna plenritide neminem liberatū vidi; nam nimia durities eum paruitate nil aliud significat: arguit etiam extrema durities contumacem,

&

& nimis crudam Pleuritidem, vt docuit Galenus *de pulſ. ad Tyrones.* Timet etiam idem auctor extrema crebritate, ne permutetur Pleuritis in Pulmoniam, aut syncopem; quia cùm ſit Pulmo cordi propinquior, plus calefacit cor, quàm Pleura, & indè crebrior redditur pulſus. Eadem eſt ratio de ſyncope; quod verò ex duobus ſequetur, facilè conſtabit ex debilitate facultatis vitalis; labeſcit enim multum, quando propinqua eſt ſincopis: ſunt etiam ſigna Pulmoniæ ſatis conſpicua; erit verò ſignum efficaciſſimum, ſi moratis omnibus in deterius reddatur pulſus mollior, & minuatur dolor lateralis, quia Pulmo inflammat multò minus quam Pleura, pulſum indurat, & totum quod ex latere in pulmonem tranſmittitur, remittitur de dolore lateris: Eſt verò tam facilis cognitionis huiuſmodi permutatio, vt neminem poſſit latere.

De præſagiis ex ſputis habentur multa 2. *lib. Prognoſt. ex cap.* 43. vbi Hippocrates admiranda, vt ſolet, præſagiit, & ab omnibus ſunt expoſita doctiſſimè: 6. verò *lib. Epidem. ſect.* 3. text. 32. ſic ſcripſit: *Sputa rotunda delirium indicant, vt in pleno*; ſignificant enim incendium magnum Pulmonis, exitians pro intenſione malum in ramis aſperæ arteriæ contentum, intra quas rotundam figuram concipiunt, vt eſt ipſorum circularis formatio. Eſt prauum viride ſputum, quia exeditur Pulmo ab erodente natura illius, cùm per vſtionem factum ſit viride; eſtque talis color inter ſigna incoctibilitatis humoris: magis deſperatum eſt nigrum, quia maiorem vſtionem ſignificat. Vndè Galen. 2. *de Criſ. cap.* 10. dicebat: *Inter ſputa ſanguinea mitiſſima ſunt, nigra verò maximè exitialia.* Et *lib.* 1. *cap.* 5. *in fine* dicebat: *Nigrum ſputum præter id quod crudum eſt, mortem etiam portendit.* Idem 1. *Aphor. comment.* 12. & latiùs *de conſtitut. art. med. cap.* 16. dicendo: *Pernicioſiſſimus eſt melancholicus humor perpollens, tum quia humoribus peſſimis præditus eſt, & maximè erodat, concoquatúrque ægrè, nec facilè expurgetur, tum quòd index ſit plurima caliditatis, à qua vſus factus eſt æquiſſimus omnium ſanguineus, vt qui dulciſſimus exiſtat, & coctione facillimus: reliqui verò humores inter hos medij ſunt, &c.*

Eſt etiam deſperata Pleuritis, in qua nihil ſpuitur, & celeriter hominem rapit, vt docet Galenus, quam etiam damnauit Hippocrates *in Coacis*, dicendo: *Siccæ Pleuritides, & in quibus nihil exſpuitur, periculoſiſſimæ.* Eſt verò intelligendum præſagium in exquiſita, & in ea, quæ propter paruitatem ſputum non moueat, vt Auicenna notauit *cap.* 4. nam in internis muſculis minus deſperatum eſt nihil ſpuere; in externis verò nullatenus timendum. Eſt verò multiplex cauſa, ob quam nil ſpuitur, id præſtat materiæ craſſities, lentor, & viſcoſitas, occaſione quorum nihil reſudat ad ſputum ſufficiens, aut ſi expellitur à Pleura, ſic bronchiis pulmonis tenaciter hæret, vt tuſſi expelli non poſſit. Indè implentur Pulmones, & pleni feruent in gutture cum infallibili morte, vt remiſsè præſagiit Hippocrates *in prognoſt.* eſſe malum; non enim eſt malum ſolum, ſed deſperatum ſignum.

Idem facit nimia materiæ tenuitas, quia nec nimis viſcida, aut lenta, nec nimis tenuia expelluntur per tuſſim; ſic nimia denſitas Pleuræ ſiccam Pleuritidem cauſat, quia nihil reſudat ex illa ob defectum commodæ viæ. Sic intelligo Hippocratem *in Coacis* dicentem, exercitata corpora & denſa citiùs à Pleuritidis morbis, & Pulmonariis intereunt, quia otioſa nimirum exercitata corpora duriora ſunt, & denſiora, quia magis ſicca, & ſolida compage conſtant, & ſic minus perſpirabilia; vndè & cutis durior, & firmior non admittit in ſe humorum decubitum, ſed interius fluitat, & agitatur, quod natura non ſuſtinet, ſicque patiuntur interna, ob quod etiam *lib. de aliment.* docuit idem auctor, quòd qui denſa ſunt cute, intranſpirabiles difficilè conualeſcunt, ſi ſemel ægrotauerint, quia denſitas, & ſoliditas partium omnia excrementa cohibent interius: vſque adhuc dixit rectè Heurnius, tria ad Pleuritidis curationem requiruntur, naturæ robur, meatuum libertas, & materiæ mitificatio: Pericardij inflammatio exitioſiſſima eſt, deindè mediaſtini, nam conſummata eſt ineuitabilis, deindè Pleuræ; ſepti verò funeſta omninò: ſputum pleuriticorum, ſi dulce ſit, damnauit Hippocrates *in Coacis*; verum eſſe poteſt, ſi alia ſigna innuant ſuperari Pleuritidem, quem locum nec Holerius, nec Iacotius potuerunt exponere; nam ad extinctionem caloris reduxerunt, cùm reuerà ſignificet ſuppurationem, & ob id eſſe malum ſignum, conſtat ex eodem Hippocrate 3. *de morb. cap. de pulmonia*, ſic conſulente Medico, vt benè præſagiat: *Si minus* (inquit) *interrogo ipſum, an dulcior ſit ſaliua, vt ſi affirmauerit, hoc ſcito Pulmonem ipſi ſuppuratum eſſe & morbus per annum durabit, ſi in quadraginta diebus non eduxerit pus.* Ratio eſt, quia coctio vt aſſimilat, ita inducit dulcedinem, vt ſint omnia membra dulcia: eſt verò ſuppuratio coctio quædam. Ob id meritò dixi, malum eſſe ſignum, ſi alia annuant morbum ſuppurati, alioqui dulcedo bona eſſe poteſt, ſi coctione creatur, & ſigna per ſputum indicari demonſtrent.

Si dolor ad poſteriora inclinetur verſus ſpinam, vituperatur à Principe; timendum eſt enim ne in Paralyſim, conuulſionem, aut Phrenitidem terminetur, quia partes neruoſas incipit poſſidere inflammatio. Indicatur optimè Pleuritis per ſputum, quòd ſtatim incipiat ſine tuſſi moleſta, & laudabilibus conditionibus. Sudor etiam illam finire poteſt, & ſolet, vt ſanguinis fluxus ex naribus, quæ nimis extollit Auicenna *cap.* 4. in quo refragatur Galen. 3. *de criſ. cap.* .. qui mediam bonitatem fluxui ex naribus concedit ad iudicandam Pleuritidem. Dixit verò Hippocr. *in Prorr* quòd habentes aluum humidam, non multum laborant Pleuritide. Idem *lib. de aere, & locis*, fit enim euacuatio continua excrementorum, vt non maneat ſuperfluum, quod mittatur in Pleuram.

Nec minus ſputo carent malignæ Pleuritides, quæ in gangrenam permutantur, ita enim rubor partis, caloremque natiuum effœminant, quod nec ſuccorum liquatio, nec eorum expulſio fieri poſſit, & tales ſunt, quæ vt minus dolentes ſunt, ſint magis funeſtæ, quòd partis corruptione tactum etiam mortificent, & iam talem permutationem in pluribus vidimus in quadam Pleuritidum maligna conſtitutione.

Eſt tamen dubium, quòd dicat Hippocr. 6. *Aphor. text.* 33. qui acidum eructant, non valdè laterali morbo capiuntur, cùm pituita ſit frequens cauſa, & nihil communius quàm hyeme dolores laterales generari, & in ſenibus etiam Galenus dicit, quia acidum eructantes ſuccis crudis abundant, quos Pleura ob denſitatem intensè non admittit, cui experimentum opponitur; vidimus enim frequentiores Pleuritides ex crudis humoribus, & nihil communius quàm tempore hyemis, & ex catarrhoſis diſtillationibus originari Pleuritidem. Præterquam quod Galeni ratio etſi ſit reſpectu Pleuræ probabilis, non tamen reſpectu muſculorum. Heurnius dicit eſſe rationem, quia alui profluuio maximè capiuntur, & indè euacuatur quod generatur ſuperfluum, eſſéque eandem rationem cum adducta de habentibus aluum humidam. Ego verò, ſi rigoroſè ſit exponenda litera, quæ dicit, non valdè expaucrem, quòd etſi capiuntur Pleuritide, non tamen ſit valdè mala, quia pituita, vt dixi, & moderatiſſimos dolores, & tepidas febres creat, nec Pleuritis acuta naſcitur.

Alui profluuium vituperat Hippocr. 6. *Aphoriſm. text.* 16. dicendo: *Pleuritide, & Pulmonia correpto alui profluuium proueniens malum.* Quod intellexit Galenus *in comment.* de alui profluuio cauſato ex debilitate attractricis iecoris, aut concoquentis, aut ſi ventriculus alimentum corrumpat. Alioqui benè poteſt eſſe vtilis poſt

signa coctionis, aut in principio reuulsa materia, de quo egit Conciliator. Sic Hippocr. 1. *de morbis* dixit: *Aluus turbata in Pleuritice, aut Peripneumonico, aut suppurato, malum.*

CAPVT IV.

De curatione Pleuritidis.

DE huius affectionis medela agit Auicenna *fen.* 10. 3. *text.* 4. *à cap.* 1. *vsque ad* 3. *& in c.* 2. dicit, sanguinis missionem esse ex rebus communibus, id est: quæ omnibus inflammationibus Thoracis auxiliantur, dicit tamen secandam esse venam primò in latere opposito, aut si plus auxiliari velimus, ea talo eiusdem lateris, vt si dextrum latus affectum sit, secetur vena in sinistro, aut in talo dextro, quæ plus commodi affert, eo quòd habet cum loco affecto maiorem rectitudinem, & faciliùs inclinantur fluentes humores deorsum, quàm in partes supernas, & si *primò secetur vena tali*, *fiat* (inquit) *post illam sectia ex basilica lateris oppositi, deindè ex communi eiusdem lateris, & post aliquos dies secetur vena eiusdem lateris affecti.*

Hæc praxis Auicennæ apertè opponitur doctrinæ, & auctoritati Galeni *lib. de sanguin. missione*, *cap.* 16. *&* 2. *de vict. rat. in acut. comm.* 10. vbi docet sanguinem esse mittendum semper ex eodem latere affecto; ex opposito verò aut nullam, aut contemnendam vtilitatem sequi: de qua controuersia magna est inter auctores digladiatio, & sine dubio sequenda doctrina Galeni, esse nimirum secandam venam eiusdem lateris; ob quod 2. *acutor.* citato dicit: *Nos verò partem eam, quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter tanquam cæteras partes magis vacuare contendimus, in acutis præsertim morbis.* Quibus verbis hæc includitur ratio: vbi sunt complicatæ, aut diuersæ coëunt indicationes, quæ sequitur ab vrgenti primò sequenda est, sed id quod inflammationem facit, vrget respectu humoris, qui nondum molestat: ergo illius indicatio est dignitate prior. Maior est indubitata: minor probatur, quia quod partem inflammatam obsedit, excruciat dolore, tussi molesta, & continua febre, & respiratione difficili: vrget ergo, si ad humorem fluentem, aut fluxum comparetur: ergo indicat euacuationem illius, sed non euacuatur, nisi secetur vena eiusdem lateris: ergo hæc est secanda in Pleuritide. Nec indè colligetis, methodicè esse statim apponendam cucurbitam supra latus cum scarificatione, quia plus, & citius euacuat à parte inflammata: nam dum pro vrgenti operamur, non sunt negligenda reliqua indicantia; negligeret verò si ita operaretur Medicus, quia traheret plenitudinem totam ad locum affectum: ne ergo id fiat, euacuamus ab eodem latere; sic enim simul euacuamus, deriuamus, & reuellimus, id enim eodem remedio fieri non repugnat, quia sunt diuersæ partes sanguinis, quæ mouentur; & ita quæ erat in parte inflammata, euacuationem constituit, quæ in venis proximis, deriuationem; quæ actu fluebat, aut erat parata fluere, reuulsionem; est verò reuulsio, quia inter latus, & venam scissam est oppositio internorum ad externa.

Est tamen miranda obmutescentia expositorum Auicennæ, cùm nec verbum afferant, vt suum patronum cum Galeno concilient. Costeus verò vt probabilem tradit Auicennæ doctrinam, nec esse Galeno dissonam, sed id sine ratione sustinet, cùm tam conspicua sint Galeni verba non admittentia sectionem ex opposito latere: Hippocr. verò 2. *de vict. rat.* ex eodem latere insinuat esse mittendam, quia copiosè simul mittitur vsque ad mutationem coloris: quæ mutatio impossibilis est, si ex latere opposito sectio fiat;

Ab hac doctrina Galeni excipitur primò, si corpus

A plethoricum nimis sit, tunc enim docent recẽtiores aliqui esse secandam venam in latere opposito; deindè in eodem dolente. Sic Peramatus *lib. de vacua. di. rat. fol.* 72. §. *ex plenitudine vasorum, &c.* Ratio est quia coniecturandum est latus oppositum se exonerare in dolentem partem, quia debilior existit, & ita extraheodus est sanguis ex parte mittente, quam doctrinam ante illum docuit Rasis 9. *ad Almansor. cap. proprio*, dicendo: *Fiat minutio ex Basilica eius partis, in qua est dolor, nisi totum corpus multo sanguine repletum fuerit, tunc enim ex latere contrario sanguinis detractio facienda est.* Sed hæc doctrina etiam indiget limitatione, nam cum plenitudine non repugnat sic vrgere quod subitò in partem confluxit, vt non liceat ex opposito latere venam secare; si verò fiat ex latere affecto, copiosa eua-

B cuatio fiet, vt notat Peramatus, vt sic plenitudo simul, & quod partẽ molestat, tollatur: Vndè rectè Herculanus, qui doctrinam Rasis admittit & docuit, esse scilicet secandam venam in latere opposito, si morbus sit in principio principiante, idest, si magna inflammatio facta non sit, quamuis hic auctor non basilicã oppositam secet, sed ex talo sanguinem mittat; idem docet esse faciendum, quando timetur raptus ad cerebrum; item quando aliqua euacuatio inferior suppressa fuerit. Mesues sic loquitur: *Et quandoque apud multitudinem repletionis iubemus phlebotomiam ex saphena partis oppositæ; est enim eius iuuamentum sublime, festinum, & propriè apud ascensum materiæ ad caput.*

Quod de euacuatione superflua inferiori docet Herculanus, est verum, si non vrgeat quod est in parte inflammata; in vrgentia enim sanguis extrahetur ex brachio, quousque cesset vrgentia, deinde ad talos recurrendum: si verò simul incipiant Pleuritis, & menstrua purgatio, aut hemorrhoidarum, inquit Mercatus, secanda est primò vena in talis, etsi vrgentissimus sit affectus, dummodo eadẽm die sanguis ex brachio mittatur. Si verò adhuc vrgeat malum, quod hanc dilationem non admittat, aut ægri sint adeò debiles, quod tantam euacuationem ferre non possint, etiamsi menstrua, aut hemorrhoïs fluant, secandam esse venam in brachio cucurbitis, & ligaturis, continendo inferiua, quod per eam regionem euacuatur. Quod præceptum intelligendum est, quando tales euacuationes sunt tempestiuæ respectu sui temporis, quia si intempestiuæ sint respectu sui, cùm etiam sint tales respectu mor-

D bi, quia in principio non licet sanguinem mittere ex talo, quia euacuatio tam symptomatica non petit seruari in morbis vrgentibus: de quo legatur Vallesius 2. *lib. meth. fol.* 209. *cap. vlt.*

Addit Herculanus esse mittendum sanguinem ex talo, quando materia venenosa est multum corrupta, & putrida; timet enim, ne cordi proxima fiat secando venas brachiorum, & sic ad inferna reuellit à corde distantissima. Id experimentum comprobauit Hesnerus 1. *epist.* 29. vt refert Heurnius. Grassabatur enim Pleuritis maligna contagiosa, cui profuit sectio brachiorum, & melius habere cœpit secta vena in talo, & data antidoto sudorem eliciente, sic enim à corde reuulsio fiebat: testatur etiam Rasis, se in nosocomio comprobasse, sæpè interiisse Pleuriticos omnes, quibus secabatur vena ante corporis purgationem. Rationem

E reddit Auerr. quòd in intimis corporis malignorum humorum copia immersa latebat, quæ agitata, & commota perniciem attulit: quod periculum potu cassiæ fistulæ, vel mannæ vitare possumus, vt tradit Mont. Quod præceptum in casu Herculani obseruandum mihi videtur, esse nimirum expurgandum corpus, si maligna materia, & corrupta nimis principiatur. Nec puto perniciem attulisse missionem sanguinis ægrotis à Rasio relatis, quia agitaret solùm, vt putauit Auerr. sed quia in tanta cacochymia secta vena non remansit vtile, ex quo nutrirentur ægri, sicque collapsam virtutem

torem superasse venenum, secus ac purgatio operatur; hæc enim incoctile, & corruptum euacuat, sicque defæcatus sanguis purior, & nutritioni commodior relinquitur, nihil tamen sanguinis extrahit. Estque probabilissimum quod tradit Quercetanus, & sæpè obseruaui experimento anathomico in Xenodochio Ferrariæ, dari quandam speciem doloris pleuritici in omnibus, æmulantis pleuritidem veram à malignis, & acribus vaporibus ab interioribus partibus sursum delatis ad pectus, ex quorum virulentia, & acrimonia Pleura inflammabatur, & venarum erosio excitabatur: vndè sanguinis sputio, spirandi difficultas, febris, & alia accidentia veram Pleuritim comitantia, vbi purgatio detractioni sanguinis, & euaporatici exhibitioni præferenda nimis est, &c.

Quantitas verò extrahendi sanguinem determinatur à Principe dicendo: Et extrahatur, donec alteretur color eius: significat enim, quòd nocibilior sanguis iam euacuatus est. Est verò intelligenda mutatio coloris in ipso sanguine respectu prioris extracti, quæ est doctrina Hippocrat. 1. *de vict. rat. text.* 10. dicentis: *Nec vt copiosè sanguis detrahetur est cunctandum, sed eo vsque auferendus, donec rubidior multò, vel pro puro, rubidóue liuidus fluxerit, tam vtrumque contingit.* Ne tamen intelligans, hos solos duos colores sperandus esse, sed traduntur loco exemplorū, quæ frequentiùs eueniunt. Est verò eadem ratio mutationis coloris cuiuslibet insignis respectu sanguinis prius excreti. Contingit verò rubidiorem extrahi, quando qui in venis totius continetur, pituitosior existit: quòd si sanguis totius rubidus fuerit; *is proculdubio* (inquit Galenus) *qui ad inflammationem est adustus, assatusque, in nigrum permutabitur; liuidus autem in ea quæ fit à rubido in nigrum transmutatione medium obtinet.* Prouenit verò talis mutatio circa inflammatum locum, ob magnum illius incendium, à quo alteratur sanguis in venis lateris contentus. Quòd si sanguis pituitosus, & albicans, intra vasa totius contentus, rubidior in latere redditur, non semper mutatur in deteriorem colorem, vt putanit Vallesius, nec putat aliquis ruborem illum coctione constare, sed quia serum consumitur à calore phlegmonis. Intenditur verò color non minus per defectum liquoris à quo diluebatur, quàm per additionem rei tingentis liquorem. Nec disputo modò, an iecoris virtus concoctrix venas lateris habeat pro sphæra, vt sanguis crudus coctione reddatur rubidior, cui auxiliatur calor phlegmonis, non quia coquat, sed quia tollat impedimentum à sanguine crudo, frigus nimirum intensum, vt experimur in pituitosis febribus, vtinam crudam, rubram sæpissimè fieri concocta pituita, & in sanguinem versa: sustulit verò calor febrilis resistentiam à sanguine crudo, sicque potuit iecur concoquere pituitosos humores, & in sanguinem vertere.

Aduertit tamen Galenus *lib. de missione sanguinis, c.* 14. ob duo non licere semper vsque ad coloris mutationem euacuare. Primum est, quia virtus non constet ad tantam euacuationem. Secundum, quia inflammatio sit adeò maligna, quòd nihil concedat humoris, quòd vehementer impactus sit sanguis. Addit Heurnius, quòd nec in Pleuritide descendente expectanda est coloris mutatio, ob nimiam distantiam, & quia partes inferiores Thoracis nutriuntur ex vena sub corde, & esset necessariū priùs euacuare satis copiosè cordis ventriculos, quàm color sanguinis mutaretur: Est enim vitandum animi deliquium, quia succedit Pulmonia, nec mittendus sanguis, vt postulat malum, quia opus est valida virtute ad materiæ expectorationem: Est etiam suspecta euacuatio, si sputum coctum & copiosè reiicitur, quia copiosa materià impeditur legitima morbi per sputum terminatio. Addit Auicenna: *Et multoties quidem excusat ventris solutio omni die semel, aut bis à phlebotomia*: quod nisi in leui Pleuritide admittendum non est, aut vbi tam moderata euacuatione manifestà remissio morbi percipitur.

Est rursus de expurgatione non leuis inter Medicos altercatio. Hippocrates in omni descendére Pleuritide vitando sectionem venæ, consulit expurgationem 2. *de vict. rat. text.* 11. Verba sunt: *Si verò eas, quæ sub septo transuerso sunt, partes dolor infestat, nullúmque ad clauiculam signum fecerit ventrem, velatio, & peplio mollire oportet.* Etiam Galenus in huius loci expositione varius percipitur, nam quòd sit opus expurgatione, si deorsum ferantur humores, in principio docet, & id firmam, ratámque fidem ab experimento habere. Posteà verò expurgationem dehortatur, quòd in Aphor. 1. *Aphor.* 24 dixerit Hippocrates, in acutis morbis rarò, & in principiis medicamentis purgantibus est vtendum. Vnde colligit: si Pleuritis non tantùm est acutus morbus, verùm etiam cum febre vehementi molestet, multò magis vitanda est expurgatio, & per sectionem venæ vacuandum magis, etiamsi ad hypocondrium dolor finiatur, quia etsi minus conferat, quàm expurgatio, est tamen securior: taxandus certè Galenus, quia in tam difficili dubio tam remissè loquatur; tenebatur enim decernere, an expurgatio sola indicaretur à descendente Pleuritide, vel vtroque auxilio esset opus, & à quo incipiendum. Rursus si vtilior expurgatio putatur, quia vt ipse docuit *comment.* 10. *Quò natura vergit, per loca conferentia eò ducere oportet*: absque ratione eam dehortatur ob timorem non vacuandi, aut plus, aut minus quàm conueniat; nam hæc inconuenientia ab omnibus morbis sunt inseparabilia, & indè in nullo acuto expurgandum esset, & tantum abest quòd Aphorismus ab eo citatus id consulat, quòd nihil sit ei consonum magis, quàm in principio acutorum purgare. Verba sunt: *In acutis passionibus rarò, & in principiis medicinis purgantibus vti*; quasi diceret: In acutis passionibus rarò nisi in principio expurgatio conuenit. Ratio est, quia acuti morbi rarò non iudicantur subita crisi in vigore: vndè non nisi in principio datur locus expurgationi, quia morbi crisibus iudicati carent declinatione; in augmento verò, & rigore expurgare non licere docuerat 2. *Aphor.* 29. Superest ergo solum principium, in quo si quid videatur esse mouendum, occasio est, quia nec sunt humores firmati; & omnia accidentia sunt imbecilliora: rara ergo est expurgatio in acutis, nisi in principio fiat. Legatur Argenterius 1. *Aphor. comm.* 24. vbi satis doctè Aphorismum exposuit.

Peccat etiam Galenus exponendo *text.* 11. *acutorum* de vera Pleuritide. Constat ex verbis textus, quæ sunt. *Si verò eas, quæ sub septo transuerso sunt, partes dolor infestat, &c.* Constat enim sub septo nullam dari Pleuritidem, si est inflammatio, vt docet, membranæ sub ungentis costas.

Sententia Auicennæ est, quòd si peccat alius humor, à sanguine fiat expurgatio, dummodo lenientibus fiat, reiectis adstringentibus, quia expectorationem tollunt, & thoracem exasperant; imperat enim, quod fiat in nocte expurgatio, non quia in die expurgare non liceat, sed quòd vrgentia mali tanta esse solet, quòd in nocte expurgare cogamur; consulit etenim ex Galeni doctrina, *comm.* 11. *citato*, securius esse, quòd euacuetur corpus quantum possibile fuerit, secando venam, timendo inquietudinem, quam quandoque causat medicamentum expurgans. Rasis ergo ad Almansor. tam in ascendente, quàm in descendente dicit, melius esse, quod fiat venæ sectio, quàm expurgatio. Idem *in comment.* Herculanus.

Sententia nostra est, expurgationem in Pleuritide non esse multi vsus: id colligitur facilè inspecta partis natura, quæ nisi concocta reiicere nequit, sed præcipuè, quia modum expurgationis molestantium non nisi per tussim tentat, vt velut miraculum habeatur per aluum superflua

superflua reiicere.vt indè malū puter Hippocr.*6. Aphor.* alui fluxiones Pleuriticis, & Pulmoniæ superuenire: non enim est communio inter Thoracem, & intestina. Vndè Galenus in Pleuritide descendente, in qua purgari consulit Hippocr. timidè remedium amplectitur, quia multis periculis plenum videtur. Nec contemnenda commotio, ob quam impetuosius fluunt succi molestante, duplici ratione, & quia pars inflammata ardore nimio trahit, & absorbet in se quod commouebitur. Solùm ergo exercenda expurgatio, vbi moueantur humores, quia iosignem causent cacochymiam, & multum exsudent sanguinem, aut malignè corrupti fuerint, nam cùm in talibus non feceris vena sine periculo extremæ debilitatis, est impossibile satis deoncrate corpus, nisi expurgetur statim; solétque statim expurgari æger in humorum vitio efficientium Pleuritidem. Raro B enim non sunt calidi, tenues, éstque natura turgeos, quæ auget expurgandi indicationem, si humores in Pleuras fluentes præternaturales sint, quia ferè nunquam coquuntur, vt in cachexiis, hydropibus, bile porracea, & æruginosa, idque auxilium statim à principio tentandum, antequam malum increscat; est enim tenuisfotia expurgatio, nunquam enim celebratur hoc auxilium ad extrahendam materiam loci inflammati, sed ad impediendum defluxum: Vndè in sanguinea Pleuritide nullus sanæ mentis purgauit, quia non cadit sub obiecto expurgationis materia antecedens, in cura verò doloris pituitosi (inquit Auicenna *cap.3.*) incipe à clysteribus acutis, & solutione ventris, & non fiat phlebotomia. Remissio igitur antecedentis materiæ clysteribus, frictionibus, cucurbitis in partibus infernis C appositis, & præcipuè missione sanguinis exercenda est, quod in Thoracem confluxit, concoctorijs, & abstergentibus ad exereationem excitandam: expurgatio verò rarissima erit: indè Rondeletius multos expurgatos periisse tradit. Legatur Vallesf.*2. Epidem. text. 40. in historia Schomphi*: dixit etiam Riolanus esse d: Pleuritide, quod getendi conatus impedit exspuitionem, in qua est tota spes.

Sed quid dicendum Hippocr. Respondent loquutum fuisse de dolore omni euenienti in latere, non de Pleuritide, nam Pleuritidis nomen non scripsit tota dictione, & constat, quia omne genus auxiliorum tentat, & incipit à fomentis, quo nihil absurdius in incipienti fluxione: nam si de vera inflammatione loqueretur, quid magis amethodum, quàm expurgare, quando D dolor sub septo molestar; essent enim inflammata lien, iecur, ventriculus, vel partes ad regionem naturalem pertineotes, in quarum inflammatione incipiente, summa pernicies erit expurgate. Crassi verò humores partibus sub septo inferentes dolorem absque apostemate, aut tumore rectè expurgantur, præcipuè si ex recentibus cruditatibus originentur, aut ibi obstruentes, & inculcati dolorem excitent; semel enim dissecti, & extenuati educuntur facillimè ob propinquitatem, & communionem cum aluo inferiori, & ob hanc indicationem concocta iecinoris phlegmone per alunm expurgat Galenus medicamento leni, eibis tamen admixto, ne trahat ex aliis ad iecur, sed vacuet solùm quod in iecore impactum remansit, tenuiori euaporato, *13. Meth. cap.15.* Et indè putauit Rondel. hypocondriorum inflammationem intellexisse Hippocrat. pro dolore lateris, aut Pleuritide. Est ergo sinistra intellectio, E cùm in principio expurget Hippocrates, & validis medicamentis, quo nihil perniciosius incipiente Hypocondriorum phlegmone. Rectè ergo consuluit Princeps arcenda esse adstringentia, quia siccant, & adstrictione sputum impediunt, & Thoracem exasperant ad maiorem tussim inuitando; conueniunt ergo quæ expurgent leniendo, vt serapium regium cum decocto pectorali, & vbi pituita abundauerit, optimum est aliquid agarici misceri; confert manna in iure pingui eli-

A quata, aut serapium ex 9. infusion. rosacea cum medulla cassiæ, aut diacatholico.

Est enim difficile qood Princeps docet, esse timendum medicamentum expurgans, quando sputum est colericum valdè. Contra est, quia tale copiam exorbitantem bilis portendit, cui expurgatio debetur. Respondetur, quòd timet medicamenta expurgantia ob duo, & quia febris magna expectatur in tantæ bilis incendio, & quia medicamentorum caliditatem timet; nostra verò medicamenta commodissimè dantur.

Rursus Auicenna consulit ea, quæ expectorationem iuuant, & quæ interius sumuntur, tradit illa sine ordine. Putant verò auctores, quòd in principio Pleuritidis biliosæ deorur expectorantia, quæ incrassent materiam; nam attenuantia, & exsiccantia, & abstergentia pulsum facilitant, & in initio decent: sic commendatur serapium violaceum, & de iniubis; incrassant enim tenuem materiam: Est mirabile serapium papau. rubri, quod ab auctoribus incessaotet extollitur, velut à proprietate conferens omni Pleuritidi, sed biliosæ magis. Rondeletius illud vituperat transacta fluxione, quia expectorationem tollit, putat enim incrassando fluxum reprimere, mihi vedetur omni tempore esse vtilissimum: cōstat enim ex partibus sulphureis quamplurimis, quibus digerit, resoluit, somnum conciliat, & expectorationem adiuuat, & potenter sudorem prouocat, quibus Thoraci familiare est, & amicum, & cōncocta materia Pleuritidis, datur eius decoctum, vt per sudorem trudatur: quod non efficeret, si incrassaret tam validè, vt Rondeletius putat; contra quàm *c. de Apoplexia* probaui opium non conciliare somnum, quia frigidum. Laudatur etiam in nimio ardore Thoracis serapium papaueris in principio, quod tradit Princeps ex doctrina Galeni *in præsenti capit.* dicendo: *Et Galenus quidem præcipit in principio vtendum esse speciebus diacora, quantum prohibent materiam, & maturant, & confortant.* Dicit verò Iacobus, per species illas esse intelligendum diacodion, id est, medicamentum compositum ex capitibus papaueris, de quo egit Galen. *local. pharm. cap.2.* detinet enim fluxiones Thoracis, somnum conciliat, & ad expectorationem simul conducit, vt constat ex verbis Galeni dicentis: Si verò circa Pulmonem consistat copia fluoris à capite distillati, confectio ex melle melior est, quàm confectiones ex capite papaueris. Est etiam vtile serapium ex nimphea si incendium Thoracis molestet, diluuntur verò, si febris vrgeat, decocto portulacæ, liquiritiæ, seminis melonum, & iniubarum, & florum violarum, & buglossæ, est etiam mirabile electuarium diapapaner. Nicolai, quia ardorem immodicum mitigat, expectorationi auxiliatur, & somnum conciliat. Nec contemnendum lac hordei extractum ex decocto liquiritiæ, & violarum cum saccaro exhibitum: & si incendium vrgeat, coquentur simul quatuor capita papaueris albi; serapium de portulaca est mirabile in fluxione biliosa, tenui, & mordaci, cuius vsus laudatur ad impediendam erosionem pulmonis, éstque præstantissima ad mundificandos Pulmones, vt adnotauit Montagnana *consil 106.* in eundem vsum parat Mercatus auxilia attemperantia, & incrassantia simul. Quod & Rondeletius consulit, præbétque serapium papaueris cum decocto pimpinellæ: quæ auxilia commendantur in principio etiam sanguineæ Pleuritidis, cum hordeo incoquit, & ℥iij. præbet per tres primos dies Pleuritidis, vt expertum tradit. Sic Auicenna in curatione huius mali commendat serapium nenuphatis, & violaceum, cum decocto hordei, iniubarum, violarum, seminis papaueris, & sebestæ. Hæc (vt dixi) conueniunt in principio ardentis, & biliosæ Pleuritidis, quæ Pulmonis erosionem acrimonia minatur, dolore immani excruciat, incendio cordis cum difficili respiratione, & parua suffocationem pollicetur, vigiliis debilitat, vt attemperare, demulcere

demulcere acrimoniam, & dolorem lenire sit opus. Nam & stupefacientia admittit Galenus ad sedationem doloris 1. *acut. comm. 33. ad fin.* Nec benè putauit Luprius *c. de Pleuritide*, antiquos auctores adhuc in biliosa Pleuritide nunquam frigida, & incrassantia commendasse. Tralianus etiam *lib. 6. capite 1.* Diacodium Philonium, & similia condemnat, quia humores eductioni contumaces reddunt, & vires mortificant, sed sine ratione in ardente Pleuritide id consulit: nec medicamenta allata à nobis illa incommoda faciunt, cùm iam validè à calore febrili remittantur, nec aliis cedat incendium, quis si duret sine attemperatione, non coctio, sed maligna humoris corruptio sequitur, & partis gangrena. Vndè Auic. c. 3. dicit: *Et maximi erroris est in potu tribuere infrigidantia vehementia, nisi in factu ex colera.*

Transacta fluxionis vehementia, expectorantia, & concoctoria conueniunt. Dicit enim Princeps *c. 3. Et oportet vt sit eius magnificata intentio, vt sputum facile fit.* Est verò multiplex causa, ob quam sputum difficile redditur; nam ex Pleuræ densitate, ex doloris vehementia, quia sputum educi nequit sine tussi, quæ commouendo partem inflammatam torquet doloris augmento, sic tertes, & crassa materia non eliquatur, nec concoquitur facilè, nec lenta, & glutinosa resudat ex parte inflammata, nec tenuis, & serosa per sputum expellitur, vt in hydrope aquoso experimur; sic tussis collapsa non pellit, quia tussis est expiratio vehemens, sine qua nihil pellitur ex Thorace; sic succorum malignitas partis inflammatæ temperiem corrumpens, partem mortificat, sicque concoctricem effœminat, vt desperatas Pleuritides causet, & cessante dolore, certissimè necant.

Densitas Pleuræ exposcit rarefacientia, & laxantia, quod præstat assumptio olei amygd. dulc. recens extracti cum saccaro candido & aqua calidissima sumpta, in qua liquiritiæ flores, vtriusque buglossæ, & succus sine incoxerint assumpta cum saccharo, aut decoctum radicum bismaluæ, & maluarum, florum camemali, & melilothi, & lupillorum: in quem vsum laudatur in omni Pleuritide assumere ℥iiij. aquæ instillatitiæ, ex camemali floribus, sic conferunt iura pinguia cum butyro recenti, & sacchato, præcipuè si radices tussilaginis in iure coquantur. Confert etiam quantum fieri possit, supra latus inflammatum cubare, nam calore decubitus rarescit Pleura, & ad faciliorandum sputum Auicen. commendat. Est verò vtile auxilium inspirare perpetuò halitus calidos, quibus aër cubiculi repleatur assiduè ex decocto melilothi, radic. ebisci, maluarum, anethi, camemali, fœnugræci, & semin. lini, & radic. tussilaginis, & hyssopi sicci, & foliorum prassij: nam Pleuritidibus siccis id remedium est commodum, & maximè necessarium, vbi ambientis frigiditas densat, incrassatque vias anhelitus. Coquuntur dicta simplicia in vase testaceo, & igni lento applicantur, vt sine fumo susuis halitus per cubiculum spiret, sicque continuò inspirentur cum aëre, & omni siccæ Pleuritidi conuenire docuit Galen. *Comment. 4. libro 2. de Vict. rat. in acut.* & Hippoc. etiam in fine textus, fomentorum halitus inspirare. Est familiarissima agricolis, & nimium exercitatis densitas Pleuræ: & quia exercitio, & labore exsiccantur partes, densioresque fiunt, & quia ratò non ingerunt crassa, & dura alimenta, ex quibus proportionales partes reparantur. Eandem indicationem implent fomenta, quorum tepidus calor conseruandus est; item & inunctiones resoluentes, & emollientes, concoctoriæque, de quibus inferius. Lac asininum in Pleuritide melancholica Auicenna commendat; erit ob eandem rationem densitati Pleuræ vtilissimum cum tantillo mellis, aut saccharo datum. Confert conserua buglossæ cum pulueribus liquiritiæ, Iulep. violatum ex ℥.vj. aquæ violaceæ, & ℥.iiij. sacchari.

A Vehemens dolor si ex plenitudine oriatur, & magna inflammatione, euacuantia requirit, ob quod in hoc malo non semel, sed bis, & ter eodem die sanguinem mittere ob vrgentiam doloris, & continuatam fluxionem: causatur etiam, quia densitas Pleuræ tenitatur ruptioni, cui auxiliantur laxantia, & emollientia iam dicta: Sæpè verò spiritus flatuosus permixtus *intolerabiles dolores machinatur*: tendit enim, & dilacerat membranam crudelissimè, est cognitio facillima huius causæ, quia difficultas respirationis est grandissima, quando febris non proportionatur eius magnitudini; nam si difficultas respirandi ex magnitudine inflammationis penderet intense, esset febris; itaque dolor, & respirandi difficultas sunt maiores multò, quam febris. Tollitur flatus distendens, si corpus sit

B euacuatum fomentis ex hordeo orobi, furfure in aceto diluto coctis, & torrefactis, & in sacculis applicata, vt docuit Hippocrates 2. *acut. text. 5.* & Galenus *in commento*, vbi docet, *crassos, & lentos humores in halitus, & flatus permutari, dum calefiunt*; flatus ergo hos, & humores illos patientes, fotus resoluunt, & præcipuè si parentur ex orobis, aut in sacculis imponuntur flores camemali, seminis anethi, cumini, furfures, & vino albo generoso irrorati imponuntur.

Est celebre medicamentum ad sedandum dolorem omentum arietis oleo amygdal. dulc. eradit, quod mihi familiare est ad sedandum dolorem, & resoluendam materiam. Recipe dialtheæ ℥. j. olei amygdal. dulc. ℥. ß. misce, hoc illiniatur pars dolens, super quam inspergitur puluis flor. camemali & desuper imponitur folium

C brasicæ butyro, aut pinguedine porcina inunctum, & fascia ligatur. Addere soleo, si flatus molestent, puluerem cimini camemali floribus, aut parum sulphuris: est etiam vsitatum ad extirpandos flatus, & dissecandam crassam, & viscidam materiam, quod sic Rondeletius parat. Recipe picis naualis quartam vnam, olei camemali ℥. iij. sulphur. ʒ. j. malaxa & fiat emplastrum; succus calamenti lana exceptus, & lateri applicatus calidus, externos dolores curare nouerunt experimento Rustici, vt tradidit Holerius; extrahit enim ad extra ex alto corporis infestantes humores, & flatus discutit mirè, propriéque conuenit robustis, & carne densiori constantibus. Vnde nisi benè euacuato corpore applicandus non est: calamenti succus ex foliis ex-

D trahitur, quia radix est inutilis. Confert non parum ad sedandum dolorem ex flatibus sudorem mouere decocto cardui benedicti, scabiosæ, & folior. papaueris rub. cum lapide Bezoar: sic enim laxato corpore mirè discutiuntur flatus, estque Pleuritidi vtile, quia frequenter terminantur sudore: sunt qui laudant panem à furno calentem per medium diuisum theriaca magna illitum. Addit Auicenna: *Et quandoque doloris facit vehementia esse necessarium vt in potu tribuatur faba vna fœtida cum melle, & aceto, & aqua rosacea. Et illud cum est vehementia doloris, faciens vociferare.* Hoc auxilium est vehemens, & datur ad resolutionem flatuum crudorum, & crassorum, lenioribus auxiliis non cedentium, & ad secandam tenacem, & crassam materiam lateri hærentem, ex qua tam indomiti flatus creantur. Olei de semin. lini ℥. iiij. dolorem placant, quando externis non cedit; quibus ℥. j. sacchari miscetur, emollit enim per halitum, digerit, mitigat, & concoquit, & non calefacit manifestè lini semen, vt docuit Galenus *3. simplic.* Capibac. *libro 2. de affect. medij ventris*, ℥. viij. olei amygdal. dulc. præbet, & ad impediendam inflammationem olei aquam hordei permiscet.

In tam atroci dolore siue ex magnitudine inflammationis, siue ex flatibus crassis admixtis phlegmoni nascatur, est celebre auxilium cucurbita scarificata suprà latus affectum, etiamsi totum non sit exquisitè euacuatum, non enim habet certam diem, in qua sit applicanda, vt definierunt antiqui: est tempus sui dies, in qua secedit

cedit

decreuit, aut penitus cessauit, & ed ..i excrementa postulent, qua valentiora sunt: ergo medioc.e in hoc genere est tum Ptisanæ cremor, tum mulsa, valentius autem & vrticæ semen, & mulsa, in qua coniectum fuit pauxillum acrium herbarum, quales sunt origanum, hyssopum, & calamintha, & pulegium, & radix yreos: quod si plus horum admisceas, vel iridem in mollissimum puluerem tunsam, cribratámque, in mulsam immittas, maximè inspersos, medicamentum habebis ad eundem modum, & quod ex marrubio conficitur, oxymelli, aliáque huiusmodi, &c.

Vbi Pulmo repleri incipit, (quod lenis sonus, stertor aut sibilus Thoracis demonstrat,) summus timor est, ne repleatur omninò, & irremediabiliter suffocet: Optime ergo tunc quæ ad tussim vehementius incitent, cum exterioribus maioribus imperare. Celebre est medicamentum, quod propter vtilitatem mysterium appellarunt antiqui: sic parabitur. Recipe gentianæ, myrrhæ, aristolochiæ, baccarum lauri, ana partes æquales, melle cocto excipiantur; datur quantitas fabæ cum mulsa: confert serapium de prassio cum oxymelle, & si opus fuerit, ob materiæ tenuitatem sit scillitum. Te neratie præcipit Princeps, quòd quando sputum cunstringit anhelitum lambendo sumas infundus coclearium d. flore æris cum melle. Secundus Scribonius glutinosæ, & viscosæ, crassæque materiæ hoc dicauit auxilium. Recipe piperis nigri gran. ij. myrrhæ electæ ʒ. ij. mellis despumati lib. j. contundatur piper curiosè, & cribretur, myrrha teratur in mortario diligenter, & piperi admisceatur, & deindè ambo melli; refert hoc ad Apul. ex quo magnam traxerat opinionem: Semen erucæ puluerizatum, & melle admixtum est mirabile.

Sunt verò medicamenta, quæ occulta proprietate vtilia putantur, & maximè extolluntur ab auctoribus, imprimis vt arcanum tradit Valeriola *lib. 2. obseruat. obseruat. vlt.* puluerem dentis apri, cuius dat ʒ. j. cum oleo amygdal. dulc. Leonellus, si morbus sit grauior, cum semilibra olei seminis lini, sin minus, cum ℥ j. Hoc auxilium laudatur ab infinitis auctoribus, vt tradit Schenchius, vt oleum seminis lini solum, amygdalorum dulcium, in quantitate ℥. iiij. sed rasura, aut puluis dentis apri cum ℥. iij. aut ℥. iiij. olei seminis linis secretum erat Ducis Vrbin. ad crudas, & exitiales Pleuritides, vt refert Schenkius. Nec minus extollunt puluis papaueris rubri cum aqua scabiosæ, buglossæ, pimpinellæ, aut cardui benedicti, dosis ʒ. j. pulueris, aut ℈. ij. & his, aut ter repetitur. Idem Valeriola vt celebre tradit decoctum papaueris rubri, cum serapio de hyssopo, calidum quotidie sumptum: sic serapium illius laudatur ab omnibus. Rondeletius dentis apri, & puluerem, seu cinerem Priapi tauri nimis efficacia auxilia confitetur. Dicit enim, quod exsiccando quod fluxum est, curant: quare (inquit) in principio danda non sunt, nec quando est expectorandum, quia exsiccationi impeditur sputum: post primum tamen diem dari possunt cum vino, vt ad partem ducantur, & in frigidis doloribus, magis quàm in calidis danda. Hanc doctrinam non capio in ordine ad tempus; nam illud exsiccare quod fluxum est, aut est resoluere, aut non: si non resoluitur, necessario induratur quidquid exsiccatur de nouo; si resolutione siccatur locus affectus, in omni tempore danda sunt, & in declinatione magis; si verò vtilia sunt, quia detinent fluxum, statim in principio imperanda. Nec sibi constat cum fol. 356. ʒ. j. cineris Priapi tauri omni tempore dari cum vino, at aqua hordei concedit.

Melius Riolanus sustinuit, quæ à proprietate conferunt, esse omni tempore danda; & audenter (inquit) hac opiata vtendum. Recipe conseruæ ex floribus altea, vel adianti ℥. j. puluer. papauer. rubr. ℥. ß. rasuræ dentis apri, & pudendi ceruini ana ʒ. ij. cum serapio liquiritiæ, fiat opiata, de qua capiat omni hora ʒ. ij. aut iij. Fumanæ ʒ. j. rasuræ dentis apri cum ℥. iij. olei seminis lini præfert, dicitque ex sirupis, & electuariis esse miscendum, & vt expertum laudat, Holerius, & Duretus in principio tantum concedunt dentem apri, quia nimis adstringentem fatentur.

Quercetanus hoc auxilio absque alio remedio liberauit multus. Recipe aquæ papauer. rubr. ℥. iiij. puluer. coralli rub. auellanarum rub. & mandibulæ lucij piscis ana ℈. j. misce. Si malum diù duret, vltra tertium diem dandum erit sudorificum aliquod specificum, quod sic parat. Recipe pomum curtipendulum, excauetur, & repleatur cauitas ʒ. j. pulu. olibani masculi, & ad ignem coquatur, donec puluis substantiæ pomi commisceatur bene; sunt qui addant tantillum saccari candi, & ita pomum edendum offerunt: post deglutitum pomum assumat æger subitò ℥. ij. aut iij. aquæ cardui benedicti, & stragulis coopertus multum sudet, cuius remedij beneficio innumeros pristinæ valetudini restitutos vidimus.

Lateri applicantur diuersa ad doloris sedationem, concoctionem materiæ, & resolutionem illius; nunquam mihi placuit quod imperiti faciunt, latus fouere decocto rerum diuersarum, præcipuè si fiat ex aqua: Est enim aquæ humectatio perniciosa hoc modo, quia statim reducitur, & latus infrigidat: melius qui in vesica decoctum applicant, licet virtus medicamentorum frustretur: securior est oleorum inunctio, quæ semel actuata diutissimè seruant calorem, & nunquam infrigidant, & simplicium virtus seruatur, sunt anodinæ, & sputum facilitant oleum amygdalorum dulcium, camemali, anetinum, violaceum, sesaminum, liliorum alborum: fortiora sunt yrinum, rutaceum, angelicæ, iasminorum: ex iis parantur fotus anodini, & resolutorij: est in officinis vnguentum pleuriticum in commune: quibus si addatur crocum, concoctoria magis euadunt: si theriaca magna antiqua resolutoria fiunt, & alexipharmaca; pro qua indicatione addunt oleum mathioli, & iasminorum. Leonellus vt expertum laudat vngere oleo nardino, cui crocus sit admixtus. Mercatus magni pretij esse dicit huc. Recipe de radicibus alteæ coctis, ac pistatis, & extractis per setam lib. ß. farinæ fabarum, fœnugræci, & seminis lini, ana ℥. ß. pulueris camemali ʒ. iij. axungiæ gallinæ, & anatis ana ℥. ß. vitella ouorum n. ij. croci ℈. j. misce: maluæ folia in lacte cocta Rulandus ponit. Non est paruum præceptum, calorem lateris semper esse conseruandum omni ingenio, vt nunquam vnguenta, olea, aut cataplasmata tepescant, quia mirè læditur Thorax: nil magis conseruat calorem quàm ceruical furfuribus depuratis ab omni farina semiplenum calefactum lateri apponere; est ex se mitigatorium resoluens, suauissimum, & iliorum calorem diutiùs conseruat.

Diuinum auxilium putatur hoc: dialtheæ ℥. ij. olei amygdalorum dulcium ℥. ß. misce, quo calido locus dolens inungitur, & inspergatur puluis cumini subtilissimè puluerizati, deinde folium brasicæ calefactum benè inungatur butyro antiquo, non salito, & lateri applicetur; deinde bibat æger olei seminis lini ℥. iij. serapij liquiritiæ ℥. j. ß. aquæ scabiosæ ℥. j. misce, tepidum detur, nullus morietur. Schenkius *fol.* 270.

Est docti Medici agnoscere, si suppuratur Pleuritis, & facta suppuratione, antequam vomica interna Thoracis pus euomat, per partes externas extrahatur à Medico: Scimus enim suppurationem internam rarò non interficere sine molestia summa, & diuturnitate laborum, præterquam, quod & in ipso ruptionis impetu ægrum strangulare potest, aut syncope inopinata è medio tollere; ob id mihi videtur, quid-

qoid dicat Mercatus, ferro candenti esse penetrandos musculos inter costas dolori respondentes, vt pus per vulnus exspiret. Ratio est clara, quia si semel reiecto pure, in cauitatem Thoracis cogimur hoc remedium tentare, ne tabidus fiat æger, tentandum est antequam in interna Thoracis pellatur, cùm sine certo exitio ad interna non cadat; nam per scarificatas eucurbitas pus totum euacuari posset, mihi videtur difficile; discedo itaque ab opinione antiquorum, quia non iudico consentaneum rationi ante mutationem in pus essa latus perforandum, cùm salubriter per coctionem, & sputum sine remedio tam acerbo terminari possit Pleuritis, & illius occasio non sit minus suppurata inflammatione quàm antea, non sequor verò Mercatum, quia omninò reiicit hoc remedium; quæ doctrina si vera esset, neque in suppuratis licetet tale auxilium tentare. B Si ergo in magnis suppurationibus vtile putatur auxilium, cur non erit vtilius, & maiori securitate impetrabitur, antequam pus in Thoracem tendatur, quin in hoc casu sine febre perforatione fieri debeat; in suppuratis verò non possit. Sic Aetius pus collectum ex vtero suppurato, sectione, aut vstione extrahit, & plus vstionem, quàm sectionem commendat.

Quomodo verò cognoscatur interna inflammatio suppurata, latè exposuimus *tract. de locis affectis*; breuiter verò docuit Hippocrat. 2. *Prognost. à text. 52.* dicendo: *Quoties dolor in iis sedibus, neque sedatur excreatione, nec ventris solutione, nec sanguinis missione, nec victu, nec medicamentis, scire licet suppurationem futuram.* Auicenna verò *cap. 5.* dicit: *Cumque phlebotomia & non sedantur accidentia; tunc scias, quod prohibitio collectionis, quam quæris, est difficilis.* Quorum auctorum doctrina intelligenda est, si non sint signa mortalia, quia tunc non suppurationem, sed mortem significant, non sedari dolorem. Summa igitur est considerate terminum debitum cuicumque Pleuritidi; quæ si transeat, & accidentia non admittantur: Sint verò cum hoc signa non mortalia, suppuratio timenda: quòd si hoc tempore febrium incrementa maiora fiant, & inordinatè veniant, & præcipuè si rigores inordinati, aut leues supetueniant, maximum indicium suppurationis sunt. Considerate (inquit Hippocrates) principium suppurationis fore colligenem à die, qua primùm homo febricitauit, aut quo primus rigor illum prehendit, & si dixerit pondus præ dolore ipsi fieri in loco quo dolehat, hæc enim in principiis suppurationis fiunt.

Tandem alimentum in principio morbi tenuissimum esse debere ob fluxionis impetum, ad proportionem verò, qua incipit coqui sputum, augendus est cibus, quia expectoratio eget tussi, quæ est vehemens impetus, & magno robore indiget; ob quod dixit Hippocrates 1. *de vict. rat. in acut. text. 23.* *At si os madescat, & quæ à pulmone exspuantur, talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem augere conuenit: oportet etiam reficere virtutem nimis debilitatam in morbi principio, ne cresceret inflammatio.*

Potus sit aqua hordei, aut liquiritiæ, vel anisi, aut cum saccharo, vel melle cocta aqua mulsa tenuissima, in qua carduus benedictus, aut mariæ sit incoctus, ex Rulando, sed moderatus, in principio ob fluxionem, & cruditatem materiæ nunquam concedetur frigidus, quia nihil magis nocituum expectorationi quàm frigus; recrudescit enim Thorax, incrassatur quod eesudare debet, densatur Pleura, & calor coctutus minuitur. Quando verò iam cessauit fluxio, & sputum præcedit, non est irrationabile in vini putatotibus, & debilibus aliquid vini albi concedere, recreantur enim vires, & Thorax roboratur, & augetur virtus collapsa. Est verò maxima habenda cura, ne recidiuet Pleuriticus, quia, vt docet Princeps, si A recidiuant, moriuntur. Somnus moderatus esse debet, quia omnibus internis inflammationibus nocet rattactione sanguinis ad interna: timor discutiendus omninò; ob eandem rationem aluus fluxa seruetur perpetuò, quia nihil noxius quàm non excreto stercore alimentum ingerere.



DISPVTATIO II.

De Pulmonia.

CAPVT I.

Quid sit, & quibus signis demonstretur?

AVICENNA *fen. 10. lib. 3. text. 4. cap. 10. & 11.* de Pulmonia, & signis eius sermonem instituit, & inquit; Peripneum. *apostema calidum in Pulmone.* Sumitur verò apostema pro tumore præter naturam, & ponitur loco generis; calidum verò ponitur loco differentiæ, vt sic distinguatur ab ædemate, schirrho, & alio quouis tumore orto ex calidis humoribus existentibus in naturali temperie. Vndè idem sonat ac si diceret, est tumor Pulmonis pendens ex putrefacto humore: constat enim clarè, quòd C si sanguis, aut bilis in Pulmonem confluerent, & non putrefierent, etsi tumorem causarent, quod localis tumor non esset peripneumonia; quia deficeret signum essentiale illius (febris acuta scilicet:) est ergo apostema calidum, id est morbosum, vt tumor, & vt calidum, quod non contingit in aliis ab humore non putrido pendentibus.

Dicit deinde auctor, quòd Pulmonia fit ab omni humore, sed plurimum à pituita, quia in membro tam raro tatò continetur, seu detinetur humor subtilis, sicut vt in plurimum causatur Pleuritis à bile; quia in membro tam denso vt Pleura, tarò penetrat nisi humor subtilis. Sine fundamento verò negauit Lupeius 3. *lib. Enchirid.* à bile sincera pituitam originari non posse, in quo planè refragatur Galeno 4. D *de locis affect. c. 4.* vbi erisipelatis Pulmonis indicia tradit: & 4. *lib. de caus. puls. cap. 12.* id expressè docet, & tradit pulsum dictorum vt infrequentem, & in Pulmonia, quia duritiem requirit, quam Pulmo non contrahit ex pituitosa fluxione: siquidem (inquit Galenus) munus biliosæ est cogere, siccare, tendere, & indurare: quem locum oculis conniuentibus legit Lupeius, adducendo in suum placitum locum dedecentem contrarium. Constat verò vel me tacente, discursum Auicennæ imptobabilem esse: probat enim frequentius fieri Pulmoniam à pituita, quia in membro tarò non detinetur subtilis humor, sed fluit fetè, vt dicebat Galenus *loco immediatè citato*; sed melancholia est crassus humor, & magis quàm pituita: ergo ab eo fiet frequentius, quia in membro tarò E detinebitur promptius, quod nun dubiè ita est, si solùm attendamus humorum crassitiem. Sunt verò alia plura, ob quæ à pituita causetur frequentiùs: nam si attendamus naturam Pulmonis, cùm sit humidissimus, facilè labitur in pituitosi excrementi generationem: Est etiam aptissimus, vt distemperetur per frigus in tantum, quia respiratione continua frigidi aëris id patitur. Sed etiam quia omne humidù à prædominio habet frigiditatem magnam, vt in frigidù permutetur, vt ob ne calidè in siccum: est etiam magna occasio, quia potissimus humor existit ad suscipienda excrementa fluentia ex cerebro,

cerebro, & glandulis ad fauces, & asperam arteriam contentia, quæ rarò non sunt pituitosa. Rursus pituitosus humor magis abundat quàm melancholia, & calore liquatur, & sic fluit facillimè; melancholia verò minimè, sed calore induratur, & terrestrior redditur, & magis consistens.

Nec obstat, quòd Galenus 7. *Aphor. comment.* 40. dicat, pleuriticos rarò spumosum sputum reiicere, sed rarius adhuc peripneumonia laborantes. Constat ergo spumosum sputum ex pituita pendere, vt *in comment.* docuit Galen. *& lib. de constit. art. medica*, c. 15. *&* 2. *Aphor. comm.* 42. Si verò rarius euenit peripneum. spumosum reiicere, rarius à pituita patiuntur. Respondetur quòd in Aphor. loquitur de spumoso sputo causato ea febre, hoc enim in Pulmonia rarò euenit, vt est rarum non pendere à pituita, quæ magnum calorem non contrahit, spuma verò, quæ leuis est, & veluti naturalis pituita, frequentius in Pulmonia videtur, quàm in Pleuritide.

Signa Pulmoniæ traduntur *cap.* 10. Primum constituit Auicenna febrem acutam. Rationem reddit, quia est apostema calidum in visceribus, quia calidum causat febrem, quia in viscere cordi propinquo; acutam, quòd incessanter putridas fuligines transmittit ad cor, & propinquitate nimis calefacit. Vnde etsi pituitosus sit sanguis, acutam febrem producit: Sic Galen. 4. *de locis c. vlt.* acutam febrem, vt signum essentiale tradit. Vnde 5. *Meth. c.* 15. contra Erasistratum probat, necessariò febricitaturum, quando sanguinis reiectatione Pulmo in phlegmone corripitur. Secundum signum est constrictio anhelitus vehemens. Rationem reddit, quia apostema vias respirationis coarctat, & quia incendit Thoracem, & cor, coarctare vias respirationis pendet ex cõpressione ramorum asperæ arteriæ per carnem Pulmonis disseminatorum; cùm enim illa ponderet nimis ob copiam succorum phlegmonem causantium, occludit ramos asperæ arteriæ, quibus mediis aër pro corde trahitur. Est verò difficilis respiratio, quia magna, celeris, & crebra in duobus differt à respiratione Pleuritidis, erat enim difficilis, quia parua, tarda, & crebra: Est clarum discrimen, quia in Pulmonia non patitur Thorax secundùm virtutem motiuam, nec secundum instrumenta, & inde Thorax dilatatur magnè, vt in omni aucto calore, quando remanet liber: At in Pleuritide impedita sunt instrumenta, si sit in musculis inflammatio, si in membrana similiter, quia hæc dilatatur, & comprimitur ad motum musculorum. Est verò impedita ob distensionem tumoris. Accedit ratio Galeni, quòd dolor intenditur nimia in ipso motu Thoracis, cuius augmentum fugiendo natura, paruè, & tardè commouet Thoracem, id verò non euenit in Pulmonia. Nec obstat, quòd etiam Pulmo inflammatus moueatur ad motum Thoracis, vt pleura mouetur, & indè dabitur respiratio parua, & crebra: Ob similes causas inquit in Pleuritide. Sed contra est, quia Pulmo non sentit, & ita nec dolet, quamuis dilaceraretur in motu: vndè non erit parua, nec tarda respiratio ob fugam doloris; & cùm sit alioqui laxæ substantiæ, non rumpitur, etsi distendatur in dilatatione Thoracis, nec habet impedimentum ob eandem laxitatem, vt Pleura, vt possit distendi, quod discrimen cùm verissimum sit, verum non est, vt docuit Galenus *lib. de subfiguratione empyrica*, c. 5. esse scilicet communia signa Pleuritidi, & Pulmoniæ, febrem, difficilem respirationem, tussim, & sputum. Patet doctrinæ falsitas, quia species morbi non significatur per difficultatem respirationis in genere, sed in specie determinata; est verò tam diuersa læsio in Pleuritide, & Pulmonia, quod ex illa sola sufficienter distinguatur, & ad hominem argumentum conficio. Nam Pleuriticus, & Peripneumonicus etiam dolent, & quia Pleuriticus dolet punctoriè, & alter grauatur, dicitur per hoc distingui: ergo quia diuersus est dolor, docet non conuenire, etsi ambo doleant; sed etiam difficultas respirandi est diuersissima, quia Pulmoniacus respirat vt Asthmaticus, per magnum nimirum spatium dilatato Thorace, & celeriter: at Pleuriticus per minimum, & metu incrementi doloris, quasi retardando dilatationem Thoracis, & ita tardissimo motu: ergo differunt in modo respirandi, aut in modo, aut specie doloris, suffocantur verò pulmonarij, etsi magnè respirant, quia non trahitur magnè aeris quantitas ob compressionem ramorum asperæ arteriæ à tumente Pulmone, quo etiam modo significantur asthmatici: nullus verò dicit hos, & pleuriticos eadem difficultate respirandi laborare.

Tertium signum tradit Auicenna dicendo: *Et grauitas propter multitudinem materiæ in membro non sensibilis substantiæ, sensibile tantum propter panniculum, in quo inuoluitur.* Substantiam Pulmonis sensu tactus carere docuit Galen. plurimis in locis, cuius doctrina quam sectatur hic Auicenna, pendet, quia per substantiam Pulmonis nullus neruus disseminatur, per quem ipsi sensus à cerebro communicetur; ita Galenus 2. *de locis*, *cap.* 3. *& lib.* 4. *cap.* 5. dicit: *Ac nec dolor quidem infestat eos, quibus à Pulmone sanguis erumpit, vtpote qui duos neruos perquam tenues à neruorum à cerebro coniugatione recipit extrinsecus per membranam ipsum continentem dispersos, & qui per visceris profunditatem non extenduntur.* Et *lib.* 1. *cap.* 5. dixit: *impossibile est, quòd cor abscessum contineat, quemadmodum nec Pulmo, nec ligamenta dolorem.* Grauitas igitur, seu dolor grauans percipitur à membrana, quia Pulmo repletus grauat præter naturam, & sic membranam disrumpit trahendo deorsum. Ita Auicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 2. scripsit: *Et doloris grauatiui causa est apostema in membro non sensibili, sicut pulmone, rene, & splene: Illud enim apostema grauitat, & trahit inferius, &c.*

Inquit deinde, quòd dolor extenditur per totum Thoracem ratione panniculi, eò quòd membrana inuoluens Pulmonem, & dorso, & sterno alligatur, & sic ex profundo ibi residet Pulmo, extenditur dolor ad partes Thoracis, & dorsum, quod etiam Galenus notauit 4. *de locis*, *c.* 8. & quandoque inter ambas spatulas, aliquando etiam sentitur dolor pulsans sub spatula, & furcula, & mammillis, quia arteria ascendens feruorem in sanguine contrahit, & cùm timeat Pulmo, approximatur per tunicam ipsi arteriæ, & sic tangit illam, & pulsationem percipit, aliquando verò non nisi quando tussit, illam percipit, quia non approximantur, nisi quando magis comprimitur Thorax.

Quartum signum est maxillarum rubor: *Et apparent* (inquit) *in vtrisque maxillis rubedo, & inflammatio propter illud quod ascendit ad eas in vapore propter carnositatem earum, & non sunt sicut frons in cute sua.* Desumpsit ex Galeno 1. *de locis*, *capite* 6. dicendo: *Item maxilla rubra apparent in pneumonicis.* Et rursus Auicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *doctrina* 3. *cap.* 1. dixit: *Est autem cum manifestè sentitur, rem significat occultam, quemadmodum rubor panni maxillæ Pulmonis portendit apostema.* Hoc signum est inseparabile à Pulmonia, sed minimè proprium, quia conuenit aliis morbis, vt de suppuratis docuit Hippocrates 2. *Progno.* *tex.* 60. quia ergo maxillæ habent carnem spongiosam, & raram, vsque ad extremam superficiem cutis ipsarum transmittuntur vapores rubri ex inflammatione pulmonis sursum per feruorem eleuati: Vnde propter raritatem cutis maxillarum veluti per vitrum conspiciuntur, & hoc est quod dicit: *Et non sunt sicut frons in cute sua*, id est, non habent maxillæ cutem densam vt frons, & ideò apparent vaporum colores.

Sed hoc signum, quod tanquam essentiale huius passionis tradunt auctores, habet hanc difficultatem: vaporea eleuantur in Pulmonia ex materia illius, & si fre-

quentius causatur à pituita, putris non contrahit rubrum colorem: idem arguitur de melancolia, & bile, nigricaret enim in illa, in biliosa verò pallesceret facies; nec obstat, quòd non fluat sola pituita, sed sanguis admixtus: nam hoc est planè falsum, & in distillationibus experimento constat magis quando biliosa Pleuritjs pallidum tericicos sputum, in Pulmoniam permutatur. Accedit, quòd, vt dixi ex doctrina Hippocr. etiam in suppurato rubent maxillæ, in quibus nil aliud nisi puris putridi illuuies in cauitate abundat, & Pulmo non inflammatur: quod etiam *in Coacis* dixit Hippocr, ita: *Qui florulenta sunt facie cum aluo liquidiore, iis suppuratio in Pulmone colligitur.* Mihi videtur ruborem maxillarum non ita pendere ex eo quod eleuatur ex materia inflammationis quàm ex alijs causis, nam à tumente Pulmone vena caua comprimitur, qua compressa sanguis retroredit ab superiorem regionem; sicque cerebrum impletur vaporibus sanguinis, & facies tota inundatur, & sic rubent maxillæ, ex tali enim sanguinis compressione impletur vena iugularis, cuius ramus ad exteriorem partem nasi iuxta angulum maiorem fertur, & alter ramus ad tempora, facileque implentur maxillæ, & rubent, eo quòd pars sanguinis subtilior, & calidior per iugularem exteriorem feratur ob leuitatem ad faciem. Colligitur enim ex ipso viuido colore genarum, non ex materia putri, sed ex sanguine puro ornari. Galenus 2. *prognost. tex.* 60. dixit ita: *Malè quoque rubent à calore Pulmonis, & tussi; ambo enim hac tum faciem, tum caput vniuersum excalefaciunt.* Et sic conducit ad cerebri incendium respiratio difficilis, & assidua suffocationis molestia. Tot igitur causæ concurrunt in pulmonia ad genarum ruborem, quarum concursus nulli alij affectui associatur, & indè in nullo alio rubent, vt peteumum. Ex adductis causis pendet, quòd facies inflatur, & turgeat, oculi grauentur difficilè, & venæ eorum repleantur, & ingrossetur collum, vt docet Princeps: qua causa iugularia replentur ex compressione venæ magnæ, & vaporibus ex feruore Pulmonum delatis, & inde frequenter inclinantur in somnum, & lingua prius rubescit, deinde ingrossatur, quia vaporibus multis distenditur.

Quintum signum est pulsus vndosus, & lenis. Rationem reddit, quia apostema est in membro leni, & mataria est humida. Prima ratio est inualida, nam mollities contra naturam in Peteumo, non pendet ex parte affecta, quia vt Pulmo per naturam non efficit pulsum mollem; sic nec per morbos, nisi ratione causæ. Constat clarè, quia aliquando est in Pulmonia durus, vt in biliosa docuit Galenus, & Auicennæ sententiam sequutus Mercatus *text. de pulsu*, eam damnauit in praxi *lib.* 2. *cap.* 7. Secunda ratio etiam infirma videtur, quia sanguis est humidus, & dum inflammat, pulsum durum creat, vrgentiùs videtur. Est pituita humida, ita & frigiditate congelat, & cùm sit frigidissimom omnium, concretum, & durum pulsum efficiet, non mollem: sed non quæuis excedens humiditas plus emollit, quàm corporatura humoris distendat, aut tendat: sanguis est humidus, sed non tam humidus, vt plus laxet quam tendat corporatura, sed è contra euenit; pituita verò humidissima omnium plus emollit, quàm quantitate, & frigore induret, vt in ædemate patet; nec frigoris argumentum in Pulmonia valet, quia actu calida est, quia putret.

Addit Auicenna: *Et pulsus æqualis plurimum est magnus propter vehementiam necessitatis, & mollitiem instrumenti, nisi virtus debilitetur valdè.* Ratio est, quia si vsus est auctus, & instrumentum molle, & tam obediens, non redderur paruus, nisi facultas nimis labescat; quia moderata virtus instrumentum tam obediens distendet satis. Dicit verò, quòd aliquando pulsus cadit in medio, vel intermittit, & redditur caprizans quiescente in motu dilatationis arteria. Desumpsit omnia ex Galeno 4,

A *de caus. puls. capite* 12. *& de puls. ad Tyron. cap.* 6. dicente: *Pulmoniaci pulsum habent magnum, vndosum, languidum, mollem, & qui in vno ictu veluti interpolantur.*

Est verò difficile, quomodo possit esse pulsus magnus, & languidus simul, cùm vbique doceat Galenus, magnitudinem esse differentiam familiarem robustæ virtutis, aucti vsus, & instrumenti obedientis. Et ratio, quia arteriam moueri per magnum spatium est robustæ virtutis, quia sine magno conatu non fit, existente verò forti facultate, implicat pulsui debilitas, cùm sit pulsus fortis, differentia propria robustæ virtutis, ac per consequens illam semper, & necessariò consequetur. Olfecit dubium Doctissimus Mercatus *lib.* 2. *de caus. puls. text.* 3. *c.* 29. & respondet, quòd etsi virtus labescat plurimum ob cordis intemperamentum, est nihilo-
B minus pulsus magnus ob magnum irritamentum, & nimiam instrumenti mollitiem, & obedientiam; quæ doctrina mihi non probatur; nam præterquam quod experimentum docet oppositum, cùm sæpè in hoc malo sanguinem mittamus, & consulunt omnes Medici, constat, rationem sumptam ex fine esse inualidam, si non fit agens idoneum, deficit verò in magno calore, si virtus est debilis, nec quæ sumitur ex obedientia instrumenti; nam hæc solùm inducit ad non resistendum facultati mouenti, & vt cedat proportionaliter facultati conanti: ad entitatem verò motus nihil facit, cùm tota pendeat ex facultate. Vnde Aurelianus pulsus vehementes Pulmoniæ concedit 2. *acutorum, cap.* 27. neque est tam certum, vt putant Medici, mollitiem, & laxitatem esse accommodatas ad facilem motum in corpori-
C bus cauis certam consistentiam, & firmitudinem exposcentibus, vt cauum seruetur, intra quod agitetur; nam pro mollitie laxitate deperditur partium firmitudo, vt concidunt in se, vt minus benè impellantur, quàm quando mediocrem firmitudinem seruant.

Mihi videtur, debilitatem in pulsibus Pulmoniæ esse apparentem, non veram, & esse philosophandum eodem modo ac in falsa vehementia, quam repræsentat arteria in Pleuritide: Notauit Galenus doctissimè *lib. de puls. ad Tyron. cap. de puls. Pleuritidis, & lib.* 4. *de caus. puls. cap.* 8. quod quia neruosior redditur pulsus, & quodammodo redditur durior arteria, imperitis imponit, quod in vehementiam conuerterit, quia nesciunt distinguere ictum durum à vehementi; si ex aduerso in molli nimis philosophur: nam cùm præ mol-
D litie corpus arteriæ etsi firmè impellatur, nequeat subuertere pulpam digiti, quia omne molle cedit tangenti; ideò imperitis imponit apparentem debilitatis effigiem, cùm tamen possit constare facultas. Hos pulsus doctissimè Aretheus inanes appellauit, quia etsi sint fortes, non apparent tales ob mollitiem arteriæ, estque inanis conatus, quia ineptitudo corporis impulsi facit, quòd pulpa non subuertatur, & eidem pulpæ dura arteria resistit, etsi languidè impulsa, quia omne durum resistit tangenti. Dices, animaduerteret id Galenus, si ita putaret, vt in Pleuritide fecit; sic tenebatur, & fortassis non fecit, quia lege contrariorum constabat; explicuit enim contrarium, & ob perspicuitatem, & necessitatem tutelæ alterum tacuit.

Est pulsus vndosus, quia inæqualiter tenduntur ar-
E teriæ in vna pulsatione; nam similis inæqualitas, quæ cum duritie serrantem producit, cum mollitie causat vndosum. Vnde constat, quòd si à bile crassa, & exusta pulmo inflammetur, neque erit mollis, neque vndosus, sed durus, & dicrotus; id tamen rarissimum est, vt notauit Galenus, qui sine ratione dixit *lib.* 5. *de locis, cap.* 3. vt in Pulmonis affectibus nulli penitus apparet huiusmodi durities, in omni tamen Pulmonia mira inæqualitas datur, tam collectiua, quàm in vnica pulsatione, quia à flagrante, & tumente Pulmone, cordi tamen tam proximo insurgit immensa fuligo, quæ ventriculos occupat, mollicies æqualis esse non potest, vt de

serrante

ferrante pulsu retulimus, facultas vitalis opprimitur, diuersissimè tamen, quia cùm comprimatur cur a pondere alieno tumefacti Pulmonis, & Pulmo nunquam quiescat, sed diuerso modo agitetur, & multifariam in motu respirationis, in tussi, in angustia, & diuerso ægrotantis decubitu, sic mirè pulsus euariat, quia variat oppressio à causis relatis, ab inæquali fluxione, & diuersa fluentium succorum putredine; quod etiam Galenus notauit 4. *præsag. puls. c.* 3. dicendo: *At æqualis est maxima ex parte pulsus in tumoribus, qui consistunt ad costas, non vt in Pulmonis tumoribus omnifariam inæqualis.*

De tussi non fecit mentionem Auctor, cùm sit accidens essentiale huius mali, vt docuit Galenus, estque maior occasio tussiendi, quàm in Pleuritide. quia per se ipsum patitur Pulmo, & obstruitur via respirationis ab eo, quod resudat ex loco inflammato, à quo etiam comprimitur aspera arteria, & inde magna tussis occasio; sunt ergo signa essentialia Pulmoniæ integram syndromem constituentia, continua febris, & acuta, respiratio difficilis, magna, & celer, & crebra ex parte Thoracis, sed parua ex parte aeris attracti ob asperæ arteriæ coarctationem, vt in asthmaticis, dolor grauans in medio Thoracis, & dolorosa passio, aliquando extenditur, vt diximus, per totum Thoracem maxillarum rubedo, pulsus vndosus, mollis, magnus, & mirè inæqualis, & tussis, & causas omnium signorum tradidimus.

Malè tamen torsit Auctores, quòd sit pulsus mollis, & vndosus in Pulmonia, cùm sit inflammatio, cui durus, & teosus debetur, vt constat ex Galeno dicente 1. *lib. de præsag. ex puls. cap.* 9. *Siquidem liquet nec inflammationem vllam, nec scirrhum, nec constrictionem ex frigore, nec immodicam siccitatem, nec affectum conuellentem corpus, si vndosus sit pulsus, tenere.* Et 4. *lib. de caus. puls. cap.* 7. dixit: *Omnis inflammatio communem habet pulsum veluti serrantem.* Hic verò sine duritie creari non potest, vt constat ex communi Medicorum doctrina, & Galenus *eodem cap.* expressè docet, Pulmoni inflammato durum pulsum competere, & Iecori, lieni, renibus, vesicæ, collo, & ventriculo, & Pleuræ. Nodum dissoluit Doctissimus Alphonsus Nuñez *sect. de causis puls. cap. 7. fol.* 152. Est verò sententia nostra, ex causis oppositis deficere posse essentialia signa. Galenus dixit omni inflammationi competere pulsum durum, & aliquo modo serrantem; nam talis debetur inflammationi formaliter; nam hæc aut dicit calorem, si sit sicca, aut calorem, & corporaturam, seu tumorem, si sit humida. dicit verò Galenus fluentem humorem debere esse calidum ex se: constat ex Galen. *lib. 2. ad Glauc. cap.* 1. dicente: *Prima differentia inflammationis est, qua in humidam, & siccam* distinguitur, humidam quidem, quæ ex calida defluxione partem obsidente fit, de hac loquitur, dum esse pulsum durum, & serrantem accommodat, quam inferius explicans, præter causas dicit: eius enim multæ sunt species; vna ex sanguinis, altera ex bilis, tertia ex vtriusque simul defluxione, atque etiam in harum singulis, aut iam computruit, quod defluit, aut putrescit in partem infartum, &c. Ex hac doctrina liquet inflammationem in significatione propriissima, & rigorosa, aut significare calorem solùm, si sit sicca, aut calorem cum tumore, si sit humida: nam pro materiali dicit causam corpoream; pro formali partis ardorem. Hæc duo, si consideres, semper creabunt pulsum durum, & serriorum, & per consequens omnis inflammatio humida, cùm illa duo tantum dicat, & includat; nam calor & corporatura tendunt necessariò arterias; calor, si exsiccat, corporatura ex se ob impenetrabilitatem cum parte, ad quam fluit; quia verò humor fluens corpus mixtum est præter calorem, & corpus alias qualitates participare potest, quibus tensioni repugnet. Vnde etsi fluat, & inflammationem faciat, non tamen pulsum durum creabit, quia quod tendit corporatura, emollit, & laxat humiditas, & mador, quibus corpus distemperat; nam licèt ad distensionem sit satis, quòd fluat humor in copia maiori, vt tantum est satis, vt tensum, & rigidum membrum reddatur; nam hoc requirit præter distensionem renitentiam quandam qua repugnante ne distendatur pars, tensum, & rigidum membrum seruatur, sicque durities apparet in pulsu. Quia verò Pulmonia ferè semper oritur ex pituitosa fluxione, quæ humiditate nimia, & madore superfluo Pulmonem emollit, & laxat, ideò etsi distendatur, non tenditur, quia pro laxitate nec resistit, nec tenditur, & inde nec pulsus est durus, indeque procedit ædematosos tumores indolentes esse, quia etsi pars dilatetur, non tamen tenditur, quia non tenditur resistentiæ, aut renitentiæ defectu: Hæc est huius quæstionis genuina expositio, nam deficere posse quæ essentialia sunt morbo alicui, si opposita causa accedat, omnes fatentur: sic emollitio pulmonis, madefactio, & laxitas ex pituitosa fluxione productæ plus valent in pulmonia, quàm corporatura humoris, vt tendatur, & inde mollis pulsus, & vndosus emergit, contra id quod inflammatio requirit.

CAPVT II.

De Præsagiis Pulmoniæ.

OMnia præsagia ex sputis desumpta in Pleuritide eandem habent significationem in Pulmonia: ita desperata est sicca Pulmonia, quæ etiam nigrum sputum educat, aut elatum: mitior habetur pituitosa, & salubrior sanguinea, causas ex sputo demonstrari iam diximus. Dixit verò Hippocrates *in coacis*, periculosum esse sputum valdè sanguinolentum, vel liuidum, statim in initio morbi: quæ sectatus Aretheus dixit: *Si aliquod sputum mouet id, vel spumans pituita est, aut aliquod exquisitè biliosum, aut cruentum floreo colore valdè perfusum, id verè cruentum aliis perniciosum est.* Quam doctrinam ex Aretheo transtulit Aëtius dicendo: *Si verò quid efferatur spumosum, aut biliosum, & aliquando cruentum, & floridum, quod etiam pessimæ significationis est signum.* Quæ doctrina refragatur Galeno 2. *Prognost. comment.* 46. dicendo; fluxiones sanguineas, & pituitosas esse reliquis modestiores. Et vrgentius loquitur *comment.* 47. dicendo: *Omnis enim purus humor excepto sanguine vitium quoddam subesse testatur.* Est ergo puri sanguinis excretio sine vitio, & sic melior omnibus, & inde nec pessimæ significationis, vt dixerunt Auctores. Rursus Galenus 6. *Epid. sect. 4. comment. vlt.* Pleuritidem rubra excernentem sine sectione venæ curauit, & reddendo rationem, dicit: *Mitissimi enim sunt illi, in quibus cruenta sputa eiiciuntur, &c.* Et 2. *Prognost. comment.* 50. de Pulmonia agens sic scribit: *Si admodum biliosus humor est, ea flaua tantum erit; si sanguineus, rubra; si ex vtraque mixtus, rubra simul, & flaua; ista quidem humiditas bona est, ab ea verò non longè abest sincerus sanguis per sputa emissus, &c.* Ratio adstipulatur Galeno: Si sanguis influit in partem, tantò significatur robustior expultrix, quantò humorem fluentem integrum excernit; sed quò sincerior, & crassior expellitur, reiicitur integer: ergo innuit validam expultricem, quæ non tantùm serum illius excernit, sed ipsum sanguinem floridum, vt influit in partem, non permittendo intra illum morari. Respondetur, quòd primi Auctores non damnent quodcumque rubrum sputum, sed quod est valdè sanguinolentum, quod non refert sincerum, sed multum; id verò in principio perniciosum est, quia vas aliquod erosum, aut apertum significat. Ratio est, quia in principio inflammationis quidquid confluit in partem, detinetur ab ea, vt corrigatur; vnde aut nihil resudat, aut quàm paucissimum est, aut ichorosum, aut serum potiùs quàm humor; hoc ergo tempore, in quo retentrix partis

inflammatæ occludit partem, & firmat humorem, vt superetur, in tanta cupia emergere, vt valdè rubrum appareat, vitium in venis arguit, aut retentricis lapsum insignem, cuius ratione sanguis integer percolatur: de hoc verò non fuit loquutus Galenus, sed sincerum appellat sputum sanguineum, quando nec bilis, nec alterius humoris mixtionem significat: id verò esse potest, quin sit valdè rubrum, hoc enim nunquam est bonum; nam cum in principio debeat serum percolari solùm, & saliuæ misceri, nunquam erit valdè rubrum, nisi magna quantitas vitio vasorum, aut retentricis defectu expellatur. Quod animaduertens Hippocrat. 2. *lib. Prognost. text.* 50. dixit: *Si vero sputum flauum sanguini non multùm commixtum in iis, qui Pulmonia laborant, inter initia spuatur, valdè vtile est.* Ecce quomodo scribit sanguini non multo: ergo si multus sit, pessimum erit, quia opponitur valdè vtili. Ratio adducta in contrarium non probat, nam si tam robusta esset expultrix, quòd sanguinem, vt influit, expelleret, non generaretur Pulmonia: semel verò permissa, vt supponitur in Prognostico, periculosum est sputum valdè rubrum. Ratio constat ex dictis.

Dixit rursus Hippoc. 7. *Aphor. text.* 11. *A morbo laterali Pulmonis inflammatio malum.* Galenus exposuit esse intelligendum Hippocratem, si Pulmonia superueniat Pleuritidi, cuius complicationis malignitas non egebat Magistro; proinde putandum esse malum, quòd Pleuritis in Pulmoniam transmutetur, quia acutior est morbus, & maiori periculo suffocat; est superuenientia morborum, quando duo coniunguntur simul, & vrgent ægroti afflictione; transmutatio verò, quando vnus mutatur in alium, vt si humor Pleuritidis totus in Pulmonem rejiceretur, fieret Pulmonia, & cessaret Pleuritis. Ex iis intelligetis difficilem textum Hippocratis *in Coacis* dicentis: *Peripneumonia, quæ ex transmutatione Pleuritidis fiunt, minus periculosa, quàm quæ ab initio fiunt*: Est quidem intelligendus, quàm quæ ab initio Pleuritidis, non quòd sit deterius pulmoniam à seipsa incipere. Ratio est, quia quæ ab initio Pleuritidis venit, significat superuenientiam esse, non transmutationem; nam sæpè ab initio Pleuritidis tanta copia confluunt humores, vt Pleura illum non capiat, & sic quod ab ea contineri non potest, in Pulmonem transfunditur, & fit duplex malum, quod deterius est, quàm si Pleuritis in Pulmoniam mutetur, cessante primo malo, vt constat per se. Dixit enim Galenus *in comment. Aphor.* 7. *lib.* quod superuenientia malorum nec paruos, nec mites insequitur morbos, sed malos, atque malignos.

Est etiam difficile, quòd dicat Hipp. 1. *Progn.* 16. *Velle ægrum residere in vigore morbi, malum est in omnibus morbis acutis, pessimum verò in Pereum.* Videtur enim in Pulmonia esse minus malum, & Orthopnœam, seu sublimem respirationem, quia habet ex se vt inseparabile accidens difficilem inducere respirationem, & febris incendio, & coarctatione virium respirationis: alij verò acuti morbi minimè, & indè plus admirationis habet in istis quàm in pulmonia, quia tantò magis terribile est aliquod signum, quantò minus congruit morbo, aut minus congruit aliis acutis, quàm Pulmoniæ: ergo in hac minùs terribile, in aliis magis horrendum hoc signum. Respondetur: In Peripneum. esse perniciosus, vt rectè notauit Vallesius, quia ex deterioribus causis pendere agnoscitur in ea, quàm in reliquis acutis, nam in Pulmonia accusantur magnum incendium, & nimia viæ respirationis occlusio, quibus oppressus æger sedet, vt respiret facilius: at per alios morbos, aut solùm incendium, aut inquietudo, aut euaporatio obstruens erecta ceruice respirare cogunt: quæ causæ minus malæ sunt, quàm firma viarum obstructio cum incendio notabili à Pulmonia inseparabili. Non verò dixit Hippoc. esse pessimum in vigore velle ægrum residere, id est, respirare sedentem, quia sit minus malum in principio, aut augmento; nam in iis est non dubiè malignius, sed dixit illud per Pleonasmum, quia rarum est in alio tempore fieri, quàm in vigore: nam tantum incendium, aut angustia rarò in principio, & augmento inueniuntur.

Si cor inflammetur cum Pulmone intra secundum, aut tertium diem, pereunt, teste Hippocrate *in Coacis*. Compatitur cor multifariam, nam & initium tumoris, aut Erysipelatis communicari solet ob proximitatem. Rursus si Ichores corrupti ex inflammato Pulmone resudantes per leues arterias sinistro ventriculo communicentur, magnopere læditur, & incenditur: à pondere tumentis pulmonis comprimitur, ab incendio ardet, vt omni noxa in consensum trahatur. Sunt sternutamenta mala in morbis Thoracis, & Pulmonis, teste Hippoc. 1. *Prognost. tex.* 49. siue præcedant morbos ipsos, siue pòst eueniant, quia in motu vehementi Pulmo inflammatus concutitur, & dilaceratur. Est etiam mala omnis repletio capitis & grauitas, quòd aut indicat esse magnum consensum cum Pulmone ob magnitudinem inflammationis, aut timendum est, ne augeatur inflammatio Pulmonis ex humoribus abundantibus in cerebro ob magnam communionem. Est etiam omnis cerebri grauitas intolerabilis, vbi adiungitur tussi continuæ, quia concutitur cerebrum, & dolor increscit.

Alui fluxus est indifferens in opinione Medicorum. Hippoc. illum damnat 6. *Aphor.* 16. dicendo: *Pleuritide, & Pulmonia correpto alui fluxus superueniens malum.* Galenus intelligit de consensu cum Hepate, aut ventriculo, quando aut non attrahitur à iecore chylus, nec commutatur ob suam læsionem, aut quia ventriculus alimentum corrumpit, in hoc casu non tantùm est malus alui fluor, verùm mortalis omninò; in principio tamen potest esse vtilis reuulsionis gratia, aut concocta iam materia, quod Aëtius tradit, & ex Aretheo desumpsit. Sanguinis fluxum ex naribus ij auctores commendant, vt benè iudicantem. Galenus verò contrarium tuetur 3. *de crif. cap.* 3. vbi dixit, nec lethargum, nec Pulmoniam sanguinis fluxum iuuare. Ratio est, quia venæ Pulmonum quàm minimè cum venis narium communicant. Sed melior ratio, quòd pendeant ferè semper duæ passiones ex cerebro, nam cum cerebro magnam communionem habere venas narium negari non potest.

Est tamen dignum consideratione quod dicit Hipp. 2. *tex.* 57. Verba sunt: *Abscessus verò in crura in fortibus, periculosisque pulmonis vtiles sanè omnes; optimi autem qui fiunt sputo eunte in mutationem; si enim tumor, ac dolor sit sputo flauo facto purulente, & extra excrete, securissimè supererit, & abscessus sine dolore, & celeriter cessabit. Si verò sputum non benè excernatur, nec vrina sedimentum bonum habere videatur, periculum claudicatis in articulo, aut mali negotij est.* Quam sententiam transtulit Auicenna *cap.* 18. *de sign. Peripneum.* dicendo: *Et Hippocrates dixit, quòd quando iis accidunt exitura apud maxillas, aut ea, quæ sequuntur eas, & aperiuntur fistulæ, euadunt; & similiter quando accidunt exitura in crura, sunt signa laudabilia.* Dixerat enim Hippocrates paulò antè, primam sententiam esse tutam: *Quibuscumque autem abscessus fiunt ex morbis Pneumonicis post aures, & suppurant, aut ad infernas sedes, & fistulantur, ij superfunt.* Abscessus enim per exituras intelligit Auicenna. Constat verò esse magni momenti, quòd abscessus maturentur, & aperti per multum tempus hient; sic enim deseruientes pro fonte, materia coniuncta, & antecedens reiicitur, & sine recidiua iudicatur morbus. Si verò cruda materia existente, quod indicabit sputum non coctum, aut sedimentum vrinæ vitiatum, & crudum, timendum est, si decumbat in crura, ne claudus reddatur æger, aut summo labore ægrotantis, & Medici

dici curetur; nam cùm materia sine coctione pellatur, & nondum correcta, non potest non malignè afficere articulos; & eos aut corrumpere, aut ita debilitare, quod sine magno negotio emendari, & resolui non possit. Frequentius est per parotidas malum terminari, quàm per abscessus in crura; sed rara est huiusmodi terminatio, cùm nihil communius sit quàm per sputum iudicari: sunt tamen mortales Parotidæ ferè semper, si non præcesserit coctio, ob adductas rationes: vt Pleuritis in Pulmoniam mutatur in Angina, vt docuit Hippocrates 5. *Aphorismor. text.* 10. quam die septimo interficere, aut supputari docet.

CAPVT III.

De Curatione Pulmoniæ.

Disputat Auctor de cura huius mali *fen.* 10. *lib.* 3. *text.* 5. *cap.* 4. traditur compendio, quia statim in principio capitis dicit: In cura Pereum curritur cursu Pleuresis, nisi quòd emplastra tenentur esse fortiora, & sunt addenda iis profundentia, hoc est intro deducentia vim medicamentorum; quod totum dependet ex situ partis affectæ. Pulmo enim in medio Thoracis reconditus distat plus à partibus externis, & sic maiori vi, & vehiculo egent auxilia, siue intus, siue extra applicentur.

Quibus verbis constat esse secandam venam statim in initio mali, & seruanda similia præcepta, quæ in causa Pleuritidis diximus, licet in multis reperiatur discrimen. Primum est, in hoc malo non esse secandam venam vsque ad mutationem coloris, quia per venæ sectionem nihil extrahitur à Pulmonibus ipsis, ex quo pendet ratio maioris periculi: Vnde summa diligentia statim in initio secanda, & breuissimè inaniendum corpus ad cohibendum succorum affluxum; nam quod semel Pulmonem obsedit, sectione venæ educi repugnat. Ratio signatur ex anatome, quia Pulmo non habet communionem cum vena secanda per oscula venarum, & carnia; est enim pendulus in medio Thoracis, sanguinem accipiens à corde per venam arterialem dextrum cordis ventriculum penetrantem, qui semel accepto sanguine claudendo cuspides balbolarum fursum sanguinis non admittit. Estque eadem ratio de corde, ex quo rectè colligitur, solùm in fluxione esse admittendam sectionem venæ; nam in vigore, aut augmento frustra debilitatur æger, cùm nihil euacuetur continentis causæ; quod intelligendum, si non complicetur febris putrida, aut malum aliud illud remedium requirens.

Est rursus discrimen, quòd in Pleuritide semper secamus venam in eodem latere: at in Pulmonia interdum ex eodem, sæpè verò ex vtroque; ex eodem, si vna tantum pars Pulmonis inflammetur; ex vtroque, si vtraque, aut media. Quomodo verò agnoscatur pars, quæ laborat, docuit Hippocrates *in Coacis* dicendo: *Quibus Pulmonariis tota lingua albicat, & aspera est, vtraque pulmonis partes inflammatione laborant; quibus verò dimidium, ea pars, qua apparet: & quibus morbus est ad alteram clauiculam, superior ala pulmonis simul laborat; quibus secundum mediam costam media, quibus secundùm septum transuersum inferior; quibus verò vnà tota pars laborat, omnia quæ ei parti correspondent, laborant. Si igitur vehementer inflammentur appendentes vtrimque partes Pulmonis, vt in latus incumbat, resoluuntur ea parte corporis, quæ membro respondent, & liuores secundùm latus fiunt: Hos autem veteres ictos, seu sideratos appellabant. Si verò non valdè inflammentur, vt nec insideat lateribus, dolor quidem in totum fit, sed nec resolutio fit, nec liuor.* Hæc Hippocrates. Quorum verborum ratio pendet ex commonione linguæ cum Pulmone; hic enim sua fuliginosa excrementa, & quæ per modum

A halitus reiicit, per asperam transmittit arteriam, & linguam inficiunt. Est etiam lingua bifida, vt Pulmo in tunica communicet, per quam dextra cum dextris, & sinistra cum sinistris maiorem participat rectitudinem, & commonionem, & sic dexter lobus Pulmonis inflammatus dextram linguæ partem plus afficit notabiliter, & sinister sinistram: sic quia tunica, quæ obstruitur, ex Pleura dependet, & vertebris, ossique pectoris media illa alligatur, si superior ala Pulmonis in vno latere inflammetur, dolor excitatur in clauicula illius partis; in alio verò latere minimè; vocat autem superiores alas Pulmonis partes illius, gibbas, & extuberantias, quæ sunt ad clauiculam: quia vbi sedes concaunæ sunt, ibi gibbosus est Pulmo: sic totus Pulmo inflammatus totam Thoracis cauitatem in consensum adducit, quia per membranam, qua inuoluitur, vnitur omnibus partibus Thoracis: similiter si vnica pars illius magna inflammatione tumeat, replet cauitatem, intra quam mouebatur, & comprimendo neruos illius lateris stuporem inducit, & resolutionem; interdum verò homo totus manet sine voce, & resolutus, quando nimirum grandis inflammatio fatigat, & toti Thoraci agglutinatur Pulmo. Tunc enim magna compressione arteriarum, & ventriculorum subitò periit æger citra syncopen velut attonitus, denegata cordi facultate mouendi. Animaduertit etiam Fernelius 5. *de symptom. & morbis partium, cap.* 10. quòd quando in morbis Pulmonis accedit dolor lateris internus, fixus, & C permanens, significat iam Pulmonem membranæ costas subcingere, quod fit interuentu pituitæ, aut saniei cuiusdam lentæ, quæ ex læso Pulmone dimanans cum latere agglutinat, ac demùm putrescens, latus, Pulmonémque labefactat.

Notauit doctissimus Mercatus *lib.* 2. *indication. cap.* 2. in morbis Pulmonis, & cordis, sanguinis missione egentibus, vtilius esse secare venam internam in sinistro latere, quàm in opposito. Adducitur ratio ex anatome, nam Pulmo venas recipit ex dextro cordis ventriculo; hæc autem inseritur in sinistram partem venæ cauæ, quæ per alam sinistram in cubitum sinistrum excurrit. Desumpsit ex Fernel. 2. *lib. Met. c.* 7. & ex Lupcio *lib.* 2. *de arte curat. fol.* 165. cuius doctrinæ meminit etiam Brauo 2. *Progn. comment.* 59. Quorum doctrina mihi non probatur, imò contrarium licet facilius, D & verius colligere ex ipsa anatome, cùm sit rationi magis consentaneum humores confluere in copia maiori per eandem partem, per quam naturaliter communicatur sanguis ad nutritionem Pulmonis: & cùm tota communicatio per dextrum cordis ventriculum, & ramum venæ cauæ fiat, certius videtur inhibendus fluxus secta vena interna lateris dextri, quàm oppositi; & hoc habet vim maiorem, quia in pulmonia non euacuatur, quod semel Pulmonem obsedit, sed id quod fluit, aut fluere paratum existit; docuit enim Galenus, quòd si non retrahamus ad fontem fluxionis, parum in reuellendo proficiemus. Hoc respiciens Zoar. *lib.* 1. *text.* 11. *cap.* 2. docuit, quòd in Pulmonia Phlebotomia debet esse ex basilica dextra.

Si verò ex capite fluat materia, vt solet, quod con-E stat ex eo quòd sit grauatum, & plenum antequam Pulmonia inciperet, & ex sensu grauitatis oculorum, rubore turgentibus venis eorum, & temporum; ast etiam capitis habenda prouidentia, ob dictum Galeni, vt scilicet euacuemus à parte mittente, & idcirco secanda communis, aut cephalica; in quem sensum trahunt Auctores Hippocrat. 3. *de morb. fol.* 174. consulentem sanguinis missionem in Pulmonia ex naso, & lingua. Putauit enim fluxionis originem ex cerebro esse, in quo euentu omnia conueniunt, & cucurbitulæ musculis brachiorum affixæ: ob quod *eod. lib.* docuit Hipp. in curatione Pulmoniæ esse primò leuandum caput, vt nihil influat in pectus.

Dicit deinde Auicenna, quòd si natura restricta fuerit, sumat æger omni die medicamentum leniens, quod parat ax medulla cassiæ fistulæ & carnis passulæxum sine granis. Dispensatur optime à Iacobu sic: Recipe medullæ cassiæ fistulæ recenter extractæ ʒ.x.carnis passularum ℥.ß.sint verò Corinthiacæ, dissoluantur in ℥.iiij. prisanæ, & ℥.ij. aquæ solatri, quam totam portionem robustis concedit; debilibus verò dimidiam: mihi videtur, omni die hanc potionem sumendam non esse ob indicationem solicitandi aluum, sed satis esse per tertios dies in minori dosi. Si verò ingens esset biliosi humoris cacochymia, ob expurgationem illius concedenda est in quantitate dicta, aut loco illius concedentor ℥.ij.ß. mannæ dissolutæ in iure, aut decocto pectorali: est enim summè aduertendum, quòd medicamenta expurgantia lenientia sint, ne retardent sputum ob quod expurgantia medicamenta in Pulmonia formidauit Hippocr.3. *lib.de morbis*, cuius sunt verba hæc: *Cum autem enacuatus fuerit, & corpore debilis, infernam aluum tertio quoque die deorsum commoueto, & corpus potens sit, & superna regionis humores exortes; nam si multus humor infra secedat, à quinto die mortem inducit, infra non; humore sedente supernè partes vessicantur, & sputi purgatio sursum non prodit: Oportet ergo infernam aluum, nec valdè suppressam esse, aut non sint febres acuta, nec valdè egere. quo saliua sursum edici possit, & æger viribus valeat.* Tentátque Hippocrat. 3. *lib. de morb.* per venæ sectionem, & alia remedia morbum finire absque expurgatione. Si verò prædictis auxiliis morbus non mitescat, expurgationem consulit medicamentis fortioribus.

Alia *in fine c.4.* Si Pulmonia pendeat à colara rubea, expurgationem consulit; est enim humor desperatæ coctionis exulcerans, & acerrimus, vnde non mirum statim asse euacuandum. Idem putandum, si ex aliis speciebus bilis præternaturalis morbus oriatur, exeditur enim facillimè caro Pulmonum ab eis, & incendio, inquietudine, & incoctibilitate interimunt; vnde sola euacuatio cum attemperatione maxima aliquod solatium adfert: nam si aliquid confert, inquit Auicenna, est intentio vltima cum succis vehementis frigiditatis; id enim indicat intolerabile incendium. Thoracis, & cordis: quod sine Fundamento negauit Lupeius *lib. 2. de arte curat. cap. proprio*: nec enim est idem adstringere, & infrigidare. Et quid prohibet incendium esse tantum, quod infrigidantia interius, & exterius conueniant. Sic enim Hippoc. *lib. d. inter. affect.* in Pulmonis erysipelate faciendum suadet, & per frigida incendio remisso ad expectorantia venit, quia in principio plus indicauit ardor ob metum suffocationis. Legatur 3. *de morbis*, vbi signa Erysipelatis Pulmonis adducit, quibus nisi frigidissimis auxiliari non possumus, *fol.* 174.

Quantum ad auxilia iuuarius sumenda ad promouendum sputum, similia conueniunt, quæ pro Pleuritide tradita sunt, etsi magis extenuantia conueniant, & incisoria, quia materia crassior est, & intra viscosam carnem Pulmonis recondita adhæret tenacius. Adduximus multa *cap. de Cura Pleuritidis*. Exterius innogitur pectoris regio concoctoriis, & resoluentibus, & abstersione sputum iuuantibus, vt vnguento resumptiuo, & Zachariæ cum pulu. Yridis, & croci, aut sic paretur. Recipe butyri recentis sine sale, medullæ crurum vituli, olei amygdal. dulc. & violacei, ana ℥.j. therebintinæ pellucidæ ℥.ß.radic. Yreos, & enulæ campanæ ana ʒ.j. Croci ℈.j. ceræ quod sufficiat pro vnguento.

Reuulsio semper fiat frictionibus brachiorum, & crurum, cucurbitulis, & ligaturis molestis, & vt supra latus in dolore Pleuritico laudatur cucurbita scarificata, ita in Pulmone, si in medio dorsi applicetur euacuato iam corpore: Est verò impar vtilitas, quia in Pulmonia difficilè extrahitur, quod Pulmonem molestat, eo quòd non sit nisi pendulus in medio cauitatis. Vnde nec consequentia attractionis aliquid insigne euacuatur ab ipso, Est etiam vtile vessicantia cruribus admouere, vt notauit Eustachius: si enim in Pulmonia tam vtiles putauit Hippocrates abscessus in cruribus, inclinanda est natura attrahentibus, & causticis, vt in crura morbificam detrudat causam. Est verò generosi Medici incrementum phlegmonis impedire, ob quod in principio breuiter inanito dum corpus, crura continuò fricanda, attrahentibus oleis calefacienda. Somnus inhibendus, vt non sit nisi moderatissimus, dum cõfluunt humores. Atque potus ex glycirrhiza, saccaro, & adianto decocto: carnis esum, vt venenum putat Zoar. Satis sunt in principio iuscula auium, aut poma dulcia saccaro aspersa. Hippocrates *lib.3.de morbis*, in morbi initio dulces potiones concedit à quinto, & sexto, non dulces, sed pingues, vt expectoretur materia. Est celebre alimentum ptisana in iure pinguia gallinæ cum croco, & melius si adiantum incoxerit. Et vbi pituita tenacius adhæret, ptisana cum puluere Ireos, aut seminis erucæ puluerizatæ, mirè enim expectorationem iuuant: in mali exordio minus alimenti est dandum, vbi cocta exspuere incipiunt, augendum, vt de Pleuritide docuimus. Cum molli cocto pastillæ formantur addito puluere hyssupi, & calaminthæ, & ore detenti, vt paulatim liquescant, expectorationi opitulantur nimis; sic conferunt serapia de liquiritia, de hyssopo, & tussilagine, adianthi, oxymel simplex, oxymel schiliticum, diayreos simplex, & composita. Arcendus frigidus potus in principio, præsertim ob cruditatem materiæ, & vbi pituitosa sit Pulmonia, conferunt quæ asthmaticis putantur idonea, quia lentor, & crassities indicat plus quàm incendium. Paratur decoctum vtile ex liquiritiæ radice, enula, hyssopo, radice tussilaginis, prassio, & iride, quod tepidum dabitur bibendum post oxymel, aut ex eorundem decocto mulsa paratur. Notanda hæc doctrina Galeni *lib. 3. de victus ratione*, non longè à principio dicentis, quòd si viscosi humores fuerint, non humiditate solùm est opus, verùm quoque & ea, quæ ab acidis fiat succis, detersione, ob eam rationem mellicratum ad crassorum exspuitionem est conuenientissimum; oxymelli verò ad viscosorum, post mellicratum ptisana est, ab ea vinum dulce, si coctis iam tum Pneumon. sum Pleuritide propinetur, idque non vexatis inflammatione corporibus.

Laudatissimum eclegma Scribonij à Rondeletio & Ioberto relatum, quod recipit pulu. radic. Iridis ʒ. ij. succi liquiritiæ ʒ. j.ß.saccari candi ℥. j.mellis ℥.ij.misce. Vbi desperatum malum vrgeat, suffocatio, & orthopnœa ob copiam crassorum, & lentorem, velut in desperato negotio tentanda sunt quæ corpus exagitent, & deiectionem, vomitumque cieant. Sic enim doctissimus Rulandus desperatas Pleuritides sanat. Celauit suam aquam ruptoriam, & celebrem, quam summis partibus à filio suo Quercetanus exposcit, loci cuius sic dispensabitur auxilium: Succi radicis Iridis ℥.ß.saccari ℥.ß.hydromellis vinosi ℥.ij.ß. agarici electi puluerizati ʒ.ß.misce. Sæpè enim in pituitosis fluxionibus Pulmonum non minus suffocant, quæ venis proximis hærent tenaciter pituitosa excrementa, quàm quæ in ipso viscere includuntur, quæ nisi aliquo carhartico exagitentur vehementius, quòd & expectorationem, vomitum, aluumque moueat, respirationem tollunt agglutinata. Est occasio huius auxilij duplex: in principio, & in fine: in principio quidem quando ex cruditatibus multis Pulmonia excitatur, citra quorum euacuationem primò factam summo periculo extrahitur sanguis in fine quando pulsus constat satis, & stertor, aut sibilus, vel leuis feruor intra Thoracem sentitur; id enim sæpè experimur, nam lenta fluxio, & mucilaginosa venis adhærens est, & non resudans, ca-

rensque

carensque irritatione; accumulatur ibi cum magno periculo, quia tussim non incitat; sine qua ex Thorace expulsio non agitur. In his ita affectis experimenta docent, frustra exhiberi arteriaca, & expectorantia; vnde commouenda sunt excrementa, vt materia irritata impetuosè reiiciat; quem effectum præstat etiam sequens medicamentum. Recipe pulu. radic. assari, & agarici trociscati ana ʒ. ß. succi radicis Ireos ℥. ß. aquæ mulsæ ℥. iij. aromatici rosacei ℈. j. miscе, fiat potus. Lege Rulandum *centur.* 6. *curat.* 5. 8. 9. 13. & 14. Docuit etiam Poterus, quòd vitriolum album in aqua communi, vel iusculo carnis dissoluta ad ʒ. ß. vel ʒ. j. supra, & infra validè purgat. Quo auxilio (inquit) crebrò vtuntur rustici, & maximè in Pleuritide, & doloribus quibuscumque lateralibus, nec sine fructu. De suppuratione similia, notandaque fuerunt relata in Pleuritide.

DISPVTATIO III.

De Sanguinis reiectatione.

CAPVT I.

Quid sit, & à quo morbo pendeat?

PER sanguinis reiectationem non intelligimus quamcumque excretionem factam per os, sed eam tantum, quæ ex Pulmone reiicitur media tussi; hæc enim periculosa satis esse solet, quòd Pulmo grandes venas participet, & non solùm euacuata copia magna periculum infert, sed etiam in cauitatem Thoracis reiecta, quæ inopinatè suffocare solet. Putauit verò Aretheus, ex partibus spiritualibus non esse dicendum sanguinis sputum, sed reiectationem, quæ Græcè anagoge dicitur. Auicenna verò nomine sputi sanguinis quamcumque excretionem per os intelligit, vt ex verbis illius constat, egitque de hac affectione *fen.* 10. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 5. certum tamen est sanguinem per sputum reiectum rarò esse morbum acutum, quia exspuitio paruam materiam excernit; reiectatio verò magnam. Quidquid sit de hoc, sanguinis fluor, seu reiectatio est euacuatio sanguinis copiosa per os media tussi expulsa; hoc enim propriè ad acutos morbos Thoracis pertinet, éstque grauissima, & perniciosa satis affectio, non tantum subita, sed quia rarò non permutatur in phthisim: est horrida aspectui, nam cùm in sanguine sit vita, idem est ipsum reiectari, & vitam. Est enim sanguinis omne alimentum calor, & color, vt Aretheus notauit.

Sanguinis reiectationem esse symptoma in excretis toto genere contra naturam, cum Galeno consentiunt omnes; excernitur nimirum substantia conueniens, & quia omninò sanguis salutaris existit; ideò putatur esse toto genere contra naturam violenta illius excretio. Dixi violenta, & contra naturam, quia loquimur de excretione symptomatica pendente ex morbo, ratione cuius reiicitur, quod retineri deberet, quia quando plethoram grauantem euacuat natura, aut infectum sanguinem, iudicando morbum progressum aliter se habet in opinione multorum. Est enim reiectum iudicium, & euacuatur quod non est vtile. Colligitur ex Galeno *lib. de diff. sympt. cap. vlt.* sic dicente: *Aliqua enim quæ etiam toto genere præter naturam fiunt, veluti sanguinis per nares affluxio, vel vomitus, vel sanguinis deiectio, vel hemorrhoides, vel aliud huiusmodi, tamen præter naturam adhuc non sint, si modo tempestiuè fiant; fiunt autem tempestiuè, cum id quod contristat, expellitur.*

A In qua doctrina per contristare, non intelligo irritare ad expulsionem: nam sic nulla euacuatio esset symptomatica, quæ medio sensu molestiæ ageretur; sed intelligo per contristare, lædere, & esse ex se contra naturam; sanguis enim dum abundat, si expellatur, non est symptomatica actio; sic quando iecur inflammatur, & reiicitur per nares, & vt actio hæc non putatur à Galeno contra naturam, sed verum opus naturæ, quia in viuentis commodum; ita nec quod excernitur per illam symptomata in excretis constituit, quia ab actione non morbosa nequit morbosus fieri terminus.

Ex qua doctrina constabit id quod *ad tit. de morbo, & symptomate* pertinet, non esse satis, vt actio dicatur læsa, & symptomatica, quod pendeat à morbo quo-
B modocumque, id est, quòd si non esset, morbus non fieret: hoc enim non est satis in Galeni doctrina citata; nam expulsio sanguinis efficientis iecoris inflammationem non ageretur, nisi præexisteret morbus, & tamen non est symptomatica, quia in illa actione nulla datur læsio, sed vtilitas potiùs; non est verò actio læsa, vbi læsio in actione non inuenitur, cùm deficiat forma, à qua denominatur talis. Itaque actio illa non fieret, nisi præcederet morbus; non tamen ob id est symptomatica, nam vt morbus includit formaliter esse contra naturam, ita & omne symptoma: non est verò contra naturam actio, qua reiicitur morbus, & causa illius; & constat, quia actio, qua producitur morbus, est contra naturam: ergo qua tollitur, erit secundùm naturam, quia contrariæ sunt, & ideò de-
C bent habere rationem oppositam. Et confirmatur, nam quandò natura se reducit ab interno principio à calore febrili, non est actio illa contra naturam, sed naturalissima, quia ab interno principio fit, & in naturalem terminum tendit, & tamen nisi præcessisset, morbus non fieret: ergo vt dicatur actio symptomatica, non sufficit, quòd fiat occasione alicuius morbi, nisi actio illa vitium aliquod includat, cuius ratione dicatur contra naturam.

Quod vt intelligatis, in quo multos hallucinatos video, notate, quòd licet symptomata vt talia dependeant à morbo, & vt sic non lædant, tamen vt sint contra naturam, necessariò tenentur includere in se aliquod vitium, ratione cuius præter naturam dicantur, vt in
D actione diminuta est vitiosa priuatio perfectionis vlterioris; in ablata priuatio perfectionis totius, in deprauata vitium, & error in actione, quia expellit quod retinere tenebatur, & vt actio illa est præter naturam, sic terminus ad eam sequutus. Est verò vitium alimenti priuatio, ad quam necessariò sequitur atrophia totius: sic in retentis contra naturam similiter est vitium, quia retinentur, quæ lædunt necessariò retenta, etsi vt lædunt, non dicantur symptomata, sed causæ; & hoc est, quod sensibile debent participare symptomata omnia, vt verè dicantur talia, nam in sensibilitate conueniunt causa, morbus, & symptoma, imò sensibilitas priorum ex symptomatum sensibilitate pendet, nam exempli gratia, expulsio spirituum animalium non est symptoma in excretis, quousque ex illorum defe-
E ctu sequatur sensibilis, & notabilis defectus in sensu, aut motu; nam vsque ad illum defectum non agnoscimus morbi existentiam: Sic morbus, à quo pendet symptoma in retentis non demonstratur, quousque ex retentione sequatur aliqua læsio. Ex quibus præcipuè constat vomitum sanguinis, aut reiectationem, per quam pellitur, quod nocet, non esse symptomaticum, quia actio illa, vt illum pellit, nihil habet vitiosum, ratione cuius læsa dicatur, nec actio læsa eatenus dicitur talis, quatenus viuens læditur, seu remanet cum læsione, aut intrinsecè includit vitium aliquod, quod non euenit in casu dicto.

Hoc symptoma in excretis dependet ex vitiis di-

uersis,

nersis, aut ex vitio ipsius sanguinis, vt occasione, aut ex distemperie. Galenus vitia vasorum enumerans, *lib. de diff. sympt. cap. vit.* dicit: *Siquidem sanguinis perfusio toto extera substantia genere præter naturam est; ea verò vel vulnerato, vel rupto, vel ore tenus recluso, vel eroso sanguinis vase incidit, vulneratio vero, ruptio, & erosio propriæ similarium partium morbi sunt, reclusio instrumentalium.* Communiter verò docent Auctores, vitia vasorum esse tria, anastomosim, diapesim, & dieresim, quæ Galenus retulit 5. *Method. capite secundo. Profluit* (inquit) *ex vena, vel arteria sanguis, aut reserato earum ore, aut tunica earum diuisa, aut vt sic dicam, translatus, siue sudoris modo transmissus.* Dicitur anastomosis, quando oscula maiorum vasorum aperiuntur, & dilatantur. Diapesis, quando tunica vasorum rarescit, cuius occasione sanguis percolatur, aut sanguis ipse attenuatus sudoris modo excernitur per naturales poros. *Accidit etiam* (inquit Galenus) *diapesis ex ore aperto in gracilibus vasis.* Dieresis verò est solutio continui, & ipsius vasis, quæ vel ex erosione, aut vulnere, aut contusione, aut ruptura accidat.

Quando ex solutione continui sanguis emanat, morbi ratio est satis clara; quando verò ex osculorum apertione, ratio morbi in conformatione consistit, vitiatur nimirum per augmentum osculorum formatio, hoc verò absque soluta vnitate euenire negari non potest, quidquid Fernelius 1. *Pathologia, capite nono*, & Argenterius *libro primo de generibus morbi, capite* 16. contra Galenum sustineant. Claudit etiam natura hæc oscula sine continuatione, vt clauditur & exterunm, & aperiuntur sine discontinuatione, aut vnione violenta, vt aperitur idem os, quod indicat quotidianus fluor ex naribus absque sensu, aut molestia: Esset verò impossibilis euentus, si solutio vnitatis reiiceretur. Idem menstrua purgatio declarat, vel nescientibus fœminis eueniens. Decepit relatos Auctores Galeni locus malè versus: 4. enim *Method. capite primo*, sic loquitur non longè à principio: *Quæ verò echimosis Græcè dicitur, plurimum vna cum contusione, ruptioneque accidit; fit autem aliquando, & ex oris vasorum apertione, quam anastomosim vocant, & ex ea, quæ à nonnullis diapesis dicitur; aliud vtique tunc soluta continuitatis est genus.* Qui locus legendus est sic: *Aliud à soluta continuitate genus, quia ad formationis genus pertinet, vt diximus, magnitudo, aut defectus cauitatum.* Quæ emendatio colligitur ex ipso Galeno 5. *Method. capite secundo*, vbi anastomosim, & diapesim aliud genus morbi à soluta continuitate dicitur esse. In hoc tamen à Galeno dissentio, quòd putat erosionem ad solutionem continui pertinere, cùm repugnet dari sine defectu quantitatis, & substantiæ, & sanguis non aliter effluat, quàm quia deficit sanguis impleturus viam per quam reiicitur sanguis: & ita ad morbum compositionis erosio vasorum pertinet, estque morbus in diminuta quantitate.

Retentrix facultas debilis solet esse præcipua causa huius mali, nam continuitas vasorum, & debita conformatio præstant vsum ad retentionem sanguinis intra illa; statim verò ac aliquid non retinetur, cadit sub obiecto expultricis, quæ veluti per consensum patitur cum retinente debili, sicut retinens per consensum patitur cum expellente, quando irritata natura quantitate, aut vitio sanguinis illum violenter extrudit. Est enim inter illas duas facultates subordinatio mutua, id enim quod non retinetur, statim expellitur, & è contra, quod pellitur, retineri nequit. Vnde falsò Capibaceus *libro secundo, de aff. medy ventris*, in reiectatione sanguinis solam retentricem accusat; nam quando qualitas, aut quantitas molestat naturam, deprauatur expultrix, primò reiiciendo molestans, ob cuius impetum retentrix cessat ab opere, præterquam id quod est inimicum naturæ non debet retineri, & per consequens non est culpanda retentrix, si illum non

A retineat, cùm potius deprauaretur, si contrarium efficeret.

Putauit Magister, quòd quando spuitur sanguis, fit actio deprauata Thoracis, & labiorum, quia agitur vitio morbi, à quo dissentio: & constat ex relata doctrina Galeni distinguentis opera naturæ à symptomatibus; nam expellere sanguinem intra ea existentem, nihil habet læsionis, cùm potiùs esset perniciosum ibi detineri. Si retentrix non debilitetur immediatè propter solutionem continui, cessabit ab opere retentionis ob humidam distemperiem vasorum, nam laxitas multum conducit ad tollendam firmitudinem fibrarum, sine quarum contentione retentio non agitur benè. Si verò contingat sanguinem sudoris modo percolari ob

B nimiam illius tenuitatem, sine vitio vasorum eiicietur, eritque morbus ille, occasione cuius tam serosus, & tenuis generatur, vt humida, & frigida distemperies iecinoris. Deperdunt etiam vasa natiuam firmitudinem in tabe, & marcore, non tantum quia attenuantur tunicæ ob atrophiam, & nutritionis defectum, sed etiam quia iam facta intemperies retentricem debilitat vt quemlibet actum: si verò ob acritudinem aut salsuginem irritetur natura, eodem modo philosophandum est atque in tenuitate; erit enim squalida iecoris temperies, sicca, & calida, aut alia pars quæ biliosam infectionem in sanguine causet, à qua fluxus & ille malignus excitari solet. Causæ etiam externæ ioquitendæ sunt, sæpè enim acritudo pendet ex vini potu meracliori, aut alimentis conditis pipere, allio, & aliis acri-

C bus; sic immoderatus potus sanguinem diluit, & serosum reddit, vt percoletur, vt retineri commodè nequeat.

CAPVT II.

De signis affectis Pulmonis.

SAnguinis reiectatio signia non eget, ipsa enim per se ipsam visitur, partem tamen ex qua emanat, agnoscere ardua res est, graui Medico dignissima. Quod verò afficiatur Pulmo, partim agnoscetur per ea, quæ sibi conueniunt, partim ex defectu signorum aliam partem affectam demonstrantium. Est verò duplex pars

D sanguinem ex Pulmone reiectans, nempè aut caro propria quando rumpitur, aut exeditur, vel alio modo vlceratur, aut vitia sunt in vasis illius: hæc verò vitia sunt, aut anastomosis, aut diapesis, aut dietesis, quæ communia sunt omnibus partibus magna vasa participantibus; nam sine istis, vt vidimus, non datur anastomosis.

Quia verò per os sanguinem quammultæ partes effundunt, notanda est diligenter distinctio, vt agnoscatur quæuis: sit ergo primum certum, quod quod ex Thorace, aut septo, aut aspera arteria reiicitur sine media tussi, expultrix enim naturalis asperæ arteriæ non contrahit illam, vt contrahunt ventriculus, & gula, quando trahunt in deglutione, aut in vomitu

E pellunt: est enim aspera arteria membrum inflexile, & inde quæ sursum feruntur per illam nequeunt expelli sine tussi, vt impetu aëris extrà pellantur, quæ cauitatem occupant; per hoc ergo quod est per tussim excerni, non agnoscitur magis laborare pulmo, quàm Thorax, aut aspera arteria. Præterea si subitò descendat sanguis ex cerebro, vehementem concitat tussim; irruens enim in asperam arteriam, suffocat, & inde tussis mouetur, quinimò quæuis pars, quæ asperam arteriam in consensum trahat, aut ipsum Pulmonem, tussim excitauit, de quo ambigit nemo; nihil enim aliud ad tussim requiritur, quàm occludi viam respirationis, & cùm multæ partes possint trahere Pulmonem in consensum, ideò non constat ex tussi pati prædictam partem

tem per primam passionem ; valet ergo illatio : non excernitur sanguis media tussi : ergo non excernitur ex Pulmone, aut Thorace, aut aspera arteria. Econtra tamen non valet, non excernitur tussi : ergo afficiuntur per se partes Thoracis, nam affici possunt per consensum, vt diximus. Sic enim Hippocrat. 3. *libro de arto*, *textu* 58. docet, quòd si circa costas caro contusa fuerit, multi iam multum sanguinem exspuerunt. Quod Galenus *in commento* admittit, & *libr. de humor. sectione tertia*, *commento* 31. quod & Aretheus tradit 2. *libr. de caus. & sign. acut. capite secundo* ; nam etsi iecur, & lien per ventriculum, aut intestina expeditius sanguinem detrudant, non ita tamen, quin credendum sit, ad pulmonem, & arteriam posse propellere ; siquidem in febribus à liene, & iecinore per viam illam sanguis erumpit, quæ è regione patienti visceri opponitur. Est quidem satis conspicua via à iecore in Pulmones per ramum venæ cauæ in dextrum ventriculum cordis: deinde in Pulmonem, & asperam arteriam : sic in hepaticis sanguineum sputum admittit Hippocrat. *in Coacis prænotionibus*, & ex illo sumit præsagium lethale. Rectè ergo dices : non excernitur tussiendo : ergo nec per se, neque per consensum laborant partes Thoracis, sicut si tussi reiiciatur, valebit consequentia ; quia afficientur partes seruientes respirationi per se, aut per consensum.

Hoc vt primo fundamento supposito, si tussi media excernatur, inquirenda est pars, quæ primò patitur ; hæc autem esse potest cerebrum, aut gurgulio, aut aspera arteria, aut Pulmo, & eius vasa, aut Pleura, vel septum, rursus & iecur, & lien, licet rarissimum sit. Cerebrum pati agnoscitur signis adductis ab Aretheo *capite secundo* citato. *Si à capite* (inquit) *sanguis decurrit*, *caput graue est*, dolet, sonant aures, facies rubet, venæ distentæ sunt, vertigo infestat, solet etiam per nares aliquid sanguinis reiici, dependent symptomata omnia, aut ex plenitudine, vt grauitas, dolor rubor faciei, & distensio venarum ; ex motu verò, & agitatione sanguinis, vertigo, & aurium sonitus, quod ex causis externis etiam assequimur, vt si frigus præcessit, aut insolatio, aut ebrietas, hæc enim replent caput, frigus detinendo, calor attrahendo, rarefaciendo sanguinem, & vias etiam dilatat, vt reiiciatur commodius. Debent verò præcedere signa relata sanguinis reiectationem, vt plenum caput significent : si ex gurgulio ne excernatur, & palato, tussim etiam mouere solent, vt quando ex cerebro emanat ; quod si inspiciatur turgidum, & subrubrum percipitur, rarum est inter tussiendum non excreare aliquid sine tussi, quod signum principalissimum est ad decernendum, quòd ex cerebro, aut palato, vel gurgulione excernatur ; nam quando ex Thorace reiicitur, nunquam excreatio admiscetur, sed semper cum tussi sola pellitur.

Ex aliis partibus oris excreatione sola, aut simplici exspuitione reiicitur. Excreatione, si gurgulio, aut palatum, vel fauces transmittant simplici exspuitione ex gingiuis, & lingua : si caput asperæ arteriæ afficiatur, leui tussicula excernitur ob loci proximitatem : si ab aspera arteria, maior requiritur tussis inter mediocres, seu leuiores. Addit Auicenna, *quòd exit sanguis paucus cum rascatione* : est tamen maior, si reiiciatur ex aspera arteria : nomine rascationis intelligo sensum leuis mordacitatis implacidæ, seu titillationis molestæ, quæ maior in aspera arteria, quia membranacior, & minus carnosa, quàm guttur. Si ex Pulmone reiicitur, requiritur impetuosior tussis, quia ex loco distanti sursum impellitur sanguis vt exeat : vnde ex Thorace vehementior requiritur. Ita Auicenna *capite sexto*, *de Signis* : Propinquus sputo est cum tussi parua, & longinquus est cum tussi plurima, & quanto longinquè, exspuitur cum tussi vehementiori : est verò tussis plurima, & vehementior ex distantioribus partibus, quia plu-

A ries repetitur, & vehementius.

Separemus tamen signa significantia sanguinem ex venis Pulmonis à significationibus ex propria carne reiici : id enim non est tam facile, vt quidam putant: est ergo certum, quòd si excernatur in magna copia, non erit ex carne Pulmonis ; hæc solùm habet sanguinem in poris, & capillaribus venis contentum, & inde in parua quantitate necessariò reiicitur ; quia verò non repugnat per leuem anastomosim sine dolore aliquo in parua quantitate expelli, alia distinctione est opus, vt leonem venemur. Auicenna *capite sexto* citato, dicit : *Signa sanguinis excreati ex substantia carnis Pulmonis, ex vulnere, aut vlcere sunt, vt sit spumosus, & sit abscissus, cum quo non sit dolor, & est minoris quantitatis quàm venalis, & maioris malitia, & deterioris finis.* His

B videtur auctor discernere sanguiné ex carne vlcerata reiectum à sanguine ex vasis Pulmonis ; quòd spuma non satis distinguat, constat, quia in Pulmonia, & pleuritide, & aliis partibus spumosum concedit : quod sit abscissus minus demonstrat, quia hoc pendet ex eo quòd paulatim resudet, etsi per interualla pellatur, & cum intermissione. Constat verò per leuem anastomosim idem contingere posse, & ita ex Thorace pelli, certum est. Dolor deficiet in anastomosi etiam, quia apertio osculorum sine continui solutione resultat: quantitas etiam parua esse potest ex venis minoribus sine carnis læsione ; nullum ergo signum videtur idoneum ad distinctionem relatam, sed vt certum tenendum est, quòd spumosus sanguis ex se albicans, ita vt totus quasi spuma percipiatur, ex sola carne pulmonis

C reiicitur, & ita illam esse vlceratam innuit. Sic absolutè docuit Hippocrat. 5. *Aphorism. textu* 13. dicendo : *Quicunque spumosum sanguinem spuunt, iis è Pulmonibus eductio fit.* Galenus *in comment.* postquam duas translationes Aphorismi retulit, dicit : *Si verò spuunt, aut extussiunt, scriptum sit, tunc dicemus propriè vsum fuisse vocabulo, & talem sanguinem ostendere spumosam Pulmonis substantiam, quæ est ipsius vera substantia, affectam vlceribus esse, ideò vt verè dicatur sanguis spumosus solius Pulmonis vlcera indicare.* Hæc est concors omnium sententia, & repetit illam Galenus 4. *de locis*, *capite* 5. dicendo : *Quod si spumosum quidpiam indicatur, indicium efficacissimum fuerit, quod ex Pulmone facta sit excretio.* Auicenna *cap. 6. citato*, sic loquitur : *Et ille qui exspuitur*

D *ex venis eius, non est spumosus.* Sic enim distinguit sanguinem vasorum ab excreto ex Pulmonis substantia.

Argumentum adductum, quod ex aspera arteria, Pleuritide, Polmonia, & Thorace sanguis spumosus reiiciatur, nihil probat, quia nullus sangois percipitur totus vt spuma, & albicans, nisi ex carne Pulmonis, quod optimè exposuit Gentilis in hoc cap. itaque sanguis reiectus ex vlcere Pulmonis necessariò est spumosus, ex aliis partibus non necessariò, & si aliquando eueniat, non apparet totus, vt spuma, nec est albicans. Discrimen sumitur ex eo, quòd sanguis emanans à carne Pulmonis est necessariò assimilatus iam ipsi Polmoni, & veluti ros ipsius ; & cùm Pulmo sit spumosus totus, & albicans, eisdem accidentibus ornatur alimentum illios, quia iam incepit assimilari intra

E poros, & ita totus cruor reiectus quasi spuma percipitur cum remissa & albicante rubedine, ex aliis verò partibus sine spuma reiici potest ; & si aliquando spumescat, non est in minutissimas partes ; sed quædam sine spuma percipiuntur concretæ, & crassæ sine albicante rubedine, quia non aliter spumescit quàm aëris permixtione, aut feruore ; aëris pemixtio per minima fieri nequit, nec æqualiter feruor sanguinem incrassat, nigricantem reddit, nec assimilare potest sanguinem feruentem substantiæ Pulmonis, & ita qui à carne reiicitur, nulli alij assimilari potest. Quod etiam tradidit Galenus 6. *de vsu partium*, c. 10. dicendo, esse peculiare alimentum Pulmonis sanguinem spumosum, ita vt assimiletur

assimiletur substantiæ Pulmonis, quæ valde spumosa est, & quia omnis spuma ex aerea natura ortum trahit. Est aer intentius lumen recipiens per omnes partes, ideò cum remissa rubedine percipitur talis sanguis, & splendens; nam lumen interosum splendidum, & albicantem reddit substantiam illuminatam; est enim esse corpus diaphanum ad portionem, qua est spumosum, & per consequens vt est spumosum, est illuminabile, & hoc signo benè perspecto adæquatè distinguitur sanguis à substantia Pulmonis reiectus à qualibet parte.

Ex partibus Thoracis rarissimum est non reiici cum dolore; sunt enim omnes partes sensibilis satis, quo dolose caset omninò sanguis ex substantia Pulmonis reiectus, quia est insensibilis, vt docuit Auctor noster, & id etiam Galenus retulit 4. *de loc. cap.* 5. Est etiam Thoracis sanguis cum molestia tussi reiectus, ob nimiam distantiam concretus, & nigricans: sic Galenus 4. *de locis, cap.* 5. *citato*, docuit his verbis: *Cum igitur dolente Thoracis parte quapiam sanguinem quis spuendo reiecerit, nec multum, nec rubrum, sed nigricantem, grumosumque, huic Thorax prima affectione infestatur.* Concrescit verò sanguis, quia detinetur multum in via extrauasatus, & vt concretus, redditur nigrior, quia vt concrescit, densatur, & fit opacus, vnde nigricat, quia vt illuminata albescunt, sic sine lumine nigricant opaca, præsertim si in thrombos, grumosque inæquales mutetur, vt mutatur sanguis concretus pso frigore, dum est extra vasa: & vt leui illo frigore concrescit, sic leui mutatione rubrum colorem sibi nociuum deperdit, indicio sunt nubes, quæ si densæ & opacæ nigricant; illuminatæ verò albescunt. Legatur Arist. 5. *de generat. animalium, cap.* 4. *& libello de color. &* 3. *Meteor. cap.* 6. *&* 2. *de anima, cap.* 7. & Galen. 2. *Prognost. comm.* 28. vbi Auctores album colorem in aerem inclusum illuminatum reddunt. Vnde Auicenna noster *fen.* 10. *lib.* 3. *text.* 1. *cap.* 5. explicando, cur Pulmo videatur albus, dicit: *Cuius autem albedo est propter dominium aeris, super illud quod nutritur:* & Aristotel. *lib. de sens.* dicit: *Aer, & aqua colore illita apparent, quando color satis est.*

Ex dictis constat, signum satis distinctiuum sanguinis excreti ex carne Pulmonis, quia totus vt spuma cum albicante rubedina apparet, in parua etiam quantitate excernitur, quia ex poris, & venis capillaribus resudas, & omninò absque dolore aliquo reiicitur. *Ex venis Pulmonis in maiori copia, & interim tam grandi, quòd inopinatè suffocet, aut pro multitudine expulsi syncope pereat æger.* Ex vasis sine dolore illo reiici potest, & cum dolore non doler, agetur, si per anastomosim pellatur, ita docente Galeno 5. *lib. de locis, cap.* 4. verba sunt: *Aperto autem ore alicuius vasis, nullus omnino dolor sentitur.* Est verò dolor, quando ex solutione continui emanat, quod ex eo loco Galenus tradidit dicendo: *Id si ob ruptum vas acciderit, dolor ibi percipitur, ac locum, vbi aliquid ruptum est, indicat, non secus vbi vena fuerit erosa.* Cuius contrarium docuit 5. *Meth. cap.* 8. dicendo: *Quod igitur diximus, cùm vel tussi, vel pro valida, acutaque voce vas aliquod in Pulmone rumpitur, citràque dolorem confertim sanguis feruens floridus, multusque cum tussi exspuitur, scire licet in viscere vulnus esse.* Idem docuit in principio capitis dicendo: *At quibus citra dolorem reiectus est, iis & confertim, & plurimus tum rubens, feruensque exspuebatur, clarè docens, quòd non procul venerit, &c.*

Quando verò ex iecore malè affecto sanguis spuitur, cognoscitur, id enim non euenit nisi in longissima passione, & quando iam sanguis totius corporis viriatus existit, vt natura nequeat illum continere: præcessit itaque multò ante iecoris malum, sanguinis massam vitians, & corrumpens, quæ ob vitium à natura non gubernatur. Idem de liene putandum est: etiam potest natura deponere excrementosum sanguinem horum viscerum per venas Thoracis, vt menstruis, & hemorrhoïdibus intempestiuè suppressis quotidie euenit; per quamlibet enim partem potest natura cuiusque membri redundantiam, & vitium deponere; si verò aliquando possit hepar pellere multitudinem ad venas pulmonis, rabidi suot aliquo vase.

Ex dictis soluitur dubium à Magistro nostro propositum *disp.* 40. *de locis, cap.* 2. vbi dubitat, an sint aliqua signa certam cognitionem generantia, quod ex partibus, quas Medici spirituales vocant, sanguis excernatur, ita vt certum cognoscamus laborare per propriam passionem; & resolutio eius est, nulla esse talia signa, & probat multis rationibus meo videri parum efficacibus. Sententia tamen nostra est, esse aliqua signa id euidenter demonstrantia; nam si excernatur sanguis paucus moderata tussi cum dolore leui, aut rasctione, vt dicebat Auicenna, in locum, quem occupat aspera arteria, mihi esset euidens ex eo loco, & non ex alia parte oriri, quia hæc signa essentialia sunt huius partis alteratæ: similiter si sanguis excernatur totus, vt spuma albicans ex rubro, vt dicebat Iachinus, absque vllo doloris sensu, cum tussi moderata, & cum intermissione, non est dubium, nec dubitari potest, esse exulceratam substantiam Pulmonis; & magis esset euidens, si præcessit aëris distillatio, aut puris affluxio in cauitatem Thoracis; eodem modo, si ex percussione in Thorace magna copia excernatur in homine sano, & sic sanguis floridus absque concretione omnis calidus cum dolore paruissimo, & tussi magna, non dubitarem vas aliquod in Pulmone dilaceratum fuisse, nam cum his conditionibus ex nulla alia parte Thoracis reiici potest: apertè etiam Galeno refragatur hic auctor sic scribenti *cap.* 5. *lib.* 4. *de locis*: *Cùm igitur dolente parte Thoracis quapiam sanguinem quis spuendo reiecerit, neque multum, neque rubrum, sed nigricantem, grumosumque, huic Thorax primaria affectione infestatur.* Quibus addendum id quod tradit Auicenna, quod scilicet excernatur cum tussi vehementi, donec exspuatur.

Accedit quòd Magister peccat in solutione quæstionis dupliciter. Primò quia rectè potest quis laborare secundaria passione, vt docuit Galenus: nec est idem laborare per consensum, & laborare secundariò. Secundò peccat, quia partem aliquam transmittere in Pulmonem, aut partes aliquas seruientes respirationi, confundit cum morbo partis mittentis, quod non est admittendum in arte; nam totum plethoricum mittere potest in Pulmonem, & vas aliquod rumpere, in quo euentu primariò, & per se patitur Pulmo, quia nullus alius morbus præcessit in toto, sed plenitudo sola, & neutra dispositio vniuersalis. Rursus, si cognoscitur, quòd patiantur partes spirituales, necessariò cognoscitur, quòd aliquando patiantur primariò, & per se patet, quia si non apparet morbus in alia parte, nec Medicum illum percipit, quia reuera non est, euidenter constat primariò, & per se pati aliquam ex partibus spiritualibus. Constat, quia non dantur signa alterius partis affectæ: patitur ergo solùm aliqua ex spiritualibus, ac per consequens primariò, & per se, nam in morbo secundario datur primarius antecedens, & in morbo per consensum datur morbus per propriam passionem, qui alium antecedat: ergo si nec primarius, neque per propriam passionem appareat, necessariò patientur partes deseruientes respirationi primariò, & per se.

Dices, posse aliunde sanguinem mitti: sed contra est. Primò, quia vt dixi, non est idem mittere, & laborare morbo. Secundò, idem argumentum conficio de parte mittente, ac de morbo primario, & per propriam passionem: nam si non sint signa alicuius partis mittentis, non erunt accusandæ aliæ partes, nisi deseruientes

uientes

uientes respirationi, à quibus agnoscimus sanguinem emanare.

Per vomitum etiam reiicitur sanguis: sæpè in fœminis euenit ob menstrua retenta: est enim magna communio inter ventriculum, & vterum. Iecur similiter frequentissimè se exonerat per hemorrhoïdas, & aliquando per vomitum. Idem facit lien, cuius sanguis niger, crassus, & fæculentus. Est tamen diligenter notandum sæpè naturam orificia vasorum diuersarum partium citra læsionem reserare, & per ea detrudere redundantem sanguinem, & vitiosum ad salutis custodiam præcauendo morbos. Erat Compluti Sacerdos, qui per cuspidem linguæ circuitus sanguineos velut mulier per vterum habebat; erat iecoris calidissimi, & ob id viscus solet feruentem, & adustum sanguinem per hemorrhoïdas deponere, in huc pellebat per linguam absque dolore, aut læsione, hic petiit in manibus aliorum colliquatus à iecore squalido. Fecit mentionem Galen. 7. *Meth. capite* 11. de multis, quibus per determinata interualla recludebat natura vasorum oscula, & redundantiam, & vitium eiiciebat. *Noui* (inquit) *tum in ore, tum in faucibus id contingere multis: non desunt, quibus & per ventriculum sanguinis expulsio certo tempore fiat, &c.* Quæ si diligenter speculatus fuisset, Argenterius, non ita mirasetur euentum quem refert 4. *Aphorism. commento* 25. Et melius consuluisset saluti illius ægroti, & sine tanta speculatione.

Ex ventriculo etiam euomitur sanguis, éstque nauseabundus molestissimè, & sanguis excernitur pituitæ, & bili permixtus; rarò non euomitur cibus, aut potus, quia debilitatur, & est inclinatus ad expulsionem: vnde cibo, & potu grauatus reiicit violenter; gula vt ventriculus medio vomitu reiicit, in parua tamen quantitate, quia exiles venas participat, & in deglutione molestiam percipit, præcipuè si acre, aut acidum ingeratur.

Ex multitudine, aut paruitate sumitur indicium ad cognoscendum vasorum dispositionem; nam per anastomosim magna euacuatur quantitas, & sine dolore. *Per corrosionem* (inquit Auicenna) *incipit sputum sanguinis paulatim, deinde quandoque fiunt subitò, & sputur res mala, & color eius est malus.* Ratio est, quia corrosio incipit paulatim, & per partis superficiem, & ita resudat sanguis ès pauca quantitate; serpente verò erosione in profundū vasa magna exeduntur, & inopinatè per vasa magna sanguinis copia effunditur. *Præcesserunt* (inquit Auicenna) *signa causa erodentis*, vt distillationes salsuginosæ, & mordaces febres, aut sputum purulentum, aut tunica alicuius vasis, aut aliqua pars Pulmonis reiecta erosionem arguunt; hæc enim à causa mordaci exeduntur, & solent reiici, quando sanguis emanat. Est etiam signum erodentis causæ, quod excernatur primò sanguis similis lotutæ carnis, quia primò incipit emanare ex parte corrosa serum humorum cum paruissimo sanguine, & inde apparet quasi carnis lotura, quousque aucta exulceratione, & facta profundiori maior sanguinis copia excernitur, & demonstratur, vt est intra vasa. Fallax tamen esse solet dulcis catarrhus, gustu nimirum talis percipitur, & est: Detenta verò lenta pituita in Pulmonibus incalescit, & sine mo'estia exedit Pulmonem, quia ibi putrescit, & redditur acris: nunquam magis copia reiicitur, quàm in continuis solutionibus, & vulneribus, præcipuè si plethora adsit.

Ex sanguinis tenuitate si percoletur, parum reiicitur, aut si attenuentur, vt in attrophiis, aut sub vsu medicamentorum abstergentium rarefiant, & attenuentur, quod duplex peccatum in aloë inanitur, extenuat enim, & abstergit vasa, & sanguinem reddit acrem siccitate, & calore; sicque aperit orificia vasorum; eius vsus minus frequens esse deberet cupientibus vitam longam traducere, vt enim cadauera incorrupta seruat, sic breuiter vitam impensa siccitate minuit, vt minus fides sit Messue adscribenda, tot commoda aloë tribuenti, nec enim in ipso laudibus aloës responderant effectus: fuit enim assiduo eius vsu in iuuentute enecatus, vt testatur Cardanus *errore* 110.

Tandem notabitis summo studio esse opus ad inuestigandam partem affectam in sanguinis reiectatione, nam etsi caput transmittat, tussi reiicitur, & sæpè vomitu, quia in gulam deriuatur: iecur, lien, vterus, & mesenterium vomitione etiam purgantur. Est verò fallax signum nigredo, & crassities in sanguine, vt lienem accusetis, nam iecur eundem sanguinem pellera potest, non solùm quia illum adurit, & melancholicum reddit, sed quia lien debilis, aut obstructa via à iecore in lienem, ab hoc melancholia non trahitur, inde oneratur iecur, & detrudit crassum, nigrum, & melancholicum sanguinem, vt reiicit lien: si tamen à iecore aduratur, splendet sanguis cum nigritie, vt Gagates, à liene est sine splendore nigredo, vt in extinctis carbonibus. Considerandus dolor, quòd hypocondrium molestet, si dextrum iecur transmittit; si sinistrum, lien sic elenari solet; & pars turgere, quæ transmittit, & ita omnia inquirenda indicia; sic vterus in menstruis suppressis, aut malè purgata enixa vomitione sanguinem reiicere facit, & mesenterium replet, vt in os deinde regurgitet.

Si tandem obiiciat quis in solutione continui vasorum, quod ob plethoram rumpuntur, non esse dolorem, quia non est obiectum molestans. Patet, quia ibi est solùm sanguis, hic verò non causat dolorem: Constat, quia dum secta vena emanat, sine molestia exit, & confirmatur, quia in sang ine hominis sani est temperies naturalissima nobis, & inde nullam molestiam inferre potest, imò potius est remedium anodinum: nam tale est calidum & humidum moderatè; est verò sanguis calidus, & humidus moderatissimè. Mihi ita videtur, quando à natura rumpitur vas, aut ab ipsa plenitudine, nisi dicatis, quod mihi probabile est in omni solutione continui, ab interno principio produci obiectum molestans, vt fugiat homo corrumpentia naturam.

CAPVT III.

De Prognosticis, & cura reiectationis sanguinis.

OMnes sanguinis ex ore profusiones non sunt vitium mite, dicebat Arethës, qui de symptomatico sputo intelligendus est; quod & Hippocrates tradidit 4. *Aphor. tex.* 25. dicendo: *Sanguinem quidem supra ferri, qualiscumque sit, malum.* Ambæ sententiæ sunt difficiles absolutè intellectæ, omne enim sputum damnare, est irrationabile; ex faucibus enim, capite, gingiuis, collumela sine incommodo, & periculo quotidie reiicitur; per tussim verò excerni, arguit vitium non leue, cui remedia parum esse vtilia quotidie experiuntur Medici; in quem sensum dixit Celsus *lib.* 4. *cap.* 4. nullum sanguinis fluxum ex toto norere in corpore robusto, si nimius non sit, nec tussim, aut calorem moueat.

Si verò ex erosione fundatur, periculosissimum est, nam eo deficiente, partes vasorū coalescere nequeunt; & correctio salsuginis, aut mordacitatis in sanguine longo tempore eget, quod non admittit sanguinis reiectatio. *Ruptura* (inquit Arethens) *facilior solidatio, quia vulneris ore se contingunt*: minor est metus in rarefactione, quia sponte conquiescit sanguis, & refrigeratio, & adstrictio satis sunt, vt cesset. Galenus 5. *Meth. capite* 14. dicebat, insanabiles esse patientes vlcus Pulmonis ex erosione, quem sequutus Auicenna

fen. 10. cap. 7. factum ex corrosione est paris cura, & difficilis, & quasi illud, de quo desperatur. Rationem reddit, quia non tollitur, nisi remota acrimonia succorum, & complexionis malitia, id verò non fit, nisi tempore longo, in quo aut induratur vlcus, aut putrescit, quod ex Galen. desumpsit loco allegato: ex vasis Pulmonum ob magnitudinem eorum timet Auicenna, ne possit cohibere: quod sumpsit ex Galeno 7. *Aphor. comment.* 37. Si verò febris sequatur, periculosissima reputatur; significat enim febrem fieri ob inflammationem vasis disrupti, à qua impeditur consolidatio, & in tabem mutatur facillimè, etiamsi fluxus sanguinis cessasse videatur; sæpè etiam exsiccato pure in ipso vlcere sistitur sanguis, & post occasione leuissima separatur, & cadit, & nouo, & maiori periculo renouatur fluxus. Sic Hippocrates *in Coacis* scripsit: *Quibus vomitus sanguinis, febris multa, & dolor circa mammam, Thoracem, & dorsum, quibus (inquam) hæc omnia accidunt, & breui moriuntur: aut quibus nec omnia, nec ea vehementia, tardiùs intereunt.* Appellat vomitum multam rejectionem, etiamsi tussi pellatur. Est ratio periculi tota, quia magna febris phlegmonem in Thorace significat, vbi ruptio fuit facta, quæ desperata est. Quòd si sanguis intra Thoracem concretus putrescat, & febrem causet, minus malum est, quàm si sequatur inflammatio; sed periculo plenum, quia magna tussis excitatur, & diù durat, vt sanguis concretus expurgetur, & sic repetita tussi non solidatur vas reclusum. Inde constat, bonum esse, quòd à sanguine expulso febris non sit, vt docuit Hippocrat. *in Coacis, & 7. Aphor. sext.* 37. dicendo: *Quicumque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare; si verò cum febre, malum.* Galenus *in comment. Si febris deficiat, nulla est inflammatio in loco vnde emittitur sanguis: quare vel aliemus vasis ore adaperto fit sanguinis vomitus, vel ex vlcere quidem, sed sine inflammatione quidem; curantur autem, quæ sunt absque inflammatione vlcera facilè acerbis. Quæ verò sunt cum inflammatione, non tantum curari non possunt, sed nec in eadem magnitudine permanere; semper enim maiora fiunt, & magis ignora.* Ob quod dixit Tralianus *lib. 7. cap. 1. Pessimorum, longorumque morborum magna ex parte esse sanguinis rejectationem; si emanat ex cerebro, curatione facilius.* Sed ob defectum sanguinis refrigeratum assidua distillatione per Thoracem ægros excruciat, & inde suppurati, & tabidi euadunt. Sanantur enim difficulter illæ distillationes: *à sanguinis sputo puris sputum malum*, dixit Hippocr. 7. *Aphor. text.* 15. Melius Galenus *in comment.* non malum, sed malignum iudicat.

Tandem notat Celsus *lib. 4. cap. 4.* Nec ignorare oportet eis, quibus fluere solet sanguis, aut quibus dolet spina, aut coxæ, aut post cursum vehementem, vel ambulationem, dummodo febris absit, non esse inutile sanguinis mediocre profluuium, idque per vrinam redditam ipsam quoque lassitudinem soluet, ac ne in eo terribile quidem esse, qui ex superiori loco decedit, si tamen in eius vrina nihil notauit.

Curationem huius mali longam satis, & fastidiosam tradit Auicenna, repellendo sæpè eandem indicationem in multis. Dicit primò, esse omni ingenio soluendam plenitudinem, & à toto, & à partibus Thoracis secando venam, & præcipuè in iis, quibus Thorax ex propria formatione angustus percipitur, & tussi assidua & continua molestantur: aduertitque esse secandam venam in talo, & deinde basilicam, nam sectione prima reuellitur sanguis ad partem distantissimam, & secunda aufertur Thoracis plenitudo. Quod dicit esse secandam venam primo in talo, vt ad inferiora sanguis inclinetur, & retrahatur, habet locum in menstruis suppressis, & hemorrhoïdibus, & vbi maxima plenitudo infestat, nec euacuatio suppressa est, & iecur attemperatur, quod esse solet mordacium succorum

A origo, & fluxus retrahitur satis per venam basilicam; & idem putandum, quando sine plenitudine rumpitur vas, aut sanguis percolatur. Semper enim oportet celeriter inanire Thoracis vasa, vt coalescat vasculum reclusum, & sistatur fluxio. Hoc auxilium dicit Auicenna esse exercendum præcipuè in habentibus adstrictum Thoracem ex propria formatione, & vbi continua tussi molestantur. Ratio est, quia Thorax adstrictus habet angusta vasa, & inde plenitudine maiori cum æquali quantitate sanguinis laborat, & sic impeditur Vasorum coalitus, tussis continua nouam apertionem impetuosa concussione causat, solétque plenitudo vasorum impetu regurgitare in asperam arteriam quantitate nimia, à qua continua tussis mouetur, & ita licet in his breuiter repetere venæ sectionem, & maiori copia.

B Est verò contra dicta difficilis Hippocratis locus *lib. 6. Epid. sect. 3. tex. vltim.* in quo scripsit: *Impedimentum incruenta spuentibus anni tempus, Pleuritis, bilis.* In cuius loci expositione putauit Galenus impedimentum dici respectu missionis sanguinis, & exemplo confirmare nititur illius ægri, cui cum Pleuritide laboraret, & rubra exspueret, non secuit venam, quia Pleuritis, in qua rubrum sputum datur, mitis est, & tanto remedio non eget, sed absque venæ sectione, aliis leuioribus auxiliis curatur.

Ludouicus Mercatus *lib. 2. de curat. morborum inter. c. 5.* locum Hippoc. exponit; impedimentum ob virium iacturam, siue ex se, siue ex immoderata euacuatione sanguinis originetur, siue quia vitium humorum ob C cacochymiam sanguinis missionem impediat. Contra quem stat perspicuus verborum sensus. Ponit ergo Hippocrates impedimentum ad rectam curationem sputi sanguinis, etiamsi vires constent, & dicit quòd tale sit, aut tempus incommodum, aut si complicetur cum Pleuritide, aut cum bilis immoderata copia: non itaque dicit Hippocr. quòd sputum sanguinis sibi obstet, vt mittatur sanguis, cùm nihil magis exposcat: sed docet, quod tempus aduersum, Pleuritis, & bilis obstat omnis idoneæ curationi sputi sanguinis. Quod rectè exposuit Vallesius noster, postquam sibi apparuit dura Gentilis interpretatio: tempus verò calidum nimis, aut frigidum rectam curationem impedit, quia calor laxat, & impedit vasa, inquit Vallesius; addo ego, & feruorem in sanguinem concitat & Pulmo- D nem, nihil tamen desiderat magis reclusum vas, vt coalescat, quàm quietem: frigus immodicum (inquit Vallesius) frangit vasa, addimus nos & exasperando ob inæqualem densitatem ad tussim inclinat, & plenitudinem auget internam, & densando parter labia vlceris plus densare facit, & sic minus benè applicantur vnioni. Pleuritis importuna tussi, & excreatione Thoracem concutit, & vlcus augetur. Bilis detergit, attenuat, & erodit, & calorem laxat, vt æstas, sanguinémque mobilem reddit, & ita sputum, aut fluor sanguinis cohiberi non potest aut difficiliùs. Rectè ergo dixit Hippocrates, impedimentum ad rectam curationem sputi sanguinis esse anni tempus, Pleuritidem, & bilem.

Sed Horat. Aug. *tom. 1. Epist. lib. 12.* Epist. Luciano E dicata in Vallesium nostrum debacchatur, quòd Galeni expositionem non probet, & Vallesium ita redarguit: nam per sputum sanguinis vel intelligit Vallesius sputum eueniens in inflammationibus, vt in Pleuritide, & Peripneum. vel loquitur de illo qui sine inflammatione fit; si excluduntur inflammationes, non erit (inquit) Aphor. vniuersalis, cùm non comprehendat omnia sputa sanguinea; si verò loquitur Vallesius de omni sputo, non erit vera sententia Hippoc. quia sputũ sanguinis in Pleuritide, & Peripneum. eueniens non impedit curationem, imò cùm sit coctionis signum, facilitatem, & securitatem iudicij, siue sanationis indicabit, Præterea (inquit) in calido cæli statu multò facilius

sanantur,

sanantur, quàm in frigido, experientia docet. Deindè præsentia bilis non impedit curationem, nisi vniuersali quadam ratione, quatenus scilicet est causa morbum fouens: sicut enim bilis in tertiana exquisita febri contraria est, curationem tamen non impedit, sic nec impediet contraria existens sputo sanguinis ab erosione prouenienti. Obiicit etiam quòd complicatio sputi sanguinis seorsim considerati, & Pleuritidis est rarissima, & inde respectu istius complicationis non potest tradi practica præceptio, quia semper Hippocrates eorum, quæ tarò eueniunt, præceptiones non tradit. Hæ sunt difficultates (inquit Augenius) quæ vrgent Vallesij sententiam, Galeni verò nullæ.

Inanes certè rationes, & omni vrgentia carentes, & constat ex ipsa Vallesf. lectione loqui de sputo sanguinis orto ex alio morbo, qui nec Pleuritis sit, nec Pulmonia, vt non liceat id dubitare; nec propterea sententia Hipp. vituperanda est, cum tradat præceptionem verissimam, etsi omne sputum sub ea non comprehendatur, & quòd in calido cæli statu sanentur facilius, quàm in frigido, non tollit, quòd in vtroque sanantur difficillimè spuentes sanguinem, prætet quam quod supponit Augenius rem satis dubiam, ne dicam improbabilem: sint enim efficaces rationes ad ostendendum, quòd in calido tempore sanentur difficilius: vnde in ipsa curatione consulitor, aërem infrigidate, & siccare: esse verò taram complicationem sputi sanguinis, & Pleuritidis, transeat, si possibilis est, & illam expertus Hippocrates tradit præsagium sanationis difficilis, cuius etiam meminit Galenus 1. *Aphoris. comment.* 16. dicendo, contrarias exigere curationes sanguinis sputum, & lateralem dolorem.

Quòd verò Galeni explanatio, quam sequitur Augenius, vrgeatur satis, ostenditur primò, quia magnam vim imponit congruo Grammaticali sensui verborum Hippocr. dicit Galenus, impedimentum intelligatur ita, quòd quamuis sputum sanguinis venæ sectionem requirat, id tamen impeditur propter anni tempus, morbum lateralem, & bilem, nam in valdè calido tempore, vt est ante canem, non secamus venam, quæ doctrina non admittitur, quia tempus anni, aut aëris temperies non prohibet omninò missionem sanguinis, sed moderatur illam, esset enim temeratij Medici in reiectantibus sanguinem ob plenitudinem vasa disrumpentem non secare venam, cùm plenitudo id indicet, & resolutio ambientis satis non sit ob breuem ablationem impetus. Secundò, quia Galeni doctrina coarctat dictionem Hippocratis; nam ille solùm intelligit de impedimento ad vnicum remedium, venæ scilicet sectionem; Vallesf. verò tradit impedimentum in ordine ad totam auxiliorum congeriem. Tertiò rectè dicebat Vallesius esse durum, quòd in spuentibus cruenta Pleuritis impediat missionem sanguinis, cum Pleuritis, si quis alius morbus, eam indicet, & breuissimè. Proptereà peccat Galenus, quia io dioerso sensu sumit sputum sanguinis respectu temporis, & Pleuritidis; nam respectu temporis non sumitur vt dependet à Pleuritide, sed vt symptomata morbi vasorum: at respectu Pleuritidis, vt est symptoma inflammationis, estque admittenda improprietas magna in loquutione Hippocratis, si exponatur, quòd symptoma morbi petentis missionem sanguinis, impediat illam, cùm sit certum symptoma ipsam sectionem venæ requirere.

Sed quod vrget est, impedire sputum sanguineum venæ sectionem, cùm nihil magis ipsam indicet, siquidem indicat morbum lateralem à sanguine pendare, & morbum ipsum esse ob plenitudinem monstrat. Nec obstat, quòd eo ipso quod pendet à sanguine est morbus leuis, & securus, hoc enim est planè falsum, alioqui non secaretur vena in morbis pendentibus à sanguine. Rursus quis dubitat inflammationem pendantem à sanguine vehementes febres, dolores, & tensionem mag-

A nam io partibus causare. Est itaque irrationabilis illatio: morbus à sanguine pendet: ergo non eget missione sanguinis. Rursus peccat doctrina Galeni, quia paruitatem morbi venatur ex sputo rubro, cum tale detur in mortali inflammatione pro magnitudine inepta; itaque esset loquutio, sputum rubrum in Pleuritide impedit missionem sanguinis, & sine fundamento prolata sententia, quia cum sputo rubro potest esse magnus morbus, & desperatus.

Sanguis itaque extrahendus est in sputo sanguinis, quantitas vero metienda ex plenitudine, virium robore, & cacochymia. Plenitudo plus euacuari indicat, & crebrius repetenda inanitio: vitium robur maiorem, & crebriorem euacuationem admittit; contraria minorem, & rariorem: Cacochymia minus per-
B mittit, & quò magis ex erodentibus, & salsis humoribus pendet, raiò minus secanda vena, sed aliis reuulsoriis auxiliis retrahendus impetus, & attemperantibus cohibenda mordacitas. Præcepit tamen Auicenna, quòd fiat subtilis phlebotomia, hoc est, fiat parua scissura venæ, quia sic attrahitur magis, & reuellitur sanguis; sicut enim repetere sæpè venæ sectionem cōfert ad reuulsionem maiorem, quia sic inclinatur natura, vt magis ad venam sectam impellat; ita eandem quantitatem sanguinis in maiori tempore extractam perfectius reuellit, quia inclinatur sanguis in partem contrariam per fluxum. Fluit autem magis sub eadem quantitate in tempore longiori, & inde magis reuellit, si strictà scissura fiat, quod præceptum in dysenteria tradit Actius. Debilitatur verò minus ægro-
C tans; est etiam repetenda euacuatio per breuiora interualla, quia reuellere intendimus, & sarcinam tollere: ob id Mercurialis dicebat, sanguinis missio facienda est crebrò, sed in pauca quantitate ad mensuram duarum vnciarum pro singula vice: Mensurauit tempus Auicenna dicendo: *Et accipiatur sanguis in expulsionibus, inter quas sint tres horæ.* Desumpserunt omnes ex Aretheo dicente. Assiduè verò post paucum detractum sanguinem iterum detrahito, & eodem die, & quotidie in Plethora obseruandum non est, sed in maiori copia trahendus, si ferant vires, vt prima vice extrahatur ℔. j. aut ℥. x. fluxus tamen digitu reprimatur per interualla, vt rettahatur magis sanguinis impatus, quod vulgo dicitur, *sangrar por pausas*, quod præcipuè obseruandum vbi virtus labescit.

D Docet verò Auicenna, quòd secatur basilica partis, in qua existimatur esse solutio singularis, vel vena cropsa, aut asterio, vel si virium sit in latere dextro Polmoois, secetur basilica dextra, & si in sinistro sinistra, quia sic fit reuulsio cum rectitudine partis, quæ afficitur. Obseruabitis tamen, quòd si Thoracis frigiditas fuerit caussa fractionis, & rupturæ vasis, non ob id impediatur venæ sectio, quia affectus est grauis, & ita imperauit Galenus 5. *Meth. cap.* 13. qui in iuuene illo sanguinem reiiciente ob infrigidata respirandi instrumenta non semel, sed bis eodem die venam secuit: Est enim euacuandum celeriter, quod optimum est ad impediendum, ne fiat inflammatio, aut retardetur consolidatio vulneris, aut rupturæ; nam si inflammatio eueniat, aut pus
E generari incipiat, vulgò fit vlcus saniosum, & in pus permutatur celerrimè.

Præcepit deindè Auicenna, quòd fricentur extremitates, & diligenter incipiendo à superioribus ad inferiora, & interdicantur eis res prædictæ, & temperetur aër, & dormiant super latus, ita vt non cadant aliquæ partes pectoris super alias; fricatio extremitatum frequens vtilissima est, quia reuocat sanguinem ad illas; rarefit enim cutis, & incalescit pars confricata, & sic attrahitur sanguis.

De ligaturis est magna controuersia, quia Seribonius *lib. compos. Medic. cap.* 83. Medicos vtentes ligaturis reprehendit. Verba sunt: *Et veteris Aretheus constringere,*

stringere, quod plerique Medicorum faciunt, ignorantes quod incitatur sanguinis fluxio musculorum compressione, quam quidem omnis constrictio in vtramque partem exigit aequè subiectam materiam, sicut verum si quis medium laqueo constrixerit, animaduertit in vtramque partem excludere subiectum liquorem, & si perforatus in superna parte casu fuerit, incitatione eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione cùm sanguis eruptus est, qui constringunt vi magna arctius exprimunt,& sanguinem venis subiectum cogunt magis erumpi per vulnus. Huius rei argumentum, inquit, est, si quis super laqueum percusserit venam in brachio, quae est animalis, animaduertet aequè incitari sanguinem ex ea parte, quàm ex inferiori loco, cùm percussa est vena. Ratio est perspicua, quia compressione ligaturae redditur minor vasorum cauitas, & indè necessariò impellitur ad alias partes sanguis intra vasa contentus.

Hanc quaestionem monet Celius Aurel. *lib.6.2. tard. pass. cap.3.* ex auctoritate antiquorum, & quantum colligere licet ex ipso, ligaturas extremorum commendat, non vt retrahatur sanguis influens, sed vt contineatur per ligaturas intra vasa, ne fluat ad locum affectum, quod expressè videtur colligi ex Arethei doctrina *lib.2. de curat. acut. cap.2.* dicentis: *Fascia ipsa lata sit, quò sit validior, nec dolorem moueat constrictio*: vbi commendat latam fasciam, vt validius contineat sanguinem, & ne dolorem causet.

Communis doctrina est, dolorosas ligaturas debere esse, & esse vtiles, quia dolore trahuntur humores, aut sanguis versus partem ligatam, nec alio modo vtiles esse, nam lenia vasorum compressio fluxum stimulat retrocedente sanguine ad intra, quòd reddatur minor vasorum cauitas. Dolorem habere vim trahendi publicè confitetur ab omnibus, & experimento probatur. Repleri verò partem dolorosè ligatam, viso percipitur, & aliquando tam rigida redditur, vt non capiat intra se totum quod influit,& indè totum membrum ligatum inflammatur. Vndè constat non turgere, quia repellitur solùm per ligaturas ad partes circumuicinas sanguinis, sed quia de nouo trahitur in magna copia, estque expressa doctrina Hippocrat. *2. Epid. sect.3. text. 22.* dicentis: *Quapropter & ligatura impetum faciunt in venarum sectionibus, quae si fortes sint, remorantur.* Ex qua doctrina constat doctrina dubitationum, nec exemplum vrris adducitur ad rem. Si enim partes ligatae essent insensibiles, probabat intentum: at verò cùm sentiant, & dolore crucientur, trahitur sanguis ad locum dolentem, & is qui trahitur, obstae repulso per ligaturas, ne intrò feratur, sed cum adueniente detentam partem distendit,& replet. Tetigit hoc dubium Mercurialis *lib.2. pract. cap.5.* quod satis tepidè tractat. Galenus etiam 5. *M eth.* eingit partes extremas calidis auxiliis, quia calor trahit vt dolor, & post vociones ligat extrema: frictiones etiam asperiores, & continuae summè conferunt, & cucurbitae partibus extremis applicitae. Balnea etiam commendat Galenus, quia calore, & humiditate laxata membra recipiune quod calore trahitur: aer infrigidandus, vt minor fiat respiratio, & reclusum vas occludatur densatum; sanguis immobilior reddatur,& feruor, si quis est, detumescat,& contineatur in quiete. Imperat etiam dormire super latus, non quia hic sit melior decubitus absolutè, sed quia est melior quàm supinè, aut pronè cubare; in his enim pars Polmonis, & Thoracis cadit supra aliam, & compresso Pulmone sanguis vberius reiicitur melior ergo decubitus est erecta ceruice, sic enim liberiùs aeger respirat, & Pulmo seipsum non comprimit: ob quod Arethens dicebat, positus figura vt corporis erecta sit, estque doctrina Hipocratis *1. Epidem. sect.3. text.21. & lib.8. sect.5 text.1.* vbi dixit: *venarum sanguinem sistunt deliquium animi, figura sursum spectans.*

Euacuato corpore sanguinis missione, prout expe-

A dit, diligenter obseruabitor, an ex erosione pendeat sanguinis reiectatio, nam & in topicis applicandis varietas est, & licet etiam sanguinem ab erodentibus siccis repurgare, & alimentum mulcebre, mitigatorium, & contemperans propinare. Sic enim docet Princeps: ergo si vaa recludator per anastomosim, aut vulnus, adstringentia conueniunt: Si verò ex erosione dehiscat, applicanda sunt, quae lentore, & glutine parti adhaerentia suppleant defectum particulae erosae, emplastica enim partem erosam implent, & veluti operculum claudunt vasis hiatum. Id praestat amylum ex lacte amygd. dulc. & ouorum vitellis, & semine plantaginis paratum com saccharo. Est mirabilis portulaca comesta, aut succus eius cum saccharo, & amylo

B permixtus, albumina ouorum recentium, aquae portulacae, & rosar. rubrar. miscentur, agitatna simul, & addito puluere thagaganti, & amyli leuiter tosti, vt exsiccet, cum pauco penidiatum mirabile est medicamen, vt attemperans sumitur lambendo paulatim. Idem munus praestat serapium de portulaca, & rosar. siccatum. Praestat etiam serapium de mucilaginibus praedictis admixtum cum puluere seminis Portulacae,& Plantaginis, & boli armeni. Laudat Auicenna lactis vsum: *Lac (inquit) vaccinum à quo butyrum est extractum, quando prolongatur egritudo, est iuuatiuum propter sipiciitatem suam, & suam inuiscationem.* Sic Heurnius tenues orbiculos radicis con solidae maioris in lacte coquit, donec tenerescant radices, cyathum bis io die praebet com saccharo penidiato. Celebris est lapis haema-

C titis, quem in puluerem redegit Messues, & mucilagine seminis psillij permixtum commendat: datur drachma pulueris vnciae mucilaginis mixta. Dioscorides verò lapidem haematitem in succo graoatorum commendat *lib.5. cap.1*. Est celebre auxilium, si sumantur duae librae decocti symphiti maioris, succi portulacae lib. ß. sacchari penidiati ℥. vj. coquantur ad formam serapij. Est enim summè aduerendum ne excitetur tussis exsiccantibus, & adstringentibus, quia vas recluditur concussione Thoracis, ob quod penidias miscemus. Dixit vero Auicenoa: *Et quandoque reperitur cum glutinatione mundificatio, & est vltimum ei quod quaerimus.*

Est in succis erodentibus expurgandum corpus statim, & optimo alimento nutriendum, sic verò acris,

D & erodens materia purgationi patabitur. Recipe buglossae, borraginis, lactucae, portulacae, pulmonariae ana m. j. liquiritiae ℥.ß. hordei excorticati p. j. iuiubar. n.XX. quatoor semin. frig. maior. ℥.j. flor. eor p.j. flor. nenuphar. p.ß. coquantur secundum artem: quo decocto diluantur serapia de portulaca, de papauere violaceo, vel nenupharis,& addatur sacchari penidiati purum: Sic optimè contemperantur succi mordaces, deinde expurgandi sunt sumendo huius decocti ℥.vj. rhabarbari leuiter cocti, & puluarizati ʒ. i. medullae tamarindorum ʒ. ß. serapij solutiui regij ℥.ij. misce. Est etiam in vsu praebere rhabarbari recentis ʒ. ij. aquae portulacae ℥.vj. misce. Haber enim rhabarbarum praeter vim expurgatoriam virtutem continendi sangui-

E nem quietum: aut recipe succi rosar. rubr. ℥. ij.ß. puluer. rhabarbar. recentis ʒ.j. ß. aquae portulacae,& plantag. in quibus florea cordiales incoxerint ℥.vj. misce:& repetenda expurgatio, quia magna cacochymia non minuitur vnica expurgatione, & sic per quatuor dies dabitor leue medicamentum paratum ex ℥. j. ß. conseruae sacchari rubri cum ʒ. j. puluer. rhabarbari. aut medulla tamarindor. cum eodem pulaere, cauendo semper à fummonea, quia erodit vasa.

In erodente causa parantur potiones ex serapio granatorum, de portulaca, papaueris, violarum, nenuphar. rosar. siccarum, & si febris adsit, praestat serap. ex rosis rubr. diluentur verò aquis arnoglos. rosarum, & capitum earundem, aut decocto pentaphili, caudae

equinae

equinæ, feminis portulacæ, & plantaginis; iis fidendum magis, quia si llatius liquor non ita adstringit vt decoctum. Dicit enim Auicenna curando erosionem: *Euacuetur ergo colera, & fiat infrigidatio cum fortitudine, & humectatio, & administrentur stiptica, & glutinatiua.*

Si non sufficiant hæc, cucurbitæ hypocondriis supra iecur præcipuè affigentur, & iecur attemperabitur: Solet enim esse causa frequentissima succorum erodentium. Id præstat fotus ex succo endiuiæ, & eupatorij cum aceto rosaceo, aut linteum iis succis, & rosar. rubr. cum modico aceto madefactum imponetur, & ab exficcatione renouabitur. Potus aqua deaurata, vel ferrata, vel succo granatorum dulciacidorum permixta frigida bibatur, sed non in multa copia. Alimentum optimi succi, attemperans, & ne iecore, nam dieta languinem exurit, & reddit acerrimum, multus verò potus fluxilem, ob id frigidus, sed non in multa copia concedendus. Si hæc non sint satis, ad narcotica veniunt: & consulit etiam Auicenna in hoc capite; sistunt enim sanguinem, acrimoniam attemperant, & somnum conciliant. Communis potio est, quæ traditur à Rondoletio, & recipit serapij papauer. ℥. j. aquæ rosar. ℥. ij. camphoræ gran. iiij. misce, & fiat potio; mirè adstringit, & sanguinis fluorem reprimit; sed camphora auferenda est, quia quæ in officinis hodiè vtitur, calida, aperiens, & detergens existit, loco cuius puluis florum nimphex, aut rosar. rubrar. addendus, vel ʒ. ß. trocifcorum de charabe, nisi addatur vt vehiculum. Docuit enim Galenus 5. *Meth. d.* mirè prodesse: dicit Eustachius sumere feminis Hyosciami ʒ. ß. saccari rosati ℥ j. misce: quod semel, & bis alternis diebus dari potest, quando alia remedia effectu frustrantur, sic vrgente necessitate ʒ. j. philonis concedimus in aqua plantaginis, & portulacæ, & dari potest bis, & ter, & ait Eustachius, somnum conciliat, tussi medetur, fluxionem sistit, & feruorem sanguinis reprimit, ob quod in distillatione mordaci, & causa erodente vtilissimum est auxilium. Idem præstat recens theriaca, si detur ʒ. j. ex decocto feminis portulacæ, plantaginis, & rosar. turbar. aut in setaplo portulacæ, & papauer. multis, inquit Forestus *lib. 16. obseruat.* tr. quibus sputum valdè copiosè reddebatur, nec medicamenta iuuabant ʒ. j. philonij Persici cum aqua plantaginis, & portulacæ ante cibum propinata profuit vti, & ius frigidum decoctorum ziciforum, in quo ferrum candens extinctum fuerit. Legatur Galenus 7. *localium, cap.* 2. & 4. vbi tradit vtilitates medicamentorum stupefacientium in sanguinis reiectatione, præcipuè vbi acris distillatio ex capite in thoracem molestat. Habetur præstantaneum remedium sumere succi depurati plantag. ℥ iij. lapidis hæmatitis subtiliter puluerizati ʒ. j. camphoræ gran. iiij. misce, & hauriatur. Docuit enim Galenus 5. *Meth. cap. 5.* succum plantag. quemcumque sanguinem sistere, etiamsi ex erosione nascatur. Aetius saluiæ succum e vestigio sanguinem sistere tradit; præbet duos cyathos cum ℥. j. mellis: minuerem ego mellis quantitatem, quia summè detergit. Dioscorid. *lib. 3. cap. 34.* decoctum saluiæ sanguinem vulnerum cohibere docet, & vinum ex saluia commendat *lib. 5. cap. 45.* in eodem infundit Rulandus radices vrticæ, vinum etiam palmeum optimum est. Dioscorides *lib. 5. cap. 34.* Succum vrticæ, quando alia auxilia effectu frustrantur, vt arcanum auxilium tradit Amatus *conturb. 6. cur. t. 4.* dantur ℥. iiij. summo mane, & ipsi vrticæ iuribus incoquitur. Sic Dioscorides vrticæ folia contusa, & naribus indita ad fluxum sanguinis ipsarum commendat, cuius dantur ℥. vj. & cis admiscet olei vitrioli Romani, quod sat sit, vt acida reddatur aqua; sufficient verò guttæ 5. vsque ad 7. Nec mirum videatur vobis, quæ mouent vrinas, & menstrua, sanguinem cohibere posse, nam diuersa fit respiratio in massa sanguinaria, & in vase reclusto, & hiante,

A de quo legatur Galenus 7. *simplic.* in historia Centauri maioris, quod mouere menstrua, & sanguinem sistere tradit: idem filipendula. Est etiam commendatum auxilium restes iotrigatæ in vitis, & in fœminis mammas; Consentit enim facillimè totum refrigerio harum partium, & ind. efficacissimè sistitur sanguis à quauis parte mittatur: applicatur postea in linteis madefactis, & in illa leuiter expressis.

Quòd si cognoscantur iecur, aut lien, vt partes transmittentes, post sectionem basilicæ, secanda saluatella visceri directè respondens: deinde infrigerandum succis portulacæ, plantaginis, piligonij, & solani admixto aceto rosaceo: Et si fotus iste satis non sit, cucurbita affigetur supra viscus transmittens, quæ magna sit, & cum multa flamma, & si opus fuerit, scarificabitur;

B quòd si ob incendium sanguinis, & acrimoniam, vas recludatur, aut pellatur à natura, aqua stillatitia fragorum potenter sanguinem sistit, vt experimento probauit Cardanus. Nec est contemnendum remedium ex pellicul is existentibus supra carnem glandium, aut castaneatum, quarum puluis in decocto centinodiæ, caudæ equinæ, seminis arnoglossæ, & tormentillæ vtilissimè datur cum guttulis quatuor, aut sex olei vitrioli, aut cum pauco vino rubello ad penetrationem: est mihi in diarrheis, aut dysenteriis frequens earum vsus, præcipuè admisceo puluerem cum amylo: vomitum sanguinis sanat; præter remedium Rulandi iam dictum sume succi caudæ equinæ ʒ. j. pul. pilosellæ, & nummiæ, ana ʒ. ij. decocti caudæ equinæ, seminis plantaginis, & consolidæ ana ℥. ij. misce; est enim optimum.

C Mathiolus verò aquam stillatitiam ex radicibus ciclamini in quantitate ʒ. vj. cum ℥. j. saccari selectissimi, vt expertum commendat, & fracta vasa conglutinat, vomitum etiam sanguinis sistit, *lib. 2. cap. 159.* vt aqua stillatitia ex teneribus foliis. Quercetan. *lib. 2. cap. 121.*

Interim tamen diligenter notabitis, si sanguis nigee reiiciatur, quia concreuerit, & varsus fuerit in grumos: oportet enim in dicto casu minus adstringere, & date, quæ grumos dissoluant. Est commune auxilium micam panis in posca madefactam cum puluere saccari propinare ante cibum. Auicenna sic loquitur: *Et quando timetur congelatio sanguinis in Pulmone, detur in principio acetum mixtum cum aqua, nisi adsit tussis; tunc enim cauendum est acetum, & quandoque sanat sanguinem congelatum ʒ. ß. diacurcumæ cum aliquantulo de aqua porri, & cocleari oxymellis.*

D De charabe testantur Medici habere vim cohibendi sanguinem, & dissoluendi grumos, est enim multum sulphureum, & inde grumos dissoluit, qua parte. etsi adstringat, vtrinam suppressam felicissimè sanat; ita & acetum grumos dissecat partium tenuitate, & simul virtute adstrictoria vas apertum, & hians occludit, quia labia distantia osculorum, aut vulneris adstringenti virtuti non reluctantur, sed media illa vniuntur; resistit tamen consistentia vasorum, ne diuidatur eorum substantia attenuitate partium aceti: Contrarium euenit in sanguine iam concreto; est enim in potentia, vt dissecetur, non vt vniatur ab aceto, quia per congelationem vnitus iam est. Est celebratum auxilium Langij *epist. 31. lib. 2.* Recipe radicum Angelicæ ℈. ij. coaguli leporis ℈. ß. succi-

E ni ʒ. ß. farinæ orobi ℈. ij. reddantur in puluerem, de quo sumatur ℈. j. oxymellis simplic. ℥. j. aquæ cherefodij, aut gingidij ℥. iij. ß. misce, & sumatur: loco harum aquarum dabitur decoctum origani, rhimi, aut apij.

Si his imperatis non cesset malum, epithemata frigida applicantur Thoraci, vt incrassetur sanguis, & occludatur disruptum vas. Sic laudat vt expertum Montagnana *consil.* 105. quod sequitur. Recipe aquæ nenupharis lib. ß. aquæ acetosæ lib. j. succi citoneorum ℥. iiij. camphoræ ʒ. ß. boli armeni ʒ. j. ß. santhali, vtriusque spodij ana ℈. ij. croci ʒ. ß. misce: in qua mixtura lintea madefiant, & expressa toti Thoraci ante, & retrò

applicantur. Sic Aëtius vbi vrget malum, & est copiosa deiectio, spongiam aceto imbutam applicat: sed hæc frigida cauenda sunt, quia inimica Thoraci, & tussim validam commouent, qua nihil periculosius, & ideò non nisi in desperato fluxu impetanda, nec multum permittenda, corrigendáque deinde distemperies relicta fotu ex vino rubro cum oleo rosaceo moderatè calidis. Est securius, & summè vtile emplastrum nigrum Heræ attributum Galeno 2. *lib. medicamentorum per genera*, ad finem libri, ex quo transtulit Aëtius *tetr. 4. serm. 2. cap. 1.* & tradit sapta opin. sanguinem cohibere. Fumanellus summum remedium dicit esse parare ceratum ex resina pini extensa super corio ad pectoris amplitudinem cum puluere mast c is, & caryophilorum. Sic laudatur quod paratur ex bolo armen. terra sigillata, & thure cum albumine oui, applicantur ante, & retrò, quia per spinam recurrit magna vena. Sunt hæc adstringentia applicanda euacuato iam corpore, quia vis astringens aliter non pertingit interna, & repellit ad intra, quod est in externis partibus; ob quod nec multum adstringentia conueniunt, quia sibi occludunt vias, & non penetrant. Commendantur etiam vnguentum comitissimæ varignanæ, aut emplastri contra rupturam, vel de mastiche. Est communis praxis, & vtilis tempore somni præbere ʒ. j. pulueris trocisc. orum, de charabe, aquæ portulacæ, & plantaginis ana ℥. j. ß. misca.

CAPVT IV.

De cura sputi sanguinis orti ex Catarrho.

MAligna est complicatio sputi sanguinis cum catarrho, & difficillimæ curationis, estque frequentissima, maiorem partem ægrotantium miserè perdens, traditque *in præsenti cap.* curationem illius noster auctor, adducendo Galeni doctrinam ex *lib. 5. Meth. cap. 13.* vbi refert historiam illius splendidæ mulieris Romanæ laborantis sputo sanguinis ex catarrho. Est verò catarrhus iste distillatio humoris ex capite in Thoracem, humor, aut acris est, aut erodens, quia biliosus, vstus, aut acre serum, aut pituita salsa. Hæ causæ malignæ sunt, quia Pulmones breuissimè exulcerant ob acredinem, & quia Pulmo laxus, & mollis, tenerrimæque substantiæ erosioni non resistit; aliquando verò quod in Thoracem distillat, mordax non est, bifariam tamen sanguinis sputum causat, & quia pro humiditate pituitæ, & succi crudi fluentis laxantur vasa Pulmonis, & emollita ipsorum oscula non consistunt deficiante retentrice, sicque sanguis reiicitur osculis vasorum apertis. Sæpè etiam succus crudus distillans intra Thoracem putrescit, & calore putredinali contaminat Pulmonem, aut suppuratus erodit; vterque verò humor tussi importuna vasa distumpere potest.

Cerebrum esse transmittentem partem nihil magis demonstrat, quàm importuna, & molesta tussis: cadens enim humor per asperam arteriam, viam respirationis occupat, & in transitu sæpè irritat, aut quod frequentius est, imbibitur in illo aliquid humoris fluentis, donec reiiciatur incessanter molestans, & sic excruciat tussi importuna non parum conducente ad exitum sanguinis, quia concussione assidua Thoracis dilaniat, & rumpit Pulmonem. Huic signo copulanda omnia, quæ vitiosum caput coarguunt, & continua grauitas, dolor, ardor, & faciei, vasorúmque eius turgor insolitus, palati titillatio ab humore fluente, quia si crudus sit, exspuitionem frequentem mouet, & gurgulio, faucésque humectantur. Si verò nitrosus, calidus, & salsus, relatas partes inflammat, & siccat, & frigidæ respirationis desiderium inducit, & certiorem coniecturam reddit, si causa externa præcessit, quæ solùm offendit cerebrum,

A vt insolatio, frigus intensum, contusio, lotio capitis, præcipuè ad canos tingendos; fucus enim ille periculosissimè tentatur, vt pro mendacio illo non fucatum, sed verissimum illud, & mortalē morbum creet, vitium commune fœminis, etsi cum minori periculo illud procurent quàm viri, nam prætetquam quod lotionibus capitis assuetæ sunt, domi continentur, vt minus offendantur ab aëre: viri autem contra, nec assueti lotionibus, & iniuriis ambientis imprudenter expositi debilitatem cerebri incurrunt, & non commutando alimentum, aut illud corrumpendo, aut impotens factum, excrementa naturalia non reiicit per consuetas vias, quibus grauatum in Thoracem deponit per vias tam conspicuas, & amplas: & si iis addatur, quòd caput sudet, aut vigilando, aut dormiendo excrementitium esse, planè

B colligitur, quia, vt docet Hippocrat. *vbi sudor, ibi morbus*, & si cum hoc lassitudo membrorum fatigat, cerebrum transmittere arguitur: sunt enim familiares lassitudines defluentibus excrementis in neruos cum cerebro consentientes facillimè.

Est distillationum feracissimum calidum, & humidum cerebrum; liquat enim humiditates promptissimè, viæ patulæ sunt, implerur magnopere, & si calorem vincat humiditas, perpetua colliquatio molestat: ob quod dixit Hippocr. *6. Aphor. text. 2. Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur; quibus verò contraria, salubrius degunt.* Per nares enim humidiores, id est, cruda excrementa emittentes, cerebri immoderata humiditas demonstratur; non enim potest tantam excrementitiam humidi-

C tatem moderatus calor resoluere, sed sensim aliquas pertinaces distillationes creat, quas ob eandem rationem aër meridionalis, seu Austrinus replendo caput machinatur contra Thoracem, aut partes subiectas, vt 4. *Aphor. text.* 5. docuit Hippocr. & efficaciùs, aut ferociùs, si hyemi Austrino, aut pluuioso ver siccum, & Aquilonium succedat, vt *Aphor.* 12. *eiusdem lib.* docuit; sic calida, & sicca cerebri intemperies biliosum, & acrem efficiens sanguinem nutritioni eius dicatum, expultricem incitat, & in thoracem deponit biliosa, & acria excrementa, Pulmonem, & eius vasa erodentia; frigidum etiam, & humidum cerebrum contraria ratione idem facit, etsi frigiditas exuperet quod vaporosum ascendit in caput, & in excrementum aquosum permutat, & grauitatem comparat, deorsúmque reiici-

D tur; & tandem omnis immoderata intemperies coctionem vitians excrementa in capite accumulat; sic obstructiones viarum, per quas se exonerat cerebrum, replent illud, & grauant, ita vt per conis, & continua distillatio molestet, qua continuitate agnoscitur satis primaria affectione esse affectum.

Diligenter tamen notabitis paratissimos esse eos perniciosis fluxionibus, quos Medici vocant alatos; sunt verò illi, quibus Thorax angustus est, & spatulæ imminentes alarum modo, collum longum, & angustius: significant enim hæc virtutis formatricis, & instrumenti eius, caloris nimirum debilitatem, qua Thorax angustus formatur, nec satis debilitate potuit, & indè spatulæ eminent, quia vt est Thorax angustior, & paruæ

E etiam, atque exiguæ costæ, ex quibus componitur, eminent humeri, & veluti alæ ob eminentiam apparent. Sunt enim latera istorum angustissima, vt sic spatulæ præeminent, iis caput debilissimum esse solet, vt & ipse Thorax, quia cor paruum, & debile efficitur in prima formatione. Docuit enim Galenus in arte medicinali, angustum Thoracem cordis debilitatem arguere, & indè cerebrum non incalescit satis ob paruitatem vitalis spiritus, inde refrigeratum cerebrum multa excrementa cruda congerens. In Thoracem etiam dabilem promptissimè reiicit, & cum debilis sit, se liberat difficillimè à tanto onere excrementorum, sicque assidua tussi concutitur ad expellenda irritantia; indè sputi sanguinis,

sanguinis, & tabis insuperabilis occasio emergit, nam cauitas Thoracis angustior cùm sit, repletur facillimè, ob quod incessanter tussiunt, & sola continuitas tussis satis est ad ruptionem vasorum, aut carnis Pulmonum, éstque cum hac frequentissima tussi difficillima expulsio excrementorum fluentium ob innatam debilitatem: ex prima informatione excrementa detenta incalescunt, & erodunt Pulmonem, aut laxando vasorum oscula sanguinis sputum causant, & tabem. Ob hæc Hippocr. 6. *epid. sect. 3. text.* 16. malignas fluxiones vocat à talis hominibus euenientes, quia si non excreant media tussi, quod in Thoracem caput transmittit, clarum est certum periculum detentis excrementis iuxta cor, & Pulmones. Si verò reiiciat Thorax quæ recipit à capite, cùm fluxio illa ob natiuam debilitatem perenniter molestet, est etiam tussis assidua, qua dilacerantur Pulmones, & inde dixit Hippocrat. malignas esse fluxiones, siue excreent, siue non, quia vitia natiua, præsertim quæ ex natiua formatione nascuntur, inemendabilia sunt, vt & morbi pendentes ex ipsis, frequentiùs tamen vbi humores calidi, & erodentes ex capite in Thoracem decumbunt, culpanda sunt vasa totius, & iecur, vt maximè visitur in his, qui biliosi sunt natura, & calidi iecoris, vnde crebrò in dolores capitis calidos incidunt, & succis calidis cerebro repleto acres fluxiones fiunt, vt calidæ, nitrosæ, salsæ, & hoc sæpè contingit, vt Galenus inquit, acres, inquam, fluxiones non habere caput ipsum auctorem mali. Iachinus in 9. Rasis *cap.* 18. *fol.* 181.

Dicit ergo Auicenna: *Cùm accidit sputum sanguinis ex catarrho, & non est acutus purgatiuus, valde cholericus, phlebotometur homo statim.* Timet auctor venæ sectionem in nimis bilioso catarrho, quia quando notabiliter aliquis humor sanguinem excedit, neç vires constant ad tantum remedium, etsi in præsenti constent, deficiunt statim à sanguine misso, quia cacochyma corpora viralem calorem insigniter dissolutum participant ob defectum conuenientis materiæ; non enim nisi ex spirituoso sanguine, & aëreo creantur, quo carent cachocyma corpora: & cùm venæ sectione euacuetur magna copia spirituum, labescit virtus, & imbecillitate noua contracta victor redditur morbus. Eadem ratio militat in nutritione, vitiosa enim corpora habent paucissimum sanguinem, vnde reparentur, & cùm per sectionem venæ extrahatur indifferenter bonus cum malo, restat post venam sectam paucissimum boni, ex quo nutritio fiat, & indè virtus cadit inopinatè, & morbo succumbit. Est celebratus locus Galeni ex 4. *lib. de sanit. tuenda, cap.* 8. & in aliis *cap.* 4. vbi docuit, quòd si plurimum recedant humores à sanguine, cessandum sit omninò à missione sanguinis: quem locum integrè adduximus in communi methodo curandi putridas febres super Auicen. qui vt præcepit, cessandum est à venæ sectione, si fuerit catarrhus valdè biliosus, aut serum distillet. In magna itaque cacochymia timendus lapsus virtutis inopinatus ob defectum materiæ conuenientis ad spirituum generationem, & renutritionem partium: quod respiciens Galen. 5. *Meth. c.* 14. dicit: *Qui parum sanguinis habent, priùs renutriantur alimentis optimi succi, & succos mordaces contemperantibus: deindè mittatur sanguis, deindè sursum reficere, & probum generare sanguinem, & si opus fuerit, rursus venam secare.* Est ergo præceptum maximum, quod tradit Princeps, vt si neget missionem sanguinis, necessariò exercenda est expurgatio, quia illum adæquatè indicat tanta cachocymia, & in partem principem fluens tam perniciosum comitans symptoma, quod Galenus loco immediatè citato expressè consulit dicendo: *Oportet autem in principio nullius rei æquè esse solicitum, quàm vt nec tussiant, nec ex capite aliquid in Pulmonem defluat. Cauetur id triplici præsidio: purgatione primum: secundò medicamine, quod diaspermaton dicitur; tertiò ipsi capiti*

A *prouidendo.* Ecce quòd in succis mordacibus consulit primò purgationem, & sanguinem non mittit, nisi cum conditionibus iam relatis ex ipso. Nec obstat, quòd *in fine cap.* 14. dicat: *At qui validi sunt, multique sanguinis, iis statim à principio est detrahendus.* Vbi clarè docet, posse cum succis mordacibus esse vires validas, & sanguinis copiam. Malè ergo Auicenna vituperat hoc remedium; sed certè aliud est, cum multo sanguine posse dari mordacem succum fluentem ex capite in Thoracem; aliud verò quòd vbi succus mordax est multus, detur virtus valida, & sanguinis copia: hoc secundum negauit Auicenna: primum verò possibile est, nec illud negare poterat. Et ex hac auctorum doctrina constat, quòd sit incipienda distillationis curatio à missione sanguinis, & quando ab expurgatione:

B Si enim succi mordaces multum excedant, cauenda est venæ sectio, & purgatio statim conuenit. Si verò sanguinis sit copia, & succi non excedant sanguinem nimis, secabitur vena primò, deinde expurgabitur corpus. Sic Saxonia in salsa, & acri distillatione sanguinem mittit ad mitigandum incendium iecoris, & cerebri ad detrahendum materiam ex toto transmissam in cerebrum, & si caput sit primum nutans, aut nimis æstuet, venam frontis secat, & hyrudines post aures apponit.

Interim dum hæc fiunt, clysteres fortiores iniiciuntur ad reuellendum à cerebro, & frictiones crurum, & brachiorum continuæ debent esse; sunt enim magni momenti ad reuellendum humores in prædictas partes, præcipuè si frictiones fiant cum oleis calidis manibus vnctis, vt hîc præcipit Auicenna, & desumpsit ex Ga-

C leno *lib.* 5. *method. cap.* 13. dicente: *Iussi vt acri vteretur clystere, tum crura, manúsque calefaciente pharmaco plurimum fricaret, & vinciret.* Aliud remedium celebre est apud Galenum, dari statim medicamentum aliquod, quod somnum conciliet, & fluxionem acrem demulceat, illámque incrasset, ne fluat in Thoracem: somnus virtutem reparat, sed præcipuè desideratur ad impediendam tussim, cùm nihil magis quàm illa sanguinem commoueat. Est etiam incrassatio succi fluentis vtilissima, & attemperatio mordacitatis non minus. Ad hæc perficienda dedit Galenus mulieri Romanæ theriacam recentem, cum esset dormitura, est verò talis post quatuor menses à compositione. *Habet enim* (inquit Galenus) *in hoc tempore prænalentem succum pa-*

D *pauteris, ratione cuius somnifera est, & fluxiones siccat, & leniter incrassat.* Datur ʒ.j. cum decocto liquiritiæ, & siliquarum, aut in serapio violaceo admixta: & si nimis exurens distillatio sit, miscebitur cum ℥.ß. serapij papaueris. Si non inueniatur theriaca recens, dabitur ℥.j. serapij papaueris cum decocto rosar. rubr. iuiubarum, caudæ equinæ, radicum nimpheæ. Aut parantur pillulæ ex mucilagine seminis psillij extracta in aqua plantaginis cum bolo armen. orientali, dentur cùm somnus conciliatus, quia summè conferunt, vt docet Rasis 4. *cont.* Est vtile etiam Diacodion Galeni simplex, sed vtilius quod ex Montagnana sic paratur. Recipe capita papauer. n. XX. siliquarum dulcium sine granis ℥. iij. rad. altheæ, & liquiritiæ, ana ℥.ß. coquantur in X. lib. aquæ pluuialis, aut fontanæ ad tertias, expressioni, &

E colaturæ addantur saccari rosac. & penidiorum ana lib. j. coquantur ad mollem consistentiam, sumitur ℥.j. tempore somni, pillulæ de cynaglossa Messue catarrhum acutum desinent, & somnum conciliant, datur ʒ.ß. aut ʒ.j.

Si iis non sistatur fluxio, gargarisma parabitur sic, Recipe loch. de papauer. ℥.j. mastichis tortefacti ℈.j. decocti caudæ equinæ ℥.j. rob. nuc. ʒ.j. aquæ capitrosf. ℥.ij. misce: hoc tempore vtiliter affiguntur cucurbitæ musculis brachiorum iuxta humeros, vbi disseminatur cephalica, & supra humeros scarificantur, vt dicit Paulus *lib.* 3. *cap. proprio*: nunquam in regione Thoracis affigentur, ne trahatur materia impetuosiùs, ob quem

metum nec suprà humeros illos admittit Saxonia *cap. de catarrho.* Aliud medicamentum, quod Galenus applicauit velatæ mulieri fuit, quod parauit ex columbino stercore, ante cuius expositionem raditur prius caput, habet hoc auxilium magnam vim attrahendi ad cutem cum resolutione magna, & ita materiam catarrhi resoluendo, & trahendo ad extra, distillationem suspendit, & aufert; est enim auxilium vesicatorium, & exulcerans cutem, ob quod Galenus post tres horas in balneum duxit mulierem, non permittens aliquo plogus caput illiniti; sic enim remittebatur incendium à tam vehementi medicamento causatum, cuius metu medicamentum per interualla repetebat.

Sed circa huius auxilij appositionem magna est inter auctores controuersia. Tralianus præsertim reprehendit Galenum, quòd distillatione acri, & mordaci, cuius causa erat intemperies calida, & sicca, cerebri medicamentum apponeret exurens, & quod vehementer siccat, & calefacit. Præstaret (inquit Tralianus) causæ efficienti resistere, & refrigerantibus, humectantibusque uiter mitia vti: Deinde si copia succi erodentia molestabat expurgationibus illam minuere, & caput intemperatum calore, & siccitate non distemperatare magis tam vehementi remedio, & quæ in Thorace sunt, acriora reddere. Sic multi cum Traliano Galenum condamnant, quos omnes auctoritatibus eiusdem Galeni redarguit, & conuincit doctissimus, & charissimus mihi Ildephonsus Nunez a cubiculo Medicus regius, *text. de Angina maligna, fol.* 45. habetur primus locus Galeni 6. *de tuenda sanitate, cap.* 9. vbi sic: *Nec committe id, quod nonnulli faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex tapsia, & synapi componitur, applicant: id ipsi quoque faciant, quando si ex calida intemperie caput male habet, talia medicamenta noceant.* Clarius id docuit 2. *de compos. secundùm locum, text. de cataplasmatis Archigenis in dolore capitis: Ego verò* (inquit) *cum intemperies quapiam frigida, & humida, aut per se ipsam in partibus affectis adest, aut propter huiusmodi humoris frigiditatem fuerit oborta ex synapi, & tapsia, ac similibus adhibeo pharmaca; calidis verò, & siccis adhibeo. Et* 13. *Meth. cap.* 22. sic scripsit: *Plurimum igitur, vel frigida intemperies caput vitiat, vel humida; nec dubium quin ambæ congrediantur: rariores sunt, quæ ob calorem acrem oculis fluxionem immittunt, in quibus non expedit iis, quæ ex tapsia, & synapi fiunt, medicamentis vti, imò contrariis omnino oleo crudo, & Hispano, & rosaceo cum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione,* &c. Et ad Tralianum, Donatum, Trincabellum, & Lemosium respondet cum Alex. Massaria mulierem Romanam non habuisse distillationem acrem, sed ex crudis succis, & indè summa ratione medicamentum ex tapsia applicuit Galenus.

Hæc Nuñesij doctrina satis mihi probatur; & quòd mulier illa non laborauit erodente distillatione, colligitur primò, quia Galenus *in cap.* 14. *sequenti* insanabiles putat, qui ex humoris vitiosi erosione sanguinem ex Thorace reiiciunt. Constat verò mulierem illam sanatam fuisse perfectè. Rursus eodem capite docet Galenus, multo tempore egere correctionem erodentia humoris; mulier verò illa breuissimè fuit sanata. Rursus Galenus remedium ex tapsia posuit, non solùm quando actu in Thoracem fluebant humores, sed etiam post cessationem fluxus. Vndè infertur, ad correctionem distemperiei frigidæ, & humidæ derelictæ in cerebro repetitum fuisse tale remedium. Accedit, quòd melle solo expectorauit materiam Galenus, quod non esset securum, si erodentes essent humores, cùm sint plura temperata, & frigida expectorationem iuuantia, & simul impedientia erosionem. Colligitur etiam ex Galeni lectione, nam referendo occasionem reiectationis sanguinis dicit: *Deindè cùm ex catarrho quodam, aut tussi vehementi paulùlum quiddam per no-*

A *ctem exspuisset*, &c. Quas rationes doctè tradit Massarias *libro secundo, capite sexto.*

Sed quamuis hæc doctrina sit vera, mihi videtur satis probabiliter potuisse colligere Tralianum, & relatos Auctores, quòd imperauit Galenus ceratum ex Tapsia in fluxione mordacium humorum: Si enim attente legatur *cap.* 14. in quo ferè per totum agit de curatione sputi sanguinis ex succis mordacibus, dicit ita. *Oportet autem in principio nullius rei æque esse solicitum, quam vt nec tussiant, nec ex capite aliquid in Pulmones defluat. Cauetur id triplici præsidio: purgatione primum; secundò medicamine, quod diaspermaton dicitur; tertiò ipsi capiti prouidendo.* Et inferius dicit: *Capiti prouidebis cerati vsu quod fit ex tapsia.* Quod caput cùm attentè legisset Tralianus, dicit, quòd Galenus accuratè
B nouit causam reiectationis fuisse ob erosionem.

Est tamen dubitatione dignum, num methodicè fieri possit applicatio talis medicamenti in fluxione mordaci? Ad quod respondeo affirmatiuè, constât ex Galeno sic imperante verbis iam traditis suprà. Ratio est, quia distillatio mordax esse potest, quin cerebrum illos humores acres creauerit, sed quia receperit aliundè, & indè grauatum, & malignè irritatum in Thoracem transmittat, quo tempore suspendenda est acris distillatio ob acres passiones desperatas, & maligna symptomata ex illo sequuta. Ita cum Massaria censeo, quòd quando Galenus dicit *cap.* 14. citato, capiti prouidebitur cerati vsu, quod fit ex tapsia, non prouidetur, quia corrigere intendat aliquam distemperiem,
C sed capiti prouidetur, prout est pars transmittens; nam calore immodico medicamentis attrahitur succus in Thoracem mouendus ad partes externas, & sic cessat fluxio in Thoracem. Et ratio à priori est, quia si longo tempore eget talis distillatio mordax, vt emendetur, temerarium esset tantum permittere tempus distillationi in Pulmonem, cùm erosio desperatè expectetur: Ne ergo sequatur, oportet statim cohibere fluxionem, qua detenta expurgabitur corpus, & emendabitur acrimonia succorum: quæ ratio etiam habet vim, etsi caput distemperatum mordaces humores creauerit. Vrget enim, quòd in Thoracem distillat, & tussi importuna, & erosione vires deiicit, & sanguinis sputû malignum pollicetur. Idem cum nobis sensit Saxonia *lib.* 1. *c.* 18. Nunquam (inquit) sunt idonea medicamenta
D acria, nisi in vrgenti suffocationis periculo, vt quando impetu maximo in Pulmones distillat, aut iam imminet exulceratio, & inde in actuali sanguinis reiectatione multò magis conuenire videntur. Vnde colligetis, non tantùm esse vtile vesicantibus medicamentis sincipiti appositis ad externam cutem humores retrahere, sed statim ac incipit acris distillatio corpus expurgandum esse, & aperiendas fontanellas in brachiis: Est enim remedium efficacissimum ad compescendam distillationem in Thoracem.

Conferunt etiam errina medicamenta ad deriuationem humorum fluentium per nares: Sunt etiam vtilissima balnea aquæ dulcis, si nimia sit mordacitas, antequam exulceratio fiat, & reiectetur sanguis; facta
E verò erosione suspecta sunt, si fiut in toto corpore, quia humectatur vlcus, & sanguis reiicitur impetu maiori, quia balneum laxat, & vasa erosa dilatat magis: in capite verò ad attemperationem, & in cruribus ad reuulsionem etiam cum attemperatione, vtilia esse possunt. Medicamentum, quod diaspermaton vocat Galenus, quo fluxiones detinet, & somnum conciliat, non est in vsu; habetur eius compositio 7. *de composit. pharmac. secundum locos, cap.* 5. & recipit seminis apij ʒ.viij. & opij ʒ.ij. amij ʒ.viij. anisi ʒ.iiij. fenieuli ʒ.iiij. cassiæ nigræ ʒ.ij. in aqua fiant pastilli triobolares; dato ex aqua: loco huius auxilij dantur, quæ diximus anteà, & præcipuè pillulæ de cynoglossa. Est etiam optimum quod Galenus parat ex Andromacho in eodem capite,

&c

& recipit cassiæ nigræ, myrrhæ, opij, stiracis, croci ana ʒ.j. cogito in pastillos trium, aut duorum obolorum, & dentur febrientibus ex aqua, non febrientibus ex vino; est enim efficax Pleuriticis etiam, & ad tussim.

Iis curatur Catarrhus acris, & alimentis attemperantibus, & optimi succi; sit verò alimentum plenius, quia succi mordaces aliter non attemperantur, redduntur enim acriores inedia. Potua, aqua chalybeata ferro, vel auro. Si virtus deficiat, vinum rubellum cadem aqua lymphatum concedetur. Vigiliæ sunt nocentissimæ, vt & exercitium, nisi moderatissimum; sed non quia vigilias vitupero, somnum longum commendo, nisi certo modo concilietur: Est verò vt nunquam continuetur per multum tempus, sed quòd crebrò teperatur. Ratio est, quia succi mordaces vigilia excandescunt, & furiunt, & totus sanguis bilescit, etsi cunctetur non dubiè, quia reuocat humores ad extra; verùm nocet, quia ad motum humores inclinat. Somnus verò nocuus putatur, quia intrò detinet sanguinem, & sic replet Thoracem, & nulla pars magis quam Thorax per somnum grauatur, si verum est quod retrahit cor ad se spiritum, & sanguinem. Verùm si moderatus sit, qualibet vice tollitur hoc inconueniens: Est verò vtilissimus, quia vt docuit Princeps, omnes euacuationes impedit, dempto sudore vires reparat, tussim tollit omninò, humectat, & sic mordacitatem humorum mitigat, & concoquit etiam, sicque moderatur quodlibet vitium succorum. Præter hæc alimenta omni salsugine, tenuitate, acritudine, aciditate carere debent, estque glutinosa, & mitigantia acrimoniam succorum. Sic laudatur ptisana, præcipuè si plantaginis folia cum hordeo incoxerint. Est præstantissimum amylum paratum ex lacte seminis papaueris albi, cucurbitæ, & amygdalarum dulcium cum saccaro, & vitellis ouorum. Oryza etiam parata cum lacte commendatur, & cibus albus, vulgò *manjar blanco*. Omnia enim hæc sunt implicantia, obturantia vasis erosionem, & acredinis succorum mitigatoria. Est optima etiam portulaca, lactuca, & Cichorium, & carduus comestibilis. Caro perdicum adstringit moderatè, & adstrictione, & siccitate fluxum detinet. Est etiam laudatus cibus, qui paratur ex pedibus suillis decoctis in ptisana; cuniculi etiam conceduntur, quia fluxum detinent, & caro suilla recens mirabilis est, quia multum nutrit, & glutinosum succum generat, & acrimoniæ mitigatorium, sic hœdorum pedes & capita sunt vtilissima, vt caseus recens, codex, & testudines. Est celebre alimentum amygdalarum paratum ex lacte seminis papaueris albi, cucumer. amygdalarum dulcium, & cucurbitæ cum sacchato, ouorum vitellis, & amylo, cui ʒj. terræ saluiæ puluerizatæ subtiliter iniiciatur: hæc enim terra teste Galeno fluxiones tenues cohibet, & acres attemperat, èstque vtilissima recluso vase: datur in cœna, quia somnum conciliat, agglutinat, & mordacitatem, & salsuginem temperat.

Similis methodus seruatur in curatione Catarrhi pituitosi. Est enim expurgandum primò corpus à crudia recrementis, deinde caput pill. 1 r. cochiis de agarico fœtidis, & aliis: à purgatione imponendum est capiti ceratum ex synapi, & tapsia, aut de centaura: habet enim centaura minor strenuam vim ad exsiccandas fluxiones, vt notat Galenus 7. *symptomat. capite proprio*, est enim amara, & adstringens absque mordacitate, & sic potenter siccat: miscetur, inquit Galenus, ex iis quæ rheumaticis medentur affectibus, in quibus ea medicamenta præstantissima sunt, que vehementer exsiccantia, cum quadam adstrictione nullam habent mordacitatem.

Roborandum cerebrum theriaca antiqua, mithridato, diamusco aromatico rosaceo, confectione anacardorum, vel conserua florum saluiæ, roris marini,

A betonicæ, & stechados, aut ex relatis conseruis cum prædictis confectionibus parabitur opiata dicendo: Recipe conseruæ florum saluiæ ℥. ij. roris marini ℥. j. theriacæ antiquæ, & diamusci, ana ʒ. j. ß. confect. anacardinæ ʒ. ß. aromatis rosacei ℈. ij. cum serapio de stecade, & borragine: fiat opiata, de qua sumitur quando somnus conciliatur.

Est vtilissimum sternutamenta mouere iis quæ cerebrum toborent, & calefaciant; ad quod confert hoc auxilium. Recipe lolij, semin. nigellæ, castorei, ana ℈. j. maioranæ, roris marini, saluiæ, ana ℈. ß. moschi gran. iiij. misce, redigantur in puluerem, de quo mane aliquid inspiret per nares, & ante cœnam semen lini in aceto forti ex vino albo infunditur, exsiccatur, & supra prunas iniectum fumo per nares recepto mi-

B rè detinet fluxiones. Idem facit gummi iuniperi eodem modo applicitum. Nec minus confert fumus receptus ex succino albiori. Est celebre auxilium aqua stillatitia ex floribus dictamni albi, & naribus inspirata, & attracta. Idem præstat puluis nucis muscatæ, castorei & fœniculi naribus impositus. Decoctum ligni sancti, & radic. chinæ paratur, vt pro Gallico morbo extirpando, cui imponuntur flores roris marini, saluiæ, & stechados; mox instillatur per vitreum alembicum, & instillatæ aquæ dantur ℥. iiij. tempore somni cum drachma theriacæ maioris.

Cucufa etiam paratur ad absumenda cerebri excrementa ex puluere stechados, coriandri præparati beto-

C nicæ, gummi, iuniperi, caryophilor. corticum citri, ligni aloes, & chermes, gran. semin. angelicæ, & puluis harum rerum inter duas telas sericeas suitur minutissimè, & capiti in forma cucuphæ applicatur præcipuè noctu, & tempore somni. Sunt in hoc Catarrho aperiendæ fontanellæ in brachiis, nisi menstrua suppressa originem dederint, tunc enim in brachio, & in crure simul aperiendæ sunt. Constat verò vel me tacente, quæ calefaciunt, & aperiunt, non esse intus sumenda, dum sanguis reiectatur, sed antequam putrescat pituita in Thorace, aut tussi importuna concitauerit sanguinem: alimentum sit exsiccans calefaciens moderatè, vigilia imperanda, arcendus somnus à prandio, vitanda cœna, quia extremè debilitat cerebrum: potus parcus confert ex Chinæ decocto, aut saxifragiæ Indicæ, & vbi nimia laxitas in Pul-

D mone timeatur, confert aqua lentisci; roborat enim interna, & exsiccat, cum leui adstrictione febris fluxum cohibet, nec est tam adstringens, vt sputum impediat, quia reiicitur per capacissimam viam. Sunt etiam roborandi Pulmones suffitu per os recepto ex radicibus tussilaginis, cum puluere succini, & si expectorare materiam sit opus, & robur etiam inducere, parum Nicotianæ miscebitur; mirè enim Pulmonibus emollitis à mucida pituita auxiliatur, & exspuitioni: hæc si crassiorum debeat esse, iuuatur serapiis de tussilagine, de liquiritia, de hyssopo, cum oxymellite simplici, loch. de Pulmone vulpis expectorat, & toborst Pulmones. Est etiam optimum, quod sequitur. Recipe aquæ vitæ rectificatæ, quousque deponat gustum adustionis ℥. ß. aquæ Cinnamomi ℥. j.

E aquæ ex tadic. enulæ ℥. ß. sacchari candi albissimi ℥. ij. Puluer. radic. irens ʒ. ß. misce, & sumat per interualla paulatim: efficaciter mouet expectorationem crassæ materiæ, quod sequitur. Recipe puluer. semin. erucæ ʒ. ß. puluer. sabinæ ℈. j. mellis optimi ℥. ij. butyri recentis ℥. iij. misce. Hæc quæ efficaciter materiam expectorant, nullatenus conueniunt, si sanguis exspuitur ex Catarrho, vt diximus; imò nulla sunt idonea, quousque suppressus sit sanguis, post verò à facilioribus incipiemus. Sic enim Galenus mel coctum post detentum sanguinem propinabat; tussis enim ex catarrho excitata facilè cogit rursus reiicere sanguinem, & inde oportet faciliorem reddere expectorationem

ctorationem, quibus si motus sit reiectationis sanguinis, aliquod astringens serapium misceebitur. In quem vsum est mirabilis pulvis de succino expectorantibus mixtus, cohibet enim sanguinem, imò cum hoc concretum dissoluit, & expectorationem iuuat, quia multum participat sulphuris.



SECTIO V.

De Morbis Acutis cordi euenientibus.



Xanimant celeriter homines cordis mala: est quidem hoc nobilissimum viscus caloris vitalis origo, & vitæ sedes, ita vt nullus morbus vitam adimere possit, quin prius cordis vim demoliatur. Sunt verò acuti morbi illius omne apostematum genus: ante quorum perfectionem, & confirmatam naturam mors euenire solet: continui solutio, si ventriculos penetret, antequam tempus concedat auxiliis, subitò necat. Patitur etiam palpitationes, tremorem, & syncopem. Suntque horum trium symptomatum similes causæ, ob quod ne sim vobis fastidiosus, proposita natura syncopis, & causis illius palpitationis, etiam & tremoris causas inuenietis facillimè.



DISPVTATIO I.

De Syncope.

CAPVT I.

Quid Syncope sit.

Natvram syncopis exponit Auicenna *fen.* 11. *lib.* 3. *text.* 2. *c.* 6. quam sic diffinit: *Syncopis est destructio maioris partis plurium virtutum, motiuæ, & sensibilis.* Melius Galenus *lib.* 11. *meth. cap.* 5. dicendo: *est praeceps virium lapsus.* Et cum in definitione non referat, quæ vires determinatè labefcant; constat syncopem esse præcipitem lapsum omnium vitalium, & præcipuè animalium, & naturalium, omnes enim læduntur in syncope. Ratio est perspicua, quia syncope non causatur, nisi insigni defectu vitalis spiritus, quo cum indigeant facultates omnes, ad opera earum deficiente spiritu læduntur omnes, & id nomine plurium insinuauit Princeps.

Vt verò id intelligatis melius, notandæ sunt quatuor debilitates à Medicis communiter traditæ. Minor, & prima omnium est, quæ dicitur virium exsolutio, per quam solùm deperditur animositas, non tamen priuantur homines sensu, & motu; percipiunt enim quæ sibi proponuntur, licet diminutè: & hæc est debilitas, quæ vulgò dicitur *abilamiento.* De qua fecit mentionem Hippocr. 3. *et idem. sect.* 3. *text.* 37. & Galenus *in comment.* Secunda debilitas fit per augmentum primæ; nam quando hæc intenditur, transit in deliquium animi, in quod cadunt ægroti, nec se continere possunt priuati sensibus, & motu locali, ita vt nisi vehementissima obiecta percipere possint; in hac tamen debilitate vitalis facultas constat vt in prima, nam exsolutio, & deliquium animi, animalis facultatis, & sensitiuæ symptomata sunt, minimè verò vitalis, & istæ duæ exsolutiones

A minationes virium quotidie nobis se offerunt statim à secta vena, vt in ipso remedij vsu, constante satis facultate vitali. Est ergo virium exsolutio actio diminuta sensuum, & motus, animi deliquium, ablata quantum ad communia obiecta quæ per statum naturalem à nobis percipiuntur, nam vehementissima aliqua percipiunt non dubiè, cum nec id apoplecticis denegetur. Ne tamen vos lateat has duas debilitates aliquando ab auctoribus confundi, vt fecit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 13. & Aëtius *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 101. & admirandus Hippocrat. 2. *Aphor. text.* 41. dum dixit: *Qui frequenter, & validè absque manifesta causa exsoluuntur, moriuntur repentè.* Hic enim exsolutio significat idem quod deliquium, licet non in omnibus translationibus exsolutio scribatur, sed in quibusdam animi defectio, seu deliquium

B At verò *lib.* 7. *Aphor. text.* 8. clarè distinxit has duas debilitates, dicendo: *A tuberculi intus ruptione virium exsolutio, aut animi defectio fit.*

Tertia, & quarta debilitas ad cor pertinet, suntque, vt dixit Aretheus, vitalis potestatis detrimentum. Sunt verò tremor, & syncope; nam quando vitalis facultas cadit loco debitæ pulsationis, tremit, seu tremulè mouetur cor, & per arterias conatur nimium pellere, quod sibi molestat, & grauat impetu motionis: & cùm facultas deiecta iam sit, motum tremulum efficit, paruum, inordinatum, & debilem eo modo quo debilis senex, si conetur velociter, & impetuosè moueri proprio pondere grauatus inæqualiter, & tremulè impotens continendi se mouetetur. Tremor cordis (in-

C quit Auicenna) est motus tremulus, qui accidit cordi.

Vltima debilitas est, quæ datur in syncope, in qua omnes actiones sensibiles, & motiuæ voluntariè pereunt, & vitalis facultas, vt ad sensum Medici deficit, aut si apparet, est debilissima cum motu tardo, & raro. In hanc debilitatem permutatur cordis tremor, si ingrauescat, vt docuit Princeps *fen.* 11. *lib.* 3. *text.* 2. *cap.* 1. dicendo: *Et tremor quidem cordis, quando superfluit, permutatur ad mortem.* Est tamen notandum discrimen inter tremorem cordis, & syncopen, quòd ille detur fine priuatione sensuum & motus: at syncope nullo modo, quia vt dixi, est præceps virium omnium lapsus, vt enim pulsus formicans datur sine defectu sensus, & motionis, ita & cordis tremor. Dixit enim

D Galen. 1. *lib. de præsag. ex puls. c.* 12. quòd tremor sequitur imbecillitatem facultatis, & inde necessarium esse, quòd pulsus tremulus sit paruus, & languidus. Hæ verò differentiæ non requirunt sensuum, & motus defectum: at integra essentia syncopis saluari nequit sine prædictarum actionum læsione, quia magnus defectus vitalis caloris requiritur vt syncope fiat, cum quo defectu non stat alicuius actionis firmitudo, sed omnes cadunt.

Dubitant auctores, quæ sit differentia inter animi deliquium, & syncopen, an scilicet solùm differant secundum magis, & minus, an verò ex parte affecta. Ad quod respondeo, posse differre ex parte affecta, ita quod in deliquium solùm patiatur cerebrum manente corde illæso; aliquando verò tam deliquium, quàm

E syncope ex solo cordis malo originari, & cerebrum non pati nisi per consensum cum corde. Harum assertionum probatio pendet ex hac suppositione certissima, nimirum animales spiritus esse simpliciter necessarios ad motum, & sensum, ita vt etsi abundet vitalis, illæ actiones deficiant animalibus spiritibus resolutis, aut aliter deficientibus. Secunda suppositio est, vitalem calorem esse simpliciter necessarium ad omnes actiones: vnde sequitur, quòd in penuria illius, etsi abundet animalis spiritus, cessabunt motus, & sensus, quia concursus vnius spiritus nequit ab alio suppleri, quia differat specie, vt nequit suppleri concursus caloris per humiditatem, nec econtrà, quia licet calor, & humiditas

humiditas concurrant eodem modo generico, non tamen eodem concursu specifico. Omnes facultates indigere vitali calore docuit Galenus 5. *lib. de locis, cap.* 1. dicendo: *Semper mors sequitur ad immodicas cordis intemperantias; simul enim cum ipso omnes vitiantur partes; cum enim ipsa peculiari cordis temperie suas actiones perficiant, hac pereunte, actiones quoque ipsarum perire necesse est.*

His suppositis, quæ in doctrina Galeni sunt velut prima principia, probatur facilè duplex constituta assertio. Nam deliquium animi solùm includit, & dicit in sua essentia defectum subitum sensus, & motus; sed hic non solo defectu animalis spiritus nasci potest, qui à cerebro generatur: ergo malo existente in cerebro, & absumente animales spiritus, cessabunt sensus, & motus absque læsione facultatis vitalis, quia hæc nullatenus indiget animali spiritu: omnia sunt perspicua, & id patet in Apuplexia, in qua deliquium includitur, teste Galeno *ad Glauc. cap.* 15. vt vitalis facultas constat omninò, cùm vena secatur, non semel, sed pluries.

Ex qua veritate conuincitur error Donati, & aliorum putantium semper deliquium ad cordis malum sequi, & sine ratione Sennertus Mercarum accusat, quòd putauerit deliquium ad cerebrum pertinere, est enim verum, sed non perpetuum, vt iam probo. Quòd verò ex solo cordis affectu deliquium sequi possit, quin cerebrum patiatur, per se constat, quia non minus requiritur ad motum, & sensum calor vitalis, quàm animalis spiritus: ergo deficiente requisito pro animalibus actionibus, per cordis affectum inducetur deliquium absque propria cerebri passione.

Dices id repugnare, quia in hac suppositione necessariò dabitur syncope, cùm hæc oriatur ex defectu vitalis caloris, & indè per cordis mala nunquam dabitur cordis deliquium, cordis seorsim, sed semper syncope molestabit. Sed contra est, quia omnes auctores conueniunt animalem facultatem esse debiliorem ex propria natura, quàm vitalem, & inde à minori defectu spirituum pati, ac per consequens priùs quàm cor, & vitalis facultas. Secundò, quia cùm in omni resolutione spiritus vitalis statim cor trahat ad se remanentes spiritus, ne deficiant in principio vitæ, necessariò deficiunt prius cerebro, & aliis sensoriis, quàm cordi, & per consequens priùs deliquium inducitur, quàm syncope. Plus enim vitalis calor requiritur pro cerebro, & pro corde, quàm pro corde solo, & ita illud plus deficere potest, quàm superesse: quod à corde requiritur, vt firma seruetur vitalis facultas. Cùm enim cor generet intra se vitalem calorem, prius habet pro se, quod requirit, quàm aliis communicet quod superest: & ita illud plus deficit necessariò, priusquam id quod expostulat cor; & tale deliquium esse puto, quod sequitur ad sanguinis euacuationem, præsertim si arterialis sit: non enim vasa sic continent animalem spiritum, & vitalem, nec est finis, ob quem illo repleantur, vt replentur vitali, & ita maxima copia exhauritur cum sanguine: quod etiam Galenus notauit 1. *exordio libelli de missione sanguinis.*

Ex qua assertione impugnatur sententia Magistri *lib. de loc. affect. disp.* 48. *cap.* 1. asserentis, semper in deliquio cerebrum primò pati per se; oppositum enim probat adducta ratio efficaciter, & inde non semper in deliquio sunt applicanda auxilia soli cerebro, vt putat, sed sæpè cordi. Nec de alio deliquio, nisi de orto à corde loquitur Hippocr. 2. *Aphor. text.* 41. quando ex illo subitam mortem præsagit; nec de alio intelligendus Galenus in fine commenti, quidquid dicat Veiga, & Magister noster. Putauit melius Ambrosius Nuñez esse retinendam antiquam versionem, quæ pro animali legit vitalem. Nec satis constat, an fortis animi defectio sine syncope sit, nam vt fortis virium exsolutio transit in deliquium, sic deliquium fortè transit in syncopen. Hippocrates verò forte deliquium requirit in Aphorismo vt mors subita prædicetur, & ita meritò dixit Galenus *in comment.* ob virtutis vitalis debilitatem id pati: & tam clarè constat ex eius lectione, vt dubitationi locus non detur: sic deliquia per consensum cum ore ventriculi, & eius cardialgiis vitalem facultatem potiùs quàm animalem fatigant, vt ob hunc familiarem consensum Cardialgia cordis dolor interpretetur; sunt enim deliquia animi familiarissima molesto dolori oris ventriculi. Vnde si hæc crearentur ob passionem cerebri, magis quàm cor compareretur cum ventriculo, quod nullus dixit: Idem clarè constat ex deliquiis ortis ex timore, & gaudio; sunt enim ex morbo cordis, & non cerebri, sed in ira clarius conspicitur, in qua in corde efferuescit sanguis: idem de deliquiis ex obstructionibus iudico.

Dices, ex nostra doctrina sequi, quod intendebat Magister; nam si existente forti vitali facultate, incidit homo in deliquium, sequitur malum molestare cerebrum solum, & non cor, nam si malum sentitur in cerebro, priusquam in corde, cerebri erit symptoma deliquium. Respondeo inferri male, quod in argumento ponitur, aliud enim est primò manifestari læsionem in actionibus cerebri morbo per consensum; aliud verò, quòd in illo sit primarius morbus: ita per morbum cordis potest lædi priùs cerebri actio, quàm cordis, quia, vt diximus, quantitas maior vitalis spiritus, quæ pro cerebri actionibus distribuenda erat, corrumpi, aut resolui potest, quando cor retinet sibi necessarios spiritus, vt non labatur vitalis facultas, & hoc per morbum cordis eueniet. Quod enim auxilium, inquiro, accipiet æger in deliquio orto ex defectu vitalis caloris, si remedia cerebro applicentur, cui nullatenus competit vitalis spiritus generatio? nullum quidem. Et ratio à priori contra Magistrum est, quia si cor tenetur producere maiorem copiam spiritus pro cerebro, & corde, quàm pro se solo, cùm possit diminui facultas illius, vt non generet nisi requisitos pro corde, manifestabitur læsio in actionibus cerebri, quando cor solùm primariò patitur, & ei sunt applicanda remedia, vt constat, quia læsio illa nascitur ex defectu vitalis spiritus, cuius generatio soli cordi competit; & ideò morbo illius, & non cerebri tribuenda est cerebri læsio, vt si iecur generaret sanguinem pro se solo, demonstraretur atrophia in partibus reliquis, & non in illo, & tamen paterentur partes reliquæ per morbum iecoris. Quod verò virium deiectio, aut deliquium animi ex defectu vitalis spiritus oriantur, Galenus testatur 7. *Aphor. comment.* 8. *in fine* dicendo: *Communis autem omnium raptionum est virium deiectio, & animi defectus propter vitalis spiritus excretionem.*

Sed dices: Si non læditur actio cordis, qua ratione dicitur laborare morbo, cum hic semper lædat ex sua intrinseca ratione sensibiliter. Respondeo, in actionibus cordis esse læsionem, nempè in generatiua spirituum. Instabis, spiritus posse corrumpi à calore, quin lædatur talis facultas, vt resoluuntur in diaria febre sine læsione facultatis generatiuæ. Respondeo, si id possibile iudicetur, sine morbo cordis dabitur læsio in cerebro, causa tamen morbi cerebri non erit in illo, sed in corde, in quo existens resoluit quod pro cerebro erat necessarium, non tamen pro corde. Attende, quòd cor tenetur producere spiritus vitales pro se, & pro cerebro, & quando per morbum cordis producitur solùm deliquium, est læsio in actione propria cordis, & hæc demonstratur per defectum virium animalium, quas cor tenetur reficere, & pro illis generare vitalem calorem, & ita læditur actio propria cordis generatiua, scilicet spirituum in tanta quantitate. Sed inquirit rursus Magister, an deliquium animi includatur intrinsecè in syncope? Quod quæsitum vt soluat, supponit tripliciter posse pati cerebrum in synco-

pe

pe. Primò, quia deficiat calor vitalis requisitus ad sensum, & motum. Probauimus enim ex Galeno, omnes facultates indigere vitali spiritu, vt operentur. Secundò, pati posse cerebrum in syncope, quia deficiente vitali spiritu, qui est materia, vt animales in cerebro fiant, deficiunt etiam animales ob deficientem materiam. Tertiò, inquit, pati potest cerebrum per subordinationem cum corde, quia vt in timore retrahitur vitalis spiritus ad cor, & suffocatur, sic per subordinationem retrahit cerebrum animales, & suffocantur etiam, & ita causatur deliquium.

Hoc supposito dicit Magister, qui tenet in syncope cerebrum pati per consensum cum corde, non dici recte loquendo in rigore animi deliquium includi intrinsecè in syncope, quia Medici non asserunt affectum includi intrinsecè, primariò, & per propriam passionem. B Si autem contingat secundo modo, quia scilicet deficit materia, ex qua generentur animales spiritus, nullatenus includitur intrinsecè in syncope, quia affectus secundarius non includitur vt pars in affectu primario.

Mihi videtur dicendum, quòd si vitalis calor requiritur ad motum, & sensum, vt docuit Galenus, quod deliquium intrinsecè includatur in syncope. Probatur primò ex definitione, in qua dicitur, quòd sit præceps virium lapsus; probauimus vero esse intelligendam definitionem, quòd sit lapsus omnium, quia est indefinita propositio, vnde & pars essentialis syncopis deliquium ponitur, ac per consequens illud includit formaliter, vt sic includit quodlibet totum suas C partes; & certè si repugnat naturæ, & essentiæ syncopis, quòd sine tali læsione intelligi nequit, integrat deliquium syncopis esse nia, & ita vt pars ad syncopem requiritur, & intrinsecè includitur, & probatur efficaciter id, quia tanta læsio in facultate vitali, quanta in syncope datur, te eritur quotidie, quando constat sensus, imò pulsus deficit, quantum ad sensum Medici: & quia sensus, & mens constant, non dicitur ita affectus syncopizans: ergo sola læsio vitalis facultatis non est satis vt syncope constituatur: requiritur ergo vt pars essentialis læsio sensuum, mentis, & motus, vt sit vera syncope, ac per consequens formalitas deliquij est syncopis vera pars, & ita intrinsecè includitur.

Sed dices: videtur pugnare, quod hic supponitur, D dari scilicet tantam læsionem in vitali facultate, vt in syncope, quando mens constat, & sensus. Probatur; quia si requiritur plus spiritus pro cerebro, & corde, & illud plus assumitur priusquam quando minus est, nunquã dabitur læsio tanta, vt in syncope sine deliquio animi, quia minus nequit deficere, quin deficiat multò ante quod maius est, aut plus, quod pro cerebro requiritur. Respondeo primò, quòd cùm spiritus vitales, qui sunt iam geniti, & cerebrum onerant, non pendeant in conseruari à corde, aut ab aliqua parte, rectè deficere potest spiritus necessarius pro corde, quando iam geniti durant in cerebro, quia non est necessarium, quòd causa corrumpens spiritus cordis destruat simul in cerebro, & partibus proximis existentes ob distan- E tiam. Dico secundò, quòd quando generat cor sufficientes spiritus pro cerebro, & corde, potest esse occasio, vt deficiant cordis actiones, aut lædantur magis, quando cerebri actiones non patiuntur tam grauiter. Hoc patet euenire ob intemperiem cordis, & arteriarum, quæ non tollit actus, quia deficiant spiritus, sed alio modo, quia scilicet non sit actionibus accommodata: deinde quia influxus per illustrationem non pendeat ex vitali spiritu, imò est multò diuersus, & ita deficere potest, aut nimis diminui pulsus, quando mens constat, & sensus, quia hæ actiones non pendent ex influxu cordis per illustrationem. Dico deinde, quòd in syncope frustra quæritur à Magistro materiæ defectus, vt fiant animales spiritus cùm necessariò deficiant actiones animales ex solo defectu vitalis caloris, imò & agens deficit certius, & infallibiliùs, quia sine vitali calore, qui agens est, aut ad agendum requiritur, fieri nequeunt; posse verò fieri sine vitali spiritu ex acre, & vaporibus sanguinis, & exhalatione odorifera. Ex dictis patet error crassus Doctoris Menæ *cap. 46. de symptomat. febrium*, dicentis: *Syncope namque fuerit iactura est virium vitalium, quam ex pulsu debilitate solum agnosces, cum qua mens, & sensus soluti, & esse potest*; in quo singularis est non dubiè, & contra Galenum apertè sentit, & nostri auctoris definitionem. Quòd verò retractio spiritus animalis in cerebrum non sit subordinata retractioni vitalium in cor, Magister docet, & experimento constat ita esse; non enim vt in tristitia retrahuntur vitales ad cor, moueantur animales ad cerebri interna, nec in magno timore mutantur actiones cerebri, & pulsus.

CAPVT II.

De parte affecta, & causis, signisque Syncopis.

Syncopis partem affectam esse cor, communis doctrina est, & in definitione insinuauit Princeps, dum dixit euenire propter cordis debilitatem, & colligitur ex locis infinitis Galeni: & læsio magna omnium actionum, pulsus præsertim id facit perspicuum, cùm omnium actionum solum cor sit origo, vt est ipsum solum principium vitalis caloris. Vnde Aretheus reprehendit putantes esse stomachi vitium, eò quòd cibo, & potu vires reficiantur, & à syncope releuentur. Huic cordis detrimento consentit corpus totum, quòd penitus influente calore, & vitali, sine quo opera totius consistere nequeunt. Quam totius læsionem contemplatus Aurelianus *2. lib. acutor. cap. 35.* dixit: *Cor in syncope pati existimabile esse potius, quam verum*. Reprehenditur etiam sine fundamento à nostro Doctissimo Vega Aretheus *lib. 3. de art. med. cap. 9.* quia ad confirmandum, quòd cor in syncope sit locus affectus, sic scripsit, illi præterea, quibus cor laborant, seorsum aciem exquisitiorem habent, vt videant, & sudiant plus quam antes, mente etiam sint firmiori, &c. quæ omnia syncopi repugnant, in qua defectuosæ, & ferè mortuæ omnes facultates existunt, sed certè Arethei discursum non calluit Vega, illa enim non tradidit Aretheus ad significandam syncopen, sed ad probandum, quòd cor patiatur in syncope: colligit ex eo quòd sit origo omnium potentiarum, & actionum, & cùm habitus & priuatio sint eiusdem partis, si ad positiuum omnium actionum cor necessariò conducit, priuatio actionum omnium ad illud pertinebit, & non ad stomachum, cùm hic nullius actionis vitalis, aut animalis primum principium sit, & inde infertur, nec harum actionum collapsum ad stomachum reducendum esse.

Cor patitur aut primariò, aut per consensum; consentit frequentissimè, & facilè stomacho, & oti ventriculi, maximè quòd docuit Aretheus *lib. 2. de acut. natur. cap. 2.* dicendo: Verùm cordi stomachus vicinus perniciosus est, vnde in cor tam noxia, quàm vtilia deriuantur; vterus etiam syncopen causat non tarò; habet enim grandes arterias, quibus mediis noxam cordi impartitur, & maligna seminis, & sanguinis menstrui corruptione halitus teros, & pestiferos cordi transmittit, vt per vterinas passiones quotidie experimur. Pestilentes, & malignæ febres syncopen sibi associant ob venenatam humorum prauitatem: sic ardentes febres in habitu rarò, & præcipuè si retentrix infirmatur, magna virium iactura auctores syncopis

pis sunt : sic & magnæ obstructiones , præsertim circa venticuli os , & a frigidis succis frigidum virium languorem efficiunt ; obstructa enim non ventilantur, replentúrque fumosis vaporibus , quibus cordi insidiantur , & suffocatur calor vitalis , vt in febre syncopali humorosa explicuimus . sic profusis euacuationibus superuenit syncope, vt docent omnes, quia euacuatur cum excretis spirituum vitalium copia,& citius euenit,si sanguis reiectetur copiosè: sic animi passiones fortes in debilioribus,vt docuit Galen.5.*lib.de locis,p.*1.deliquia,& syncopen causant, vt solent interdum inopinatè interficere gaudium excedens,& timor subitò incussus.Idem efficiunt vehemẽtes dolores,quia superfluè resoluunt spiritus,& in præsenti capite tam latè, & doctè omnes causas retulit Princeps, vt expositione non egeant, & enumerauit etiam Galenus 12.*Meth.cap.*5.& 1, *ad Glaucon.cap.*13.& 5.*lib.de locis,cap.*1.

Sunt tamen plura , quæ circa causas syncopis controuertunt auctores. Primum dubium est ; an sola alteratio sine spirituum corruptione possit esse causa syncopis. Respondet Magister negatiuè , quia nulla distemperies potest impedire influxum ab spiritibus tribuendum : est verò intelligendus de simplici alteratione à primis qualitatibus solum , nam secundæ benè possunt impedire influxum spirituum vitalium. Vt enim densitas impedit influxum ab animali spiritu in neruos, sic potest impedire ne ab interno principio recipiat in se, aut pullulet similis qualitas, putatque id consentaneum Galeno *lib.*5.*de locis,cap.*2. sic scribenti : *Igitur exiguæ quidem cordis intemperantiæ, pulsus arteriarum, post sua quaque natura variant , de quibus in libris de pulsibus iam dictum est ; maiore verò per proprias quidem similarium partium intemperies subitam mortem non inducant ; per eas verò , quæ ad instrumentales partes pertinent , subitò creare possunt.* Quo loco (inquit Magister) loquitur Galenus de magnis intemperantiis partium similarium non facientibus corruptionem spirituum , & constat experimento , esse intensos morbos temperamenti non causantes syncopen , quia non resoluunt spiritus : quod confirmat doctrina Galeni, nam si qualitate simplici syncopes, aut deliquium causari possent , nullæ febres magis quàm diariæ virtutem resoluerent , & deliquia efficerent , cùm in diariis vstio, & porredo spiritus sit eadem causa. Seruatur tamen robur magnum virtutis,vt propriè dixerit Galenus *lib.* 8. *meth. cap.* 9. vires in diariis omninò validas esse. Nec sibi pugnat, quando *lib.*12. *Meth.cap.*5. dixit,syncopen , aut mortem causari spiritu vitiali deperdito, aliàs alterato,aliquando ex parte digesto, non tamen hæc vtraque perpesso ; nam loquitur (inquit Magister) de alteratione corruptiua, non de simplici.

His addendum est, quid si densentur spiritus, aut præter modum rarefaciant absque corruptione ; nam repugnat deliquium induci, & ita in suffocatione,quando opprimuntur , & densantur à corpore extraneo, etsi non corrumperentur , causaretur deliquium , quia densitas obstat emanationi qualitatis vitalis ab interno principio ; similiter si nimis rarefiant spiritus , ita poterit minui principium operatiuum in opere, quod non influat satis ad perfectum motum, sensum , & pulsum: quod clarè indicauit Galenus 12. *Method. cap.* 5. *citato* dicendo : *Pari modo , etsi spirituum , qui nostrum corpus regunt , substantia aliquando plus iusto extenuetur , vtroque perfecto modo imbecilla fuerit , & tam quod tempore alterata , & tam quòd dissipabilis , vel exalabilis reddita.* Quo loco imbecillitatem ex alteratione conicit oriam. Constat verò , quòd si causæ imbecillitas intendatur, augebitur etiam languor in facultate,aut qualitate operante , aut deliquium virium causatur.

Secundum dubium, quæ sint qualitates, quæ syncopen efficere possint. Et respondetur, quòd calor & frigus , de quibus inter primas qualitates nullus dubitat, non quidem per simplicem alterationem, sed calor resoluendo, aut extenuando nimis, seu rarefaciendo spirituum substantiam ; frigus densando illam. Nec obstat quòd frigus immediatè corrumpat calorem spiritus, & inde sine densitate deliquium inducat , qui deficiente calore reficiet actiones , etiamsi nulla densitas producatur in spiritu : tum etiam , quia densitas potiùs est agendi magis conditio , & ita non diminuit vim operatiuam spiritus : sed doctrina est , quia calor vitalis est multò diuersus à calore elementali , & illi non opponitur frigus , ac per consequens non minuitur, etsi infrigidentur spiritus : densitas verò si non tollat principium operandi, iuuat actionem,& agendi principium roborat : in spiritu verò tollunt principium operandi , quia qualitas illa perfectiua non resultat ab interno principio , si densentur spiritus , eam enim lumini comparauit Galenus ; est enim philosophandum de hac qualitate perfectiua spirituum,vt de alia,quam producit cor per illustrationem, quam probauit Gal.densatam arteriam non recipere ; & cùm idem experiamur in qualitate , quam producit cerebrum ad sensum , & motum, etsi sit diuersa ab ea , quam cor producit ; putandum est , omnes qualitates perfectiuas à densitate impediri , vt lumen impeditur ab opacitate.

De humiditate verò , & siccitate dicendum est , per alterationem spirituum non causare syncopen , tum quia est in controuersia positum , an sint operatiuæ: tum præcipuè , quia remissæ actionis sunt , & operantur tardissimè , & inde nunquam alterando spiritus subitum virium lapsum causabunt,in quantum tamen vitiant per informationem principium operatiuum , & productiuum spirituum debilitant facultates omnes, quia non generantur spiritus in quantitate viuendi necessaria : in quem sensum dixit Galenus *lib.* 12. *methodi, cap.*5. virium lapsum oriri ex mutata temperie substantiæ corporis , cùm vel immodicè fuerit calefacta , vel exsiccata,&c.nam cùm spiritus tam facilè resoluantur, si distemperies sicca , aut humida nimis obstent generationi spirituum , resoluentur magis quàm sit eorũ instauratio, & cadent facultates in extremum languorem: sic Galenus *lib.* 1.*ad Glaucon.cap.*13 corpora sicca in accessionum initiis in syncopen incidere docuit ; habent enim tenuissimos spiritus, & paucos , & ideò dissipantur in accessionum initio plusquam respiratio spirituum fiat ; & cadunt in syncopen.

De venenata qualitate non dubitant Medici ; illam enim vt efficacissimam causam syncopis enumerant , & tradit Auicenna in præsenti cap. est tamen magna difficultas , quomodo spirituum corruptio à venenosa qualitate causetur , cùm nihil tollat ad conseruationem spirituum requisitam ; nam occulta , & venenosa qualitas nulli primarum opponitur , vt constat , nec secundis , cùm oriantur à primis ; & per consequens nihil tollit de integro temperamento spiritus conseruante : sed huius decisio ad *lib. de simplic. medic. facult.* pertinet. Est rursus dubium , an causetur syncope immediatè ex spirituum defectu , an verò ex retrocessu eorum ad cor , & idem dubitatur de animi deliquio : quod vt intelligatis, notate hæc duo , in prædictis symptomatibus dari defectum scilicet spirituum, & remanentium retrocessum ad cor & cerebrum , habet enim cor , & cerebrum vim trahendi ad se spiritus vitales , & animales ex ambitu corporis, quando resoluuntur nimis,ne in fontibus vitæ deficiant : & inde inquirunt Medici , an actionum omnium cessatio oriatur immediatè in syncope ex retrocessu subito spirituum ad cor , an verò ex solo defectu.

Mihi videtur, cum Magistro meo , causam immediatam esse defectum spirituum. Ratio est clara , quia in syncope datur cessatio omnium actionum quantum ad sensum Medici , si sit confirmata , aut completa syncope,aut saltem detur insignis læsio & diminutio ; ergo

ſine retroceſſu erunt ſigna eſſentialia ſyncopis, aut deliquij. Addit Magiſter, quòd retroceſſus ſpirituum ad cor nullatenus confert ad ceſſationem, aut diminutionem actionum vitalium, ſed potius vt robur ſeruetur, quia ſpiritus approximati plus cordi intenſiòe operantur & influunt vitalem calorem; nequit verò intenſioe calor vitalis ad diminutionem, aut defectum actionum conferre, vt conſtat. Eandem rationem pro deliquio affereris, nam retroceſſus ſpirituum animalium ad cerebrum non conducit ad diminutionem, aut ablationem internarum ſenſationum, ſed vt perfectiùs eliciantur à potentiis internis. Hanc verò rationem non adduxit Magiſter in deliquio animi, quia putauit ille ſomnum cauſari per retroceſſum animalium ſpirituum ad cerebrum, iuxta quod placitum repugnat retroceſſum conferre, vt eliciantur perfectius ſenſationes internæ, ſi confert retroceſſus ad ſomnum: quæ doctrina Magiſtri ſemper mihi viſa fuit improbabilis, nec puto dari ſomnum per ſolum retroceſſum ſpirituum animalium ad cerebrum; de quo alibi agam.

Eſt tamen dictis addendum, quòd retroceſſus ſpirituum vitalium ad cor, & animalium ad cerebrum, licet non conferat, vt minuantur magis actiones vitales, aut ſenſuum internorum; confert tamen ſine dubio, vt diminuantur magis operationes ſenſuum internorum, & pulſus in partibus diſtantibus. Conſtat clarè, quia diſtant magis à ſenſoriis, & ſic minus influunt, & per conſequens debilitantur, aut deficiunt magis actiones omnes partium diſtantium.

Sed dices, quia in timore retrocedunt ſubitò ſpiritus vitales ad cor, contingit non ſolùm ſyncope, ſed etiam ſubita mors, quia ex ſubito retroceſſu ſuffocantur ſpiritus: ergo ſi in ſyncope fit ſimilis retroceſſus ſubitus, eueniet ſimilis ſuffocationis occaſio, ac per conſequens inducetur deliquium maius, & non reuocabitur magis vitalis potentia. Præterea ſi cauſa corrumpens ſpiritus intra cor continetur, in ſyncope quoad primariam cordis paſſionem retroceſſus ille deſeruiet ſolùm, vt corrumpantur magis. Conſtat, quia applicantur magis cauſæ corrumpenti. Præterea in triſtitia eſt ſpirituum vitalium ad cor retroceſſus, & tamen tantum abeſt quòd pulſus reddatur fortior, quòd fortius eueniat contrarium. Conſtat ex Galeno *lib. 4. de cauſis pulſ. c. 4.* dicendo: *Triſtitia paruus, languidus, tardus, & rarus eſt.* Et triſtitia etiam refrigerat, & calorem intrò concitat. Sed in retroceſſu deliquij, aut ſyncopis nullus alius motus fit, nec ad aliam partem quam in triſtitia: ergo confert ſemper retroceſſus ille ad diminutionem actionum vitalium, ac confert triſtitia. Idem confirmatur de pulſibus naturalis ſomni, in quo teſte Galeno *lib. 3. de cauſ. pulſ. cap. 8.* in initio eius fiunt pulſus minores, languidiores, tardiores, & rariores, quæ differentiæ oriuntur, quòd retrocedant ſpiritus intrò ad cor in ſomno naturali. Conſtat verò pulſum paruiorem, languidiorem, tardiorem, & rariorem effici, eſſe initium ſyncopis, nunquam ergo videtur Galeno conſentanaum, nec experimento, quòd retroceſſus ſpirituum ad cor ipſum firmet, & roboret, ſed potiùs quòd debilitet, & effeminet. Et confirmatur: contrariarum paſſionum contrariæ debent eſſe differentiæ pulſuũ, ſed gaudium, in quo mouentur ſpiritus ad extra, non debilitat pulſus; ergo nec retroceſſus ad intra roborabit. Patet, quia ſi approximatio ſpirituum ad cor, illud confirmat, & roborat; ſeparatio imbecillitabit neceſſariò contrariorum lege, ſed in voluptate, & gaudio, in quibus ſpiritus per totum corpus ex corde nihil deperdit facultatis, teſte Galeno *lib. 4. de cauſ. pulſ. cap. 2.* dicente: Lætitiæ magnus & rarus eſt pulſus, & vehementia nihil differt: ergo nec acceſſus roborat, ſi receſſus non debilitat.

Reſpondetur, in omnibus prædictis caſibus non trahi à corde ſolos ſpiritus vitales, ſed permixtos cum ſanguine, & humoribus, & inde contingit eorum ſuffocatio: at in deliquio, aut ſyncope ſolum ſpiritus in ſubſidium periculi, quia eis ſolis indiget, & ita reparatur virtus collapſa. Hæc in ſomno naturali ita retrocedunt, vt ſuffocentur; alioqui non eſſet ſomnus virtutis collapſæ reſtaurator: retrocedunt ergo modo naturali idoneo ad impediendum ſpirituum maiorem reſolutionem; & taliter, quòd non ſuffocentur, cùm ſit datus ſomnus in reparationem ſpiritus deperditi. In gaudio verò moderato, etſi per corpus, & eius ambitum diſſeminentur ſpiritus, non tamen abſumuntur ſenſibiliter, & ita non cadit virtus. nam in gaudio magno fatentur omnes cum Galeno, & ſyncopen, & mortem ſubitam euenire poſſe. Ita enim in gaudij exceſſu extenditur cor, & dilatatur ad fruitionem boni per phantaſiam propoſiti, quod omnem ſpiritum à ſe abijcientes cadit omninò, fatiſcâtque vitalis facultas, & grandiſſimus languor, aut ſubita mors eueniat. Cur verò ſi ſyncopis cauſa in corde ſit ſita, trahentur ad cor, qui ſuperſunt ſpiritus; pendet, quia partim pugnat contra ſyncopis cauſam, aut eam coquendo, aut reſoluendo, vel pellentem facultatem formando. Partim quia influxus qualitatis vitalis fit in inſtanti, quia caret contrario: corruptio verò vitalis ſpiritus tempus requirit, & inde priùs auxiliantur, quàm pereant: nec eſt alius modus fugiendi tam grande periculum, niſi accumulando copiam ſpirituum vitalium, quia non niſi reſolutione, aut coctione, aut expulſione ſuperari poteſt tam peſſima cauſa: hi verò effectus ſine vitali calore, & ſpiritu euenient nunquam. Sed vrget adhuc ſyncope ex timore cauſata, in qua retroceſſus ſubitus fuit illius origo, & per conſequens non poteſt eſſe vtilis retroceſſus additio, cum intendatur ſuffocationis occaſio; ſed hoc argumentum ſolutum iam eſt, nam in tractione ad reparandam vitalem virtutem, non reuocantur ad cor cum ſpiritu humores, ſed ſpiritus ſolùm, & ideò non datur noua ſuffocationis occaſio.

Non eſt difficile agnoſcere ſyncopen, nam in nullo alio malo datur ſubitus virium omnium lapſus, niſi in inducente ſyncopen, & inde ex inſigni, & magna læſione omnium actionum ſubitò eueniente monſtratur. Optimè verò dixit Auicen. *fen. 11. 3. lib. tert. 2. cap. 7.* quòd pulſus eſt ſignificatio ſignificantior, nam cùm ſit cordis morbus, & vitalis facultatis detrimentum, nil meliùs, & propriùs, quàm læſio pulſus ſyncopen oſtendat, ita vt aliquando omninò deficiat, quoad ſenſum Medici. nunquam verò fortior apparet, ſed debilis, paruus, tardus, & rarus: hæ enim differentiæ debentur extinctioni magnæ vitalis caloris, & confirmatæ ſyncopi. Si verò cauſa ſit præſens, ad quam expugnandam concitetur facultas nec extremè ſit debilis, extremos conatus applicat, & cùm nec celerem, nec magnum pulſum elicere queat, ob extremum languorem, creberrimum pulſum creat celeritatis falſam imaginem æmulatus. Vnde Galenus 4. *de cauſ. pulſ. capite quinto,* pulſus doloris enumerans dixit; quòd dolor qui iam vitalem facultatem diſſoluit, in remiſſionem, paruitatem, & falſam celeritatis ſpeciem, ingentémque crebritatem commutat pulſum. Eſt enim paruis pulſibus crebritas fere ſemper annexa. Nec obſtat, quòd *in cap. 7. citato* dicat Auicenna, quòd pulſus ſua cõpreſſione cum fictione virtutis ſignificat materiam compreſſiuam: nam id eſt verum in ipſo initio ſyncopis, non enim ſemper in primo inſultu materia præfocans deſtruit inſigniter virtutem, & ita manet pulſus paruus cum fictione aliqua virtutis, de quo in curatione dicetur abundè.

Sunt etiam ſyncope affecti ſine ſenſu, & motu, frigidi in ambitu corporis, facies extenuata, & cadaueroſa monſtratur, vt in homine animato animæ pulchritudo horribili deformitate obſcuretur; quia vt rectè Aretheus, eſt ſyncope tenoris naturæ deſtructio, & cùm

iam

iam emoriatur calor vitalis, frigidi emanant sudores ex fronte, ceruice, & mystace; sicque nunquam recalescentes ægroti moriuntur. Contingit tamen interdum esse sudorem calidum & breuiorem significare mortem, quam si frigidus esset, aliquando non ita labescit cordis retentrix, quod permittat liberè exhalari ex ventriculis cordis vitales spiritus, & ad ambitum corporis, & cutem euolando, sudor calidiusculus, & tepidus vapor apparuit, vt sit contraria dispositio frigidos sudores causanti: in ita enim seruando cor intra se vitales spiritus, extra non permittit exire, sicque manent frigida externa, & concreti vapores frigidi sunt; cùm verò in internis & corde vitalis calor, qui superest, seruetur, durat vita magis, quàm si exhalato spiritu ob retentricis defectum ambitum corporis petat, & vitam in externis monstrando decipiat Medicum, cum iam sint viscera ferè mortua, & extincta.

Ex signis patet periculi ratio, cùm syncope non sit aliud, quàm destructio totalis naturæ, seu languor extremus omnium facultatum, à qua debilitate ocyssimè ad mortem transitus datur, si non corrigatur celeriter. Sunt verò paratissimi ad syncopem melancholia hypocondriaca oppressi. Est enim inter lien, & cor, per magnas & multas arterias communio, & inde à liene atrabile repleto, & turgente, transmittitur facilè ad cor flatus melancholicus copia per tantas arterias, quibus communicatur, quod præcipuè euenit, si bilis in liene, & pancreis torrefiat, & vstionem patiatur. Tunc enim malignus eleuatur flatus vitales spiritus dissipans, & syncopen causans.

CAPVT III.

De Curatione Syncopis.

SYncopis medela (vt eius tractatio ad acutos morbos pertinet) solùm requirit, vt auferatur syncopalis accessio. Morborum enim, à quibus originari potest, curatio huius loci non est. Cuilibet enim proprium caput dicatur, & immensum euaderet præsens, si quiuis morbus disponens corpus ad syncopem, ex professo curandus foret: sunt enim innumeri, vt diximus; nam præter assumptionem venenorum, quorum est innumerabilis copia, disponunt corpus ad syncopen; febris maligna, & pestilens, morbilli, variolæ, febris syncopalis humorosa & minuta, vterinæ passiones, maximè si ex corrupto semine pendeant, cuius halitus teteri veneni assumpti æmulantur naturam; est syncopis ferax cordialgia molesta, dolor acerbus, cholera morbus, illiaca passio, & fames dicta Bulimos, & cordis refrigerium, & aliæ quamplures passiones, quarum catalogum enumerauit Galenus doctissimè 1. *ad Glauc. cap.* 13.

Huius tam maligni symptomatis vertentis ad se curationem, mentio fit à Principe nostro *fen* 11. *lib.* 3. *text.* 2. *cap.* 8. notat doctissimè, quòd syncopizaturus quandoque est in syncope, & quandoque est in eo quod est inter syncopen, & sanitatem, & quandoque est in leui paroxysmo syncopis. Horum distinctio, & notitia necessarissima est, præcipuè verò tenetur diligenter agnoscere Medicus dispositionem mediam inter syncopen, & sanitatem, nomine cuius intelligit Iacobus neutram dispositionem cordis, aut alterius membri, ex cuius debilitate, & passione æger sit paratus ad syncopem: hic enim mediat inter sanitatem, & ipsam syncopalem accessionem, & morbi sic disponentis natura obseruanda est, & agnoscenda diligenter à Medico, vt præcauere possis syncopen venturam, quam pollicetur morbus: id enim laudatissimi medici erit; vt enim *in initio operis prognostici* docuit Hippocr. eos qui possunt superesse, & liberari, seruabit rectè Medicus doctus, & diligens, multò ante de singulis consulens: *Curationemque* (inquit) *melius perficiet prouidens ex præsentibus posterioribus eas, quæ sunt futuræ.* Sed diligenter docuit Aretheus *lib.* 2. *de acu. cap.* 3. dicendo: in syncope Medicum prouidentiæ sedulò nauare operam necesse est, futuram, enim si prospexeris, & præsentia tibi festinetur, opem feres, & ipsam antequam inuadat, propulsabis; præsentem verò non facilè euadunt ægrotantes, solutionem namque naturæ syncopen esse diximus; instaurabilis autem non est dissoluta natura.

Cognita iam morbi natura, & conditione ad syncopen disponente, rursus obseruabit Medicus, num se demonstrent aliqua syncopis præludia, & initia; hæc enim si appareant timendum est, ne confirmetur, & irremediabiliter ingruat; sunt enim præludia leuis defectio animi, sensuum vacillatio transiens, præcipuè si leui sudore in facie, & temporibus terminetur anxietas, & præcedens sensus, & mentis turbatio, & redeuns iam in se æger, leuiter facies extenuetur, reddatur decoloratior, & maneat velut impotens cum pulsu debiliori, & inæquali. Dixit enim Galenus 12. *Method. cap.* 3. In paratis ad syncopem pulsum mutari subitò ad imbecillitatem, & inæqualitatem, vel paruitatem, si emittat suspiria, & in cordis regione oppressionem suppositam sentiat; hæc enim appellat Princeps leuem syncopis paroxysmum, cui vires infringere ocyssimè docet, quod Aretheus consulit dicendo, sin minus saltem nuper incipienti resistere debemus. Putauit verò Galenus loco immediatè citato, magnum decus Medico esse, si cognito malo ad syncopem inclinante, syncope verè impediatur, fœdum tamen, & turpe ægrum è templo animi linqui, Medico symptoma non prædicente, nec ad id præparato, aut illud prohibente, quòd si ob ignorantiam, aut quia anteà vocatus non fuit Medicus, syncopis apprehendat, arduum negotium suscipitur, cùm iam vt dixit Aretheus resoluatur tenor naturæ, cuius restaurationem sic tentant Auctores.

Vt ergo syncopizans reuocetur (inquit Auicenna) laboretur cum eo quod nutrit spiritum ex odoribus bonis, nisi sit in præfocatione matricis: quæ doctrina vt intelligatur, notate, tria esse in corpore indigentia respiratione, alimentum scilicet partium solidarum, humidam substantiam potabilem, & vitales, & animales spiritus; hæ enim substantiæ dissipantur, & in partes conuertuntur humores, & inde egemus crebra alimenti solidioris, & potus sumptione, & rursus respiratione perpetua, vt per hanc trahatur materia ad spirituum generationem, aëris scilicet; est etiam verissimum spiritus reparari non solùm ex parte sanguinis spirituosa, & aërea, sed etiam ex substantia odorifera: quia verò syncopalis accessio iam confirmata esse nequit sine magna spirituum vitalium consumptione, & robur facultatum, requirit determinatam copiam spirituum, ideò opus est applicare odorata, vt inspiratione halitus optimi, & suaues trahantur in cor, & generetur copia vitalis spiritus, sicque reparetur æger, & destruatur syncopalis accessio; sunt verò in hoc inutilia alimenta, quia nec deuorari possunt, nec si deuorarentur, vincerentur à calore tam paruo: & quamuis commutarentur, esset reparatio tardissima, quia solidum alimentum non ita facilè euincitur, & quia syncopizans in tanto extremo constitutus celerrima eget reparatione, ne pereat, ideo odorata conueniunt, quæ vel minima commutatione in spiritus vertuntur, ob symbolam naturam inter se & genitum. Est doctrina expressa mirabilis Hippocratis *lib. de alimento* dicentis: *Quicumque cita appositione indigent, humidum medicamentum ad reficiendum vires optimum est, qui adhuc citiori, per odoratum: qui autem tardiori appositione indigent, siccum alimentum.*

Est communis praxis vinum generosum olfactui appli-

eare, fit verò calidum; fic enim magis euaporat, & frigus fyncopis corrigit; quo etiam facies tota irroratur. & pulfibus accommodatur, vt plures trahantur vapores: aceti rofacei odor eft aptiffimus, quia & accommodatus fpirituum generationi, & vellicat acrimonia, & expergefacit naturam ftupidam; fic odor panis recentis, & carnis optimæ, & affatæ mirabilis eft; vt verò noftra oatura fpiritus reficere cooſueuit poro in alimentis, dùm benè valebat, fic io deliquiis, & fyncope odores vini, aceti, & alimentorum iodicantur meliores, quàm mofchi, ambræ, & galliæ, etfi ij vtiliffimi fint; eft enim reſtauratiuum mirabile ambra vino diluta partim odorata, partim deglorita paulatim: eft enim ambra cordi, & cerebro amiciffima, & proinde cuicumque fpiritui, dummodo fyncope à caufa frigida originem trahat. Si verò calor origo fit, odorata frigida applicabuntur, vt rof. rub. fantali, violæ, nenuphar, & alia huius naturæ: eiufdem faciei irrorantur, & pectus, & cordi applicantur io fyncope frigida, diamufchum in vino calido diffolutum, aut diambra, confectio Alchermes, aut mofchum, & ambra butyro naphæ permixta. Si verò virtus reparetur, & aliquid deglutire poffit æger, dabitur vioi albi odoriferi tantillum, vt commutetur facilè, & io maiori copia generentur fpiritus, & fi virtus increfcat, iura optima concedentur; funt enim permanentiora fpiritus, fi ea corpulentiori materia efficiantur; fi frigidæ fuerint, partes extremæ manibus calidis fouendæ funt, habent enim commodum maius, quàm alia calida non viuentia quod non folùm calorem, fed & vitalem quali tatem communicant, quod non viuentia efficere nequeunt.

Aduertit Princeps, naribus non effe applicanda benè odorata, fi fyncope pendeat ex fuffocatione matricis, quia vterus habet ingentem vim mouendi fe verfus bonos odores, & quia fyncope excitatur ea motione vteri verfus feptum tranfuerfum; fi oaribus applicentur benè olentia impetu maiori furfum conuellitur vterus, & increfcit paroxyfmus feu fuffocatio, ob quod graueolentia potiùs conueniunt naribus applicata, quia vt ingenita vi bonos odores profequitur vterus, fic prauos, & ingratos refugit, & inde vterus beneolentia admouemus, naribus ingrata, vt ad fuam fedem vterus reuocetur allectus inferius fuauitate odoris, & fugiendo fuperna. Vt excipit Princeps fyncopem ortam ex præfocatione matricis, poterat etiam excipere fæminas omnes, quas odor gratus ftatim, & iterum commouet, & deliquij initium acceperint. Itaque non folùm damnandi funt boni odores naribus applicati, fi fyncope ex vtero originem traxerit, fed etiam ex quauis alia occafione nafcatur, fi fyncopizans mulier vteri paffionibus moleftetur per fuaueolentia. Id cùm nos notauerimus, idem præceptum Sennertus adduxit in curatione huius mali.

Dum verò hæc condemnantur, non reprobantur omnia, nam non ex quouis bono odore vterus commouetur, non enim vini odor, carnis affatæ, aut panis recentis, aut aceti exagitat vterum, fed efficaciores odores, qui alimentorum non funt, vt mofchi, ambræ, galliæ, cicuti, & aliorum. Eft etiam circa hoc mira fæminarum varietas; quædam enim non folùm à fuaueolentibus non alterantur, verùm recreantur extremè, tantaque delicia & mollitudine fe affiduè fuffiunt, vt fine odoribus bonis viuere nefciant. In his verò regula, & exceptio Auicennæ admittenda non eft, nam fine ratione priuarentur anhelo, fine quo fyncopia citò fedatur, & funt ipfi affuetæ, fed de hoc latiùs dicemus *cap. de fuffocat. vteri.*

Dixit deinde Auicenna. *Et ex eis, quæ neceffaria funt, in pluribus fpeciebus fyncopis eft infpiratio corporis exterius, vt comprimatur fpiritus refolutus, nifi fit folutio ventris fortis valdè, vt fit caufa frigus vehemens; &* *cùm non eft illic caufa frigoris manifefta, &c.* Denfare enim cutem omnibus fpeciebus fyncopis videtur effe commune, & neceffarium maximè, nam impedire decet exhalationem pufilli, & pauci caloris, qui fuperest, quo vita feruatur; quod præcipuè indicat retentrix infirma liberè permittens difflari remanentem fpiritum, & inde occlufio pororum retinet intus. Excipit ab hac regula, fi fyncope caufetur ex ventris fluxu fuperfluo, quia moderatio fyncopis pendet ex moderatione fluxus; hæc verò auget cutem denfando, quia repelluntur humores verfus inteftina, & interna. Nec decet etiā cutem denfare in fyncope orta ex frigore extremo. Iacobus intelligit, quòd non denfetur cutis frigidis auxiliis, quia augeretur frigus mortificans. Ego intelligo non effe neceffariam cutis adftrictionem in tam frigida caufa, quia frigus externis occurrens tam validè, quòd internè calorem extinguat, non poteft non denfare cutem firmiffimè, nec fpiritus funt fub hac caufa exhalabiles, fed concreti potiùs, & denfi, & inde fruftra cutis denfatur.

Primum, quod docet Auicenna, defumpfit ex Galeno 1. *ad Glaucon. cap.* 13. dicente: *Nihil verò iftorum confert, vbi ad ventrem fluxiones fiunt; nam quò magis cutem denfaueris, tantò magis ipfa augentur.* Nec fibi videtur repugnans Galenus, dum anteà in eodem cap. docuit, in deliquiis ortis ex cholera morbo, & alui immoderatis fluxionibus, effe afpergendam faciem gelida aqua; hæc verò denfat non dubiè, nam loco illo non damnat nifi adftrictionem vniuerfalem totius, quam pro compefcendis fudoribus fyncopalibus commendauerat. Conftat verò faciem adftringere leuiter, non repellere intrò aliquid notatu dignum; eft tamen maximè neceffarium, ne exhalentur fpiritus pauci iuxta faciem manentes.

Sed dices: ficut datur commoda aquæ frigidæ afperfio, vt feruetur fpiritus, non videtur vtilis doctrina Galeni eodem loco tradita, imperantis, quòd nares apprehendantur; nam hac irritatione ad cutem trahuntur fpiritus, cùm excitetur vigilia, qua exterius reuocantur fpiritus, & refoluuntur: funt enim oppofita, imperare vigiliam, & retinere interius fpiritus, cùm vigilia femper moueat ad extra, & fpiritum diffiper. Refpondetur effe irrorandam faciem potius ob commoda dicta, deinde reuocandus æger leui excitatione, & irritamento à deliquio, quia intus detentus nimium fpiritus periit fuffocatus; ne ergo id patiatur, apprehendantur nares, & alia leuia excitantia commendentur; ne verò refoluantur fpiritus ad ambitum conuocati, fit cutis faciei adftricta primò, vt maneant intus, & in fenforiis, qui reuocantur fpiritus: per vigilias enim repletur maximè cerebrum, quia in eo fenfus omnes aguntur. Eft verò vtiliffima afperfio aquæ rof. ex rof. rub. cum aceto rofaceo, & guttulis vini odoriferi, acetum enim aquam interius penetrare facit, & vinum reftaurat fpiritus, vt odor gratus aquæ rofaceæ.

Deinde Auicenna (poftquam longo fermone vinum mandauit facilis penetrationis ad releuandam fyncopem,) dicit ita: *Et fi eft fyncopis caufa materia, tunc fi eft poffibile, vt expellatur materia cum vomitu, aut cum clyftere, aut phlebotomia, fiat illud.* Quod præceptum durum videtur, & irrationabile omninò; nam præterquam quod per quamlibet moderatam euacuationem neceffariò abfumuntur fpiritus, & ob id vituperanda, conftat clyfterem fine methodo imperare, cum Hippocrates non in fyncopizantibus, verùm in iis, qui refpectu illorum in viribus poffunt appellari gigantes, nullo modo admittat clyfterem, etfi illo fit opus; fic legitur *lib. 1. de victu rat. in acut. text. 4. At fi nuper eructationibus prior non defcenderit, virtúfque valida fuerit, & floruerit ætas, fubluere oportet; fi verò virtus imbecilla fuerit, glande eft vtendum.* Requirit ergo Hippocrates virtutem validam

validam ad deponenda communia excrementa alui per elysterem; nequit ergo esse vtile auxilium in accessione syncopali: quod si auxilium tam leue, excrementumque solùm deiiciens non sustinet esfæminata vittus, etsi maior multò sit, & fortior quàm in actu syncopizantibus, qua methodo venæ sectio imperatur à Principe insigne robur requirens, & euacuans non excrementa, sed animæ sedem vitalem, scilicet spiritum? Accedit scopum principalem necessariò deficere, nam vitium robur præsens esse repugnat, si præsens est syncopis.

Secundò argumentor: Nec Hippocrates, nec Galenus sanguinis missionem in ardentibus febribus, & attoci dolore vsque ad deliquium commendantes, docent non licere plus quam ad deliquium euacuare, ne sequatur syncope, & in hoc tota schola conuenit. Si ergo vltra deliquium extendere euacuationem non licet, ne sequatur syncopis, irrationabile est in syncope iam affligente venam secare nec ob aliam causam Galen. *lib. 6. Method.* mulieri sanguinem reiicienti ex Thorace venam non secuit, quàm quia ob inediam trium dierum multos absumpsit spiritus, etiamsi malum venæ sectionē ingentem exposceret. Quinimò si abscessus aperiendus est, consulunt auctores relati, ne tota puris illuuies semel euacuetur, ne in deliquium, aut syncopen cadat æger, quomodo igitur extrahetur sanguis in actuali syncope. Sic Galen. *1. ad Glauc. c. 13.* syncopi ex plenitudine non auxiliatur venæ sectione, nec recordatur illius, sed per leues frictiones arteriatum ligaturas, calefactionem, & balnea. *Et lib. 10. method. c. 6.* dum febrium syncopalium tradit medelam, quod putati sint ægri ad cadendum in syncopen, sanguinem mittere, aut expurgare vituperat. Defecerent dies antequam argumenta ad euertendam Auicennæ doctrinam.

Sed pro Auicenna stat Hippocratis, & Galeni doctrina: nam *lib. 4. de vict. rat. in acutis, text. 24.* venam internam secare docet Hippocr. quando quis repentè obmutescit. Et Galen. *in comment. Cum supra modum opplete fuerint venæ, premi virtutem, & grauari necesse est, atque in periculum extinctionis agi natiuum caliditatem, quæ ob multitudinem, copiamque suffocationi quippiam simile patitur: oriuntur siquidem Epilepsia, & apoplexia, & syncope cardiaca,* &c. Et cum omnea dictas passiones ab oppletione vasorum causari dicat Galenus, & inferius Hippocrates consulat esse secandam venam pro his affectibus ortis ex plenitudine, & interceptione vasorum, inter quos enumerat syncopen cardiacam: videtur in illa secandam esse venam, vt docuit Auicenna; in quem sensum dixit Hippoc. 2. *Epidem. sect. 5. text. 14. Qui repentè voce priuantur, si fiat sine febre, sanguinem mittere.* Lndou. Mercat. *lib. 2. de curat. intern. morb. cap. 1.* in syncope orta ex plenitudine hoc auxilium commendat, si iam concretus sanguis non fit. Vallesius noster *in exposit. loci ex 4. acutor.* dicit, missionem sanguinis esse auxilium omnibus aphoniis, id est vocis priuationibus, commune: & eum Hippocr. consulat, potius esse vtendum fomentis ad sanguinem eliquandum, quàm secetur vena, perspicuum est in accessione consulere auxilium, nam nisi in illa non concrescit sanguis, vt reddatur immobilis, & ob id fomento est opus, vt liquescat, & fluxilis fiat. In exposit. Auic. Gentil. sine limitatione aliquā auxilium commendat, & inter recentiores nullus vt Eustachius id tam perspicuè docuit: Si syncope (inquit) promoueatur à nimia plethora suffocante, sine sanguis sit similiter copiosus, siue etiam prauus, qualis redundare solet, dum menses sunt suppressi, oporter etiamsi sint in accessione, venam secare. Ratio à priori constat ex dictis, quia suffocatin spirituum vitæti non potest, si maneat plenitudo suffocans, & impediens ventilationem, & inde sine euacuatione non destruetur syncope. Est controuersia hæc difficillima, cu-

A ius decisio proponenda vobis est ex mente nostra, & labore; nullus enim, quem legerim, eam explicuit adducendo rationem physicam. Accipe igitur influxum vitalium spirituum cessare bifariam: vno modo, quia deficiant verè, & sint resoluti, aut corrupti: alio modo cessat influxus, quia etsi abundent in corpore, habent repugnantem dispositionem, ob quam influere nequeant; hæc indispositio ex parte spirituum est densitas per oppressionem causata: rursus est ex parte medij, per quod influunt, sua indispositio considerandā; nam medium magis densum impedit non dubiè influxum, aut omninò, aut vehementer diminuit, vt si spiritus intra sanguinem arterialem, & venalem contenti influunt in partem per medium sanguinem, si hic

B densetur, & opacus fiat, in se ipso compressus, impediet influxum spirituum in partes distantes, & omnes, vt impeditur lux intra opacum inclusa, ne illuminet medium. Idem impedimentum habet locum in partipus, nam ex sanguinis impulsione, & tensione partium compressio etiam in partibus fit, & incapaces redduntur ad recipiendum influxum.

His suppositis, quæ verissima sunt, dico primò, ex syncope causata ex defectu, aut corruptione vitalium, nullatenus hoc remedium tentandum est. Ratio est euidens, quia paucos spiritus remanens inanietur venæ sectione, & mors inducetur: quinimò censeo, quòd in dicto casu etsi secaretur vena, non extraheretur sanguis, quia vel esset concretus in tanta penutia spirituum, aut natura tam debilis non pelleret sanguinem,

C & partes pro frigore iam densatæ sa ipsas occludent, & sanguini cedere nequibunt. Hanc partem probant clarè argumenta contra Auicennam, præsertim illud quod de animi deliquio tradidimus: cum enim illud constituatur vt legitimus terminus euacuationis, ita vt non sit licitum sine piaculo, & crimine graui vlteriorem euacuationem permittere; ideò in dicto deliquio minus licebit, eritque grauius peccatum in tanta penutia spirituum iam inducente syncopen venam secare.

Dico secundò; quando sanguinis copia, quæ sine multo spiritu esse nequit, & fortassis multitudo spirituum fecientium impetum, & agitandi sanguinem occasio est commotionis illius, & sic decumbit in partes principaliores opplendo vias ventilationis, & distibutionis; sicque comprimuntur, & densantur spi-

D ritus, & obruuntur à multitudine sanguinis in certas partes impetu fluentis: in hoc inquam casu, & in syncopen cadere, & repentè priuari voce ægrum eueniet, quia densantur spiritus à pondere, & corporatura sanguinis, & sic influere nequeunt: quod atsi fiat, secanda est vena, vt docet Auicenna, & Auctores relati. Ratio est manifesta ex dictis, quia in hoc euentu, & in hac specie syncopis non deficiunt vitales spiritus, sed abundant satis, etsi influere nequeant ob copiam sanguinis illos densantem, & obruentem; & quia sanguis ipse, qui medium est, per quod influere debent, compressus est in se, & densatus etiam, & inde impeduntur spirituum influxus in partes subiectas, ob medium incapax: vnde ipsa euacuatio in casu aufe-

E rendo statim oppressionem spirituum, & densitatem violentam ipsorum, & rarefactus sanguis ob eandem rationem est occasio, quòd calor vitalis reuiuiscat celerrimè, sicque de nouo respiret, & ventiletur, reaccendatúrque, & influens magis quàm anteà, sensus, & mentem recuperet æger.

Noua, dices, sunt hæc. Quid inde? Laudanda, quia noua, si vera: sed etsi noua sit explicatio, radix doctrinæ noua non est, sed tam antiqua vt Galenus; quod vt intelligas, proponam in medium apparentem contradictionem illius. Nam quod non sit euacuandum vltra deliquium animi, cum illo consitentur omnes, & rationem adduximus. Idem verò Galenus, & eum eo omnes Medici in Apoplexia statim secant, in

quo auxilio tota spes curationis locatur, vt proprio A cap. diximus. At ipsemet Galen. 1. *ad Glaucon. cap.* 13. ducet expressè, quòd animi deliquium præcedit Apoplexiam, vt hæc dari nequeat, quin ante illam detur deliquium. Ex qua ratione inducto deliquio secare venam commendat, cùm tamen ab illo ponatur vt meta, & mensura, vltra quam euacuare non licet: Soluitur contradictio, cum qua & admiratio cessabit, notando, esse deliquium duplex, vt de syncope diximus; vnum causatum ex ipsa euacuatione, quia cum sanguine euacuatur simul spiritus, & quia deficiunt, non influunt, qui remanent satis: hoc deliquium legitimus terminus satis iam factæ euacuationis constituitur ab omnibus, ita vt esset periculum atrox hoc deliquio semel iam affligente plus euacuationem permittere. Aliud deliquium est quòd impediantur spiritus à sanguinis copia obstinente, ne influant in partes, & sic maneat æger insensibilis, & immobilis, quia in ordine ad actionem ablationem idem est influere spiritus, etsi abundent, quàm esse dissipatos aut corruptos; hoc deliquium datur in Apoplexia, Epilepsia, & aliis vocis interruptionibus: & hoc non solùm non impedit euacuationem, verùm illam requirit, & indicat vt auferatur, vt ex locis traditis ex 4. de victus ratione constat præcipuè: in hoc enim deliquio statim ac fit, non est extincta vitalis caliditas, sed periclitatur extingui, quia iam obruitur, & incipit suffocari; ne tamen consummetur extinctio, inanicodum corpus statim, vt loco citato meminit Hippocrates. B

Ex quibus deduces, in plenitudine suffocante, antequam extinguatur natiua caliditas, etsi syncope fit, posse vtiliter venam secari: Si verò iam concreuerit sanguis ob extinctionem vitalis caloris, remedium hoc sine methodo fiet: est enim frictionibus, ligaturis, inunctionibus sanguis liquandus, & odoribus optimis resarciendus spiritus, & si recuperetur virtus, cucurbitis scarificatis inanienda plenitudo, quibus si melior reddatur mali sæuitia, secanda paulatim vena, & reficiendus æger leuissimo cibo. Symptomata enim ex plenitudine sanantur melius distractionibus sanguinis, & inducta ventilatione, quàm plenè cibando, vt imperiti faciunt. Cibus enim plenitudinem auget, & inde radicem syncopis. Quomodo verò discernendi sunt, quibus iam sanguis concreuit, & extincta est ob plenitudinem vitalis caliditas ab statu contrario, capite de Apoplexia docuimus, explicando qua ratione deficiente pulsu ad Medici sensum secari possit vena. C

Vnum tantùm diligenter annotato, non omnem syncopem causari ex defectu vitalium spirituum, vt putauit Magister, sed dari posse, quando abundant spiritus, licet sint impediti, vt possint influere. Ratio constat ex dictis: quæ verò necessaria sunt pro ablatione cuiuslibet causæ syncopis, latissimè traduntur ab Auctoribus, & Principe nostro, & docuit Galenus 1. *ad Glauconem, cap.* 13. Sunt hic recolenda, quæ cap. de Apoplexia retulimus, probantes ex Galeno, ex omnimoda pulsus *asphyxia*, seu priuatione totali secandam esse aliquando venam: & mirandum est, quod Petrus Castellus, qui venæ sectionem improbat in actuali syncope, insoluta relinquat Hippocratis, & Galeni loca; ea melius calluit Capibaccus sentiens nobiscum, secandam esse venam in syncopali accessione, ne in illa vires deficiant, nam nec solidorum, aut humorum defectu exsoluuntur, vt constat, nec minus defectu spirituum, abundant enim satis, quia tamen oppressi, & densati non influunt. Est verò initium agendi, & insurgit operandi facultas in ipso euacuationis exordio, quod etiam Sennertus docet, & tradit locum ex 4. *de vict. rat. text.* 3. Nec te terreat paucitas spirituum, quando fatigat iam syncope, nam supponis falsum; sunt enim in magna copia, nec aliud sperant, nisi euacuationem, vt influant, quod per illam impedimentum D tollitur; quæ veritas repetitur rursus, & docetur à Galeno eodem *lib.* 3. *de vict. rat. comment.* 28. & ab Hippocrate *in text.* & *comment.* 3. sic scripsit Galenus: *Vbi calor natiuus propè extinguitur, præsentissimum est remedium sanguinis missio.* Id docuit loquendo de laborantibus anasarca refrigerato iam sanguine ob multitudinem suffocantem, & tumido, atque inflato reddito corpore. In quibus ita affectis mihi non est dubium, esse maius vitium in sanguine, & minorem quantitatem spirituum vitalium, quam in syncopizantibus, ob plenitudinem opprimentem solùm, non tamen extinguentem calorem.



SECTIO VI.


De Morbis Acutis Ventriculi.

DISPVTATIO VNICA.

De Cardialgia.

CAPVT I.

Quid sit?



VENTRICVLVS, qui est affecta pars in Cardialgia, in duas partes diuiditur: in partem supremam, os ventriculi appellatam, & in partem infernam, dictam fundum. Differunt hæ duæ partes, quia inferior est corpulentior, & carnosa, & inde calidior; superior verò pars gracilior, neruosa nimis, & inde sensus acutissimi; frigidior tamen vt est talis omnis pars exsanguis, & neruosa, si cum carnosa conferatur. Ex dicta diuersitate stant munera diuersa, carnosa quippè coctioni destinatur, præcipuè ob duo, quia calidior, vt dixi, & quia capacior, & amplectens in se, & vndique circundans alimentum, vt firmum, immobiléque maneat: Est enim quies alimenti, eiusque exquisita obuolutio, principalissima conditio, vt coquatur optimè, & celeriter. At verò os ventriculi appetentiæ alimenti, & potus dicatur præcipuè; huic enim muneri deseruit neruosa eius contextura, & compositio, vt exquisitè sentiat obiectum molestans, sic alimentũ, & potum subsequutũ; non est tamen dubium ventriculi fundum appetere, sicut & os illius concoquere: Est enim in qualibet parte similis caro, & similes etiam nerui, sed quia plus carnis fundo ventriculi natura tribuit cum notabili excessu, & ori est contrà plus substantiæ neruosæ, ideò ab excellentiori actione dicitur os appetere, & non concoquere, & partem carnosam, seu fundum coquere, & non appetere: verè tamen os ventriculi concoquit, & fundum appetit. E

Notabitis rursus esse nimium consensum inter os ventriculi, & cor, qui non nascitur, vt putant aliqui, ex neruorum multitudine componente ventriculi ostium, quia neruosum nimis: ob hanc enim causam potiùs trahit in consensum cerebrum, etiamsi distet magis. Vnde & vertigines, imaginationes, aliaque plurima symptomata cerebri emanant patiente ore ventriculi. Fundatur ergo consensus in maxima propinquitate oris ventriculi cum corde; & quia fundum ventriculi distat magis, non ita facile trahit cor in consensum: hic consensus nimius inter os ventriculi & cor, cogit

coëgit antiquos, vt os ventriculi granibus affectibus molestatur, statim patiente corde cor appellare, & inde Cardialgia, de qua sermo instituitur, apud Græcos idem sonat ac cordis dolor, quamuis sit oris ventriculi symptoma.

Est ergo Cardialgia, teste Galeno 1. *de cauf. symptom. cap. 7. Infestum symptoma oris ventriculi ad sensum relatum, à succis mordacibus eueniens.* Quasi diceret: est dolor ventriculi à succis mordacibus ortus. Vnde constat esse quid inferius ad dolorem ventriculi; dolore enim excruciari potest intolerabili à flatu disrumpente illud, & dicitur cardialgia, hæc enim requirit dolorem, & anxietatem à causa determinata ortam, nimieum à succis mordacibus; neque si mordaces humores fundum tantum ventriculi molestarent, esset molesta cardialgia; requirit enim ori ventriculi esse infestos, nam eum solùm eius ostium appelletur cor ab antiquis, ita solus dolor istius partis cardialgia dicetur, quod idem significat, ac cordis dolor: hoc autem dependet ex accidentibus cardialgiam comitantibus, quæ nbique magno cordis consensu non fiunt: deliquium, inquam, vitium, aut syncope maligna, sudores frigidi, summa extenuatio faciei eum oculorum cauitate, angor tam grauis, & molestus quòd æger nullibi patentus quiescat, sed perpetuò iacendi figuram muter eum certa doloris proprietate, vt nesciat referre quod sentiat.

Habet hæc cardialgia id malignissimum, quòd extremè debiliter, non quia sit dolor vehemens, sed quia sit illa certa proprietas homini infestissima, & exitialia, quæ tam difficilè toleratur, vt iactatione, perpetua corporis tractione, aliisque sæuis symptomatibus, vt hominem putes esse venenatum. Doloris enim malignitas non semper agnoscitur à Medico, molesta sensatione ab ægris relata, sed aliis signis venanda est maligna doloris conditio. Hoc eleganter docuit Hippocrates 2. *lib. de morb. vulg. sect. a. text.* 10. dicendo: *Dolores vehementissimos quomodo quis conspicatus cognouerit, terror bona tolerantia, oblationes, & ignauia.* Quo textu difficili signa tradit ostendentia morem malignum doloris, qui etsi vehemens non sit in sensatione molesta, est tamen vehemens in læsione, quam iofert; hæc verò simulata probat defectum sensationis: est agnuscenda terrore, & ignauia, vt docuit Hippocrates: hoc est, quòd infert similia accidentia, ac magnus terror, qui subitò pulsum obscurat, colorem viuidum faciei mortis assimilat, facies extenuatur summè, oculi excauantur, frigent extrema, & tremit totum corpus refugiente calore ad cor. Timentes verò cibum, & potum auersari, experimentum docet. Vnde non comedere, non bibere, per ignauias intellexit Hippocrates. Vnde infert; etsi dolor non sit vehemens quantum ad consensus molestiam, potest nihilominus esse vehementissimus intensione, & inde non tolerari à facultate. Id verò agnoscit Medicus, si inferat similia symptomata, ac magnus timor: sunt verò quæ diximus; econtra autem si dolor, quamuis magnus, quantum ad sensum non debilitet potentias, nec faciem extenuet, & æger ad oblata benè se habeat, non est putandus vehemens, quia læsionem magnam non infert: loquitur enim Hippocrates de dolore non vt est symptoma, sed vt est causa læsionis, estque dignissimum, & admirabile præceptum; nam de dolore, qui non multum sensum contristat, nequit æger nimis conqueri, & inde per relationem ægroti non assequetur Medicus prauam, aut benignam naturam humoris. Est ergo necessarium, non solùm contemplari relata ab ægrotis, sed ea etiam, quæ in corpore apparent: nam si facultates constant, & operationes, & æger benè se habeat ad obiecta, dolor non est malignus: si autem accidentia inferat, qualia magnus timor, & æger ignauus reddatur, & impotens ad sumendum oblata,

A malus est dolor, intensus, & praui humoris.

Huius conditionis est cardilagia, non enim lædit doloris vehementia, & intensè, sed lædit extremè proprietate quadam, & deprauato humore; hic autem oritur ex maligna succorum mordacium conditione, quorum venenati vapores antipathia quadam vitalem spiritum corrumpunt, & sic facultates omnes labescunt; non enim consentit cor tam grauiter, quia dolor sit in ore ventriculi vt dolor, sed quia causa eius est maligna, cui ita proximum est cor, vt subterfugere nequeat malignum consensum. Est enim cordis mucro ferè immediatus ori ventriculi, & per arterias magna communio. Est ergo cardialgia dolor oris ventriculi à succis malignis, & erodentibus natus.

Ex qua diffinitione colligitur, qualiter differat car-
B dialgia à cardiaco affectu; hic enim vt cardialgia os ventriculi tanquam affectum locum respicit: differunt tamen, quòd cardiaca passio originatur ex succis venenatis, & malignis, absque dolore aliquo notatu digno; à quibus humoribus venefica exhalatio insurgens, & vitalis spiritus destruit, ita vt affectus cardiacus non egeat sensibili molestante qualitate, vt ex dolore vtique tanquam in partem reducatur debilitas, sed tota facultatum distractio pendeat ex venenosa conditione humoris imbibiti in ore ventriculi; aliquam verò molestiam adesse, etsi leuem: mihi videtur necessarium, vt Medicus agnoscere possit, os ventriculi affectum esse, & cor ei consentire: *Itaque Cardialgiæ causa plus mordax, quàm maligna censenda est; Cardiaci affectus è contra, plus venenosa, & maligna, quàm*
C *acris, & erodens.* Non enim mihi placet Magister *lib. de locis affect. disp.* 53. *c.* 6. putans, dari posse affectum cardiacum sine aliqua sensatione molesta, quia alioqui Medicus non agnosceret os ventriculi pati primo, & cor per consensum cum illo, malèque supponit posse dari humorem malignum imbibitum in ore ventriculi, quin per aliquam molestiam se ostendat Cardialgia: ergo necessariò succum magis erodentem desiderat; quia in suæ formatione dolorem includit; quia verò læsio facultatibus illata in solum dolorem nequit reduci, non enim est malignus, vt diximus, in ordine ad consensum; ideò præter humoris acrimoniam requiritur etiam praua humoris conditio; nam maligna febris agnoscitur, quia molestant grauia accidentia, quæ in calorem remissum reduci non possunt; ita-
D que læsio in Cardialgia maior multò est, quàm in moderatum dolorem possit reduci, & inuestiganda est causa tantæ læsionis; est ea verò praua exhalatio ad cor eleuata, & taliter spiritum dissipans, & inde tantam læsionem inferens: quòd autē requirantur humores mordaces, præterquam quod Galenus docuit, constat: quia causa Cardialgiæ non infert dolorem, quia multitudine disrumpat, aut distendat, sed quia imbibita erodat: inhibitio autem in ore ventriculi magnam partem non requirit, & inde colligitur maligna conditione constare, quia in parua quantitate lædit; & quia distensione soluit continuitatem, infert mordacitatem, & acrimoniam. Constat ex Galeno *lib. Aphor. comment.* 56. scribente: *Ægri anxij dicuntur accubitum inferentes, euariant figuras, quia semper præsens grauat*
E *eos.* Hoc verò præcipuè venire consueuit, quibus in ore ventriculi, & humoribus aliqua propria qualitas continetur ventriculo molesta, quæ nec plurima est, neque ventriculi fluitat cauitate. Cur ergo anxietas situs Cardialgiæ inseparabile symptoma, arguit humores in parua quantitate esse malæ, tantúmque proprietatis erodentis.

Idem quòd Cardialgia significat Cardiogmos, vt docet Galenus 4. *Aphor. comment.* 17. *Cardiogmos*, inquit, *idem cordis morsus est, id est oris ventriculi passio.* Et 1. *Prorrhit. comm.* 1. dixit: Cor appellari ventriculi os, & ob eam rem morsus eius Cardiogmos, & Cardial-

giae appellant. Idem Paul. *lib.* 3. *c.* 12. *in fin.* Et Galen. A 3. *Progn. text.* 3. At verò 4. *Aph. comment.* 65. Galenus retulit consueuisse antiquos sumere cardiogmon pro motu simili palpitationibus. Est Cardialgia symptoma in actione læsa, vt quilibet alius dolor. Magister dicit quòd sit actio deprauata, quod mihi non probatur: non enim est error cùm percipiatur vt est, secundùm naturam sui, & vt talis percipi debeat, vt natura fugiat corrumpentem causam. Est ergo propriè symptoma actionis acutæ, quia in dolorie perceptione vehementer operatur natura & intensius, quia in perceptione cuiuslibet alterius obiecti, quod sine dolore percipitur, idem de anxietate dicendum existimo; nam moueri, quando debebat quiescere æger, non est deprauatè operari plusquam deberet, vt quia vigilat magis quàm per naturam, non operatur deprauatè, percipiendo obiecta per maius tempus quàm oporteat. B

CAPVT II.

De causis, & præsagiis Cardialgiæ.

SIgna, & causæ Cardialgiæ ex dictis iam manent perspicua: Sunt autem causæ omnes succi mordaces, aut alia quæuis humiditas, aut ichorosa substantia, tenuis, & putrida, quæ in venis alimenti, oris ventriculi neruis, & tunicis illius angorem dictum & anxietatem causant. Primatum tenet bilis maligna, & exusta, porracea præsertim, & æruginosa, aut vitellina: atrabilis exquisita desperatas Cardialgias causat, C sicut omnis humor, qui per corruptionem induit naturam veneni, vt per menstrua detenta, aut seminis corruptionem quotidie experimur in fœminis: sic alimenta praui succi, aut ex natura propria, aut per præparationem indiebilem corruptionem quotidie acquirunt, vt in læsione vim veneni æmulentur; quòd si maligna alimenti corruptio id efficere potest, perspicuum est, assumpta venena, erodentia præsertim, citius mortem machinatura, cùm habeant per se prauitatem, quam alimenta per corruptionem acquisierunt, quinimò alimenta sine delecto ingesta tam pessimè aliquando corrumpuntur, vt Cardialgias, & syncopen causent, quamuis praui succi non sint: quod præsertim contingit quando lacticinia aliis alimentis admixta ingeruntur. D Sic perniciosus cibus ad Cardialgias, & syncopen paratissimus conficitur ex fungis, & tuberibus; putrefiunt enim malignè, & breuissimè, cùm nil aliud nisi putrida materia putetur eorum principium; ob quod putauit Cardanus Agaricum inimicum, & vomitorium esse ventriculo: omnia enim putrida ipsum subuertunt, & nauseabundum reddunt, cùm sæpè solus odor rerum putrescentium id faciat. Est autem quod frequentiùs mordaces humores in ventriculum mittit iecur calidum, & siccum, præsertim quando pars concaua inflammatione, aut erysipelata afficitur, aut focus existit febris ardentis: sic vterus sordida, & maligna putredine menstrua, & semen inficiens, ob communionem vasorum promptè ventriculo communicat excrementa maligna; & inde sæpe videmus menstrua suppressa per vomitum reiici, & gerentes vtero diuersa E ventriculi accidentibus infestari. Molestat etiam Cardialgias inducit salsa pituita. Lumbrici etiam, si ascendant os ventriculi, continuo morsu lancinant, vt teste Traliano, aliqui mortem subitam causent.

Prauum esse hoc symptoma Cardialgiæ, liquet ex dictis, cùm deliquia, syncopen, & anxietates molestas inducat, & cor tam facilè compatiatur, & quia dolor, & quia huius partis..... ventriculi nempè. Testatur enim Plinius *lib.* 25. *cap.* 3. inter dolores primum locum deberi euenienti vesicæ calculo; secundum stomacho; est etiam Cardialgia in febribus pessima, *Circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus malum.* Hippocr. Est etiam mala, vt impedimentum curationis retardat, & peruertit sæpè ordinem illius, vt inferiùs dicemus. Et si ei superuenit frigus extremorum, perniciosa censenda est, quia aut consumpsit vitalem calorem, aut ita ægrotum excruciat, quòd per tristitiam retrahat cor totum calorem ad se. Ob quod dixit Hippoc. 7. *Aph. text.* 26. *In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas malum.* Quòd si Cardialgia incessanter, & per longum spatium molester, timendum est, ne inflammato ventriculo erysipelas adueniat. Sæpè signat inflammationem iecoris, partis cauæ præsertim; mordaces enim humiditates ex parte caua inflammata resudantes facillimè ventriculum erodunt. *Funesta est Cardialgia in ardente febre,* quando bilis æruginosa, aut vitellina, cor æstuans oppressione calorem vitalem suffocat, & aliqua portio illius ob communionem in ostium ventriculi traiicitur. Crescit periculum, si per venas alimenti humor moueatur: sic enim molestissima causatur Cardialgia, & diù affligit; sæpè verò per accessiones ita molestat, & virtus cadit, quòd in declinationibus sudoribus syncopalibus perdat ægrotos, aut in extremo periculo constituat; nam per anxietatem, dolores, & accessionis incendium facta fuit nimia spirituum dissipatio, & facultatum imbecillitas, quando in declinatione accessionis corporis habitus laxatur, vt extra mittatur fuligo. Simul etiam mittit vitales spiritus remanentes, & deserendo viscera, incipit æger in interna mori digesto spiritu, & extra corpus misso; & hæc de essentia Cardialgiæ.

CAPVT III.

De Curatione Cardialgiæ.

HOrum symptomatum curationem tradit Princeps *fen.* 13. *lib.* 3. *text.* 5. *cap.* 17. eam tamen tradit breuiùs, quam pro tanto symptomate deceat. Est enim opus Medico peritissimo, vt anxietatis, Cardialgiæque determinatam causam agnoscat, & illi auxilietur, & vt in tam arduo negotio tardiùs procedamus, duplicem curationem instituemus; principalem, dabitam illi vt symptomati: alia verò curatio Cardialgiæ absque complicatione febris dicabitur. Quando igitur febris adiungitur, aduertendum est si cardialgia excitetur ex corruptione prauorum elementorum, à quorum acrimonia os ventriculi mordeatur. In quo casu impetrandus est vomitus, data aqua hordei tepida cum syrupo acetoso simplici, aut aqua tepida sola, cuius quantitas magna debet esse: sic enim impetu maiori reiectio fit cùm excrementis malignis, & remanentium acrimonia mitigatur, quæ si nimia sit, oleum amygdal. dulc. recens aquæ miscebitur: sic enim citiùs concitabitur vomitus & attemperabitur succorum mordacitas. Clysteribus etiam detergentibus inferiùs causa inclinabitur, si æger difficulter euomat, vt ex aqua hordei, prunorum cum medulla cassiæ fist. & tamarindorum, ouorum recentium vitel is, & sacchar. Confert etiam lactis serum cum sacchari, oleo violaceo, & amygd. dulc. quæ si non sufficiant, propinabitur medicamentum leniens, quod ex toto non trahat, sed solùm ventriculum vacuet, vt syrup. Regis solutiuus, aut ex 9. infus. cum decocto cordiali, aut tamarindorum, vel in ℥. vj. seri lactis dissoluentur mannæ electæ ℥ij. succi rosacei rub. ℥j. misceantur, aut in iura auis dissoluitur manna. vt simul reparentur spiritus cum euacuatione, notando diligenter, ne adstringentibus firmetur ventriculus antequam sint euacuata excrementa erodentia, quoniã impingentur magis in tunicis ventriculi, & denuò excitabunt. Difficilior est res, quando cardialgia pendet ex eadem materia febris, quã natura in accessionis initio in ventriculum

culum reiicit, aut per totam accessionem transmittit: Et vt intelligatur quid faciendum sit, quando cardialgia ex quauis causa cum febre complicabitur, memoriæ mandabitis sententiam Galeni 1. *lib. ad Glauconem, cap.* 13. vbi complicationem cardialgiæ cum febre proponendo, sic reliquit scriptum: *Age igitur, febricitet quispiam, & adsit plethorica dispositio, sed cum recenti cruditate os ventriculi mordente, vel etiam si humorem aliquem malum euomuerit, qui in transitu iam vehementer agrotum laserit, vt molestè, anxièque ferat, nunquam ad febrem respicientes solum multitudinem euacuare tentabimus, quod alioqui sine molestia faceremus; at prius ori ventriculi prouidebimus: deindè postquam circa hoc benè se habuerit, quam licuerit, totius corporis euacuationem faciemus? Mihi quidem ita agendum videtur: multos itaque vidi, qui ita affecti erant, quosdam interiisse, nonnullos ad extremum periculum fuisse perductos, cùm Medici eos vacuare tentassent, antequam os ventriculi corroborent.* Hæc Galenus.

In quo textu doctrina Galeni est, non esse secandam venam, etiamsi sit plethorica dispositio cum febre, quando complicatur ventriculi anxietas, & morsus, & metus mortis, ac magni periculi conuincit Medicos aliter operantes, docetque priùs esse prouidendum molestiæ ventriculi, & postquam circa illam benè se habuerint, secandam esse venam. Tradit autem in littera duo quæ tenetur Medicus efficere antequam venam secet. Primum, quòd benè se habeat ventriculus, hoc est, sine molestia. Secundum, quod corroboretur ante sectionem venæ, etiamsi iam molestia defecerit; nam ventriculi debilitas, etiamsi actu non doleat, & excrementa confluant, suscipit magis, & si aliqua remaneant, corrigere nequit facto debiliori, sicut neque benè conficere alimenta. Sunt autem incommoda quæ sequuntur, si non cesset cardialgia antequam vena secetur: quòd si molestia illa oriatur ab alimentis corruptis ibi genitis ob victus prauum succum, distribuuntur ad vasa inanita, & sanguinem vitiant, obstructiones generant, & cacochymiam augent. Rursus in ipsa missione sanguinis commouentur succi vitiosi, & malignè effumantes, in cor, & cerebrum, & syncopen, aut deliquium inducunt. Est ergo periculosum, statim in morbi initio labi virtutem, præsertim si febris molestet, quæ ad sui ablationem repetitam venæ sectionem exposcit.

Hunc textum, & doctrinam Galeni tam rigorosè intellexerunt Montanus, Stephanus Athepiensis, Trincabellus, & Acaquia, quòd nullum excipiant casum, in quo quando molestat cardialgia, liceat venam secare, & eos sequentes vidi alios doctissimos Medicos, in praxi non sine ægrotantium periculo cessantes à venæ sectione in morbis acutissimis, eo quod præsens esset cardialgia. Ne igitur in negotio tam graui vestrum retardetur ingenium, has assertiones accipite.

Prima iam est adducta, nimirùm quòd si ventriculi debilitas, aut prauus humor ibi genitus, neque aliunde transmissus affligit, os ventriculi euacuetur statim, aut vomitu, aut clysteribus, aut leniente medicamento, antequam extrahatur sanguis, quinimò priùs etiam roborandos ventriculos idoneo astringente: iam sunt adductæ rationes id confirmantes efficaciter cum auctoritate Galeni, qui etiam 9. *Meth. cap.* 5. docuit, amaram bilem in ventriculo existentem missionem sanguinis debilitare.

Secunda assertio est, esse securissimum in quauis cardialgia priùs molestiam mitigare, quàm corpus euacuare, est enim infestum symptoma vires ocissimè diminuens, & inde non sine periculo secatur vena, si in cardialgia duret, & hoc timendum magis, si grandis, & molesta fuerit, & causa illius non aliunde transmissa. Hoc enim notandum est maximè; erit autem rarissimum non succrescere periculum nouum, si cum mag-

A na cardialgia secetur vena. Constat enim missionem sanguinis nullum commodum allaturam esse succis ventriculum molestantibus, si ibi sint geniti, & cùm alioqui debilitet venæ sectio, & intromittat prauitatem succorum, irremediabile malum eueniet, & cum summa difficultate, quod perspicuè firmat Galenus experimentis in textu adductis.

Sit tertia assertio: Dantur Cardialgiæ, quibus si Medicus non præuideat priùs, lædet summè cum certo periculo ægrotantium: alias verò esse cardialgias, quibus est salutaris sanguinis missio, ita quod & febris, & cardialgiæ sit simul remedium. Exemplum primæ partis sit, quando ex febre colliquante, aut ardore hypocondrij, humiditas, aut ichor malignus, & mordax in os ventriculi confluit, qui euentus commu-B nissimus est, quando caua pars iecoris inflammatione infestatur, & non rarò in ardente febre idem experimur: in quibus affectibus si differatur sanguinis missio, vt cardialgiæ priùs occurramus, lethaliter afficientur ægroti, cùm internæ inflammationes, & ardentes febres nesciant sedari, nisi copiosè sanguine misso, vt reddantur desperatæ, si nimium crescant. Id doctè notauit Iacotius *comment.* 2. *in lib.* 7. *coacarum, sect.* 2. *text.* 18. dicente: *Itaque falluntur Medici, qui in deliberatione vtro auxilio vtendum sit, phlebotomia, an expurgatione, hanc illi præferunt; siquidem nauseam est, cum non intelligant, eiusmodi nauseas, & Cardialgias esse à colliquatione materiæ, quæ in venis est, putentque à ventriculo sanguinis missione posse reuocari in venas.* Quod rur-C sus repetit *comment.* 2. *lib.* 2. *text.* 18. dicendo: *Sæpè etiam contingit, in febribus nauseas, & Cardialgias ortum habere in colliquatione materiæ, quæ in venis est, vt alibi docebimus: in quo multi falluntur, qui putant, purgationem sanguinis missioni præferendam esse,* &c. Aëtius *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 2. in quo agit de Cardiacis ab atrabile infestatis, etiamsi inter signa sic laborantium Cardialgiam enumeret, & causam tradat humores mordaces, sanguinem mittit, dummodo vsque ad deliquium non fiat, ob stomachi imbecillitatem.

Secunda pars huius tertiæ conclusionis probatur, quando natura mittit ex toto, & maioribus venis mordaces humores in os ventriculi, præsertim si per venas alimenti ventriculi in os illius præcipitentur humores: *Tunc enim si continua sit febris, erit remedium illius, &* D *Cardialgiæ sectio venæ.* Probatur clarè, quia vt est celebre auxilium, quando inflammatur ventriculus, ita & quando mouetur humor in os illius per alimenti venas, etiamsi inflammatio non fiat, sed molestia fatiget; reuellitur enim humor fluens per venæ sectionem efficacissimè; & inde febri, & Cardialgiæ auxiliatur: & dubitari non potest, in dicto casu nauseas, & Cardialgias esse signum incipientis Erysipelatis, aut inflammationis, cui imminenti malo nisi sectione venæ succurrere nó possumus. Patet, quia vomitus, & expurgatio sine methodo fient, cùm humores inclinent in partem debilem, in quam errans natura mittit violenter, & inde per auxilia relata molestia & morbus augentur. Nec potest esse dubium quòd quando humor inferens Cardialgiam, non expellitur sponte, fiat mor-E bi collectio in ea parte. Dixit verò Hippocrates 4. *de victus ratione in acutis, tex.* 21. collectiones morborum solui non posse, si quis ante missiones sanguinis purgante medicamento vtatur. *Nam venæ sectio* (inquit) *in his præferenda venit.* In quem sensum *in Coacis prænotionibus* sic scripsit; *Qui sine febre agentes derepentè præcordia, ventrisque dolor, crurum quoque, & partium infernarum,* &c. *Phlebotomia & aluus fluens remedio est.* Inde Galen. *lib.* 4. *de victus rat. comment,* 12. scribit: *Rectè ad sanguinis missionem prius deueniendum præcipit, vbi vitiosi aliqui humores in partem aliquam confluunt, & in ea coaceruantur.* Hæc doctrina confirmatur, quando sanguis vitiosus per menstrua retenta, aut improsperata

purgationem

purgationem à partu regurgitant vt solet in os ventriculi, & molestam Cardialgiam causant. Est enim magnum auxilium in talo venam secare, reuellendo ad originem fluxionis. Horatius Aug. *tom. 1. Epist. lib. 6. Epist. 1.* idem expressè tenet; & Ludouicus Mereatus *lib. 2. suæ practicæ, cap. 1.* sic loquitur: *Iecore enim affectis, regurgitanteque bile in os ventriculi, non est plurimum vitandum, si vires debiles non sint, sanguinem saltem ex saluatella dextra manus mittere, quinimmò sæpè solet esse præsentaneum remedium.* Idem Holerius *lib. de morbis, cap. 12.* & Riolanus *cap. de Cartogo*, ex Auicenna 3. *parte Canticor. Aphor. 83.* sic loquitur: *Etiam est vena scindenda in passionibus animi; sedis, & ancarum, schiatica, & dolore stomachi.* Ratio à priori est; quia quando humores confluunt ex toto in os ventriculi, dantur similes indicationes ad secandam venam, cum eis quæ dantur in ventriculi inflammatione. Vnde sicut in ista non impeditur à dolore illius, neque à partis natura venæ sectio; ita neque in Cardialgia cùm similis pars patiatur, & necessaria sit ad impediendam venturam inflammationem, & obstandum fluxuum partem tam principem. Sed quid dicendum Galeno, tantum loquutum fuisse in duobus casibus. Primus est quando ex recentibus cruditatibus, & maligna alimenti corruptione Cardialgia excitatur. Secundus est, quòd æger aliquem humorem prauum malignumque euomuerit, & in transitu grauiter sit offensus ventriculus, vt in adolescente relato à Galeno 5. *Aphor. text. 1.* bilem æruginosam euomente: fuit enim tam grauiter offensus in transitu humoris, quòd conuulsionibus tentaretur in ipso vomitu propter consensum neruosum cum ore ventriculi. In his ergo duobus casibus perniciosum esse sanguinem mittere, antequam primò euacuata sint excrementa cruda, aut corrupta, & roboretur ventriculus. In secundo verò expectetur tempus idoneum ad virtutis restaurationem, ob grauem offensam, & ventriculi ostium firmetur; nam si ante hanc prouidentiam sanguis extrahatur, summa imbecillitas eueniet.

Dum autem dicimus, esse secandam venam in Cardialgia, si originetur ex colliquante febre, aut ardente, aut ex acribus excrementis, aut malignis ichoribus ex inflammatione lienis, iecoris, aut alterius visceris resudantibus, aut quia natura mittat in os ventriculi, in focum putredinis, aut in accessionibus febrium perniciosarum contingat, intelligenda est doctrina si præsentes sint scopi ad prædictum remedium, & humor transmissus non sit ex speciebus bilis præternaturalis, vt si æruginosa, porracea, vitellina euomantur: hi enim humores expurgationem magis desiderant, quam venæ sectionem, & simul indicant attemperationem cum auxiliis, & victu; corpora enim his humoribus abundantia exusta sunt, & ex calida resoluuntur facillimè, neque in eis sanguis abundat, vt propterea non conueniat sanguinis missio; nisi cum plethorica affectione copulentur tales humores, quod est satis difficile, & ita vbi tales euomuntur, rarò sanguinis missio conuenit.

In negotio igitur tanti momenti breuiter repetamus præcepta in Cardialgia, cuius causa in ventriculo existit non aliunde transmissa: occurrendum est Cardialgiæ, antequam febri, præcipuè si eueniat ob prauos humores ibi corruptos ex indextra victus ratione. Est enim frequentissima causa Cardialgiæ mala ventriculi coctio, aut deprauata alimentorum corruptio. Idem efficiendum, quando febris, & Cardialgia oriuntur ab eadem causa, & ita solùm continetur in prima regione; est enim irrationabile in his casibus venam secare. Rursus si quod Cardialgiam causat, biliosum sit prauæ naturæ, etiamsi ex venis mittatur, recusanda est, quantum fieri possit, venæ sectio; nam vt paulò antea diximus, corpora bile vitellina, æruginosa, aut porracea scatentia exusta sunt sine sanguine, siccissima-

A que præsertim in visceribus, & facilè resolubilia, nunquamque abundant vitali spiritu, ob quod lædi solent nimium, sanguine misso: & in doctrina Auicennæ bilis effrenitat, & de nouo ardet, & vt hæc corpora indigent victu pleniori quàm sunt ad hecticam disposita, & humores tam praui attemperari exposcunt alimento, & potionibus frigidis; ideò sanguinis missio ferè nunquam conuenit. Rursus grandis, & molesta Cardialgia, quamuis oriatur ab humoribus in ventriculum expulsis, à toto prius mitiganda, antequam vena secetur: est enim proxima syncopi, & sub tanta angustia, & dolore citò vires labescit, vt timendum sit, ne aucta debilitate per venæ sectionem, irremediabilis syncopis eueniat, aut succedat frigidus sudor cum frigidis extremis à dolore, & euacuatione extincto vitali
B calore.

His casibus exclusis secabitur vena, quando vasa totius, aut febris colliquans, aut interna inflammatio fatigant, vasa mittendo sibi molesta, & reliqua mala liquando, mordaces, humiditatesque, quæ in ventriculum missæ, tam maligno symptomate opprimunt. Idem præstandum, quando vteri plenitudo ob menstrua oppressa, aut diminuta purgatione è parte ad communionem venarum, retrocedit, lenitudo ad ventriculum, cessat enim breuissimè sanguine misso ex talo; nec video quin detur in vteri, & totius transmissione, ob quod debeamus abstinere à tanto remedio; dolor enim absolutè non tollit quòd vena secetur, nam in magnis doloribus nullum efficacius Galenus auxilium inuenit: fluxus in ventriculi ostium reuulsionem
C indicat, contineri verò in ipso ventriculo auxilium hoc impediri non potest: alioquin neque ventriculi inflammatione, in qua dolor, fluxio, & talis continentia inuenitur, secaretur methodicè vena. Timere autem, quod retrocedant humores, non obstat; nam præterquam quod ob rem incertam non decet ægrum desperatum relinquere in morbis tam exitiosis, quorum moderatio tota consistit in venæ sectione; constat hunc retrocessum fore vtilissimum, cùm lædant non dubiè humores minus intra vasa contenti, quàm Cardialgiam causantes, & si ex vasis mittuntur, iam sunt coinquinata illis, vt per retrocessum malum nouum timendum non sit.

Accedit, quòd etiam sunt extra venas, quando non mittuntur per venas communes, sed per proprias ven-
D triculi; per eas, inquam, per quas alimentum suscipit ad propriam nutritionem: in quo euentu ex Cardialgia ipsa timenda est inflammatio ventriculi, aut Erysipelas æstuosum; nam non capientes venæ copiosam transmissionem, incipiunt illam diffundere in poros, & carnem ventriculi, sicque prædicti tumores creantur. Est etiam friuolum timere, humorum commotionibus in tam mortalibus passionibus, cùm impediri possit facillimè, si assumatur paulò ante sectionem venæ aliquod alimentum adstringens, & in ipsa sectionis venæ sectione similiter potest deglutiri: est enim commotio illa leuissima, & in quiete continebuntur humores assumpto alimento adstringente, & acetoso.

E Quæ hactenus diximus, intelligenda sunt, quando Cardialgia in febribus continuò molestat, nunquamque intermittit; nam quando in accessionibus solùm humor reiicitur in os ventriculi, & postea resoluitur omninò, non cadit sub dubio, tempore intermissionis secandam esse venam. In nullo tempore frequentiùs contingit, quàm in autumno; æstate enim sunt multa ad Cardialgiam conducentia; venis nunquam magis debilitat, cùm soleat in quolibet tempore, si nimia sit. Cardialgias grauissimas causare, vt in ægroto 10. *& in lib. 5. de morb. vulgar.* Hippocrates retulit: aquæ etiam nimis, & fructuum ingestio, resolutio nimia vitalis caloris tempore æstiuo, à cuius incendio

sanguis

sangnis exuritur, bilis abundat, & langnet nimis ventriculum, & malè coquens ob dicta totum mensentarium, primamque regionem crudis, & vitiosis bumoribus replet, qui non ventilati putrescunt, & maligna corruptione ventriculum summa anxietate afficiunt, cùm quibus ferè semper complicatur flatuum non moderata copia, à quibus sic septum comprimitur, & venter distenditur, quod summa difficultate respirent omnia instrumenta apponentes ægroti, vt febri satisfacere possint, ob quod in bis temporibus summa diligentia notabitis viuendi modnm: nam si æger gulosus fuerit, venereus, frigidi cupidus, & fructuum copiam non moderatam ingesserit, & cadens in febrem, ventriculi anxietate prematur, *vitanda est omninò sanguinis missio*; & clysteribus, leniente expurgatione à succis crudis & corruptis liberabitur prima regio, in qua focus putredinis, & pars transmittens existunt, & præterquam quod ex vita anteacta agnoscitur cruditatum, & excrementorum accumulatio, quam statim ostentat natura anxietatibus, incipiente accessione, quandam portionem eorum vomitibus, aut deiectione, vel vtroque ore simul reiiciente, quæ, etsi in primis duabus accessionibus mitiora ostendantur symptomata, timebitur nihilominus perniciosa febris; nam cùm accessiones, tendente febre in augmentum, & vigorem summum crescere debeant à tertia vsque ad septimam, sic inopinatè solent affligere, quòd aut pereant ægroti, aut in summo versentur periculo: ob quod tutum consilium statim à prima accessione ægrum expurgare; in hoc enim consistit saluris portus: hoc auxilium imperabitur melius, si aluus sponte bis, aut ter eiiciat. Significat enim irritatam esse naturam, & humores continere non posse ob corruptionem, aut copiam in quo euentu vel lenissimo dato medicamento felix eueniet expurgatio; quòd bumores viis communibus proximi sint ad expellendum stimulata natura; estque genus quoddam impropriæ turgentiæ per murmur hypocondriorum monstratæ. Postquam hæc scripsi, in vestrum commodum obtulit mihi suum acutum tractatum de impedimentis magnorum auxiliorum, doctor Santa Cruz, doctissimus Protomedicus Regius, & *in lib. 3. capit. 36.* huic argumento dicauit, doctissimè quidem rem tam arduam, & necessariam exponens, vt solet in aliis.

Hæc auxilia maiora impedit, vt diximus, Cardialgia intensa, & nimium molestans, quæ si vrgeat, moderanda est, mitigando acrimoniam succorum mucilaginibus pinguibus, & lenitiuis, quæ si satis non sint, opus erit narcoticis, præcipuè si sensus acutus non minus causa symptomatis, quàm acrimonia putatur; iudicóque vt auxilium celebre causæ simul & symptomati occurrens, *Lac asininum datum in quantitate sufficienti ad expurgationem; habet enim vim expurgandi mordaces humores, sedandi dolorem, demulcendi acrimoniam, conciliandi somnum, & restaurandi vires, vt omnem medicationem impleat.* Habétque hoc laudandum, vt noxium esse non possit, quamuis febris molestet, & aliquod viscus inflammatio obsideat. Est doctrina ex Hippocrate adducta, quam etiam tuetur Galenus: 4. enim *lib. de vict. rat. in acut. tex.* 10. in colera sicca, vbi auxilia commendata priùs irrita fuerunt, dicit: *Verùm si dolor non cessauerit, lac asinæ bibendum, donec purgetur, dabis.* Galenus *in comment. Si feceris quod dictum est, & dolor non soluatur, contristantis causa maiorem esse acrimoniam existimandum, atque ob id corpus purgare oportet.* Lacte asinæ vtendum præcipit, quòd inter omnia purgantia medicamenta mitiùs, tranquilliúsque existat: notanda est ratio Galeni, purgatione nempè opus esse, quia magna est causæ acrimonia huius, quia nihil euacuatur spontè, trudenda est (exhibito lacte) per aluum. Idem *in commento* tradit Vallesius, dicendo: *Hoc medicamento video vix aliquem Medicorum audere*

A *vti, quòd lactis incommoda pertimescant: ego vero scio, me cum magna vtilitate in huiusmodi affectionibus esse vsum, atque quidem de asinino, vt de aliis lactis generibus censere oportet, quia est valdè serosum.* id est, non oportet pertimescere corruptionem, aut concretionem lactis, vt in aliis lactis generibus. Aretheus 1. *lib. de curat. acutorum, cap.* 1. phreniticis, quibus ardet ventriculi os, & ab acribus humiditatibus, & bile mordetur, lac etiam propinat. Mussa super eundem locum Hippocratis idem docet, & rursus Hippocrat. 4. *de vict. ration. text.* 114. dicit: *Si autem febris non fuerit, vexent tormina, primum quidem lactis asinini calidi pausillum, deinde sensim, paulatimque plus bibat.* Galenus *in commento. Lac ergo asininum expurgare potest, & attemperare.* Itaque vbi constant vires, vtilissimum iudico hunc occurrendi modum. Si autem euacuationem magnam ferre non

B possint, dabitur in quantitate minori, vt acrimoniam demulceat, & paulatim expurget, donec restaurata virtute, in copia maiori exhiberi possit, vt loco allegato docuit Hippocrates. Dioscorides etiam ad erosiones ventriculi lac muliebre commendat. Si autem lac habere non possit, commendat Galenus oleum dulcissimum epotum, *lib. 2. simplic. cap. 13.* dicendo: *Caeterum quòd stomachum sæpè cum valenter mordetur, oleum protinus dulcissimum sanauit, & iniectum totius ventris mordacitates lenit.* Idem docet 2. *lib. ad Glaucum, cap.* 3. habet quippè oleum dulce vim mitigandi acrimoniam, & lubrificandi aluum, vt lac. Idem docuit nos Hippocrates 4. *de victus rat. text.* 128. dicendo: *Oleum quoque dabis, vt quiescat, & venter subducatur, & morbus*

C *soluatur.* Galenus *in comment. Oleum, quæ acria sunt, lenit, placatque, & siccitatem emendat.* Vallesius putauit, non commendari oleum epotum, sed per sedem iniectum. Antonius Mussa contrarium censet; & est expressa Galeni auctoritas ex 1. *ad Glauc.* allata: loco autem olei communis vsitatum est oleum amygdalarum dulcium recenter expressum, sed hoc minus mouet aluum.

Confert etiam ad sedandum dolorem, lac hordei, amygdalarum dulcium, seminis papaueris albi, succus etiam granatorum acidorum vtilis est in causa calida, in qua sæpè fuit vtilissima aqua frigida, quæ si non sufficiat ad mitigandam molestiam, dabitur syrup papaueris; nam & morsum mitigat, & conciliat somnum. Idem facit vtilissimè sirup. Portulacæ, cum ʒ.ß. Philo-

D nij: aut dabitur ʒ.j. requiei cum conserua rosˊ. rub. & vbi sitis molestat, parantur potiones ad attemperandam ventriculi æstuationem, & acrimoniam succorum ex aquis Portul. acetosæ, buglossæ, & endiuiæ, cum sirupis de succo citri, limonum, granatorum, cithoneorum, endiuiæ, oxalidis, portulacæ, & rosˊ. rub. cum pulueribus Electuarij, gemmis sine speciebus, succus acidus citri, aqua Portulacæ dilutus cum puluere margar. præparat. & niue infrigidatus summè confert in Cardialgia biliosa.

Exteriùs etiam applicantur attemperantia calorem, & obtundentia mordacitatem. Est vsitatum cataplasma ex hordei farina, oleo rosaceo, succo agrestæ, cum pulueribus rosˊ. rubr. violarum, nenupharis cum tantillo pulueris absinthij; reiteratur applicatio ante-

E quam incalescat quod primò fuit appositum, aut folia violarum, pampinorum viris, rosˊ. rubr. plantaginis contundantur optimè, & posteà additur hordei farina, & applicatur. Confert etiam fomentum ex decocto fol. vtriusque Absinthij, florum Camemali, rosˊ. rubr. nanupharis, fol. mirti. & plantag. & schinantij: decocti sumitur lib. j. cui additur succi rosˊ. rub. ℥. ij. aceti rosacei ℥. j. misc. quo foueatur ventriculus; deinde supponatur dictum cataplasma. Est optimus fotus ad resolutionem materiæ, si sacculus impleatur furfuribus ab omni farina depuratis, madefiat sacculus in vino albo generoso, & calido, & leuiter expressus applicetur ventriculo, aut in lacte coquantur plantaginis folia,

lia, violæ, meliloti, rosæ rubræ, flores camemali, & coriandrum viride; quo decocto foueatur ventriculus.

Si flatus melancholici, & ex cruditatibus malignè corruptis anxietatem causent, & septum opprimatur, nullo auxilio reparatur melius quàm vino albo generoso paulatim sumpto; extenuat enim & penetrat vias, laxat, flatus dissipat, estque virtutis, spirituumque vitalium, quibus egent, extremè insignis instaurator, & veluti ad somnum inclinans, sensum molestiæ suspendit. Solent enim Hypocondriaci ab his flatibus nimiè molestari à principio accessionum vsque ad finem vigoris summa molestia ventriculi, quibus frigida nocent, quia caloris inopia intenditur, & paucus spiritus extinguitur, oppressio viatum augetur, & cohibitus flatus molestat de nouo. Vnde vinum auxilium est, aut aqua instillatitia florum camemali moderatè calida, cum confectione hyacinthorum, aut alchermes.

Est ergo summa curationis Cardialgiæ, si sit magna, moderari primò dolorem, deinde vacuare expurgatione, aut missione sanguinis; venæ sectio, & infrequens expurgatio communius auxilium. Tentandus prius vomitus in doctrina Galeni, qui si non sequatur, aut malum non remittatur, tentanda expurgatio eius quod ventriculo hæret sine attractione totius. Si autem clarè agnoscatur, quod totum transmittat, roborato prius ventriculo, secabitur vena, nisi humores fluentes omnia exustione præternaturales redditi fuerint. Est celebratum auxilium pro euacuatione humorum imbibitorum in ventriculi tunicis, hiera simp. Galen. quam ita extollit Eustachius *lib. 2. cap. 8.* quòd nunquam viderit finem frustratum fuisse. Sumitur hieræ simp. quantitas ℥.ij. specierum Diacodonis ʒ.ß. cum mica citoneorum non aromatisata, boli conficiantur, & sumantur: quod medicamentum conuenit quando humores in tunicis ventriculi imbibiti sunt, & febris intensa non est. Si autem febris magnitudo Hieram non permittat, dabitur manna dissoluta in lactis sero, aut in iure pulli, aut sirup. Regium solut. cum decocto Tamarindorum, hordei liquiritiæ, & florum buglossæ, cui vtiliter miscebitur ʒ.j. Rhabarbari in substantia, & redacta in puluerem: purgat enim roborando simul os ventriculi. Aut mirabile præsidium ex eodem puluere Rhabarbari, cum sirup. ex pluribus infusionibus rosarum rubrarum, aut lactis sero, in quo flores vtriusque, & violæ infusæ fuerint cum modico spicæ nardi.

Sunt magni momenti clysteres ad deriuandum per alium excrementa irritantia, præsertim Hypocondriacis, & generantibus copiam crudorum. Parabuntur diuersi iuxta diuersitatem humorum, & vbi flatus molestant, recipient carminatiua: & si adhuc flatus abundauerint, cucurbita cum multa flamma supra ventriculum posita incantamenti modo dolorem placat, vt tuetur Galenus; debet autem constare, neque copiam excrementorum esse in ventriculo, neque in illum transmittere, aut totum, aut aliam partem: & præterquam quod celeriter flatus euacuat, potest etiam humorem imbibitum ad externam regionem transferre: si multus non sit, roborandus etiam ventriculus adstringentibus, attempetantibus, & odoriferis, quibus etiam recreandus olfactus, & danda materia ad spirituum generationem; somnus conciliandus, & si humorum mordacitas nimium lancinet, attemperanda optimo victu in quantitate mediocri; permixti enim alimentis humores mordaces, nimis cohibetur mordicatio. Est alimentum celebre Ptisana, cui grana granatorum acidorum admixta sint, aut mica panis loti succo Omphatij imbuta, & niue infrigidata, quando calida causa, & acris erodit, aut iura auium cum acido citri dato. Fugienda alimenta facilis corruptionis; à causa calida enim, & mordaci humore corrumpitur facillimè, vt docuit Ga-

A nus, & notauit Tralianus *lib. 6. cap. 10.* Cui doctrinæ aduersatur allegata à Galeno *lib. de paratu facilibus, cap. 97.* Commendat enim ad stomachum anxium, & inquietum lac vaccinum, & asininum, in quo iniecti sint silices candentes. Dixit autem idem Galenus *5. Aphor. comm. 64.* lac corrumpi facillimè adhuc in benè valentibus, si non assumatur à temperato ventriculo, à calido enim in nidorem mutatur; à frigido verò in acidum. Constat verò æstuantem ventriculum esse, qui Cardialgia opprimitur, quod ferè semper contingit, vt notauit Galenus *in 12. Meth. cap. 8.* Vt medicamentum iam diximus lac esse vtilissimum datum in copia requisita ad expurgandum; in hac enim non vincitur à causa morbi, sed eam superat. Vt alimentum verò mihi suspectum est ob rationes iam dictas à Galeno; & si

B aliquod potest permitti, est asininum: est autem alimentum optimum, quod sic paratur. Recipe amygdalarum dulcium mundatarum ℥.j. seminis melonum, & cucurbitæ, ana ʒ.ß. seminis lactucæ, & papaueris albi, ana ʒ.j. contundantur, effundendo decoctum hordei, & fol. lactucæ, ana lib. j. saccari albissimi, quod satis: fiat emulsio, periculis quidem, quando dolor nimium molestat ob ardorem, & actimoniam, somnumque conciliat. Notabitis tamen, ne rancida sint semina, tempore enim incalescunt, & in oleaginosam naturam permutata inflammantur: Vnde si vetustate suspecta sint, corriguntur macerata prius in aqua frigida.

CAPVT IV.

C

De inflammatione ventriculi. Quid sit?

De calidis apostematibus ventriculi tractat Auicenna *fen. 13. lib. 3. text. 4. cap. 1.* sunt enim acutæ, & mortales passiones, earum curatio difficillima, etsi cognitio facillima sit. Dicitque primò: stomacho accidunt Apostemata calida propter causas cognitas, & ex illis causis sunt dolores prolongati. His verbis docetur, ventriculo generari calida Apostemata, vt generantur in partibus reliquis per defluxum sanguinis nimium, vel humoris calidi, ex vasis maioribus ad minora, ex minoribus ad capillaria, ex capillaribus ad poros partium; semper enim fluxio firmatur in parte

D debili, & fortiores reiiciunt in illam peccantes, & molestantes humores, contra quarum impetum impotens exilit pars debilis; & inde recipere cogitur intra se quod aliæ partes impetuosè expellunt. Si autem per congestionem fiant apostemata, pars ipsa creat in se inflammationis causam; & cùm alioqui constet, expultrici debili accumulari humorum, & excrementorum tantam copiam, quod in tumorem præter naturam eleuent: sæpè autem excrementa in ipsa parte genita, etsi non sint calida ex se, inculcata tamen, & non ventilata putrescunt, aut aduruntur, & sic passionem, seu tumorem calidum generant.

Est morbus in aucta magnitudine, quia tumor præter naturam: Pars affecta, ventriculus, aut secundum se totum, aut secundùm aliquam partem. Causæ iam

E sunt telatæ; nam si fiat ex defluxione, datur pars mittens, & recipiens viatum commoditates, per quas humor, aut excrementum à parte in partem mouentur: peccant humores quantitate, aut qualitate, ob quod pelluntur, quia molestant: si autem fluxio moueatur, non quia partes reiiciant in debilem, causatur tumor, quia in ipsa parte affecta datur origo fluxionis, vt calor immodicus, aut vehemens dolor, aut nimium durans; ob quod dixit Auctor; & illius causæ sunt dolores prolongati; in hac autem occasione fluxionis non est necesse dari humores contra naturam in corpore, aut quantitate, aut qualitate peccantes; nam etsi sint in

in naturali proportione, & statu excitabitur fluxio, quia quamuis partes retinere conentur naturales humores, quia peccat nullus, neque aliqua datur irritatio, pars nihilominus afflicta dolore, aut calore vehementi distemperata trahit ad se deprauatè, sicque vincitur retentrix partium aliarum: loquor in opinione dicentium tractricem partium deprauari dolore, vt in parte naturali docuit Magister, cuius doctrina placuit mihi nunquam; in opinione autem Galeni docentis, totum transmittere in subsidium partis dolentis sanguinem, & spiritum, & sic esse fluxionis originem, constat determinari per dolorem partis, vt pellat, & sic à retentione cessare, quamuis humores non peccent, neque molestiam partibus inferant. Humores causantes hoc malum sunt biliosi, & sanguinei; primi enim Erysipelas ventriculi causant, malum quidem perniciosum, & citò interimens; sanguinei verò humores inflammationem dictam propriè causant: pituitosa enim, aut melancholica apostemata acutum morbum nequeunt producere, quia symptomata grauia sunt, neque mouentur celeriter, sed lentè, & longissimo tempore interficiunt, aut sedantur, cuius rationem *cap. de Angina* retulimus.

In secundo capite tradit Auicenna signa calidarum inflammationum. Primum est, dolor semper durans in ventriculo, qui non remouetur, quamuis regimen bonum fiat: *Tunc enim* (inquit Princeps) *existima, illic esse apostema.* Constat autem, hoc signum satis non esse ad agnoscendam inflammationem, cùm dolor continuus dari possit ex multis causis. Addit dicendo: Illud autem apostema, quod est calidum, significat cum hoc inflammatio vehemens, idem ardor partis & adustio fortis, & febris inseparabilis, seu continua, & dolor pungitiuus, & augmentum horum accidentium, quorum causæ facillimæ sunt; ardor enim, & adustio pendent ex natura succi fluentis, sitis est humida, quia absumitur à calido humore humidum partis, febris continua molestat, quia apostemata partium principalium, & calida aliam generare nesciunt, durat quippè causa, & continuè affligit, & sortitur ventriculus cum corde magnam communionem, & inde incessanter calefacit illud; quia verò cum cerebro etiam per neruos nimium communicat, si crescat incendium, delirant ægroti, & aliquando ita effumat ventriculus in cerebrũ, inquit Auicenna, quòd impotens expellendi quod mittitur, inflammetur, & Phreneticus fiat, aut expulso sanguine cerebri, & reddito atrabiliario fiat maniacus.

Distinctio verò Erysipelatis ab inflammatione non traditur ab auctore, est autem facillima: Erysipelas enim maiorem dolorem causat, minus partem distendit, ob nimiam tenuitatem humoris biliosi, à quo causatur Erysipelas; sanguis verò econtra crassior cùm sit, & corpulentior, partem dilacerat nimia tensione, sed febris in affectu erysipelaceo intolerabilis est, cum implacabili siti excruciana; *lingua pallida redditur, & nigrescit breuissimè*, cum summa siccitate linguam asperam reddente; anxietas, & inquietudo incessanter fatigant ob mordacem humoris naturam lacerantem ventriculum. Pulsus minus durus, quia humor biliosus minus arteriã distendit, quousque exsiccata posteà maiorem duritiem ostendat: vigilia magis vrget, virtus plus labitur, & citiùs; & si malũ crescat, lypiricus æger redditur, connocato spiritu, & sanguine in locum incensum; quo tempore sudore frigido inundari solet. Facies cadauerosa redditur cum pallore, neque seipsos nisi denudatos sustinent, ingentis incendij causa loquela ferè priuantur ob linguæ immobilitatem densatæ à siccitate: quæ omnia symptomata in inflammatione affligunt minus, excepta tensione, & difficultate respirandi ob septi compressionem maiorem, & quia commotus ventriculus consequitur ad Thoracis motũ, dolet magis, & sic respiratio tardior, & paruior fit, quam in affectu erysipelaceo.

D. Petr. M. de Heredia, de Morbis Acutis.

Ex dictis constat, malum hoc fore grauissimum. Erysipelas autem exitiosum magis, significántque periculum mortis breui fore, teste Hippocrate 1. *lib. prognost. text.* 25. & 26. cuius sunt verba: *Edema in Hypocondrio durum & dolens, pessimum quidem, si in toto sit hypocondrio: si autem in altera parte, minus periculosum est; significant verò Edemata hæc in principio quidem periculum mortis breue fore, &c.* Constat verò, quòd si iecur inflammatum tam magnum includit periculum, non erit minus mortalis inflammatio ventriculi, imò magis, quia non minus confert ad bonitatem nutritionis, & est inflammatio ventriculi dolorosa magis, & plus trahens cor, & cerebrum in consensum, quod non dubie periculum ampliat. Quod autem dicit Hippocrates, in principio significare periculum mortis breue fore, nec sumitur principium pro prima inuasione morbi, aut pro tempore cruditatis, neque pro primis tribus diebus, sed idem est, ac si diceret, quòd statim ac Medicus agnoscit inflammationem in visceribus, facit suspicari, aut timeri euenire posse mortem breui tempore, quia malum est acutissimum, & inde manendo intra propriam speciem, aut soluetur citò, aut breui interficiet: Quòd si prædicta inflammatio virtuti iam debili associetur, desperatum negotium est, teste Galeno 10. *Meth. cap.* 5. *Nam inflammationes* (inquit) *Pulmonem, pleuram ventriculum, aut iecur obsidentes, non solum his qui tam imbecillis sunt viribus, sed etiam his qui valentiores ipsis sunt, mortifera esse solent.* Loquitur enim de biliosis hominibus, quibus comparat alios, qui tales non sunt; & si istis mortalis esse solet inflammatio ventriculi, constat periclitari magis biliosos, quòd resoluantur facilè, & minus sint ex temperatura robusti. Est enim, inquit, vna salus pleuriticis, peripneumonicis, anginosis, iecoris, & ventriculi inflammatione laborantibus. Ipsum virium robur, addit Auicenna, quòd quando accidit cum dolore stomachi, frigus extremitatum tunc est signum malum, si autem per dolorem intelligat ortum ab inflammatione, non exponit satis benè periculum, non enim solùm est malum, sed malignum, & desperatum, cùm significet magnam inflammationem ventriculi, cuius incendio sanguis & spiritus trahuntur in locum inflammatum, & sic algent extrema, & lypiricus æger factus est: In quem sensum dicit Hippocrates 4. *lib. aphorism. tex.* 48. *In febribus non intermittentibus, si exteriora sint frigida, & interiora vrantur, mortale est.* Et cùm ita experimento probetur, remissè loquitur etiam Hippocrates *lib.* 2. *Prognosticor. text.* 3. dicendo: *Si caput, & manus, pedésque frigeant, ventre, & lateribus calentibus, malum*: cùm vt dicit in Aphor. sit mortale, & quod in Aphor. appellauit exteriora, explicuit in Prognosticis, esse caput, manus, & pedes; interiora verò Thoracem, & ventrem inferiorem, cùm scilicet regionem, quæ est inter alas, & inguina, continet, nimirum omnia viscera interna, in quibus factæ inflammationes, dum malignæ sunt, aut increscunt, cum summo incendio interiori frigida percipiuntur externa. Inde dicebat Trallianus *lib.* 7. *cap.* 14. magna diligentia esse opus, si inflammetur ventriculus, quoniam maximum morbum, & necessitatem corporis adfert: quòd si nausea, vomitus, & conturbatio assiduè repetant, euomat verò parum, aut nihil, prauum signum est, inquit Galenus; significat enim humorem esse malignum, quia incessanter irritat, & ex alia parte contumacem, quia concussione continua vires destruit; inflammatio exasperatur nouo dolore, & tractioni, coctionique obstat, cùm semper concussio retentionem humorum auferat, sine qua coctio non agitur.

CAPVT V.

De Curatione inflammationis ventriculi.

HVius grauissimi mali curationem tradit Princeps *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 4. Dicit primò, quòd quando incipit inflammatio, aut timemus illam, quia magnus ardor, & vstio ingens sentitur, applicentur in ventriculo repercutientia, vt oleum cithoneorum, aut emplastrum paratum ex cithonei corticibus, cucurbita, portulaca, & farina hordei, aut ex rebus similibus habentibus eandem vim cum relatis medicamentis. Notat Iacobus hæc topica auxilia applicanda non esse antequam totum euacuatum sit venæ sectione; nam cùm totum sit plenum, præsertim vasa proxima parti inflammatæ, frustrantur effectus repellendi, quia non datur via, per quam retrocedat id quod repellendum est. Quod præceptum commune est, nihil tamen impedit statim à prima sanguinis missione repellentia illa, & attemperantia applicare, non enim vtilia sunt, quia repellunt, sed magis quia partem debilem firmant, & roborant, ne recipiant tam facilè: calor etiam immoderatus partis inflammatæ, aut dolor tractionis causæ potentissima sunt, & inde attemperare incendium, & mulcere dolorem, est non dubiè contra fluxum pugnare, vt pugnamus missione sanguinis, & aliis auxiliis repellentibus.

Dixit deinde, cauendum esse in cura inflammationis à medicamento expurgante forti, aut à medicamento ciente vomitum; quoniam administratio vomitus, inquit, error est. Primum desumpsit ex Galeno 13. *Meth. cap.* 11. dicente: *Siquidem longissimè à tentata fluxione à parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit; hac itaque ratione neque si ventriculus, aut intestina phlegmone occupari iam cœperint, medicamento, quod aluum deiiciat, vti conuenit.* Vomitum etiam humores trahere ad ventriculum dubium esse non potest; & ex alia parte, vt retulimus anteà, concussione, & agitatione inflammationem exasperat, nouum dolorem creando; nam vt rectè Galenus, omne inflammatum integram quietem desiderat. Vnde meritò dixit Princeps, administratio vomitus est error: quia verò ex ipsa inflammatione solet resudare humor mordax in cauitatem ventriculi, irritans, & ad vomitum, & nauseam inclinans; opus est aliquo leniente medicamento euacuante sine tractione; id quod innatat, & nauseam, & vomitum mouet. Idem tentandum est per clysteres: nam etsi Rasis post missionem sanguinis vomitum consulat, securius est per aluum euacuare quod in cauitate innatat, vt doctè notauit Gentilis; non enim potest negari vomitum etsi leuem, inflammationi nociturum.

Dicit deinde Auicenna: *Phlebotomia autem necessaria est in pluribus horis.* His verbis consulit venæ sectionem, quoniam alio auxilio tardò sedantur inflammationes internæ: Est autem secanda vena interna vtriusque brachij, nisi directè cognouerit Medicus, iecur transmittere causam inflammationis: quod est probabile euenire, præcipuè in Erysipelate; tunc enim secanda est Basilica, seu interna dextri brachij, nisi simul complicetur febris putrida intra vasa, cuius occasione in vtroque brachio secanda est vena. Est enim magni momenti in omni occasione partem mittentem inanire, & vt iecur putatur ferè semper origo fluxionis calidorum humorum, sic ex dextra Basilica potiùs extrahendus est sanguis. Vnde constat ex talo etiam esse vtilem eandem euacuationem, quando menstrua diminuta, aut suppressa, alia inferior euacuatio, vterus, aut alia pars inferior transmittens agnoscitur. Quod autem dicit Auicenna, in pluribus horis esse necessariam venæ sectionem, exponit Gentilis, quòd aliquando necessaria non sit, aut quia ætas non admittit, aut quia virtus prohibet, aut est timor de materiæ euolsione: hoc vltimum mihi, vt cap. placet de Phrenitide contra Gentilem docui, putantem in Erysipelate puro ventriculi sanguinem mittendum non esse, ne bilis effreniret. Esset enim desperatum omninò ægrum relinquere; nam cùm expurgatio non possit ob affectum, & affectam partem exerceri, si priuetur sectione venæ, non erit in arte proportionatum auxilium pro tanto malo. Iacobus per plures horas videtur intelligere, quòd repetatur sanguinis missio vsque ad mutationem coloris, vt de Pleuritide docuit Hippocrates 2. *lib. acutorum.* Intelligerem ego per plures horas esse efficiendas plures sanguinis missiones in moderata quantitate, & repetendas esse pluries, si virtus constet: Sic enim indicant reuulsionis leges, & natura ventriculi, qui semel non admittit sine magna virium iactura magnam missionem sanguinis, & ob dolorem acutum huius affectus id etiam impedit. Id tamen prætermittendum non est, quòd vbi squalidum iecur in ventriculum mittit biliosum sanguinem, vt solet, fit vtilissima sectio saluatellæ dextræ; nam prætterquam quod ipsum deonerare magis creditur, & plura attemperare, est auxilium magis reuulsorium, quia ad maiorem distantiam quàm Basilica vena reuellit humores fluentes, & fluxuros.

Rursus repetit Princeps, non esse dandum medicamentum expurgans forte, nec vomitorium: *Et sit contentus* inquit, *medicinis, & cibis lenificantibus, vt aqua hordei attriplicis, & cucurbita, & multiplica,* inquit, *medicinas lenificatiuas, ceu cassiam fistulam: non est malum, vt euacuatio fiat cum cassia fistula, quoniam confert apostemati, & exsiccat materiam; & quandoque admiscetur illi ex hiera, & aloe vsque ad* ʒ.ß. *sed melius,* inquit, *est, quod detur cassia fistula dissoluta in aqua Endiuiæ, & ponitur aliquando simul aliquid Absinthij, quoniam est inuatiuum cum sicca stipticitate.*

Duplex indicatio est, ob quam dari potest aliquod medicamentum, expurgantibus leniendo primò, quando, vt dixi, mordaces humores, seu ichorosæ humiditates resudant ex loco inflammato in cauitatem ventriculi, ad nauseam, & vomitum incitantes, tunc enim vtiliter cassia propinatur, & si copia materiæ resudatæ permittat, permiscebitur hiera, aut aloë; vt dicebat Princeps: hæc enim ex toto trahere nequeunt. Alia indicatio est, quando iam concocta inflammatione remanet impactum quod resolui non potuit, tunc enim vtiliter datur aliquid ex dictis medicamentis, vt educat, quod in poris imbibitum resolui non potuit, eo modo, quo Galenus in Iecoris inflammatione expurgantia leuia consulit, vt educatur quod cauam partem Iecoris molestat, & non potuit. Vnde sine fundamento aliquo praxis Auicennæ damnatur à Lupeio, cùm sit optima, & securissima, quinimò si aluus siccescat, vt solet, ad eius emollitionem vtiliter dabitur Cassia, ob quam indicationem præbet Princeps aquæ solatri, & Endiuiæ ana ℥.ij. medullæ Cassiæ fistulæ ℥.iij. olei amygdalarum dulcium, & cucurbitæ ana ʒ.ij. misce; sumatur in potu sine cessatione vsque ad diem septimam; si sicca fuerit aluus, vt naturam leniat. Quando verò dixit, quòd Cassia exsiccat materiam, est intelligendus, quòd exsiccat euacuando aliquid; nam cassia, cùm sit humida, nequit alio modo exsiccare materiam phlegmonis.

Tempore verò principij constat esse imperanda alia omnia auxilia reuulsoria, vt cucurbitæ, ligaturæ, frictiones verò magis conueniunt in partibus superioribus, quàm in infernis. Dicit deinde Auicenna: Et oportet, ne ausi sint potare aquam frigidam plurimam, nec calidam, imò frangant eam cum iulepo, aut robub. fructuum: incommoda aquæ multæ, & frigidæ innumera sunt, nam ventriculi corticem effeminant, materiã infl. mma-

inflammationis indurat, & irresolubilem reddit: vnde in schirrhum permutata inflammatio paulatim, & longa molestia tabidum ægrum reddit, constipatis poris ventilatio impeditur, & aluus redditur siccior, nisi debilitata retentrice lubrica magis reddatur sine commodo aliquo, imò perniciose; aqua verò multa, & calida feorem non mitigat, sed inflammat ventriculum, laxat, & ad fluentem materiam recipiendam reddit aptiorem: Est ergo danda aqua in copia minori, & non minus frigida; & hæc erit securior, adhuc si, ermisceatur cum serapio aliquo idoneo, vt rosaceo, endiuiæ, violaceo, aut granatorum. Est celebre, quod paratur ex aqua purissima cum saccharo albo, & aqua rosarum rubr. per vitrum distillata, communibus internis inflammationibus vtilissima, sic parari potest. Recipe aquæ ros. rubr. per alembicum extractæ ℔. j. ß. sacchari optimi ℔. j. albumine oui perpurgentur, & coquantur ad formam iulepi, cuius sume ℥. j. & ß. aquæ limpidissimæ, aut per mortarium lapideum percolatæ ℥. vj. aut iiij. misce; & sumatur moderatè frigidum, suauissima potio attemperans, roborans, & cordi, ventriculoque amantissima. cui addi potest, si malignitas adsit, aliquid serapij de acido citri, vel limonis, aut oxalidis; aut sic paretur. Recipe aquæ purissimæ ℔. j. aquæ rosar. rubr. succi limonis, & citri, ana ℥. iij. coquantur, donec spumam obiecerint, & sumatur idonea quantitas pro attemperatione. Danda etiam per interualla serapia roborantia ventriculum, vt firmetur virtus illius, & ne recipiat facile, vt de succo granatorum, de agresta, de acido citri, limonis, Oxalidis, violaceum, rosaceum, & in summo incendio de papauere, portulaca, & de nimphea, danda sunt sine aquis. Nam sic detinentur diutiùs in ventriculo: succi depurati laudantur magis, quàm serapia, ob multum saccharum, & quia in decoctione prolixa frigiditas nimium deperditur, & hoc præcipuè in Erysipelate obseruabitur, quia vt est biliosum, & siticulosum, maiori refrigerio eget, & crebrò repetenda, & dantur ad ventriculi robur, & in pauca quantitate: quæ verò dantur pro præparatione humorum, semel, aut bis condentur, in maiori tamen quantitate, vt attemperentur, & præparentur.

Sed cùm in præsenti capite agat Princeps de omnibus calidis tumoribus ventriculi, dum prohibet potum copiosum aquæ frigidæ, intelligendus est respectu inflammationis pendentis ex sanguine; nam si verum sit Erysipelas nihil magis requirit, quàm abundantem potum gelidæ aquæ, vt Galenus 9. *Meth. Porrò Erysipelas, quod verum sit Erysipelas, non aliter sanabis.* Ex cuius loci lectione colligitur, non esse expectandas coctionis notas, vt in Erysipelate puro detur copiosè frigida, nam ait post relata verba: *At si mixtum cum phlegmone sit* (Erysipelas scilicet) *in hoc concoctionis expectandæ sunt notæ.* Quod non animaduerteret, si Erysipelas solum signa coctionis exposceret. Et ratio est; quia incendium illius est tantum quod sine periculo vitæ, aut incidendi in hecticam, vel corruptionem partis sustineri non possit, imò ipsa attemperatio ad coctionem requiritur. Nec aduertere est opus, ob vrgentiam caloris in inflammatione posse dari copiosum frigidæ potum, cùm id docuerit expressè Galenus; melius enim est incrudare phlegmonem, quàm permittere, vt æger suffocetur incendio, vel cadat in hecticam; quod præcipuè obseruandum in hominibus calidæ, & siccæ naturæ, & his qui ex lassitudine, aut immoderato labore, aut alia causa calefaciente, & exsiccante inciderunt in febrem, & phlegmonosum affectum, vt docuit Galenus 10. *Meth. cap. 6.*

Addit Auicenna, quòd abstinentia à cibo est valdè iouatiua, de quo dicemus inferius. Addit, quòd si dolor sit vehemens, dentur ʒ. iij. de semine cucumeris: terendus cum frigida aqua est, & in ℥. iiij. aquæ dabitur. Aut sumatur, inquit, aqua Tabarcer, quoniam est vtilissima, aut aquæ Taraxacon: Tabareet, est saccharum candum spontè ortum, non ita dulce sicut quod arte paratur: caremus illo, loco cuius sumitur saccharum nostrum albissimum, cuius ℥. ij. coquentur in ℔. ij. aquæ, & decoctum sumetur frigidum. Taraxacon est Endiuia siluestris, stomacho amicissima, vt Dioscorides tradit *lib. 2. cap. 115.* quæ si non sedent dolorem, serapium papaueris, & portulacæ vtile erit cum eisdem aquis: aut sumetur oleum amygdalarum dulcium recenter extractum, cum puluere sacchari albissimi; etenim dolor symptoma citò vires exsoluens, cui uelocissimè auxiliari oportet, ne syncope adueniat: quem mitigauit etiam potus lactis tepidi, in quo flores Camemali, melilotus, rosæ rubræ, folia maluarum, & absinthij dulcis incoquantur. Confert etiam ius gallinæ pinguis cum saccharo, & modico croci sumere paulatim, & moderate calidum, aut fotus fiat ex oleo rosaceo, amygdalarum dulcium, & absinthij cum guttulis vini albi odorati. Relatis auxilijs intendit Princeps mitigare dolorem, remittere incendium phlegmonis, & impedire incrementum illius: quo facto, ad resoluentia accedit, dicendo: *Cúmque sedatur inflammatio, & lenificatur apostema, tunc est hora resolutionis.* Quæ doctrina notanda est maximè. Sunt enim resoluentia, & calida suspecta nimis, si non cessauit fluxio, nec incendium fuit mitigatum. Calore enim, & attenuatione, apertionéque viarum facillimè irritatur fluxio, & de nouo vrget, & opprimit. Loquitur hic auctor de resoluentibus in maiori copia adhibitis, quæ propriè debentur phlegmoni iam inclinanti, ante quæ miscenda sunt, quæ minus resoluant, & cum maiori adstringentium copia in augmento: in æquali verò quantitate in vigore summo. Notat tamen Auctor, adhuc in declinatione non esse applicanda sola resoluentia, & laxantia, sed esse miscenda aliqua adstringentia, & roborantia, sumpta indicatione à partis officio; cùm enim commutet alimenta pro vniuerso corpore, & cum extrema cruditate ipsorũ pugnet, vt superentur, indiget magna vi concoctricis virtutis, quæ adstringentibus seruatur, destruitur verò laxantibus, & resoluentibus; quæ est doctrina Galeni, & omnium rectè sentientium. Idémque obseruandum in iecoris Inflammatione, & in omni alia parte, cuius munus est commune corpori, vt dicit Princeps; ita & stomachus est quidem in hoc dignior quàm hepar, id est, ventriculi munia requirit, & petit magis adstringentium permixtionem. Ratio pendet ex dictis, quia cum alimento magis crudo colloctatur: quod non capiens Iacobus, suum derelinquit Patronum, & putat, iecur esse dignius. In hoc triplicem tradit rationem. Primam, quod iecur sit velut sanguis coagulatus, ventriculus verò duabus constat tunicis; est verò resolubilior substantia iecoris. Secundò, quia Iecur est magis principale. Tertiò, quia velocius calesit, & inflammatur à resoluentibus auxilijs. Inanes quidem rationes: adstringentia enim non permiscentur ob maiorem, vel minorem resolubilitatem, sed ob munia, vt diximus. Constat verò ventriculum fortissima virtute egere, non solùm quia, vt docui, alimentũ crudissimum vincere tenetur, sed etiam quia in maiori copia, & totum simul alterat, & ab eo repatitur; multò enim plus distat panis à Chylo, quàm Chylos à sanguine; nimirum Chylus iam habet dispositiones inchoatas viuentis, éstque defæcatum magis alimentum quod indicat stercorum copia, & crassitudo per secessum reiecta. Et si ratio secunda aliquid probaret, in corde deberent poni adstringentia maiora, quàm in Iecore; quod nullus dixit. Est etiam tertia ratio friuola, quia caliditas medicamentorum debet esse æqualis excessui corporaturæ humoris; neque partes viuentis potest liquare; & adstrictio, quæ cum resoluentibus permiscetur, impedit hoc damnum. Constat verò ex doctrina Galeni, nullum esse tam celebre auxilium, quod aliquo modo non noceat:

addantur. Dandum alimentum in pauca quantitate ob ventriculi imbecillitatem: Hic enim morbus totalem alimenti ablationem desiderat, si victus ferat; idem in potu indicandum. Cauenda semper crurum fricatio, nisi menstrua, aut à partu purgatio detenta occasionem dederunt. Cucurbitæ conferunt in partibus superioribus, præcipuè si duabus horis ante accessionem applicentur. Brachiorum etiam continua fricatio vtilis est: somnos moderatus conuenit, præsertim in principio; in aliis temporibus longior permittendus; conuocat enim ad interna fluxiones, & ita in principio lædit: in reliquis autem temporibus coctionem iuuat, & materiæ resolutionem. Est vtilissimum aluum mollem seruare; fiet tamen mitissimis medicamentis: nam vt purgatio damnatur in hoc morbo, sic timenda attrahentia ex toto versus intestina.

✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿

SECTIO VII.

DISPVTATIO VNICA.

De Morbis Acutis Iecoris.

CAPVT I.

De Iecoris inflammatione. Quid sit?

EX dictis *cap. præcedenti* perspicuæ manent causæ inflammationis Iecoris, non enim sunt aliæ, quàm in reliquis partibus, & indè ad hoc caput transferendæ sunt. suppositis ergo causis generationis illius, & quòd sit morbus in aucta magnitudine, tradenda veniunt signa indicantia Iecur inflammatum absolutè, & cùm ob magnitudinem sui pars caua absque gibba inflammari possit, aut è contrà, quarum distinctio in curatione non leuem adfert vtilitatem, signis etiam distinguemus inflammationem vnius partis ab alia. Iecur verò inflammatum absolutè significat dolor grauans in dextro Hypocondrio durans continuò. Est enim Iecur pars priuata sensu, & propterea non sentit in propria substantia, nec dolet; sentit tamen pondus, & grauitatem tunica ipsum inuoluens, quia ob copiam sanguinis accumulati in inflammatione, nouum, alienúmque pondus visceri accrescit, quod per tunicam in ea regione percipitur. Adest etiam continua febris, etsi inflammatio crescat satis aucta & vehemens, quia inflammatio est in parte calida interna, & principalissima: pulsus erit durus, quia hæc differentia omni inflammationi propriè dictæ conuenit necessariò, vt *cap. de Pleuritide retulimus*, ob tensionem arteriis inductam à sanguine distendente: & quia distensio est inæqualis simul cum duritie, pulsus etiam erit serrans. Est etiam respiratio difficilis, non solùm quia Iecur semper concutitur in ipso motu respirationis per consensum cum septo transuerso, & aucto dolore minor, & tardior redditur respiratio, & inde crebrior, vt in Pleuritide diximus; sed etiam quia à tumente Iecinore septum comprimitur, & redditur angustius, & per consensum etiam Pulmonum cauitates coarctantur, ex qua occasione ad auferendum impedimentum respirandi tussis sicca molestat, vt in omni alia angustia molesta Pulmonis. Quorum signorum concursus, si attentè contemplentur, Pleuritidem lateris dextri æmulatur, ita vt inter Medicos in consultationibus non leuis dissensio, & discordia excitetur, an Pleuritis, vel Iecoris inflammatio

A ægrotum molestet, & triuiales Medici communitate Pleuritidis facilius seducti, inflammationem Iecoris putant esse Pleuritidem, & calidis, laxantibusque assiduè applicatis certam perniciem ægrotantibus adferunt. Dicemus verò inferiùs, qua ratione distinguendæ sint hæ inflammationes.

An verò inflammatio cauam Iecoris partem, vel gibbam obsederit, cognoscere docet Princeps *fen. 14. lib. 3. text. 3. cap. 4.* & tradunt Auctores ex Galeno *5. de locis*, dicente: *Quæ in simis Iecoris partibus eueniunt inflammationes, vt magis quàm illæ, quæ in eius gibbo fiunt, fastidium, nauseam, vomitum biliosum, sitim ingentem inducunt: sic econtrario, quæ in gibbo sunt, maiori quàm illæ dolore inter respirandum laborantem afficiunt, magisque tussim excitant, atque dolorem vsque ad iugulum dextræ* B *partis, adeo vt detrahi videatur standum.* Distinctio itaque vnius partis ab alia sumitur per symptomata causata in partibus proximis Iecori; quia enim ventriculus per venam portam magnam communionem cum Iecore sortitur, trahitur in consensum facillimè, & magis quàm reliquæ partes, & inde cibi fastidium, sitis, biliosus vomitus, Cardialgiæ, aut singultus grauiora infestant. Sunt enim ventriculi symptomata cauæ parti Iecoris consentientis facillimè, & eadem ratione symptomata linguæ, siccitas nempè, asperitas, & nigredo, aut alius color extraneus, percipiuntur vehementiora.

Quia verò pars gibba Iecoris maiorem cum septo, & Pulmone societatem participat, & inter respirandum C Iecur magis opprimunt, ideò difficilius respirant, quando pars gibba inflammatur; cor etiam patitur magis per consensum ob communionem vtriusque visceris per magnam venam, & inde cor inflammatur magis, licet cum cauæ partis inflammatione patiatur nimis ob consensum, quem habet cum ventriculo: & ita Auicenna *c. 4.* inter signa superuenientia cauæ parti inflammatæ enumerat syncopem: immediatiùs vero, faciliùs, & magis consentit cor cum gibba parte inflammata, non solum quia plus incenditur, sed etiam quia paruior redditur respiratio. Respirant quidem ita affecti, vt testatur Galenus *lib. de vtil. 4.* paruè, & crebro; & cùm difficiliùs respirent, si inflammetur pars gibba, paruiorem reddent respirationem, quæ summè mala est, & periculosa, quando illi magnum incendium adiun- D gitur. Copulatur enim septum cum Iecoris gibba per cauam venam ex gibba nascentem, & inde distenta hac parte comprimitur septum, & minus obsequens redditur motui respirationis, quia tensum manet per mediam venam, & ad hanc compressionem septi auferendam incitantur ad tussim, & propterea Auctores siccam inter signa inflammati Iecoris collocant, quia non ab humore, sed à compressione, & tensione causatur. Hinc etiam, vt Galenus dicebat *5. de locis cap. 6.* si inflammetur pars gibba, maiori, dum respirat æger, cruciatur dolore, quia commoto septo dilaceratur de nouo per venam tunicam, & fibras ex parte gibba nascentes, quibus in septo communicatur. Hinc colligo, non rectè sensisse Vallesium *1. lib. Progn. cap. 7.* dicentem, in- E flammationem Iecoris eodem modo mutare respirationem, ac permutat ardor solus. hoc enim perspicuè experimento, & rationi refragatur; nam si septum comprimitur, & in motu respirationis dolor augetur, implicat magnam respirationem elici, quinimò parua fiet, ob vitium instrumenti etsi magna esset respiratio, vt in solo ardore hoc solo signo à Pleuritide distingueretur facillimè quod negant omnes: & Paulus *lib. 3. c. 46.* postquam posuit signa Iecoris inflammati, & inter illa respirationē difficilē, dixit: *Cùm autem similia signa in pleuriticis sint, &c.* & tussis sicca inter signa Iecoris inflammati enumeratur, quam & Galenus tradidit *5. de locis, c. 4.* Vallesij errorē conuincit cùm fiat propter septi, & Pulmonis compressionem. Vnde Trallianus *lib. 8. cap. 1.* dixit,

quòd gibba iecoris inflammata tussiculam mouet, septum coarctat, &c. [A] Et ex historia Siculi Medici tradita a Galeno eodem *5. lib. cap. 7.* constat, paruam, & crebram habuisse respirationem, ob quod Siculus suppressum putauit pleuriticum, cùm laboraret Iecoris inflammatione.

Nec tamen putetis, tussim in hoc affectu causari semper ob compressionem Pulmonis; contingit enim interdum, quando gibba inflammatur per, cauam venam aliquid in Pulmonem ex inflammatione transmitti, & tussim excitari à materia, vt in pleuritide, & expressè docuit Galenus *2. de caus. sympt. cap. 4.* dicendo: *Perpetuò enim spiritus quidquid illi sit obstaculo, reiicere id per tussim conatur; est autem id, vel humor aliquis, ac descendens, sicut in Catarrhis, vel in asperis arteriis aliquid collectum, velut in Peripneumonia, & Pleuritide, & gibba iecinoris inflammatione.* [B]

Cùm autem à nobis sermo tantum habeatur de acuta inflammatiooe Iecoris, constat caussas fore, vel sanguinem ipsum, si propriè inflammatio dicenda sit, aut bilem, aut permixtionem vtriusque. Melancholia enim, & pituita acutam inflammationem non recreant, vt ex Principe retulimus capite de Angina. Qui verò calluerit, quæ de inflammatione ventriculi scripsimus, discernet facilè, num sanguis, aut bilis inflammationem Iecoris causent: vbi enim bilis auctor illius fuerit, vomitus eius affliget, teste Galeno, aut sinceræ, aut vitallinæ quæ deinceps æruginem æmulatur ob nimiam exustionem in loco inflammato. Addit Princeps: Et posteà molestat vomitus niger, quia ex naturali [C] bile per vstionem primò fit vitellina, deinde æruginosa; & si vstio crescat, nigra reddetur, cum certo ægrotantium exitio. Sitis implacabilis erit, febris ardentissima, sic docente Galeno *5. de locis affect. cap. citato*, dicendo: *Eas enim febres, quas ardentes antiqui vocabant, magna ex parte aduenire videmus Iecoris, aut ventriculi flammeis dispositionibus, atque in Pulmonis inflammatione Erysipelatis participe ardentes febres excitantur, inquietudo, & anxietas, & vigiliæ maiores erunt, & lingua nigredo, & asperitas, & ad delirandum promptitudo maior: crescente morbo incipiunt infrigidari exteriora cum summo viscerum incendio, vt tandem lipiriens æger reddatur, & fortassis colliquabitur ipsius Iecoris calor.*

Quia verò musculi supra Iecur locati inflammati æmulantur etiam iecoris inflammationem, distinguenda [D] est eorum inflammatio. Est autem distinctio facillima, si signa relata teneantur memoria; nam neque ventriculus cum eis consentit, neque tam difficilè respirant; febris erit remissior, & linguæ accidentia mitissima, & proprio tactu percipientur musculorum inflammationes, cum distinctione adducta à Galeno *4. de locis*, dicente: *Quod musculus quilibet, cum totus sibi continuus sit, inflammatio illius sensim diminuitur ad tactum*: hoc est, percipitur figurata inflammatio ad propriam figuram musculi; & cùm iste sensim minuatur in latitudine ista, & in eandem desinat; sic inflammatio similem formationem accipiet. At verò Iecur inflammatum rotundam figuram ostentat, ita vt moles sub manibus ad coacetuatam circumscriptionem desinat. Differt itaque inflammatio musculi in figura, & [E] tumore, vt differt ipse musculus à Iecore in naturali formatione; quod etiam notauit Prioceps in *cap. 3.* adducendo discrimeo inter inflammationem Iecoris, & musculorum: *Cognoscitur* (inquit) *differentia in parte figura, quia figura inflammationis Iecoris est lunaris; lacertorum verò, & musculorum est similis stylo, cuius vna extremitatum est grossa, & altera est subtilis, & est quasi cauda muris.* Addit: *Et quòd apostema musculi apparet semper tactui*: nimirum repræsentatur durities, & tensio, & apostema Iecoris non semper apparet, præcipuè si inflammatur pars concaua, & homo sit obesus; nam à pinguedine, & carne musculorum abdominis occultatur durities inflammati Iecoris, & multò magis in parte caua: & quia in homine obeso potest etiam occultari inflammatio musculorum transuersalium, qui Iecori proximiores existunt, ex nullo meliùs agnoscetur discrimen, quàm ex præcepto à nobis adducto, quia scilicet deficiunt signa omnia Iecori debita, aut absolutè, aut per compassionem ventriculi septi transuersi, aut cordis, quod his verbis *cap. 3.* in fine tradidit Auctor dicendo: *Ex parte autem accidentium propriorum, & communium, quæ ex accidentibus propriis, & communibus, quæ accidunt apostematibus, quæ sunt in hepate, non est aliquid in apostemate lacertorum, de quo sit curandum.*

Inflammatio musculorum rectorum (sunt autem externi, & primi) tactu ignorari non potest; statim enim si tangantur, dolentes se offerunt, & cutis ipsa ventris tensa remanet, vt digitis plicari non possit: éstque tumor, seu corpulentura inflammatio oblonga, & per totum ventrem extensa, vmbilicum interdum apprehendens, vt ipsum apprehendit musculorum naturalis positio: rectis musculis succedunt obliqui, & inde obscurior est eorum cognitio. Tertia coniugatio musculorum est etiam difficilior, sed magis quàm omnium eorum, qui dicuntur transuersi. Vnde, inquit Galenus, nihil mirum, quòd cùm sub tot musculis iecur collocetur, tactus inflammationem illius assequi non possit, nisi fuerit inflammatio prægrandis, aut musculi ipsi extenuentur marcore.

CAPVT II.

Qua ratione sit distinguenda inflammatio Iecoris à Pleuritide illius lateris.

Methodum distinguendi inflammationem Iecoris, & Pleuritidem lateris dextri, adduxit Auicenna *fen. 10. lib. 3. tract. 4. cap. 4.* & nos vsque ad hunc locum distulimus. Dicit ergo: *Quoniam Pleuresis est similis apostemati hepatis propter tussim, febrem, constrictionem anhelitus, & propter tensionem suspensiliorum, & ex pulsatione doloris ad panniculum cooperientem: oportet vt distinguatur inter vtramque.* Et inferius adducendo discrimen dicit: *Et differentia inter apostema hepatis, & Pleuresim est, quoniam pulsus in apostemate hepatis est vndosus, & dolor est grauatiuus, non pungitiuus.* Primum signum est falsum absque dubio, nec potest sustineri doctrina Auicennæ. Est enim omni inflammationi communis pulsus durus, & quodammodo serrans, vt ex Galeno retulimus *cap. de Pleuritide*, & hoc publicè confitentur omnes: & cùm Iecur sit pars ad duritiem, & tensionem aptissima, & præcipuè ratione membranæ, repugnat, quòd quando inflammatur, detur pulsus vndosus; imò nulli parti magis vndosus pulsus repugnare videtur, cùm sit controuersum, an possit œdemate laborare. Cùm ergo pulsus vndosus sine mollitie instrumenti fieri nequeat, & inflammatio Iecoris non solùm non emolliat, sed potiùs econtrà tendat, & induret tunicam, repugnat esse vndosum: Erit ergo durus, & serrans, vt in Pleuritide; solúmque inuenietur discrimen, quia sit minus tensus, & durus in Iecore inflammato; quia cùm Pleura sit membranosa, & ab illa incipiant arteriæ secundùm tunicam exteriorem, inde indurat eius inflammatio, ac tendit moliò plus arterias, quia inflammatum Iecur: ob quod scripsit Galenus *4. de præsag. ex puls. cap. 4.* *Minus in Iecoris inflammatione indurescunt pulsus, quàm ex Thoracis inflammationibus.* Et idem dixit *cap. 9.* In similem etiam falsitatem cum Auicenna incidit Bauderonius *cap. 64.* suæ praxis. Vnde pro Auicenna putandum est, codicem fuisse corruptum, neque in re tam perspicua, & consona

consona Galeno in locis infinitis aduersus esset noster Auctor; & ita colligere licet ex eodem, *fen. 14. lib. 3. text. 3. cap. 4. & 5.* Constituens enim discrimen inter Pleuritidem & Iecoris inflammationem, dicit: Et pulsus non est valdè serrinus: ergo admittit differentiam serrantis in Iecore inflammato, & per consequens duritiem; nam absque illa pulsus serrans fieri non potest. *Et capite 5.* de Iecoris Erysipelate agens dicit: *Et pulsus est durior, & similiter serrinus*: quod intelligunt expositores, quòd sit durior quàm in Iecoris inflammatione. Est tamen mirandum, quòd etsi Princeps dixit, esse pulsum vndosum in Iecore inflammato, nullo modo tam absurda doctrina à Gentile, & Iacobo impugnetur; imò Iacobus etiasse errans dicit esse pulsum vndosum, quia inflammatio est in membro molli, & carneo, & humido; quasi pulsus præternaturalis species sequantur naturam membri patientis, & non causas, & morbos, quibus afficiuntur; sed de huc latè diximus *cap. de Pulmonia*.

Galenus *lib. 2. de locis, cap. vltim.* sic loquitur: *Ergo in huiusmodi dispositionibus solidum, firmumque discernendi indicium per omne tempus morbi à pulsu sumendum est.* Quæ doctrina mihi non placet, nam si Iecoris inflammatio, & Pleuritis in doctrina Galeni conueniunt in pulsu duro, & serrante, & hæc differentia est communis omni inflammationi, vt docuit ipse 4. *de caus. puls. capite 6.* non firmum indicium, sed anceps, & dubium erit. Neque obstat, quòd in Iecoris inflammatione erit minus durus, & propterea etiam maior quàm in Pleuritide: Sed contra est, quia cùm in principio fluxionis non semper sit æqualis fluxio, poterit copia humoris maior in Iecore tam durum efficere pulsum, vt Pleuritis minor; præterquam quod distinctio secundum magis & minus in eodem specifico signo nequit distinguere exquisitè morbos diuersæ naturæ, quinimò similitudo semper confusionem parit. Nec mihi videtur dubium, tam durum pulsum monstraturum inflammationem Iecoris in iuuene, vt Pleuritis ostendat in puero, ob maiorem mollitiem membrorum, & partium.

Secundum signum Auicennæ est, quòd in Iecoris inflammatione sit dolor grauans, non pungens: at in Pleuritide pungens est necessariò: hoc signum fallere etiam potest, si simul inflammetur cum iecore tunica illud inuoluens; sed quantum ad rationem physicam certum est signum. Addo etiam non semper esse necessarium dolorem grauantem in Iecore; nam si inflammetur sola caro illius, & non sit inflammatio magna, erit pondus in parte dextra, non tamen dolor. Ratio est, quia non semper sic ponderat humor collectus, vt membranam, aut tunicam dilaceret. In quo euentu rationes adductæ contra Vallesium non erunt magni momenti loquendo absolutè; si autem necessariò fateamur, dolorem esse grauantem, quia membrana rumpitur pondere efficacissimo, tunc meritò dubitabis, an quando membrana rumpitur, sit tantummodo dolor grauans, nam dilaceratio, & ruptio partis membranæ, seorsim dolorem grauantem non efficit. Vnde si pondus adsit, erit pondus similis, qualis debetur ruptæ membranæ, & complicabitur simul sensus ponderis; & mihi ita esse videtur, dari nempe duplicem sensationem molestam: quia verò pondus semper est præsens, & tactum incessanter immutat, ideò dolor grauans, & pondus molestum semper infestat tanquam inseparabile accidens.

Addit Auicenna, quòd in Iecoris inflammatione facies conuertitur ad malam citrinitatem; quòd signum infidum est, nam in inflammatione sanguinea talis color non erit in eius principio, quia non omnis corruptio per putredinem murat sanguinem in bilem, neque quæuis mutatio intrinseca statim in principio totam faciem immutat, sed tempore longiori, & febres

A continentes ex sanguine clarè Auicenna redarguit, in quibus totus sanguis putrescit, vt in Iecore inflammato, in quibus facies non pallet, sed tota rubra percipitur; & quamuis postea pallor sequatur, est omninò impertinens. Quærimus enim signa distinctiua in principio morborum, vt enratio perfecta instituatur. Addit Princeps, quòd in Iecoris inflammatione tussis est absque sputo: quod signum peccat in multis. Primò, quia in parte caua inflammata tussis non datur, neque in gibba, nisi sit magna inflammatio; non enim per quamcunque inflammationem se Pulmo, & septum comprimuntur, vt tussis excitetur. Præterea vrgentius, quia tussis sicca datur etiam in Pleuritide, vt testatur Galenus cum experimento *lib. 2. de locis, cap. vlt.* Tandem, quia vt ex eodem Gale-

B no docuimus, etiam in inflammatione Iecoris datur aliquando tussis cum sputo: quòd autem lingua reddatur nigra, & sequantur deiectiones hepaticæ, seu similes loturæ carnis, essentialia signa non sunt ad superueniẽtia, & tales deiectiones tardò dantur in Iecore inflammato.

Sed qualiter hoc sit distinguendum, breuibus accipite verbis. In primis si exquisita sit Pleuritis (de hac enim loquimur) nullum infert symptoma ventriculo, vt facit Iecur inflammatum, & inde nec vomitus, nec sitis implacabilis, neque alia linguæ accidentia statim in principio apparent ob magnam distantiam eum ventriculo; & quamuis tussis esse possit & humida, est tamen infrequens omninò, quòd sit cum sputo: & tussire non est essentiale signum in Iecore inflammato, vt

C est in Pleuritide. Propterea si reliqua signa appareant, & tussis deficiat, constat Pleuritidem esse non posse; situs etiam partis dolentis venit notandus maximè; nam inter Pleuram, & Iecur mediat septum transuersum: vnde Pleuritis contenta intra Thoracem necessario tactu explorari non potest. At si constituto ægro supinè abductis cruribus tactu percipiatur tensio in dextro hypocondrio cum figura Iecinori debita, pleuritis non est, sed Iecoris inflammatio. Notat tamen Galenus, quòd si inflammetur pars hepatis superior, repugnat per tactum agnosci, eò quòd intra costas inferiores collocatur pars hepatis superior.

Est rursus non leue signum, vt inquit Auicenna, quòd Pleuritis exquisita sine dolore pungente non da-

D tur, quod signum est omninò extra rationem inflammati Iecoris; sed aut est dolor grauans, aut pondus alienum distumpens vasa: at inflammati membranam, non est de intrinseca ratione inflammati Iecoris: hoc tamen semper est necessarium, quia dolor nimirum Iecoris inflammati sit infra septum, nam quamuis aliquando extendatur dolor vsque ad clauiculam, hoc neque contingit in principio, sed quando iam facta est grandis inflammatio, vt testatur Galenus *5. de locis, capite 7.* Et quamuis illud in principio eueniat aliquando, nunquam deficere poterit, quod doleat principaliter intra septum transuersum vbi Iecur locatur.

Addit Auicenna, quòd in Pleuritide est vrina bonæ substantiæ, & color est optimus. Ratio est, quia materia est extra vasa, & in parte distante à renibus, &

E quamuis in Iecore inflammato sit etiam extra vasa, tamen cùm sit in parte, cuius excrementum vrina purgatur, & sit alioqui tam propinqua renibus emulgentibus, & venis maioribus, à quibus vrina attrahitur; ideò vehemens fit in vrina permutatio cum magno incendio, & colore flauo, & cum sensu mordacitatis excretæ, solétque minui quantitas vrinæ, quando pars gibba inflammatur, quia obstruitur via secretionis illius. Addit etiam, quòd in Pleuritide est vehemens respirationis constrictio propter fugam tam intensi doloris, quia in ipso motu respirationis rumpitur pleura violenter, & est etiam inobediens motui, quia nimirum tensa, & ita tam parua aliquando ob relatas cau-

fas respitatio redditur in Pleuritide, quòd æger suffocetur, non potens satisfacete incendio, in lecoris verò inflammatione est notabiliter læsio minor in respiratione, vt sit multò maior, & celerior quàm in Pleuritide; & idem discrimen etiam in pulsu inuenietur, est enim minus durus, & inde dilatatur magis quàm in Pleuritide. Quæ signa si attentè contemplentur, non erit arduum, sed facilimum distinguere vnam inflammationem ab alia, notando, quòd inflammatio cauæ partis Iecotis non ratò æmulatur dolorem colicum, sicut gibbæ Pleuritidem, ob communionem cum partibus diuersis iam dictam.

Eadem methodo distinguenda venit inflammatio lienis à Pleuritide lateris sinistri, exclusis iia, quæ vtriusque partis sunt propria, cùm ita differant in figura lien, & Iecur, neque vrina vitietur, aut malla sanguinatia, cum non dependear à liene; in huiua tamen inflammatione solet cor nimtum pati, ob communionem quam haber cum liene per magnas, & plures arterias. Tandem laborantes lecoris, & lienia inflammatione, facilius decumbunt supine, nam supra latus affectum sempet decumbunt difficiliùs, eò quòd suspenditur viscus inflammatum, si in latere opposito cubet, & si supra idem latus incenditur magis. Pleuritici autem habenr decubitum, qualem proprio cap. diximus.

CAPVT III.

De Prognosticis, & Curatione huius affectus.

VIscerum inflammationes periculosissimas esse publicè confitentur omnes; lecoris verò hoc participat peculiatissimum, nimirum quòd non solùm sit viscus internum, sed principale, corporia vniuersi alimentum præparans. Vnde necesse est subuenturam debilitatem magnam ob alimenti inopiam, & vitium; & quia noua materia reficiendis de nouo spiritibus deficit, exuritur enim alimentum, & nidore affectum erodit, non nutrit, neque aereum quid haber, quod sit spiritibus vitalibus idonea materia, absumitur enim à sanguine pars aerea, & spirituosa ab æstuante lecore: quòd si comprimantur radices venæ cauæ ob magnitudinem inflammationis, impeditur sanguinis distributio, & per venas mesenterij rettocedens deiectiones sanguineæ eueniunt. Vnde duplici capite corpus contabescet, & alimento priuatum, & colliquatum alioqui à iecinore calido: vndè virtus collabitur, & certum impendet periculum, quia vt testatur Galenus, vnica salus est oppressis hoc morbo ipsum vitium tobut, ob quod senes debiles propter ætatem, aut ex alia occasione languidi omnes, & temperamenti biliosi, aut pereunt, aut tabidi fiunt, præcipuè si Erysipelas lecur infestet, aut illius sit particeps inflammatio. Vomitus æruginosus, vitellinus, aut niger, vel porraceus summe malus putatur; niger præsertim, arguit enim ingentem sanguinis vstionem. Iam verò ex Hippocrate diximus *cap. de inflammatione ventriculi*, pessimum esse ædema durum, & dolens, si in toto sit hypocondrio; esse verò periculosissimum in parte dextra: ob lecoris principatum omnia signa magnam inflammationem ostendentia, perniciosa sunt. Vndè vitupetatur ab Hippocrate singultus 4. *Aphor. text.* 17. dicendo: *in lecoris inflammatione singultus malus.* Innuit, teste Galeno, ingentem esse, & feruidam inflammationem. Simile præsagium sumitur ex magnitudine febris, pulsus nimia duritie, & paruitate: semper quidem respondet incrementum febris magnitudini inflammationia, cùm sit eius symptoma. Vnde nimia tensio in ar-

A teriis esse non potest, nisi sub magna inflammatione, & ex eadem tensione oritur pulsus paruitas, quia tensa arteria nimium dilatari repugnat. Indicatur à nostro Auctore deterior inflammatio partis gibbæ, quia læditur plus respiratio, cor patitur magis, & sanguificatio vitiatur; vbi malum tendit in peius, infrigidantur extrema, & vruntur interna, quia à magno incendio trahuntur spiritus, & sanguis ad locum inflammatum, & hunc statum tanquam mortale damnauit Hippocrates 4. *Aphorism.* 48. dicendo: *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ; interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale.* Galenus *in comment. Quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, vel Erysipelas euenerit, totus ex toto corpore sanguis ad locum patientem trahitur, atque ideò vruntur* B *tur profunda, sed cutis refrigeratur.* Est tamen non dubiè cum incendio viscerum, & frigiditate extremorum periculosius multò non finire, quia extinctionem, & mortificationem facultatis sentientis significat, & mortem proximam.

Ex signis oppositis ex parte salutis licet colligere. Est autem vtilissimum, si sanguinis fluxio per nares eueniat; sic docente Hippocrate 2. *Progn. stic. text.* 28. *Accidit* (inquit) *iis in secundo circuitu sanguinis profluuium ex naribus, & vehementer prodest.* Debet autem esse ex nare dextra, vt testatur Galenus; Est autem primus circuitus dierum criticorum, vsque ad septimum diem, intra quem plurimi acuenire huiusmodi fluxum, Galenus docuit, paucis 9. ac 1. paucissimis 14.

C Notabitis tamen, quod si pars gibba lecoris inflammata suppuretur, & rumpatur abscessus per partem gibbam, rumpitur cum maximo periculo, quia pars colligitur inter intestina, & peritoneum, & sic experimento constat, morti iam proximis ventrem repentè intumescere rupto abscessu in prædicto loco. Est autem suppuratio in qualibet parte lecoris exitialis, si in carne ipsius sit inflammatio, quia vlcera ex suppuratione manantia ferè insanabilia sunt.

De curatione huius mali agit Princeps *fen.* 14. *lib.* 3. *text.* 3. *capite* 12. Commendat statim venæ sectionem ex Basilica, & docet, esse extrahendam magnam sanguinis copiam; quod est commune præceptum in omni interna inflammatione. Est enim doctissimi Medici statim præcauere, ne inflammatio magna fiat, cùm sit D eius augmentum mortale; impeditur autem copiosa missione sanguinis iuxta vires, ætatem, & reliqua. Constat verò semper esse euacuandam ex Basilica dextra, nisi ex defectu menstruorum, aut hemorrhoïdatum, vel diminuta purgatione à partu originem traxerit, malum.

Tradit deinde præceptum notandum, quòd scilicet si repellentia applicentur ante missionem sanguinis, inflammatio induratur; quia etiam fuit consilium Traliani: & etiam post missionem sanguinis, si diu persistat Medicus in illis. Est enim lecur pars aptissima ex propria natura, ad contrahendam duritiem in propria substantia, ob quod inflammatio incurabilis redditur & permutata in scirrhum, aut *atrophia*, aut hydrope, longa molestia hominem necat; ob quod oportet E tet neque persistere nimis in vsu infrigidantium, & repellentium, & rursus permiscere cum ipsis aliqua subtiliantia, & aperientia. Æmulatur enim lecoris conditio sanguinis naturam in hoc: qui aptissimè gelatur, & concrescit; & inde quia nulla pars minus quàm lecur distat à sanguine, sic nulla citius concrescit, etsi Galenus dixerit *cap.* 15. *lib.* 3. *meth.* id contingere in lecore, quia naturaliter lutosum quod continet.

Adducit etiam aliud inconueniens ex nudersto vsu adstringendi; occludit nempè ostium, per quod fellea vesica à lecore bilem expurgat, & indè cohibita detinetur

netur in Iecore, & nouum fomitem inflammationi præbet: quod incommodum internis adstringentibus familiarius est, eo quòd immediatiùs feruntur, & ostium obstruunt, & inde morbus Regius complicatur cum Iecoris inflammatione, cùm semper sit necessaria adstringentium administratio, & propter partis officium in toto tempore morbi, & in ipso principio inflammationis, tot pericula impendant, ex vsu continuo eorum applicanda sunt, cum summa cautione eorum, vt inquit Princeps, citiùs veniendum est ad resoluentia, quàm in reliquis inflammationibus, ne lapidescat Iecur. Ob hæc inconuenientia laudatur in hoc malo fotus absinthij, adstringit enim, & à marcore extenuat, & impedit etiam ne Iecur induresçat moderato calore, quem vsum præstat decoctum absinthij, calami aromatici, Squinanti, & Cipari; cuius decocti parum in principio miscendum cum repellentibus. Deinde de crassis l ctis agens, aduertit, neque esse applicanda sola, sed permixta adstringentibus ob officium partis, concoctionem nouorum alimenti, de quo diximus in curatione apostematis ventriculi: Estque communis doctrina. Nota obiter, quòd sicut Iecur est aptissimum, vt lapidescat à frigore, & adstringente virtute auxiliorum, ita est paratissimum, vt à calore resoluentium liquetur, & virtus eius deficiat; ob quod damnat resoluentia acria, & mordicantia, ne irritetur de nouo inflammatio, febres, doloresque augeantur, & reexudescat ob nouam fluxionem.

Repellentia, & resoluentia abundè tradidimus in ventriculi inflammatione; sed quia ibi vinum posuimus ob naturam neruosam, hic illo non est opus, sed acetum rosatum miscebitur ad auxiliorum penetrationem: Secta ergo vena sic dispensabitur repellens: Aquæ Plantaginis, & Endiuiæ, ana ℥. iij. aquæ rosarum rubr. ℥. v. aquæ absinthij ℥. j. ß. Puluer. santali, & spodij ℥. ij. succi citoneorum ℥. j. ß. succi absinthij ℥. ß. aceti rosac. ℥. j. misce. Quo auxilio continuò foueatur Iecoris regio, & sit fotus moderatè calidus: nam frigida primo occursu sibi vias occludunt, & non penetrant, & sunt Iecori inimica, si Galeno credimus. Vtiliter etiam parabitur fotus ex succis hac ratione. Recipe succi rosar. rubr. ℥. vj. succi Endiuiæ, & Eupatorij ana ℥. j. ß. succi citoneorum ℥. ij. succi absinthij, & aceti rosar. ℥. j. pulueris squinanti, & rosarum rubrar. ana ℈. ij. misce. Sit continua applicatio, ne incalescat auxilium. Neque est dubitandum succis inesse vim maiorem roborandi, nam virtus adstringens timeo ne extrahi possit per distillationem. Relata auxilia in feruida inflammatione conueniunt; frigidiora enim timenda sunt, & quæ diximus etiam securа non sunt si à sanguine pituitosiore, aut in Iecore obstructo anteà inflammatio creetur. Oportet enim calidioribus repellentibus, seu minus frigidis membrum firmare, & non incrassare lentom, & crassum sanguinem adstrictione, & frigore simul. Aut Iecur anteà obstructum tophaceum reddere induratis tenacibus humoribus, & crassis anteà obstruentibus, in quibus securius est auxilium, quod recipit olei rosar. ℥. iiij. olei absinthij ℥. j. ß. citoneorum ℥. ß. succi apij, & Endiuiæ, ana ℥. j. aceti sambucini ℥. j. misce. Idem præstat decoctum rosar. rubrarum vtriusque absinthij, florum Camemali, meliloti, santalorum, & squinanti, de quo sumantur ℔. ij. addendo olei rosacei ℥. ij. absinthij, & citoneorum, ana ℥. j. olei amygdalarum amararum ℥. ß. aceti sambucini ℥. j. misce. Deindè paolatim resoluentia augebuntur, & quæ emolliant mixta cum roborantibus, de quibus diximus abundè in ventriculi phlegmone.

Notabitis tamen diligenter, non conuenire Arabes cum Græcis in curationis principio: Græci enim infrigidantia, & repellentia timent frigida ob inconuenientia adducta à nostro Principe. Vnde Paulus *libro 3,*

A *capite 46.* in huius morbi principio post venæ sectionem Cataplasma conficit ex farina hordei fœnugræci, & seminis lini cum palmulis, vel ex malis cotoneis, flore meliloti, & Camemali, & absinthij. Imperandum, inquit, est, vt adstringentia semper misceantur emollientibus. Hanc methodi discordiam concilians Mercatus *libro 4. suæ praxis, capite 2.* dicit, non semper esse incipiendam curationem à repellentibus, vt Arabes docent; neque semper à laxantibus, & emollientibus, vt Græci, sed quando inflammatio à menstruis, vel hemorrhoidibus suppressis sumpsit initium, nec multùm humor in parte receptus est, oportet à repellentibus non tam frigidis, vt Arabes consulunt. Si autem inflammatio (inquit) à toto corpore

B oriatur, aut in Iecore præsit obstructio, aut humorum multa copia molestet, nullatenus incipienda curatio à repellentibus, dummodo eis admisceantur aliqua roborantia. Est certè satis confusa hæc conciliatio, tenebaturque hic Auctor docere, cur conueniant repellentia, quando vterus, aut hemorrhoides transmittunt, & non quando totum corpus. Et si crassities humorum quæ obstat vsui repellentium, & frigidorum, nunquam magis timenda hæc auxilia, quàm in suppressis hemorrhoidibus, quia sanguis, quem expurgare consueuerunt, crassus, fæculentus, ac terreus ferè semper existit.

Doctrina nostra est, praxim Græcorum esse securiorem: quia calore moderato auxiliorum seruatur par-

C tis robur, vitatur etiam durities iecinoris, & permutatio inflammationis in schirrhum, & moderata laxatione, & emollitione, spertisque poris inflammatæ partis, & cutis, attemperatur Iecur ex accidenti, & expulsis fuliginibus, & inducta ventilatione morbus fit breuior, quia citiùs causa resoluitur, quando incendium magnum non affligit, cuius occasione timeatur attractio copiosa, aut maligna humorum corruptio. Cessarem libenter à topicis, quousque totum sit perfectè euacuatum, & reuulsa materia, & posteà emollientia, ac resoluentia, ac digerentia moderatè applicanda sunt cum roborantibus mixta. Necnon dubium esse potest, quòd in principio laxantia, & emollientia non careant periculo, quia partem effœminant, ac ad recipiendum reddunt aptiorem, quæ augentur etiam calore medicamentorum: vbi tamen feruens in-

D flammatio est, & magna sitis, cum linguæ scabricie, attemperandum est Iecur, ne colliquetur æger; & tabidus fiat, aut lypiricus pereat. *Non itaque attendere oportet partem mittentem*, sed succi transmissi multitudinem, & sic definire materiam idoneam, nam si alterationе lædat plusquam corporatura, attemperantia requirit; Si autem corporatura, quæ emolliunt, deficcent, & resoluant vt euacuantia, magis in hoc casu præscribuntur quàm alterantia, esset enim irrationabile, vt colliquetur æger, vbi periculum incurreret tabis, & incidi in hecticam, quam Græci commendant imperari; sed idonea censenda, quæ Arabes, cùm tota ratio periculi in alteratione sit, non in corporatura; præterquam quod Princeps noster solùm concedit hæc repellentia frigida in principio principiante, non

E quando iam inflammatio incrementum suscepit. Verba sunt: *Et illa quidem à quibus oportet incipere, cùm existimat, quòd apostema est habens initium, sunt succi frigidi stiptici, & non oportet, quòd sint huiusmodi, cùm verificatur, quòd apostema iam est, &c.*

Quomodo verò id discernendum est, facillimè erit ex intensione febris, implacabili siti, linguæ nigritie, & asperitate, lotio intensè flauo, & ad passum inclinante celeritate, crebritate, & magnitudine Pulsus, tepiditate extremorum, quæ si statim in principio in tanta intensione non deniat, tamen ex ipsorum accidentium intensione statim apparentium, doctus Medicus colligit, quàm magnum incrementum eorum in reliquis

maxima vtilitate, & post horas duodecim reperatur cucurbita sine noua scarificatione, vt virus extrahatur, & melius fiet si scarificationes primò factæ vngantur oleo amygdalarum dulcium cum modico salis, aut linteum eodem oleo imbutum, & modico sale inspersum supra locum scarificatum apponatur. Sic enim apertæ manent scarificationes vsque ad secundam cucurbitulæ administrationem vtiliter hoc remedio. Nam est (inquit Galenus) inuenta cucurbita, tùm vt foras euocentur quæ sunt in profundo, tùm etiam vt eximant, & eruant, quæ iam in scirrhum abeunt. Dicit deinde Auctor, esse seruandam aluum in mediocritate, vt ne sit nimis lubrica, neque dura, & propterea vtrique vitio occurrendum esse. Caue, inquit, ne dimittas naturam remanere strictam: in hoc enim est nocumentum magnum; & non dimittas eam solutam superfluè, vt cadat virtus: quia oportet soluere restrictam cum æqualitate, & constringere solutam cum æqualitate. Est autem æqualitas si in morbi principio cum attemperatione aluum lubrices, & in declinatione conueniunt fortia enemata, vt eradicerit a iecore quod fæculentum, & crassum imbibitum manet. Quo tempore Galenus, & Princeps noster commendant expurgantia fortiora ob eandem crassitiem, & fixionem materiæ. Nescio an satis securè. timerem tractionem à toto corpore per iecur obstructum, quidquid dicant Authores: trahuntur; enim sine dubio excrementa, & humores vasorum, potius quàm quæ tenaciter iecori hærent. Propterea securius puto, resoluentibus, & emollientibus fotibus, & potibus diureticis, & dissecantibus crassa repetitis, in leuioribus inflammationibus iecoria intarctum. absumere, quam eum periculo nouæ fluxionis, & inculcationia attractæ materiæ in viis obstructis periculo recidiuæ ægrum exponere. Sic dissentio ab eisdem Auctoribus: Quod si non appareat vena Basilica, aut communis in hoc affectu, non secetur Cephalica, hæc enim vena, vbi caput non patitur, cum summo periculo dementiæ, aut incidendi in debilitatem magnam secatur, quia cerebrum frigidum ex se infrigidatur facillime sanguine ab eo extracto. Vnde si non appareant illæ venæ duæ, secatur saluatelia dextræ manus, aut in talo dextro apetiatur, & sic euacuato corpore perfectè cucurbitis scarificatis, suppleatur quod per venam abstrahendum erat.

Est deinde sommè aduertendum, quod non supponeretur inflammatio ex maioribus accessionibus, & inordinatis cum rigore, qui anteà non fuit; & quia nouum pondus sentitur in iecore, cum aliquali remissione doloris antecedentis cognoscendum est: & quia iam præcesserit legitimus terminos, intra quem hoc malum iudicari solet: durant nihilominus febres, nec sunt alioqui signa mortalia, hæc enim omnia mouent semper suspicionem suppuratis; quòd si eueniat, iuuanda est suppuratio moderatè calidis, & humidis, quibus permiscebitur resoluens; & diureticis potionibus inclinanda materia ad vias vrinæ, ne inter intestina, & peritoneum accumuletur copia puris, si ad extra rumpatur abscessus: si enim hoc eueniat, summum periculum est, quoniam non habet pus exitum naturalem, & interius detentum assiduè erodit partes sibi vicinas, & iecoris substantiam putrefacit. Aduertit Aretheus *lib. 1. de sign. diuturn. morborum, cap.13.* vbi iubet, candenti ferro vrendam esse partem exteriorem vsque ad locum puris; est autem periculum hæmorrhagiæ, à qua periclitetur æger; quare alia via sanitatis tentanda est, si adsit peritus Chirurgus. Idem censet Celsus. 4. *lib. cap. 8.* & Hippocrates *lib. de internis affectionibus*: quando pro copia puris iecur intumuit, vstionem consulit, dicendo: *Vstio autem per buxeos ferreos in oleum feruens tinctos, aut per fungos actos instituto.* Et addit: *Si autem vstio successerit, de cæteris ab aliis sanus non fient, corrumpitur, ac moritur.* Clarius præsagium salutis, aut mortis in prædicto casu sumitur ex 7. *Aph. tex. 45.* sic ait Hippoc. *Quibus iecur suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; in tunica enim hoc pus continetur; si autem qualis amurca fuerit, pereant.* In *commento* putauit Galenus, quòd quando pus educitur ex substantia iecoris, quod demonstratur, quia sit similis amurcæ, casus sit mortalis, quia significat substantiam iecoris esse putrefactam. Quando autem sola tunica patitur, quod indicarunt ex albedine puris, tunc salus sequitur; quod præsagium *in Coacis* etiam adducitur, his verbis: *Quibus secundum iecur vstis veluti amurca exiit, mortale.* Vstio itaque præferenda est sectioni, quoniam simul secat, & vrit, vt inquit Aretheus, & inde fluori sanguinis periculoso obstat propter crustam relictam ex vstione. Constat verò hoc auxilium tentandum non esse, nisi in robustis, & paulatim pus extrahendum, & ita esse formandum cauterium, vt latius sit versus radicem, ita vt foramen internum angustius, externum verò latius efformetur. Si autem Medicus signis assequatur, suppurationem prauam fuisse, melius est hoc auxilium non tentare, cùm nullius sit vtilitatis: est tamen tentanda vstio statim a ruptione puris, ne iecur putrefiat, & exulcerentur partes internæ. Si autem suppuratio agnoscatur, prædicendum etiam periculum mortis, solet enim subitò interficere ruptio puris, vt constat ex historia Rioiani, quem & alios Medicos decepit inflammatio partis cauæ. Putarunt quidem fuisse dolorem colicum, & suppurata inflammatione, cùm iam cessassent dolores, & febres, repentè vomica rupta inopinatè vitam cum morte commutauit. Tandem commendat Princeps Ptisanam pro alimento, & vituperat omnia dulcia: est doctrina Galeni 11. *Method. cap. 14.* vbi commendat alimentum tenue detergens, & excrementorum expers; quas conditiones etsi mulsa obtineat, damnat eam, quia iecur inflammatum dulcibus intumescit. Ptisana ergo cùm detergat sine morsu, & incendium attemperet, inculpatum erit alimentum: danda tamen in parua quantitate in principio inflammationis, quod est præceptum commune cuicumque morbo incipienti à fluxione. Etiam est notanda doctrina Principis dicentis: *Et aqua quidem hordei quamuis detergat sine mordicatione, est tamen dulcis, & dulce facit incurrere oppilationes.* Qui textus deprauatus est, & pro *aqua hordei*, legendum est, *aqua mulsa*, vt Galenus docuit, vt quando inferiùs dicit Princeps Auicenna: *Propter illud ergo in aqua est sufficientia abundans, quia abstergit sine mordicatione, & non facit incidere in oppilationes*; legendum est, *& propter illud ergo in aqua hordei, &c.*

Dulcibus autem iecur intumescere, & lienem, etiam Galenus docuit *loco citato*, & 2. *lib. de aliment. facult. cap.* 8. Intumescunt verò, quia trahunt familiaritate substantiæ ob dulcedinem, antequam in ventriculo fuerint perfectè commutata. Vnde Author noster *fen. 14. lib. 3. text. 1. cap. 19.* dicit: *Dulcia iecur impinguant, & magnificatur, & confortatur, verum velocia sunt, & faciunt euenire obstructiones: propterea quia hepar attrahit ea impetuosè, associant ea humoribus aliis; & propter hoc oportet, vt vitet dulcia ille qui habet apostema in hepate suo.* Ratiò etiam dulcia non sunt lenta, sed crassa frequentissimè, quia dulce resultat ex coctione, qua crassescunt omnia, in doctrina Aristot. & ita multis rationibus ad obstruendum sunt paratissima. Inde si dentur dulcia partium tenuiorum, ob quas obstruendi incapacia putentur, propter dulcedinem tamen sunt suspecta, quia incommutata trahuntur, & exemplo ficuum docuit Galen. 2. *de alim. c.* 8. quæ etsi partium tenuium sunt, sæpe iecur obstruunt, & tumidum reddunt. Neque obstat quod dulcia, teste Hippocrate, vertantur in bilem; quæ obstructiones reserat, detergit, & omnium crassum humorem extenuat; nam etsi primum sit

verum,

verum, dulcia nempè bilescere, non tamen omnis bilis deobstruit, cùm sit bilis crassa, & tenax, ob conditiones materiæ, ex qua creatur, cuius naturæ est ferè semper bilis ex dulcibus, quia dulcia lenta sunt ferè semper crassa, & glutinosa, ita & bilis orta ex dulcibus; cùm enim attrahantur sine separatione excrementorum, quia non commutantur perfectè; sic pars pinguis, quæ in bilem mutatur, non separatur à fæculentia, & crassitia excrementorum, sed cum illis permixta intimè (vt contingit in mixtis imperfectis) obstruit, & vias occludit; non enim tota quantitas rei dulcis mutatur in bilem, sed pars aerea solum, & pinguis: hæc verò partibus excrementitiis permixta non potest ab eis separari & ita omnes obstruunt, præsertim Iecur, & venas mesaraicas quarum partium cauitates arctissimæ sunt. Hinc putauit Auicenna *tex. de sirupo acetoso*, quòd magis sedat sitim, quàm acetum solum, & aqua quamuis sirupus cum melle paretur, quia trahitur velocissimè frigidum, & sumitur à Iecore ob dulcedinem mellis, & sic actuali frigiditate magis Iecur attemperat, & attrahitur etiam in maiori copia. Si autem sumatur acetum solum cum aqua, non attrahitur (inquit Auicenna) res plurima propter paucam conuenientiam naturalem. Vnde acetum non attractum, & diù detentum in ventriculo, calesit, & per consequens non ita Iecur attemperat, quia distribuitur iam calidum, & in quantitate minori.

CAPVT V.

Qua ratione contingat Hydrops ex Iecore calido.

EX dubiis difficillimis in medica speculatione controuersis est quod modò proponitur; qua nimirum ratione post acutas passiones Iecoris, & adhuc durante febre homo reddatur Hydropicus. Ratio difficultatis est, quia cùm calor excedens ita repugnet generationi aquæ, aut pituitæ, & ante in passionem calidam æger incideret, non daretur in Iecore illius accommodata dispositio generatiua aquæ, aut crudi humoris, videtur impossibile, quod aucto calore Iecoris generentur tales humores de nouo; ita quòd Iecur chylum disponat ratione augmentati caloris, vt in aquam, aut pituitam vertatur: quod etiam esse impossibile, testatur Galenus *lib. 3. de causis symptom. cap. 1.* dicendo: *Atque omnes quidem magis a intemperies virtutem deiciunt: verùm qua ex frigido superueniente constant, frigidos affectus excitare sunt apta, qua autem ex calido, contrarios.* Quam doctrinam confirmans *2. de facultatibus naturalibus, cap. 8.* dixit, sanguinem fieri à calore moderato; pituitam à minori moderato; bilem à maiori moderato; non ergo fiet pituita, aut aqua à calore Iecuris moderatum excedente, & multò minus aqua, cùm sit pituitâ frigidior. Cùm admittatur ab omnibus prædicti casus possibilitas, & sit tam difficilis intellectui, vt in negotio arduo ingenia malè torquente varia dixerunt Auctores, quorum diuersa placita refert, ac refellit Magister noster *lib. de locis affect. disp. 58. cap. 7.*

Auerroës *lib. 3. Collect. cap. 21.* de distemperie calida Iecoris agens, impediente generationem naturalem humorum, sic scripsit: Quando augmentatur hæc calida mala complexio, ita quod egrediatur à sua forma naturali, tunc erit operatio ipsius hepatis non naturalis, & præueniet operatio solùm illa a calore, in eo quod est calor, & non in eo quod est talis calor: ergo quæ prouenit ab isto calore in eo quòd calor simpliciter, inducet partem, aqueamque inueniet ad fumum, & faciet ex eo ventositatem, & prouenict ex hoc tympanica Hydrops, aut simile. Et inferiùs sic loquitur: Et propterea multum laborant Medici, vt dent bene causam istius speciei, eò quod æquè fit à calore sicut à frigore: & propterea hæc species est difficilior cæteris ad curandum.

Vallesius noster *in opere Prognostico, cap. 55.* dicit: Intemperies calida, cum est fiens, in Iecore vitiat, aliter sanguinem generat, scilicet biliosum; tamen cùm est facta, qua euertit radicitus temperatum, & facultatem generandi, sanguinem facit debilem in essentia, eius quoque actionem minuit, facitque, vt sanguis non solum malè, sed etiam diminutè coquatur; atque ita flatus, aut aqua, aut pituita redundet.

Horum Auctorum doctrina multa patitur difficilia. Auerroes enim solum adducit probabilem causam generationis flatuum à calore ex materia humida; non tamen explicuit, qua ratione aqua, aut pituita à calore excedente fieri possint. Vallesius autem etsi explicuit, quod possit deficere, aut minui perfecta sanguinis generatio ob distemperiem calidam, non tamen exponit, qua ratione cum tanto incendio chylus præparetur ad generationem aquæ, aut pituitæ. Contra illum notauit Magister: in quauis specie Hydropis duo inueniuntur, & diminuta sanguificatio, seu diminuta sanguinis coctio, & rursus inuenitur alienæ sobstantiæ generatio, quæ est Hydropis causa continens. Vnde quamuis ex debilitate virtutis sanguificæ rectè colligatur non benè fieri, aut diminutè coqui sanguinem, tamen cur aqua generetur, aut cruda pituita cum Iecoris incendio, qualitate aliqua ita repugnanti eorum generationi, neque adduxit Vallesius, neque ex eius doctrina colligi potest. Rursus, quia si ex eo quod sit sanguifica virtus debilis, non solùm male, sed etiam diminutè coquitur chylus, & ita flatus, aut aqua vel pituita redundat, in omni hepatica affectione necessariò complicaretur aliqua species Hydropis, quod est contra experimentum. Probatur quia omnes hepatici habent in propria essentia virtutem diminutâ sanguificandi, & per consequens in opinione Vallesij male coquitur, & diminute, & resultabit necessariò aut flatus, aut aqua, vel pituita. Rursus in hydropicis darentur excrementa similia loturæ carnis recens mactatæ, qualia dantur in hepaticis. Pater, quia in iis inueniuntur deiectiones tales, eo quòd sanguificatio Iecoris diminutè coquit; & cum eandem diminutionem admittat Vallesius in omni Hydrope, quia in omni admittit esse debilem vim sanguificandi, deberent hydropici omnes habere deiectiones sanguinolentas aquosi, & crudi sanguinis. Hoc vltimum dubium vidit Vallesius, & respondet, quòd ad deiectiones hepaticas non sufficit generare sanguinem crudum, sed requiritur impedimentum, vt distribuatur per totum. Est autem talis debilitas attractricis Iecoris, & quia sub intemperie calida attrahit auidissimè, ideò non dantur deiectiones diluti sanguinis in hydrope orta ex calido Iecore: quæ solutio est insufficiens, quia argumentum procedit de omni hydrope, etiamsi ex causa frigida pendeat, in qua non est tractio iecinoris fortis: deinde quia si retinens Iecoris sit debilis, sequentur similes deiectiones, & similiter quando obstructa est via distributionis sanguinis, aut attractio membrorum debilis est.

Aliorum doctrina est per Iecoris incendium, tandem manere frigidum, quia resoluuntur partes calidæ, & exemplo carbonis id explicant, qui transacto incendio manet frigidus. Hæc doctrina peccat in multis. Primum, quia durante calore Iecoris præternaturali datur Hydrops complicatus, in quo euentu non datur naturalis frigiditas. Secundò, quia carbo licet sit frigidior quàm dum ab igne vrebatur, tamen est non dubiè calidior, quàm esset, dum erat lignum. Tertiò, quia nulla res vsta datur frigidior quàm esset ante vstionem, nisi mutauit formam, quæ minorem calorem petat:

vstio

vstio enim omnia calidiora facit, vt puttedo, vnde cùm maneat lecur sub fotma viuentis, & vstionem quærit, non erit frigidius, sed calidius, & siccius.

Magister in loco citato, quantum ex illius doctrina colligi potest, existimat semper dari in lecore distemperiem aliquam, saltem partialem, accommodatam ad generationem aquæ, pituitæ, aut flatus. Nam dum inquirit *cap.7.num.*24. quare si aqua ad aseitidem requirit frigidam lecoris intemperiem, producitur, quando actu febricitat, & necessariò deficit frigiditas disponens ad aquam? Respondet, similem difficultatem locum habere in externis; aqua enim tempore hyemis in cauernis terræ producitur, & tamen terra calida est à prædominio, & ita non est mirum sic contingere in lecore. Ratio autem (inquit) consistit in hoc, quia alia dispositio est potens, vt cum exigua frigiditate possit fieri aqua, dimanauit verò ablato impedimento intensior frigiditas à forma propria.

Hæc doctrina mihi non probatur. Primò, quia est contra Galenum expressè *6. de locis, cap.*1. cuius verba sunt: *Non secus hallucinari consueuerunt in ea quoque aquæ inter cutem specie, quæ ad acutos morbos sequitur, quippè ab iis lecur calida, & sæpenumero sicca quoque intemperie tam grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat.* Quo loco docet Galenus, calidam, & siccam intemperiem dari simul in lecore, quando Hydrops resultat. Constat verò in ea coniugatione non dari in parte lecoris aliquam qualitatem ex actiuis, quæ ad aquã, aut pituitam modo aliquo disponat materiam, imò repugnantes esse omninò, calorẽ scilicet, & siccitatem. Secundò, quia clarum est, lecur per flammeas, & ardentes dispositiones non humectari præter naturã, sed torrefieri, & exuri, exsiccarique per consequens: nam calor contra naturam nunquam conducit ad humectationem, sed ad marcorem, & siccitatem, & inde constat, non dari ex lecoris incendio resultantem dispositionem partialem ad aquam, aut pituitam; imò ratione incendij contra naturam repugnat omninò: & ex hac doctrina, quam loco citato admisit Vallesius, infertur contra illius opinionem fortissima ratio. Dicebat ergo, cùm per intemperiem frigidam in habitu debile est hepar, & primum inflammationem patiens; nam nihil vetat habere intemperiem frigidam, & calidam in dispositione, &c. Quæ verba idoneam doctrinam, aut causam reddere nequeunt, quinimò ex vera philosophia contrarium colligendum est. Nam si lecur reuerà inflammatur, & calor excedens durat adhuc, & tam firmiter, quòd si homo hydropicus sit, & aquam generet tam frigidam, non possit reduci ab interno incendio, quamuis iuuari videatur ab aqua frigida; ad talem reductionem colligitur potiùs esse lecur calidum in habitu, quia independenter, & fixè; & cùm duret, vt dixi, calor contra naturam in lecore, vnde colligitur, esse frigidum in habitu, potiùs enim est priuatum frigore; quòd si per frigidum in habitu intelligitur esse priuatum lecur naturalitate caloris, hoc est, per calorem excedentem nimis, & firmum, esse priuatum commodo temperamento, & naturali calore, & hoc appellat frigidam distemperiem, est solutio insufficiens; nam positiua generatio aquæ, aut succi crudi requirit positiuum principium, quo disponatur chylus ad aquam. Hoc verò non datur in eius doctrina; nam priuatio naturalis caloris per excessum caloris contra naturam, aut febrilis non disponit chylum per frigus, cùm tale non detur actu, sed per calorem; nam si alterabatur in naturali statu à calore lecoris, magis, & melius alterabitur per calorem, quando lecur febricitat; & simili ratione refellitur Altomari doctrina, *cap.*91. *sua praxis*, vbi docuit, semper hydropen ad iecinoris distemperiem sequi. Et cùm sibi obiiciat hydropen ad acutos morbos sequutam: Respondet, hanc etiam inter cutem ex lecoris frigida intemperatura ortum habere priuatiuè saltem, admodum imbecillo eius insito calore reddito, quo medio sanguinem gignit, etiam dicta caliditate præter naturam in eo genita. Ratio quidem viro Philosopho indigna, cùm imbecillitas caloris naturalis orta ex excessu caloris contra naturam, licèt sanguinis debitam coctionem tollat, requiratur nihilominus ad Hydropen generatio nouæ substantiæ, aquæ nimirum, aut succi crudi, sed ad eius productionem nullam qualitatem disponentem adducit vt contra Vallesium satis efficaciter probauimus: Ex quo Auctore similem doctrinam adducit Augenius sine mutatione verborum.

In quæstione tam ardua nobis videtur dicendum; quòd si lecore calido, & sicco existente generatur Hydrops, non fiat, quia ab eo disponitur materia, aut Chylus, vt in aquam, aut succum crudum mutetur; sed talium substantiarum generationes esse per accidens omninò respectu lecoris, & esse inquirendas causas per se: & quando per se non producantur, satis efficaciter manet probatum, cum lecore calido, & sicco contra naturam nulla detur qualitas proportionata generationi aquæ, aut succi crudi: debilitas verò coctricis satis non fit, vt tam frigidæ substantiæ fiant de nouo, cùm formaliter debeat conuertere Chylum in sanguinem; tamen quòd producantur substantiæ omninò alienæ, fieri nequit sine qualitatibus antecedentibus, quæ materiam earum disponant: illæ verò non sunt in lecore calido, & sicco. Constatque clarè ex Galeno *de caus. symptom. cap.*1. dicẽtis: *Sed & alteratricis potentiæ intemperies, quæ ad calidum sit versa, aliàs biliosum, aliàs melancolicum efficit excrementum: ad frigidius verò mutata, vel pituitosum, vel aquosum*, &c.

Argenterius 4. *Aphor. comment.* 11. primam viam aperuit ex anatome sumptam, & omnino aduersam Galeno, dicendo: Alios verò multos verè hydropicos dissecui, in quibus deprehendi originem mali fuisse in hepate, sed non iam frigiditatem, vt existimauerunt, memoriæque tradiderunt maiores nostri, sed induratam hepatis substantiam, & eam quidem non ob pituitam, aut humorem melancholicum, quas materias illi quoque tradunt generare omnes schyrrhosas durities ob assationem, ob id hydrops ascitis sequi solet vehementes, aut diuturnas febres. Necnon frequenter fit in illis, qui multo, generosoque vino vtuntur, & aromatibus. Ab his enim causis hepar calesit, exsiccatúrque, ac perinde induratur, ac si frixum esset in sartagine, quod quidem malum nullis remediis sanari potest, sicut nec lateres ab igne excocti, & indurati mollescunt: atque id esse quod Galenus dicere solet, schirrhos hepatis curari posse, etsi causam ipse ignorauerit, vt qui huiusmodi durities non nisi ex humoribus impactis, & imbibitis fieri tradat, &c.

Inquirit deinde hic Auctor, qua ratione sequatur Hydrops ex collectione aquosi humoris ob schyrrhosam lecoris substantiam? Respondet, quod fortè id fit, quod per eam duritiem venæ quæ sunt in substantia lecoris, occultique meatus, qui transitum præbent materiæ, quæ à ventriculo transit à sima parte ad gibbam, sunt exsiccati, & constricti adeò, vt cum difficultate chylus permeet, multo humore aquoso plenus; & ex ea difficultate aliquid semper relinquetur ex eo aquoso, mucosoque humore, quod paulatim aceruatur inter peritoneum, & intestina; vnde Hydropis origo, & incrementum posteà nasci solet. Ex qua doctrina constat, non generari aquosum humorem de nouo à lecore, vt fiat Hydrops, sed serum, quod multum datur necessariò in omni substantia chylosa, neque distribuitur ad gibbam lecoris, & quia ab eo non abstrahitur, percolatur paulatim inter peritoneum, & intestina, & sic intumescere ventriculum, & continuò augeri.

Neque obstat, quòd si propter coarctationem venarum, & occlusionem pororum lecoris non distribuitur

ferum, multò minus distribuitur reliqua substantia chylosa. Constat, quia serum est tenuius reliquis partibus chyli. Vnde si non datur via proportionata distributioni substantiæ serosæ, non dabitur respectu corporaturæ chyli. Sed hæc ratio est nulla, non enim putandum est, nihil à iecore trahi, nec distribui, contrarium enim indicat & dutatio vitæ sub Hydrope, & vrina atiam ipsorum Hydropicorum. Est enim intelligendus Argenterius, quòd iecoris attractio ob viarum coarctationem tam tarda sit, & tam lentè fiat, quòd interius ae fit, sensim percoletur aquea substantia alimentorum, & potus. Ita verò esse constabit ex duritie Iecoris, & vrinæ paucitate; nam si serum totum transcolaretur & distribueretur ad partem gibbam Iecoris, non esset cur minueretur vrina, imò in contraria parte abundaret magis, cùm non sit impedimentum distributionis substantiæ serosæ, & generetur maior copia seri, & aquæ, quam secundùm naturam. Docet præterea Argenterius, quòd venæ oneratæ sarcina humoris aquosi, & mucosi, aò quòd tam paulatim trahatur à Iecore, grauatæ iam aperiunt propria orificia, & oscula, vt se exonerent, sicque reiiciunt prædictam aquositatem inter peritoneum, & intestina.

Hæc doctrina Argenterij videtur mihi desumpta ex Principe nostro, *fen. 14. lib. 3. text. 3. cap. 1. circa finem*, sic dicente: *Et omne apostema accidens calidum, aut frigidum in hepate facit oppilationem, & non relinquit corpori nisi sanguinem aquosum, & cum hoc debilitatur iecur in separando aquositatem, & cùm retinetur plurimum aquositatis in Messaraicis, & ista sunt causa hydropis carnosæ, & ascitis.* Gentilis *in comment.* dicit: Considerandum, quòd aquosus sanguis transiens ad mambra, est causa hydropis carnosæ: sed aquositas retenta est causa ascitis simul: hæc ergo fieri possunt. Idem tenet Iacobus *in comment.* Expende verba Principis: Et cum hoc debilitatur hepar in separando aquositatam, & cùm retinetur in messaraicis, plurimum aquositatis fit causa hydropis carnosæ, & ascitis: non itaque adducit aliam causam, nisi quòd non distribuatur aquositas illa propter oppilationem viarum, & sic grauantur messaraicæ, & aqua pellitur ad locum dictum.

Quia verò experimento constat, etiam Timpanitem causari ab eadem causa, huc est, distemperie calida, vt ex adducta doctrina, explicandum est, qua ratione Hydrops flatulentus eueniat. Est ergo sententia nostra, ascitidem, & timpanitem fieri à calida, & sicca distemperie Iecoris occasionaliter, imò si experimentis Authorum tradenda est fides, nulla causa datur harum hydropum, nisi Iecur torrefactum incendio laborans. Quomodo autem à tanto incendio fiat aqua, & aliquando flatus, accipite. In primis est probabilissimum, id contingere posse calore Iecoris absumente chylum, & veluti colliquante, vnde duplex occasio abundantiæ aquæ. Prima, quòd vt medicamenta propriè diuretica calore immoderato sanguinem liquant, deinde serum sanguinis secernitur, & tandem sanguis crassior efficitur, quoniam per liquationem à calore serum illud extrahitur: sic Iecur si per ardentes febres ad eam dispositionem veniat, & taliter chylum in Messaraicis deten tum alterer, suoque acri calore eliquet, ita vt separato sero caloris vehementia, simulque ab eodem calore patefactis, & apertis osculis venarum, & attenuata ipsarum tunica, deriuetur facillimè liquatum serum, & percoletur inter peritoneum, & intestina, sicque fiat æger hydropicus: quo casu ascitidis ex Iecore calido fuut probabilissimè indicia manifesta; in ita affectis erunt vrinæ paucitas, ipsaque ignea potiùs quam cruda apparebit, sitis implacabilis molestabit, & aluus siccissima excrementa reddet, nec minus tincta bile, quàm per bonam valetudinsm, quod si, vt solet, sanguis ab his per aliquam partem emanet, incessua calidissimus, crassus, & splendens percipitur, vt non sine admiratione experti

A fuimus in Excellentissimo Duce de Vzeda, qui insigni tumore ventris oppressus reiecit per nares magnam copiam sanguinis excocti, splendentis, & crassi, cum intensa rubedina; quæ impossibilia forent, si aqua generaretur à frigore Iecoris, aut alia intemperie accommodata ad aquæ generationem Vnde in illo, vt in aliis multis, quorum corpora dilecta fuere, non fuit inuenta vera doctrina Galeni, in omni scilicet Hydrope sanguinem diminutè coqui, & esse par consequens crudum, & aquosum necessariò, quin potiùs satis coctus, rubar, crassus, & splendens percipiatur; imò in iis qui mori anticipant per tumoris magnitudinem, & nondum Iecur torrefactum est, nullum ferè virium in Iaeore apparet. In iis autem, quorum morbus fuit diuturnior, &

B salutis desiderio sese à potu, & cibo abstinent, Iecur axustum percipitur, & durum satis, ob immoderatam siccitatem factum scirrhosum impropriè, vt Argenterius, & alij Auctores ex anatome edocti non sine ratione antiquos Magistros refellunt circa causas ascitis, & Timpanitis, accusantas semper frustratam sanguinis generationem.

Secunda occasio aquæ est, axustum Iecur ex chylo, dum illud contra naturam calefit, magnam vaporum copiam eleuare ex illa humida materia feruenta, qui vapores partes alias tangentes, minusque illo calidas, facillimo negotio concrescunt, & vertuntur in aquam, non dissimili modo ac vapores eleuati ex olla feruente operculum minus calidem pertingentes, leuissimo frigore accepto ab operculo mutantur in crassiorem

C vaporem, & aquam. Calor itaque Iecoris, quando immodicus est, & inæqualiter alterat, humiditatem tenuiorem in vapores mutat, crassiorem, & lentam, eliquat, & mutat in serum acre, & sursum, quòd corpulentior est, & bas alterationes non admittit, concoquitur, & ad succum redigitur, & ex co sanguinem erassiorem, & splendentem generat, si non sit debilitata nimium virtus sanguificandi, quòd à calore fit tardissimè, & non deficiat via ob densitatem Iecoris per quam attrahatur; continet aqua hic nescio quod acte, & aperiens, eo quòd ab exusta materia creatur; ob quam virtutem facilè se insinuat in cauitatem abdominis, non secus atque in aceto summam vim penetrandi experimur, & frigidum esse concedimus, quia à putredinali calore genitum partes tenuissimas, & summe penetrantes acquirit.

D

Et propter dicta experimenta, probabilésque rationes est argumentum efficax ad probandum, frigidum Iecur aquam generare non posse; nam chylus ad suam crassitiem redactus à ventriculo per coctionem, si alteretur à frigore Iecoris, non attenuabitur, sed crassescet amplius densatus, cuius occasione incapax reddetur, vt mutetur in aquam; nam si aquæ repugnat crassities debita chylo, repugnabit magis, si à frigore Iecoris nouam concretionem accipiat, nonamque densitatem. Vnde consentaneum videtur, quod si Iecur frigidum potest esse causa Hydropis, non sit quia aquam generet, sed quia non potest chylum attrahere, & diù derentus in messaraicis, quæ atiam laxatæ propter

E humiditatem infirmata retentrice osculorum partem chyli aquosam transcolari permittunt, & Hydropem causant.

Etiam dignum est consideratione, si Iecur calidum rarefacit venarum tunicas, vt etiam serosa pars chyli patcoletur, vt percolatur sanguis per Diapedesim. Sic enim putauit Galenus 5. *Meth. cap. 2.* sanguinem per Diapedesim à vasis exire, quia si attenuata, aut rarefacta sit vasorum tunica, quantò facilius serum, & pars aquosa chyli paulatim decident, si à calore Iecoris venæ mesenterij rarefiant, & attenuentur, & ex alia parte aquositas ipsa ab eodem calore tennior, & penetrabilior reddatur: recipit enim omentum intra se caudicem venæ, que dicitur porta: vnde fit, vt per ramos

porræ

portæ percoletur aqua, aut serum in omento, quando à calore Iecoris oscula aperiuntur, aut attenuatur vasorum tunica. Quòd si iis adiungas, chylum posse feruere à calore nimio Iecoris, conducet non parum feruor ipse ad apertionem osculorum venarum, vt omnes adductæ causæ satis efficaciter conducant ad Hydropem, præcipuè quando obstructum, aut inflammatione compressum Iecur impedit attractionem chyli, vt diximus. Putarunt enim Cardanus, & Cesalpinus ob vehementiam caloris Iecur sanguinem adurere,& in flatus,& in serum mutari,vt contingit lacti, quando coagulum inicitur, assatus enim sanguis crassior, & densior redditur, vt in visceribus concrescens aquosa pars separatur, & inde in venis serum redundat, ac si caseus recenter coagulatus exprimeretur.

B Quomodo autem fiat Timpanitis, facillimè explicatur; nam quod calor conducat nimium ad flatus generationem, nemo negauit. Quod autè flatus fiat ex materia sicca, & terrestri, fatentur omnes. Quid ergo impedit chylum exuri à Iecore, præcipuè si sit siccum, & calidû, & redditus chylus terrestrior à calore assante, in summum siccum, flatúmque crassum mutari, qui sit incapax, vt in aquam permutetur: non enim sicca, & exusta exhalatio est aquæ idonea materia, quamuis infrigidetur, sic Galenus flatuosâ melancholiam hypuchondriacam ex incendio mesarei ingenuè concedit, vbi calor non minus quàm naturalis, sed stium longè superans, auctor tam fastidiosi, & diuturni mali putatur: ergo eodem modo calor siccus Iecoris chylum exurens, reddénsque terrestrem, flatum siccum eleuat, & creat Timpanitem, cùm non differant ex concursu causarum, sed solùm ratione loci affecti; indéque fatentur Auctores, nunquam dari illam Timpanitem solam, sed semper ascitem illi associari, quia nunquam datur materia tam sicca intra corpus, præsertim in chylo, ex qua non eleuetur aliquis vapor humidus, qui vertatur in aquam. Vnde sine dubiò à maiori calore generatur Timpanitis; requirit enim exuri materiam, & terrestrem effici, vt flatus siccus eleuetur ob siccitatem aquæ improportionatus. Neque controuerto, an detur in nobis flatus, qui sit à prædominio siccus, cùm id non sit necessarium ad Timpanitem; satis quidem est, non esse tam humidum, vt ad aquam requiritur, præterquam quod si humidus flatus non attingat partes aliàs se frigidiores, durabit sub flatus natura, quamuis sit satis humidus; non enim in aquam permutatur, nisi frigefiat de nouo, indéque in fiti erit nimia varietas, vt differt flatus humidus ab exsiccato nimis.

Er contra Magistrum nostrum putantem, in omni Hydrope dari necessariò vitium in sanguificatione, ita vt, sanguis generetur aquosus, & crudus; stat argumentum efficacissimum, nempe quòd omnis hydropicus haberet semper complicatum malum corporis habitum, seu cathexiam. Probatur euidenter; quia in eius placito generatur sanguis aquosus, & crudus in omni hydrope; est autem cathexia nihil aliud quàm generatio sanguinis aquosi, & crudi: vnde fieret, quòd in omni hydropico essent partes omnes tumidæ, laxæ, & molles, cuius contrarium experimur, cùm dentur multi hydropici, in quibus solus venter turget, reliqua autem membra extenuata sunt, & rabida. Causa igitur partis Iecoris cum venis eius calefacta pessimè disponit chylum ad generandum sanguinem: chylum enim torrefaciendo ante tempus, separat ab eo serum, quod partim percolatur, partim in flatus vertitur humidos; qui post infrigidati (aëre exambiente) per tunicas rarefactas, aut oscula venarum, & vasorum reclusa in cauum abdominis exprimuntur, & in aquam mutantur, & si contingat ibi melancolicum succum, & terreum esse halitum, sicciores eleuantur, inepti vt mutentur in aquam, sicque Timpanitis enenit. Quod idem contingere potest ex partibus chyli præassatis, & torridis ab eodem Iecoris

A calore, & venarum eius. In hepaticis etiam ob caliditatem immoderatam Iecoris rapitur chylus, & succus crudus ante coctionem; & in mesaraicis, & venis Iecoris ex crudo chylo intempestiue attracto multi flatus eleuantur, vt doctè notauit doctissimus Santa Crux *suo aureo libello, fol. 116.*

De Anasarca verò putant Auctores omnes, nunquam à Iecore calido generari, sed semper esse humidum, & frigidum, & madidum: Vnde ex anatome comprobatur, quod subalbicans rubedo in eo Iecore semper datur, e sêque madidum, & laxum cum rubore albicante: quæ symptomata nisi à frigore, & humiditate fieri non possunt. Iecur igitur frigidum, & humidû ita chylum disponit, vt crudus succus in magna copia generetur. In qua specie hydropis mihi non est d b um, sanguinem quartum humorem aquosum produci, vt in malo corporis habitu; esse tamen discrimen, quòd in anasarca propter illud vitium diminutæ coctionis in sanguine datur simul deprauatio, aut actio aucta, per quam generatur copia multi humoris pituitosi, erit deprauata, si non pituita naturalis, sed crudus succus generetur; aucta verò, si pituita naturalis in multa copia fiat.

Sed obiicies, id esse contra Hippocratem 2. *Prognost. text. 3.* dicentem; quòd in Hydrope orto ex acuto morbo Iecoris inueniuntur œdemata circa ventrem. Constat verò œdematosum humorem non ab alio succo, quàm à pituitoso creari: ergo nô semper nascitur anasarca ex frigida, & humida Iecoris intemperie. Respond. facilè, illum humorem crudum non produci à Iecoris di-

C stemperie, sed à ventriculo laborante debilitate caloris, & intemperie frigida; nihil enim communius, quàm sub Iecore calido, & æstuante algere ventriculum, & flatuum, succorúmque crudorum copiam multam creari, & inde partes intumescere, & inflati, laxásque percipi. Sæpè etiam Iecur nimis calidum tentans in mesaraicis chylum commutare, lentum, tenacemque efficit, si siust à calore Iecoris partes humidiores consumptæ, & omnes nimium inter se permiscendo, quàm postea sit glutinosum, non trahens, ob viarum ineptitudinem partes illius reiiciunt in alias, sicque tumentes, & laxæ percipiuntur. Constat verò id euenire; quando calor tam acris, & exurens non est, quod eliquet chylum modo medicamenti diuretici, & illum exurendo, in flatum siccissimum permutet; & indè pendet, quòd

D quando à calore Iecoris per accidens fiunt relatæ hydropum species, lethaliores sint Timpanitis, & ascitis, quia maiorem calorem, & vitium intensius arguunt. Nam coagmentare chylum, & crassiorem illum efficere, temissioris caloris est, quàm eundem liquare, aut in siccos flatus conuertere. Vnde chylus coagmentatus, & ad lentorem reductus, pituitæ naturam æmulatur, & quòd non distribuatur per Iecur, quia ob affectum inflammatorium vasa compressa distributionem impediunt, reiicitur in ventrem, & partes inferiores, sicque apparent tumidæ, laxæ, & molles.

Vnde colligetis, quòd in anasarca, in qua totum corpus tumidum est, & succo crudo albicat, nunquam

E datur in Iecore calida, & sicca distemperies, sed humida, & frigida; neque Hydrops, de quibus in *opere Prognost.* agit Hippocrat. & si acutis morbis superueniunt sunt semper tales in rigore, cùm non pendeant perpetuò à Iecore malè affecto, & quemlibet ventris humorem appellat Hydropem, nisi materia tumefaciens generetur à Iecore.

Ex dictis constat, quòd à Iecore calido nunquam per se generatur materia Hydropis, nisi forrassis flatus; nam neque aqua, neque crudus humor à calore, & siccitate fieri possunt. Sunt ergo secundarij affectus ex concursu multarum rerum pendentes, ex tanto scilicet calore, viarum apertione, & reclusione vasorum. Iecur itaque calidum primò, & per se calefacit materiam sibi subiectam; quòd autem sequatur seri separatio,

aut generatio multa flatuum, aut chylus crassitiem, lentoremque acquirat, accidentale est omninò: solùm contra nos videtur difficile, quod de Siculo Medico Galenus retulit *lib.5.de locis affect.cap.vlt.* Laborabat enim Iecoris inflammatione cum læsa sanguificatione, ita vt sanguinem aquosum, & crudum generaret. Vndè constat, non implicare, à iecore calido generati sanguinem aquosum, & crudum. Respondetur facillimè, quòd Siculus habuit cum iecoris inflammatione debilitatem retentricis complicatam, & ita non detinebatur chylus tempore idoneo ad concoctionem debitam, & per consequens reiiciebatur sanguis semicoctus, & crudus, non propter defectum coctricis, sed retinentis: si enim detineretur tempore conuenienti, non semicoctus, sed exustus sanguis crearetur.

CAPVT V.

De Signis, & cura Hydropis à causa calida

Signa huius mali à causa calida otta satis perspicua sunt. Nam si sub tanta copia flatus, aut aquæ potentium obscurare quælibet signa distempetiei calidæ, leuia signa appareant caloris excedentis, putanda sunt efficacissima propter concursum causarum contrariarum. In primis notabit Medicus, si præcesserit morbus acutus Iecoris, aut ipsum Iecur fuerit focus ardentis febris; ab iis enim inflammatur eius substantia, & exuritur, vt calore mordaci, & in solidiori substantia recepto chylum liquet instar medicamenti diuretiel, sicque aquositatem segregando, attenuandoque, & acriorem illam reddendo, penetret in locum Hydropis, aut exurendo chylum, generet flatum siccum, & fiat Timpanitis. Sæpè etiam caua pars Iecoris ob incendium siccatur, & densatur, vt non fiat chyli distributio, & in prædictum locum reiiciatur, vt diximus; quod etiam in tumore schirrhoso euenire putandum est. Erit igitur implacabilis sitis statim à principio morbi, quia quæ in aquæ salsuginem reducunt Auctores, multò post euenit detenta aqua diu, & non ventilata, sicque putrescit, & quasi exusta reddita salsa vrina etsi semper ostentet incendium, & quò tenuior apparet, si simul aliquod igneum repræsentet, tanto efficacius incendium Iecoris arguitur, venter, & inferiora siccantur à calore humiditatem absumente, ob cuius defectum excrementa alui lubrica non sunt, & si aliquot pustulæ exeant per ambitum corporis, à calidioribus humoribus pendere monstrabunt calore, & rubedine cutis; calor faciei non ita mortuus apparet, sed sæpè rubent genæ à sanguine calido alterante, & si sanguis per nares emanet, floridus, exustus, & satis rubet percipitur. Quòd si inflammatio præcesserit, vt non dissentiatur omninò, sed durans in Iecore, Hydropi originem præstat; sic durant signa alicuius inflammationis, febris nempe, pulsus durus, tensio in dextro Hypocondrio, & vt notauit Hippocrates 2. *Prognost. tex.3.* tussis, & tussiendi cupiditas nil ex ore dignum mentione exspuens: sic Argenterius putauit, hoc malum frequentissimum esse fumentibus alimenta multis aromatibus condita, quorum calore Iecoris earo calefacta, & exsiccata obduruit, & schirrhosam dispositionem contraxit, omninò ignotam Galeno. Sic Cardanus notauit, Caupones hoc malo frequentissimè corripi, quia mero se implent, & Iecur exuritur: aliisque multis exemplis comprobat, à caliditate, & sanguinis corruptione, & non à Iecore frigido ascitem, & timpanitem fieri; quod, inquit, & curatio euidenter monstraoit; frigidis enim sanauit innumeros, cùm tamen nullus in vita Galeni Calidis & siccis sanatus fuerit.

Diligenter ergo inquirenda causa, & mali origo ex

A præcedentibus rebus ad Iecoris caloré condocentibus, & præsentibus signis adductis, & concursu etiam causarum; concurrunt enim multæ per accidens ad huius mali generationem. Vnde carò datur ascitis sine timpanite, neque è contra; quia si calor est validus, inquit Cardanus, portio humoris tenuis in flatum mutatur; sic etiam flatus timpanitis mutantur in aquam concrescentem à frigore partium. Neque tradendum obliuioni, semper hoc malum incipere à renum debilitate, ob quam vtinam non trahunt à iecore, & sic in locum iamdictū regurgitat serum, & venter tumet, indicium est vrinæ paucitas sine aliquo Iecoris vitio.

Curaturus hoc malum, notabit in primis mixtam esse huiusmodi curationem: nam & Iecoris distemperies calida, & sicca emendanda, & minorandus tumor
B præter naturam; & tamen non dubiè, quòd vrget calidum, & siccum temperamentum Iecoris, sine enim correctione curatio tumoris frustra suscipitur. Quod aduertens Tralianus *lib.9. cap.3.* dixit: *Imò neque aqua inter cutem cessauerit vnquam, nisi calor præter naturam prius desierit.* Est quippè tumor symptoma distemperiei Iecoris, & propterea vt prima origo fortissimè indicat.

Quo supposito contemplabitur Medicus, num ex indurata inflammatione Iecoris Hydrops originetur, in quo euentu curatio consistit in visceris emollitione per deobstruentia, & attemperantia tantum calorem, & roborantia Iecur: & si cauam, & gibbam partem obstructas inueniat, medebitur prius causæ parti, vipotè per quam auxilia in gibbam permeare debent: hoc
C autem fieri medicamentis expurgantibus leuiter, & reintercalla repetitis: inter vnam tamen, & aliam purgationem propinando quæ dissecent humores impactos sine disiccatione, aut calefactione magna, & deobstructa iam parte caua gibbæ, auxiliabitur per attemperantia, & quæ moueant vrinam. Erit ergo conuenientissima Prisana colata, ita vt cum hordeo coquantur simul radices graminis, rumicis, condrillæ, eicotij, & adiantum, de quo decocto sumentur ℥.vj. aut ℥.vij. cum saccharo, aut ante decoctum sumetur serap. acetosum simplex, postèa decoctum superbibetur, quod & summo mane, & duabus horis ante cœnam propinabitur. Vsus eicotei habetur præstantissimus, vt & scariolæ, & sonchi: deobstruunt enim, attemperant, & Iecur debile confirmant. Sic præparato, & attenuato humore
D purgabitur medicamento leui, de quo iam egimus cap. de inflammatione Iecoris. Est verò optimum auxilium Lupeij, quo aliquos testituit ex Iecore calido laborantes; quod sic parari potest. Seri lactis caprini ℥.vj. succi Endiuiæ depurati ℥.j.ß. pulneris Rhabarbar. ʒ.ß. spicæ grana viij. misce, & fiat potio, quæ per multos dies repetenda est: nam omnem indicationem complet, attemperando, deobstruendo, & roborando, monendo vrinas, & expurgando leniter per aluom. Quod si incendium Iecoris nimium videatur, augebitur seri quantitas ad ℥.viij. aut loco Rhabarbati dabuntur medullæ Tamarindorum ʒ.vj. diligenter notando, quòd si calor sine exsiccatione exsuperetur, dentur frigida, & sicca auxilia; sic enim attemperabitur Iecur, & sic
E aquam & flatum absument: vbi calore, & siccitate Iecur obduruit, cauenda sunt sicca, eo quòd ob id desperatur hoc malum, quia aqua, aut flatus augentur humidis, & frigidis auxiliis, sine quibus origo mali vitari non potest. Est in hoc casu celebris vsus aquarum acidularum, quia extremè attemperant Iecur, illud deobstruunt, mouent vrinas, & sudores, & interim per aluum deonerant, & perbellè sitim exstinguunt, sed præcipuè putantur securiores in timpanite: timent quidem aliqui, ne ascitis augeatur potu earum; quod ego minus pertimescerem, si tam validè, vt dicunt Auctores, Iecur attemperant, deobstruunt, mouent vrinas, sudorem, aut aluum; nam non dubiè exsiccant nimis prædictis euacuationibus, & aquam absumunt

quòd

quòd si aliqua excrementa pituitosa obstruant viscera, mirè illa detergunt, & putrefactioni resistunt, & à quouis infarctu crassorum primam regionem, iecur, mesenterium, & lienem liberant, quod summè vtile est in omni Hydrope; nam in omni in prima regione immoderata crassorum colluuies accumulatur.

Vbi verò cum calido iecore multa copia aquæ colligitur expurgari egeos, dandum est medicamentum, quod in parua quantitate aquam minuat, & euacuet, nam in pauca quantitate datum, non alterabit iecur, & euacuatio copiosa sequetur. Sic Montagnans parat pillulas ex succo cucumeris asinini, quas mitè laudat, & sic dispensantur. Recipe succi cucumeris asinini ℨ.j. mastichis ℈.ß. cum serapio de menta, fiant pillulæ. Dantur tres, aut duæ tantum; hæc certè in tam moderata quantitate nequeunt alterare Iecur notabiliter, & vtilitas magna est euacuando corruptas serositates acutas, & salsas; sed certius est auxilium abdominis perforatio, si vires constant, statim ab initio mali; sic enim deonerat natura paulatim à tanta aquæ colluuie sine internorum alteratione. Quomodo verò & vbi id sit faciendum, ab omnibus traditur; sic Chirurgi, qui virgula argentea satis longa, caua tamen interius, & in cuspide per duas partes perforata totum abdomen trasiciunt, per quam paulatim emanat aqua sine insigni virium iactura, & quando oportet sistere aquam manantem, cera, aut virgula argentea, per cauitatem cuius intromissa statim cohibent fluxum, donec recuperata virtute aquam rursus detrahere liceat. Aliis cauteria per regionem vmbilici circulatim affigunt, aut cutem ventris scarificant, vt paulatim emanet aqua. Est in Iecure calido, & sicco summè vtilis aqua stillatitia fragorum; attemperat enim, deobstruit, & mouet vrinam, cuius debet esse vsus in omni prandio. Si verò medicamentum magis efficere velitis, sic parabitur. Recipe radicum graminis, & passularum sine acinis ana ℥.j. hordei mundi p.j. fragariæ m.ij. coquantur in sufficienti quantitate aquæ lento igne: Iecur quidem confirmat, attemperat, & deobstruit, lotium mouet, & mitigat febrem, & statim; & in omni, hic ctio summè laudanda est in omni cibo, ad temperandum Iecur, similiter mouendum lotium. Vnde & farriæ vsus, & lactis asinini optimus est: hibeturque historia cuiusdam fabri hydropici apud Schenkium vsu lactis liberati: Et Cardanus lac Camelarum extollit, sicut & vsum granatorum dulcium, quia Iecur attemperant, roborant, & mouent vrinas. Et Princeps noster tradit historiam mulieris ascitica esu multo malorum granatorum liberatæ. Et apud Schenkium historia pueri liberati nimio aquæ potu. Quæ exempla & alia infinita ab Auctoribus tradita, perspicuè docent, à Iecore calido passiones hydropicas per accidens passim euenire. Vnde absque fundamento Tralianum reprehendit Salius, quòd putauerit esse Galeno consentaneum Hydropen aliquando à caliditate nasci, cùm expressè aliud doceret *lib.6. de locis, cap.1.* Neque in hac Hydropis specie potus abstinentia tam religiosè commendanda, vt fieri solet; siccatur enim Iecur, & exuritur magis, imò quasi constet iam æger Iecore hectico, tractandus est: sic autem reductum ad bonam temperiem, concoquet chylum, & optimum sanguinem generata incipiet, neque resultabunt effectus per accidens, vt Trallianus docuit.

In tympanite putant Auctores, tarò non dari aquam complicatam, & crudos humores; inde impetant humorum enacuationem per medicamenta leuiter expurgantia, ne corpus colliquetur, vt notauit Paulus. Hanc hydropis speciem ferè semper oriri à Iecore calido testantur Auctores, & noster Vega experimento, & curationa frigidis celebrata successu felici *lib. 3. sua method*, tradit: expurgato itaque corpore leuiter, at-

A temperabitor Iecur; eodem modo in Ascitide proposito, & in eius attemperatione salutis spes collocanda; nam frigidis non augentur flatus, imò impeditur colliquatio, & corporis tabes, sitis, ac febris placantur; & tantò confidentiùs frigidis vtendum, quantò ex vstilagine chyli, & sanguinis melancholici ficcior exhalatio eleuetur à Iecore calido, & sicco torrefaciente Chylum & quæcumque in mesanterio inuenit, & fortè sanguinem ipsum venarum colliquat, vt putauit Cardanus, quinimò tastatur Cesalpinus *lib. 1. med. quæst. capit. 13.* frigida flatuum generationi obstare: non enim materia mutatur in flatus, nisi attenuata, & calefacta, & flatus ipse comprimitur densatus à frigore, & veluti euanescit, vt constat in externis, & spuma

B feruente, quæ vel leuiter refrigerata euanescit, & feruor reprimitur. Nec sine magno incommodo dari possunt auxilia calida in timpanite à Iecore calido: frigida ergo flatuum generationem impediunt, quæ moderatè sicca esse debent, nisi siccitas Iecoris intansa agnoscatur; humida enim flatui suscitando paratissima: est enim aëreæ naturæ, & inde humor à calore extenuato insurgit facillimè; fiunt enim flatus à natiuo calore debilitato per calorem immodicum; nam quando à frigore debilis fit, non flatus, sed succi crudi fiunt, qui posteà calefacti mutantur in flatus, vt *lib. meth. 12. cap. 8.* exemplo doloris colici monstrauit Galenus. Crassa, inquit, & glutinosa cùm calefiunt, flatuosum spiritum gignere solent, & euidenter monstrat, vstus, aut putridos humores in halitus mordaC ces, aut tapidos omninò conuerti à calore violento, & sic Cesalpinus plurimos sanatos vidit aquis thermalibus, refrigerando totum, & Iecur, & ipse balneo aquæ dulcis tympanitem sanauit, refrigerando, & humectando Iecur.

Attemperatur Iecur exterius succo Endiuiæ, & rosarum rubrarum, cum aceto rosaceo, & omnibus aliis auxiliis, quorum syluam adduximus *cap. de Iecore inflammato.* Et quia saccharum absinthij pontici in desperatis extremè confert, vt testatur Marhiolus *lib. 3. cap. 23.* eius vsus admittendus est ad Iecoris fortitudinem, superbibendo lactis serum, aut aquæ Endiuiæ: vt calor Illius modetetur, acida omnia vtilissima sunt, si non adstringant nimis, quia refrigerant sine humectatione, & sic flatoi materiam non præbent, vt serapia oxali-

D dis, limonis, de acido citri, acetosum simplex, & de Endiuia, quæ diluenda sunt etiam frigidis aquis, & iecorariis, medulla tamarindorum initio prandij simpla cum saccharo optima est, quia corruptionem inhibet, extinguit sitim, aluum lubricat, ardorem reprimit, & adstrictione moderata Iecur firmat. Si autem Iecur sit siccum, & calidum, pro attemperatione hoc parabitur exterius applicandum. Recipe fol. rosar. rubr. florum violarum, nimphex, & buglossæ ana p. j. fol. fonehi, agrimoniæ, & Endiuiæ, ana m.j. corticum radicum maluarum, buglossæ & Endiuiæ ana ℥.ß. coquantur donec mollescant, decoctum reiiciatur, & subsidentia fortiter exprimatur, expressioni adde olei rosac. ℥.ij. olei citoneorum, & violarum ana ℥.j. puluesis san-

E talorum, rosar. rubrar. & florum Endiuiæ ana ℨ.j. pulueris schinanti ℈. ij. aceti rosac. ℨ. j. linimentum fiat sæpiùs immutandum, ne incalescat à Iecore. Conferunt etiam vnguentum refrigerans, rosaceum, cucurbitæ, santalinum, & violaceum. Est etiam vtile extrahere mucilaginem seminis Psillij in aqua lactucæ, mucilaginis sume ℥. iij. succi plantaginis, & foliorum violarum ana ℥. j. olei rosac. & nenuphatis, ana ℥. j. ß. coquantur ad succorum ferè consumptionem, & adde aceti rosac. parum, miseque attemperat Iecur applicatio frequens Iaspidis lapidis.

Quòd si in ventre aliquod auxilium applicare velitis ad flatuum resolutionem, erit ex leniter laxantibus, & calefacientibus: sunt enim calidiora suspecta; frictio-

ctiones autem supra ventrem duriusculè factæ, calorem natiuum renutiscere faciunt, cutem aperiunt, & flatus resoluunt. Cucurbitula etiam magna vmbilico affixa incantamenti modo flatus extrahit, si Galeno credimus, & in regione inferiori ventris ab vmbilico applicabitur emplastrum de baccis lauri cum stercoribus, nam distantia iecoris satis magna est, & ratione situs, cui applicatur, & ratione tumoris: est enim summè laudatum, & vtiliter miscetur cum diaquilone maiori; nam quæ emolliunt, ad flatuum resolutionem conducunt: Sunt auxilia infinita in practicis ad resoluendos flatus; semper tamen temperatiora eligenda, cauendo semper, ne intus sumatur aliquod, & quæ exterius applicantur, distabunt quantum fieri possit à iecoris regione.

Quia verò iecur, & mesenterium expurgare oportet, præsertim quando ex affectu inflammatorio, aut febribus longis obstructum incalescit, & induratur: Sic parabitis præstantissimum expurgans, attemperans, & deobstruens. Recipe fol. cicoriæ, linguæ ceruinæ, agrimoniæ, scariolæ, ana m. iij. folia vtriusque absinthij m. j. florum cordialium ana p. ij. coquantur in ℔ ij. aquæ scorcioneræ ad consumptionem quartæ partis: colaturæ adde fol. sennæ ℥. ij. ß. facta colatura, post feruorem sumatur huius decocti ℔. j. cui adde succi lupulorum, endiuiæ, & agrimoniæ, ana ℥. iij. saccari quod sufficiat, & fiat serapium; cui adde interim dū fit in liganita rhabarb. electi ʒ. v. diarrhodonis ʒ. j. ß. misce; & huius serapij dabitur ℥. j. ß. cum ℥. vj. seri lactis caprini: quod auxilium repetetur per interualla propter vrgentiam obstructionis, & permissionem vitium. Neque obliuioni tradatur ex multis partibus malè affectis Hydropes sumere originem. Vnde non semper accusandum iecur est; sed diligenter inquirenda pars affecta ad offerendum auxilium.

SECTIO VIII.

DISPVTATIO I.

De Morbis Acutis Intestinorum.

CAPVT I.

De Cholera morbo.

Quid hoc sit malum?

IN longo capite, satisque fastidioso comprehendit Princeps noster species omnes fluxionum alui. Est verò *cap. 1. fen. 16. lib. 3. text. 1.* Ad finem huius capitis agit de affectione intestinorum, quam appellat choleticam, & à Græcis dicitur cholera morbus. Eam diffiniens inquit: *Cholera autem passio est motus materierum corruptarum non digestarum ad separationem, ex via intestini redeuntium ad ipsum ex corpore secundum acuitatem, & laborem expulsine.* Clariùs, & meliùs hanc passionem Græci definierunt. Tralianus *lib. 7. cap. 1.* dicit: *Cholera est immoderata perturbatio per aluum, & vomitum*; hoc est, expulsio per secessum simul, & vomitum. Galenus *lib. 3. de causis symptomat. cap. 2.* sic scripsit: *Cùm duo sint in ventriculo ostiola vnum superius ad gulam, alterum inferius ad pilorum; ad quolibet horum dermetur id quod infestat, illo ad expulsionem vtetur; quod si vtriusque huiusmodi affectus superueniat, vtrumque simul ostium accommodabitur ad hunc vsum, vt in affectu eo, quem cho-*

A *leram vocant, videre est.* Quem imitatus Paulus *lib. 3. capite 39.* dixit: *Cholera est immodica ventris perturbatio supra, infraque.* Nomine autem ventris ventriculum intelligit, vt constat ex verbis adductis Galeni. Et Hippocrates *5. Epidem. text. 10.* dicebat: *Athenis virum cholera correptum, vomebátque, & deorsum eiiciebat, &c.* Vnde constat, choleram morbum esse illum, cuius occasione infernè, & supernè succus aliquis deiicitur simul, atque per consequens (si consideretur vt symptoma) deprauatam actionem facultatis pellentis ea, quæ naturam lacessunt, & lancinant. Ante hoc symptoma expultricis molestat aliud, dolor nimirum; hic verò nascitur ex morbo solutæ vnitatis, vt ad dolorem requiritur: procedit verò alius, occasione cuius aut generantur humores aquosi, aut corrumpuntur qui optimi fuerunt:
B sæpè nascitur sine morbo aliquo interno prauos succos generante, sed occasionem sumit ex ingluuie, & multo potu, aut ex vitiosis alimentis, quæ solent esse principalissima causa: ab iis enim grauatur prima regio, mordetur, & ad expulsionem per vtramque partem cogitur; nam vt ex inordinata victus ratione multa copia crudorum accumulatur in mesenterio, & ventriculo, quæ grauans naturam, ad excretionem tam violentam incitat, vt ex praua, & alia vitiosi, & maligni succi generantur, bellicantea naturam praua, & nidorosa qualitate, vt ad illam immoderatam reiectionem cogentes; quòd si prauitati adiungatur immoderata Venus, ventriculum, & totum debilitans, facillimè corripietur quiuis cholera morbo, satisque malignè.

C Sed vt id intelligatis melius, notabitis, quod licèt sæpè lædatur expultrix, non tamen semper læditur primariò, sed frequenter ob consensum cum retentrice debili nimis. Sæpè enim vobis proposui, quæ non retinentur, statim cadere sub obiecto expultricis, quia repugnat, non retineri, & non grauari necessariò naturam, ac per consequens irritari expultricem: suntque deiectiones omnes periculosiores non dubie, quando ex retentrice nascuntur, nam quæ ob expultricem irritatam causantur, statim ac reiiciuntur, quod quantitate, ac qualitate molestat, cessat expulsio, nisi fortassis maligna corruptio, aut infectio biliosa totum sanguinem vitiet; tunc enim vsque ad syncopen, & mortem extenditur euacuatio, quando
D verò effœminatur retentrix, quæ sunt naturæ commoda, vt pondus alienum habeniut, sicque reiiciunt quæ necessaria, & naturalia sunt, quia grauant naturam: hoc non capiens Pereda, nostrum Vallesium sugillat quòd dixerit *5. Epidem. comment. 10.* choleram excitari aliquando ob retentricem debilem: estque expressa doctrina Galeni *3. de caus. symptom. c. 1.* dicentis: *Porrò ad immodicum motum excretoria vis excitatur, quoties retentiua vis vel ex multitudine recrementorum, acrimonia, vel ex propria imbecillitate laborat.* Et addit: *Hoc enim casu necesse est, vt excernatur cum superfluo bonum, veluti in lientericis, dysentericis, & cholericis.* Et *cap. 3. eiusdem lib.* docuit, pueros crebriùs vomere, & deficere quàm iuuenes, non ob expultricis robur maius, sed ob retentricis debilitatem; nec alia facultas accusatur nisi
E retentrix in lienteria: nam si alimenta sumantur in moderata quantitate, & optima, sitque naturæ amicissima, statim ac deuorantur, reiiciuntur, quia retentrix omninò robur deperdidit, vt docuit Galenus *5. Aphor. comm. 21.* Sic vrinæ incontinentiam in debilem retentricem reduxit Galenus *6. de locis, c. 2.* dicendo: *In illis autem, qui præter naturam se habent, retentio quidem ob excretricis virtutis imbecillitatem; excretio verò ob retentricis facultatis imbecillitatem euenit.* Nec aliter aqua tepida vomitum mouet, quàm retentricem debilitando: idemque medicamenta, leniendo, aut lubricando efficiunt; nec aliter aqua frigida aluum citat: Suntque innumera exempla, quibus doctrina Heredæ falsitatis

tatis arguitur. Itaque in cholera morbo læditur necessario expultrix, quia sine opere illius expulsio molestantium effici nequit: verùm occasio huius depravationis expellentis sæpè sumit initium ex languida retentrice.

Causæ huius symptomatis iam ferè sunt adductæ, estque principalissima, aut ingluuies, aut multa potio, & intempestiua aquæ gelidæ, aut alimentorum prauitas, mordaces superfluitates, aut præternaturales humores creans; Sæpè autem deprauatus ordo alimentorum cogit ad vomitum, & deiectionem, quia alimenta innatantia, pinguia, oleosa, aut multum succum aqueum continentia, in fine alimentorum assumpta ventriculum turbant, & descendere consueta, excitant omnia; sicque alimenta incocta, & corrupta, et ore, & secessu pelluntur: Sic damnauit Hippocrat. 4. *lib. de vict. rat. text.* 103. carnes Porcellorum, si aut crudiores sumantur, aut ambustæ nimis: *Sunt* (inquit) *choleracea, & turbatoria, ambusta enim caro, & calore immodico tosta mutatur statim in bilem acrem.* Caro autem crudior est humidissima, & lenta, sicque retentricem ventriculi debilitat, & vomitu, ac deiectione pellitur, corrumpitur enim facillimè; crusta quidem propter siccitatem, & vstionem: caro verò interna, quia nunquam à superflua humiditate denudatur, si sit porcellorum recenter natorum, de quibus loquitur in textu Hippocr. sunt quidem humidissimi, & excrementitij: Sic Pepones hunc morbum causare Galenus docet 1. *de alim. facult. cap. proprio, & in præsenti cap.* transtulit Auicenna dicendo: *Et quandoque multiplicatur euentus cholericæ passionis ex potu aquæ frigidæ in ieiunio sequente cibum grossum, præcipuè grana pini, crissomela, & melones, sunt ex iis, quæ commouent cholericam passionem.* Vnde constat error Peredæ putantis nunquam hoc symptoma nasci ex alimento incõmutato & corrupto, sed causam habere perpetuò redundantiam bilis à venis expulsæ in ventriculum, & intestina; est enim contra omnes ferè Auctores. Et ratio est, quia alimentum potest intra ventriculum corrumpi, & reiici, antequam ad venas distribuatur, in quo euentu dari poterit expulsio per quamcumque partem, & id confitetur Princeps dicendo: *Et illa cholerica passio, cuius causa est corruptio cibi, incolumior est, cuius causa est frequentia corruptionis post corruptionem.* Sunt autem rationes Peredæ tam debiles, vt solutione non egeant; nec ob aliam causam æstas; & autumnus sunt tempora feracissima huius symptomatis, nisi quia in prima regione accumulatur grandis copia excrementorum ob debilem coctionem ventriculi. Exclusis his causis externis frequentior est causa humoris biliosi sentina, quam deponit natura violenta expulsione smultam simul, & semel assumens, vt replendo totum ventriculum egeat auxilio superioris, & inferioris orificij ad extrudendam copiam tam grandem; est enim bilis tenuis, & mordax, & tempore æstiuo, autumnalique abondans, & inde in magna quantitate reiicitur, quia & nimium irritat, & facilè commouetur ab expultrice: alij etiam humores, si intra vasa redundent, erunt origo huius mali, quidquid dicat Pereda, & quilibet extra rectus se ipsum ostendit.

De loco affecto est etiam dubium; Galenus 3. *de caus. symptom. cap. citato*, ventriculum accusat vtroque ore ad expellendum vtentem. Celsus autem putauit posse esse, & dici passionem ventriculo, & intestinis communem, cùm componatur ex deiectione, & vomitu simul: sed certius est, ad ventriculum proprium pertinere, & malignitatem illius pendere magis non dubiè ex offensa oris ventriculi, & experimento constat, antequam sequantur deiectio, & vomitus, molestari ventriculum, & inani cardialgia torquere; gula itaque, & intestina ventriculo compatiuntur, aut

A saltem hic solus primò patiens satis est ad signa huius morbi essentialia: cum hoc tamen negari non potest, posse quando totum se expurgat, immediatè pati à corpore mesaraeon, & intestina, quia in dictas partes se directè exonerat, quin materia tota primo mittatur in ventriculum. In quem sensum Galenus dixit *lib. 3. de facultat. natur.* in cholericis per venas, quæ ad intestina, & ventrem pertinent, totum corpus euacuari, sicque simul pati partes prædictas.

Signa satis conspicua sunt, deiectionem nempè simul cum vomitu hanc duplicatam expulsionem præcedere, molestia in ventriculo, & ventre inferiori, & interim tam molesta cardialgia torquetur vẽtriculus, vt eius vehementia periclitetur æger magis, quàm deiectione, & vomitu, qua anxietate oppressus ventriculus B tam violenter se contrahit, vt vtroque ore reiiciat, & secum etiam totum corpus conuellat, & contrahat, vt Galenus docuit 5. *Aphor. comment.* 1. vbi dicit: In cholera morbo conuulsionem superuenire præcipuè musculis in suris existentibus, & eam appellauit conuulsionem ex inanitione, quod videtur satis difficile; nam præterquam quòd quando suræ conuelluntur in hoc malo, graui infestantur dolore, quod à conuulsione ex inanitione alienum est: vt ratio monstrat, aut ex repletione neruorum præcipuè pertinentium ad suras, aut tendi eosdem neruos nimis ob consensum ventriculi, & crederem neruos surarum repleri commota humoris portione in illas partes, vt sæpè experimur in initio accessionum febrium biliosarum; nam cum in cholera morbo tam impetuosè natura pellat ad inferio- C rem regionem, deriuatur facillimè, & præcipitatur simul aliquis humor in neruos, & musculos surarum, & sic distinctos conuelli, & magno dolore cruciari. Sic Hippocr. 5. *Epidem. text.* 5. refert Eustichidem in cruribus conuulsionem habuisse tetanicam? His symptomatibus superueniunt sudores frigidi, deliquia animi, incessans iactatio, sitis inplacabilis, ventriculi exustio, & inappetentia, extremorum frigiditas, vt meritò Trallianus dixerit, hunc morbum acutissimum esse, & syncopen insignem, & immediatam virium resolutionem causare. Putatur autem lenior affectio, quando ex alimentis corruptis procedit, dummodo vitium corruptionis antiquum non sit; nam si venæ repleantur excrementis ob antiquam vitiatam coctionem, deficere possunt ægri in ipsa immoderata euacuatione. Contin- D git autem aliquando tam malignè alimentum in ventriculo corrumpi, vt vim veneni assumat, & in ipsa expulsione sit cor per consensum lædi vapore venenato, vt summo periculo tentetur à natura expulsio propter commotionem inductam in succo maligno, à quo eleuatur ad cor pestilens illa euaporatio; sic experimur in febribus intermittentibus natura efficere ventriculum, & os illius foetum extum, & in accessionum initiis cholericam passionem fieri cum summa anxietate cardialgiæ, & virium collapsu. Hoc tamen non videtur prætermittendum, nimirùm quod hoc morbo pereuntes, ferè semper pereunt cholera sicca; ita enim facultates labuntur, expultrix præsertim, quòd quamuis ventriculus supra, & infra irritetur, excernatur nihil, moriente iam expultrice, quæ vehementi com- E pressione expellere debet, vt neque ventriculus se contrahat per fibras, neque partes inferiores, vnde succi praui detenti nouo cardialgiæ incremento, maiorique anxietate, sudoribus frigidis, & inani expellendi cupiditate mors inducatur miseriis & doloribus plena.

CAPVT II.

De Curatione huius affectus.

HVius perniciosi mali curationem adducit Princeps *fen.16.lib.3.text.2.cap.14.* eam diuidit in tria membra nam aut est passio cholerica in principio suæ commotionis, aut est in medio sui motus, aut est in vigore, quando iam extremè æger affligitur impetuosa deiectione per vtramque partem accidentibus molestissimis, anxietate nempe, sudore frigido, languido pulsu, siti, & fastidio cibi, & contractione neruorum. Quia ergo in principio suæ commotionis irritatio, anxietas, cardialgia, & nausea inanis molestare solent, quia materia multa commouetur, & expulsio non agitur nisi lente respectu irritationis naturæ, oportet (inquit Auicenna) quòd tunc nullum alimentum, nec potus detur, nec grauet magis, & opprimatur natura; imò oportet, quòd expulsio per vomitum intendatur, si fuerit pulsus proximus superioribus, id est, in parte superioris ventriculi, & si in inferioribus sit, sumatur aliquid quod leniat naturam: sic enim euacuatur per conuenientem partem, quod naturam lancinat, & aufertur molestia. Aduertit optimè Auctor, quòd hæc auxilia sic proportionentur, quòd naturam non turbent, & valide moueant, quòd per vomitorium violentum inclinentur stercora sursum, aut venatum excrementa violentia vomitus ad ventriculum inclinentur in magna copia: dandum ergo medicamentum, quod euacuet solùm quod ventriculo innatat, aut leniter descendere faciat, quod infernam partem molestat; quod præcipuè obseruandum, quando malum hoc ex alimentis corruptis originem sumpsit, quin vitium in venis percipiatur.

Aduertit deinde, quòd non dentur oleosa, nec pinguia ad excitandum vomitum, quia ventriculum effæminant, qui satis debilis est, & excrementa in tanta copia recipit: quod præceptum desumpserunt etiam Mercurialis, & Siluius, & sic danda est aqua mulsa aquosa, quæ abstergit, & lenit, aut aqua hordei cum serapio acetoso simplici. Notat tamen Auicenna, quod quamuis æger vomat ex se, si duret nihilominus anxietas in ventris ore, detur etiam medicamentum vomitorium, quod euacuet id quod naturæ inobediens ab ea reiici nequit: sic enim Hippocrates docuit, vomitum vomitu curari.

Per clysteres etiam docet Auctor esse vacuandum quod inferiores partes molestat, in quibus similia præcepta obseruanda sunt. Parat auctor clysterem ex decocto betæ cum sale nitro, saccharo rubro, oleo sesamino, & rosaceo. Hæc auxilia propriè conueniunt, quando ex alimentis corruptis, aut cruditate multa in prima regione pendet affectio, nec minus quando natura non potest omninò reiicere, quæ in ventrem ex toto fuerunt transmissa, sed ibi firmata mordent, & irritant. Si verò prædictis auxiliis molestia non cesset, quia materia multa est, & euacuatio non proportionatur, vtiliter dabitur medicamentum expurgans, quod ad inferna detrudat excrementa commota, & primam regionem molestantia, siue ex praua victus ratione, siue ex bilis confluxu molestia contingat, vt expressè docet Tralianus *lib.7.cap.16.* cuius hæc sunt verba: *Quòd si bilis ad excretionem proclinis naturam irritare videatur, nihil autem mentione dignum vel per aluum descendat, vel per vomitum erumpat, non absurdum est tum etiam medicamento expurgante vti.* Vbi notabitis, quòd si corrupta hæc cruda causa symptomatis fuerint, leniens medicamentum sufficiet: non enim ea toto trahere conuenit; si verò bilis abundet, & totum ab illa se exoneret, eligens dabitur medicamentum, vt deo-

A neretur natura, vt fecit Tralianus. Estque vtilissima expurgatio, non tantùm quia euacuat excrementa maligna, sed etiam quia per aluum inclinat naturam, vt inde in ventriculum non mittat, ob cuius symptomata periclitetur æger: est enim doctissimi Medici in hoc malo paulatim componere vomitum, & partem ventriculi supernam firmare, vt cesset cardialgia, & cordis compressio inclinando humores per aluum. Hæc efficienda sunt, quando natura minus quàm oportet, euacuat, & irritatio, & anxietas nimis molestant. Si verò natura satis euacuet, vt magnitudini symptomatum, & irritationi satis respondeat, permittenda est, nec accelerandus pulsus, aut vomitus, nec sistendus, & si interim aliquod symptoma vrgeat, vt cardialgia, aut virium debilitas, aut frigidus sudor, &c. idoneis auxiliis moderabitur, de quo dicemus inferius: est enim B permittenda aliqua virium debilitas, interim quod natura se exoneret, & deprauata reiicit.

Iam verò exonerata maiori parte succorum, vt dixi, vomitus componendus, & moderandus, quia sub illo labescit multum natura. Auicenna in curatione huius mali, quando impetuosa cholera euomitur exterius frigida applicat, imo & niuem commendat: praxis quidem parum secura; nam præterquam quòd calefactio à bile nequit esse tanta, quòd niuem vt proportionatum auxilium exposcat, constat partis principatum, & munus, naturámque neruosam tam immensum frigus renuere. Vomitus igitur biliosus moderandus cum serapio cithoniorum, granatorum, & oxysacchara simplici, aut serapio de agresta, quod mirabile est; sumatur sine aquis, vt magis ventriculum firment, & detineantur C diutiùs: quòd si æstuet ventriculus, commodiùs dantur succi ipsi depurati, quia magis attemperant, & adstringunt, vomitumque tollunt natiuali proprietate. Vnde succus granatorum cum succo menthæ, & saccharo laudatur ab omnibus sic: succi menthæ ℥.j. succi granatorum acidor. ℥.iij. sacchari parum, misce. Dioscorides *cap. proprio* de mentha ramulos eius in succo granatorum infundit, quibus miscebitur pulueris margarit. præparatarum, aut coralli, vel crystalli, quæ contra mordacitatem summè conferre creditur. Idem præstat electuarium de gemmis sine speciebus, aqua instillaticia per alembicum vitreum ex ros. rub. & frigida exhibita mirè confert, & cor corroborat; & si bilis in toto abundet, attemperationis indigens parabitur sic auxilium: Succi granat. ℥.j. succi citri ʒ.ß. D aquæ ros. rubr. ℥.v. puluer. margar. præparatar. ʒ.ß. misce, & sumatur frigidum: repetatur iuxta sitis, & incendij vrgentiam; & hîc transferenda sunt auxilia adducta *cap. de Cardialgia.* Et si vrgeant vomitus, & anxietas, danda narcotica, & applicandæ cucurbitæ supra ventrem totum, quando vomitus nimius est; nam in hoc casu, inquit Princeps, *Confert infrigidatio stomachi, & ponere ventosas supra ventrem absque incisione.* Deriuatur enim materia ad inferiora per cucurbitas ventri applicatas. Exterius rubricatur ventriculus, quando bilis euomitur, fotu ex succis frigidis, & adstringentibus: inquit enim Princeps: Et si fuerit frigidum infrigidans ex succis fructuum, erit iuuatiuum, & si misceantur santali, & camphora, & rosæ, & liniatur cum eis abdomen, erit iuuatiuum. Sic parabitur: E Recipe santalorum rub. & ros. ana ʒ. ij. gallæ muscatæ gr. x. succi cithoniorum & agrestæ ana ℥.j.ß. aquæ ros. rub. ℥. vj. aquæ absinthij ℥.j.ß. aceti ros. ℥.j. misce: & lintea madida in hoc liquore ventriculo applicentur. Emplastrum de crusta panis est laudatissimum ad cohibendum vomitum. Creditur etiam, quòd tabella eboris supra ventrem apposita vomitum sistit. Est auxilium expertum Vallesij extrahere succum ex pomis agrestibus, & lintea illo imbuta ventriculo, & ventri applicare, si intendimus vomitum, & fluxum simul compescere. Confert etiam non leuiter auxilium paratum

paratum ex albuminibus ouorum recentium in pulu. aut acacia in aceto nigro diſſoluta applicatur, aut paratur auxilium præſtantiſſimum Rondeletij hac ratione; laudani puri; hypochiſtidos ana ʒ. iij. acaciæ ℥. j. diſſoluantur in vino adſtringenti, aut oleo lentiſci, vel de maſtichis, & ventriculo, ventrique applicetur.

Quòd ſi vomitus vrgeat, in inferior venter deiiciat parum, liganda ſunt fortiter crura, & intra calidam aquam ſubmergenda: reuellunt enim quàm optimè, & ad partem diuerſam reuocant ſuccos continuæ frictiones, & duriores. Idem præſtant cucurbitæ cum multa flamma. Si autem adhuc vomitus non ſiſtatur, parabitur dropaciſmus ex duabus partibus picis, & ſemiſſe olei lentiſcini, vel ex picis quatuor partibus, & vna olei lentiſcini, aut maſtiche, liquabis ſimul, & in aludanata extenſis ventriculo affigatur.

Si autem vomitus ex cruditatibus pendeat, ſimilia conueniunt auxilia, miſcendo tamen ſemper aliqua calida, vt cum mixta cithoneorum aromatica, ſerapium de myrrha, de corticibus citri, & de abſynthio, panis toſtus vino generoſo aſperſus cum puluere caryophilorum vomitum crudum mirabiliter ſiſtit, & ventrem & cor confirmat, ſic emplaſt. de cruſta panis, additur aromaticum roſae. & puluis paratus ex maſtiche, ſpica, ligno aloë, & mentha cum diambra, & aliis multis huius naturæ: acida tamen, & frigida vitabuntur, & loco ſuccorum, qui exterius applicati fuerunt in cauſa calida parabitur fotus ex decocto menthæ, abſynthij pontici, ſpicæ nardi, fol. myrthi, maſtichis, roſ. rub. ſiccat. & caryophilorum, fiet decoctio in vino albo generoſo, & fouebitur ventriculi regio, & poſteà applicabitur emplaſtrum de cruſta panis cum puluſribus dictis.

Si autem aluum moleſtet vomitus, præcipit Auctor, quod æger ſumat aquam calidam. Verba ſunt: *Et cum plurimi eorum bibunt aquam calidam, fortiter expanditur virtus ad venas eius, & redeunt materia expanſa ad venas.* Quod auxilium non ſolum pro ſedando vomitu, ſed & pro alui fluxu videtur idoneum, eo quòd retrocedere faciat ad vaſa humores fluentes ad ventriculum, & inteſtina, ſed præcipuè commendatur ad ſedandum vomitum: præceptū deſumpſit Princeps ex Aretheo, quamuis ſit inter illos diſcordia: Sunt verba Arethei *lib. 2. de curat. acutor. cap. 4 Caeterum ſi omnia euomit, & ſtomachus nihil retinet, ad calidas potiones, etſi varie; recurrendum, nonnullis enim hat commutatio vomitionem compeſcit, calida verò calidiſſimè ſumpta.* Vbi Aretheus & potiones, & cibos calidiſſima conſulit: Princeps autem ſolùm aquam calidiſſimam commendat; & doctrina Auicennæ videtur irrationabilis, nam aqua calida laxat vias omnes, & partem recipientem debilitat, humores fluentes extenuat, virtutem non firmat, neque ad generandos ſpiritus idonea eſt materia; ex nullo: ergo capite videtur conueniens ad cohibendum vomitum; cui tot auxilia reſiſtere non potuerunt, præterquam quod in tanta anguſtia, & tam continuo vomitu rarò non dantur ſudores ſyncopales familiariſſimi alioqui huic morbo, ipſos autem per potum aquæ calidæ copioſiùs emanaturos, ſub dubio non cadit: eſt ergo auxilium Auicennæ periculis plenum.

Sed his non obſtantibus, Arethei, & noſtri Principis doctrina ſequenda eſt: eſt verò vtilitas prædicti remedij inſinuata à noſtro Auctore, quia aqua nimis calida diſtribuitur celerrimè ex ventriculo ad venas, & per totum corporis ambitum, & ſic fert ſecum humores fluentes ex venis ad ventriculum, & mouet verſus cutem, facitque reuulſionem ad cutem impetu magno, & eundem affectum præſtant potiones, & cibaria calida ab Aretheo tradita; nam vbi attemperantia humores, & roborantia partes recipientes non fuerunt ſatis ad ſuperandum impetum à venis ad ventriculum, excogitandum eſt aliud auxilium, quod retrogradum motum humorum impediat; eſt autem calidum celerem cau-

A ſaos humorum diſtributionem ad cutem, & venas dilatans, & laxans, expultricem debilitat, & ipſæ partes dilatatæ abſorbent in ſe, & morari permittunt intra ſe, quos reiiciebant humores: habetque aqua nimia calida hoc inſigne, quòd cum dilatatione internarum partium, & humorum impetuoſa delatione ad corporis ambitum ventriculum ſimul roborat, & ad recipiendum inhabilem reddit: hoc ſequitur ex partis natura; nam ventriculus omnia quæ moleſtè ſentit, fugit, ſtatim ſe contrahendo: vnde aqua nimis calida aſſumpta moleſtiam inferens, non laxat ventriculum, ſed potiùs confirmat ex accidenti; nam ſi tepida omnia & blandum ſenſum, voluptuoſúmque mouentia, eo ipſo vomitum inclinant, ſequitur eadem ratione inferentia moleſtiam ventriculo impeditura vomitum, quia vt ad
B ſenſum blandum ſe expandit quaſi fluens voluptuoſis, ſic ad moleſtum ſenſum ſe contrahit, & per modum fugæ vnit magis ſe ipſum, & incapax redditur ad recipiendum.

Qua doctrina intellecta rationes dubitandi manent ſolutæ: neque hoc auxilium tentandum, quando ſyncopales ſudores moleſtant, neque aqua calida vim paruam ſortitur attemperandi mordacitatem humorum, & ſic etiam prodeſt. Eandem vtilitatem præſtare poteſt vini albi generoſi calidus potus, quamuis minus ſecurus videatur, ſi adſit febris, eſtque timendum ne diſtribuatur ad neruos, & caput tentet, verùm in virium languore ſecurius eſt. Neque prætermittendum auxilium Rulandi ad impediendum vomitum, quod parat ex gut. iij. olei vitrioli iniectis in ℥. vj. vini maluatici,
C cuius mixturæ ſumat æger ℥. iij. nam ſumma poteſtas penetrandi olei vitrioli ſimul cum vino generoſo ſecum etiam diſtribuit fluentes humores verſus venas, præterquam quod ventriculum, & cor firmare creditur. Dixit enim Tralianus in *hoc cap. Multos non ex ſola vini potione præter ſpem mortis periculum effugiſſe.* Et Aretheus *cap. citato*, vini commoditates referens dicit: *Vinum celeriter ſurſum petit, vt retrogradum fluxum humorum coerceat.* Quando ergo frigida, temperantia, & incraſſantia humores, & roborantia, & præter recipientem effectu fruſtrantur, tentanda eſt hæc praxis auctorum, quorum doctrina ſine euidenti ratione reiicienda non eſt: hoc fuit conſilium Celſi *lib. 3. cap. 2.* dicentis in acutis morbis, vbi non proſunt remedia, mutanda eſſe, & ad contrariorum vſum faciendam mutationem. Sæpè
D (inquit) temeritas iuit, quod ars curare non potuit; oportet itaque vbi aliquid non reſpondent, non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud, atque aliud; ſic tamen vt in acutis citò mutetur, quod nihil prodeſt.

Quòd ſi vomitus moleſtet, vt nihil alimenti retineatur, præcipit Auicenna cucurbitas affigere iuxta vmbilicum ſine ſcarificatione, & ſi ibi detineri nequeant, applicentur, inquit, ſuper illud, quod eſt inter vtraſque ſpatulas decliues ad inferiora: & ſi poſſibile fuerit (inquit) dormiat æger ſtatim à cibo & ab appoſitione cucurbitarum; ſic enim detinebitur alimentum cucurbitis, & ſomno ſæpiùs, quod repetit Auctor, conciliationem, tanquam magnum auxilium ad alimenti retentionem, & ſedationem vomitus, & fluxus, & virtutis
E cuſtodiam: vnde omni ingenio conciliandus. Tralianus etiam poſt cibum aſſumptum cucurbitas ſuper ventrem affigit. Non ſolùm (inquit) leniunt, ſed etiam plurimum iuuant. His etiam conferunt, qui cibum non retinent, ſi ſtatim quod æger illum aſſumpſerit, ſtomacho agglutinentur, nam validè trahendo prohibent vomitum; & ſi diutiùs adhærent, coctionem iuuant, & ventrem, ne amplius profluat, cohibent, & calidioribus (inquit) citra ſcarificationem vti conducit: ſi autem inflammatio quædam, & ſchirrhoſa, aut diuturna circa præcordia orta fuerit, tunc cum ſcarificatu eas admouere non eſt abſurdum.

Diende

Deinde Auicenna occurrit diuersis symptomatibus, ex quibus grande periculum datur in hoc malo cardialgiæ, nimirum syncopi, & conuulsionibus, quæ molestissimè affligere solent, præsertim in musculis, & neruis furatum. De cardialgia, & syncope abundè diximus propriis cap. De conuulsione autem sciendum est, quòd si pendeat à causa calida, inungenda sunt membra concussa oleo violaceo, amygdal.dulc. cucurbitæ, aut nenupharis, aut tepido *hydroleo*. Quòd si per transmissionem humorum mordacium distendantur partes neruosæ, oleum liliorum alborum cum amygdelino dulci vtilissimè imponitur, nec minus vtiliter balneum aquæ dulcis cruribus confert; & si cholera biliosa, & exusta fuerit, totumque corpus conuellatur, totum corpus etiam in aquæ dulcis balneum immittendum, si vires constent; nam teste Galeno biliosas diarrheas sanet, translatis ad cutem humoribus, & mitigata acrimonia, & conuulsas partes humiditate imbuit, & laxat, & dolorem mulcet. Et Hippocrates 5. *Epidem. text.* 10. iuuenem frigidum, & debilem lauauit copiosè. Auicenna sic loquitur *Quod si famem patiantur, ante mundificationem non cibentur, imò mittantur in balneum, & fundatur supra capita eorum aqua calida.* Hoc auxilium optimum erit in robustis biliosis, præcipuè si ob laborem inciderint in choleram; mirè enim attemperatus sanguis, mordacitas retunditur, recreantus vires, & reuelluntur humores ad cutem: Sic *in fine cap.* Auctor scripsit: *Et multoties quidem fit balneum causa sparsionis humorum, & materia cholerica passionis, & eueniens confractionis membrorum.* Quibus verbis clarè docet, humores transferri per balneum in partes corporis diuersas, in quibus sentitur confractio, & humorum decubitus in illas: quæ doctrina mihi timenda videtur, quando ante euacuationem excrementorum satis magnam balneum æger ingrediatur; euocantur enim humores in multa copia, sub aqua resolui non possunt. Vnde non mirum articulorum dolores, aut alia mala euenire: si eutem expectetur idonea euacuatio, erit vtile auxilium, & cessabit morbus absque alia passione de nouo, quia resoluitur humor attractus.

Si autem cholera ex cruditatibus, & frigidis humoribus pendens partium conuulsiones afferat, oleis calidis vngentur, vt laurino, castorii, irino, liliorum alborum, permiscendo semper aliquid olei amygd.dulc.ad doloris mitigationem, & laxitatem cutis: confert etiam totam spinam vngere oleis prædictis; & si extrema sint frigida, calefacienda omni arte; nam præterquam quod frigus molestat, mortis suspicionem inducit, ipsis ægrotis auget fluxum alui, & vomitum, quia à frigore repelluntur humores, & sanguis ad intra; vnde viscera grauata impetuosius expellunt. Aretheus sic loquitur: Si frigidi sunt pedes, vnguina ex cedrea, & euphorbio inuogito, & lanis obuoluito, & manuum palpatione foueto, quin etiam dorsi spinam, tendones, & musculos, necnon & maxillas eisdem vngere expedit: putauit hic Auctor, non dubiè semper in hoc morbo membra conuelli propter repletionem, quia calidis docet semper esse fouenda membra conuulsa, in quo frequendus est, sed distinguenda priùs causa, vt anteà docuimus.

Indiget hoc malum continuo virium restauratione per odorata; alimenta enim in principio vitantur ab omnibus, quia succorum prauitate corrumpuntur, & quamuis deuorentur, deiiciuntus statim. Parantur odores de diuersis rebus, de quo latè diximus *cap. de syncope*: fumuntur cardiacæ, aut columbarum pulli, & dum assantur, aqua rosacea irrorentur, aut succo granatorum, aut vino odorifero, & sic integros naribus applicabis, vt olfactu æger recreetur, & postea tortilo prælo succus exprimatur, & cum succo aranei, limonis, agrestæ, citri, aut granatorum detur pro cibo in pauca quantitate, ne grauetur ventriculus illum statim reiiciat, & quia in moderata quantitate satis copiosè nutrit, & ad eius retentionem, si opus fuerit, ventriculo Aretheus cucurbitam addit, profuit interdum auræ motus fueuis, vt spiritus reuiuiscat, & cibus in ventriculo remoretus, melius æger respirer, & melius moueantur arteriæ; edde, & impediatur spirituum resolutio superflua, & si sudores syncopales infestent, cohibeantur, & somnus etiam concilietur; cibus etiam repetendus, si euometur. Notâtque Rondeletius, aquam gelidam supra alimentum assumptam strenuè sedare vomitum biliosum; semper tamen vires prospiciendæ; aqua enim ad sudores inclinat, & vbi timentus, parum secure est; vnde melius non dubiè vino subadstringenti, & frigido vitam fulcire, firmando ventriculum, & spiritibus creendis idoneam præcauendo meteriem, præcauendo semper summe diligentia virium lapsum, quem hoc malum sempes machinatus, & celertimè inducere solet, cùm rarò non fiat debilitata retentrice, & depreuate expultrice tam immoderata euacuatio; semper enim affectus magni læsionem plurium potentiarum habent.



DISPVTATIO I.

De ileo, seu voluulosa passione.

CAPVT II.

Quid sit, & quibus agnoscatur signis?

DE hac desperate passione agit Princeps *fen. 16. text. 3. libro tertio, capite* 30. non definit eam, licet ex signis ab eo relatis in *capite* 31. veneritur signa essentialie, per quæ definiri possit. Est igitur passio iliace actio ablata excrementorum primæ coctionis per sedem inferiorem ob defectum viæ. Galenus 6. *Aphor. comment.* 44. sic scripsit: *In ileo nihil exit inferius, etiamsi quis acerrimo vtatur clystere.* Et inferiùs sic dicit: *quod igitur interclusa via exitus hac passio fiat, & quod in tenuibus intestinis, non autem in crassis, omnes ferè fatentur.* Qua doctrina continetur doctrina à nobis educta. Vnde Auicenna *cap. citato*, enumerando signa dicit: *Signa ileos sunt, vt sit dolor supra vmbilicum, & non egrediatur aliquid omninò de sumptis.* Dixit verò esse interclusam viam inferioris exitus, quia in naturali statu crassa excrementa primæ coctionis exeernuntur per sedem; oeque enim in ileo laboset expultrix temperemento vitiose, sed solùm obleditur ob defectum commodæ viæ; nam quando malum ingrauescit, tem euidentes operatur expultrix, vt excrementa reiiciat per os, ob quod dixit Peulus, *sic affectos miserabili morte perire, stercus per os reddentes.* Vnde constat, expultricem neclædi intrinsecè, neque exitum per partem supernam occlusum esse, quin potiùs superiori osculo, & via expultsix abutitur, quia inferior omninò occluditur: in hoc quod diximus, video conuenire omnes, & docuit Galenus *lib.* 3. *de facult. nat. cap.* 13. dicendo: *Ergo tantam vehementiam, violentiamque excretoria vis obtinet, vt ibi in morbo, quem Græci ileos vocant, transitus omninò præclusus est, vomitur stercus.* Quam doctrinam adduxit etiam 3. *lib. de caus. sympt. cap.* 1.

Dubitatur tamen, vnde si hoc impedimentum existat in quolibet intestino, appelletur iliaca passio. Quod dubium bebet duplicem partem: vnam, en in crassis intestinis occlusa omninò via inferioris exitus sit dicoda iliaca passio. Secundam, num in quolibet intestino ex tenuibus eandem mereetur eppellationem. Quantum ad primum, videtur mihi probabilissimum, dari veram

veram passionem iliacam in crassis etiam intestinis. Ratio est clara, quia hoc malum in sua essentia non includit aliud essentiale signum, præter ablatam actionem expellentis facultatis intestinorum per sedem inferiorem, ex cuius ablatione resultat excrementorum retentio, quæ propriè dicuntur stercora: hoc verò ex nullis magis quam ex crassis intestinis occlusis, & omninò obstructis superuenit, quia quò magis distat obstructio, aut impedimentum a tenuibus, tantò maior copia, & proprior stercoris accumulatur, dolores mortales inferens, & cor, totumque corpus inficiens; sic Aretheus sentit *libro 2 de signis & caus. acutor. morbor. capite 6.* Ex intestino (inquit) colo male affecto ileus causatur; similia inferens symptomata cum eadem pernicie. Trallianus etiam *lib. 10. c. 2. in. de colicis doloribus*, ob inflammationem vituperans vsum medicamenti expurgantis, dicit: Ob datum medicamentum in colici inflammatione dolorem colicum in ileum permutari; quod nihil (inquit ille) est quàm incrementum doloris colici. Princeps noster cum Tralliano idem sentit dicendo: *Et multoties permutatur colica ad ileos, & hac est res quasi facta secundùm maiorem partem.* Galenus 3. *Epidem. sect. 2.* in historia volvulosæ mulieris sic loquitur: *Et cùm sit volvulosus omnis periculosus, qui in sublimibus intestinis consistunt, his qui sunt in crassis, sunt deteriores, vt qui contagio iecur afficiant, & lienem.* Qui locus satis perspicuè nostram sententiam confirmat. Comparat enim Galenus in periculo ileon ortum ex affectu intestinorum tenuium cum orto ex crassis. Quem locum non callens Lupeius interpretatur sinistrè. Comparatio enim est inter participantia eandem naturam facto in aliquo discrimine. Est itaque comparatio Galeni inter volvulum crassorum, & tenuiorum intestinorum in ratione periculi, quod æquale non est. Idem colligitur ex Galeno 3. *lib. Aphor. commem. 21.* dicente: *Volundi sunt cibi superfluitatum retentiones, quæ per aluum excernuntur, quæ magna ex parte fiunt ex inflammatione alicuius partis intestinorum:* quo loco tradit intestina omnia indifferenter tanquam locum affectum. Ratio à priori iam constat ex dictis, quia hoc quod est nihil excerni per sedem, est inseparabile signum huius mali, & essentiale, quod æquè fit à quolibet intestino omninò obcæcato, aut alio modo totaliter clausa via, per quam tenentur excrementa reiici, & accidentia superuenientia non minus causantur ab intestinis crassis occlusis omninò, nam dolores mortales & stercoris vomitus, non minus superueniunt ex crassis malè affectis, quia in eis stercoris forma, seu proprietas efficaciùs imprimitur, quia & crassiora sunt excrementa, & magis compacta, & fœtentia magis. Dolores autem cùm exoriantur à copia excrementorum retenta, & hæc fit maior, quando crassa intestina afficiuntur, & patiuntur, non solùm crassa, sed etiam tenuia per consensum repleta; constat dolores molestare plures partes quando patiuntur crassa. Vnde Galenus 3. *de caus. sympt. cap. 2.* de volvulosa passione agens, nullum describit intestinum determinatum, à quo volvulus excitetur; nam cùm omnia intestina deductioni excrementorum inseruiant, habent idem munus, & per consequens similia symptomata non resultant ex quolibet omninò obcæcato, & per consequens oritur in omnibus similis morbus.

Probat etiam Magister hanc partem, quia ex descensu intestinorum in scrotum volvulus aliquãdo causatur, & cùm descendant crassa, erit etiam affectus ipsorum; quam rationem non admittit Andr. Laurent. *lib. 6. cap. 13.* cuius sunt hæc verba: *De intestino ileo hoc subter vmbilicum ad ilea, & coxas, vtrimque positum est, vnde & ilibus nomen dedit: frequens est huius in scrotum collapsus, verùm & colon, cùm vicinis adhæreat partibus, non prolabuntur.* Ileos ergo dicitur hæc passio, quia intestinum ileon patitur illam frequentiùs, quia lon- A gum, anfractuosum, multasque habens circumvolutiones ex natiua formatione participat; rigorosè tamen loquendo ileos non est nomen partis determinatæ male affectæ, sed morbi, cuius causa, & occasione expultrix intestinorum omninò deficit in actu expulsionis per sedem infernam; nam etiam hæc eadem affectio appellatur corapson, aut volvulus, & non sumitur denominatio ex certa parte affecta, sed ex modo, quo solet affici, & est communis intestinis etiam crassioribus, imò Celsus *lib. 4. cap. 15.* plenioris intestini dicit esse morbum; alioqui neque in tenuibus intestinis daretur hoc malum, quod est contra Galenum, & omnes auctores. Constat, quia tenuiorum intestinorum vltimum solùm ileon appellatur; itaque tam ileon, quàm ileos, vt notauit Basilius *lib. 5. anoth. c. 5.* non intestini B alicuius, sed morbi nomen est. Quòd autem detur iliaca affectio in alio intestino tenui, præterquam in ileo, est expressa sententia Galeni *lib. 6. Aphor. comment. 44.* dicendo: *Et quòd in tenuibus intestinis fiat, omnes fatemur.* Et *lib. 3. Epidem. sect. 2.* in historia mulieris volvulosæ in plurali loquitur: Est tamen hoc discrimen, quòd in intestinis duodeno, & ieiuno non superueniet stercoris vomitus, quia in illis nondum est facta separatio succi alimentarij a fæcibus ex chylo, & per consequens non datur separata fæx, crassa, & graueolens; quæ appellatur stercus. Vnde cum omnes Auctores, & Galenus similiter vomitum stercoris, vt accidens maximè proprium ilei superueniens tantum dicerent; constat volvulum propriùs fieri in ileo intestino, & non minùs propriè in crassis, sed multò magis, C quia in illis verior forma stercoris inducitur, præsertim in cæco, & colo: in his enim duobus corrumpitur chylus ob nimiam detentionem, in quibus etiam putrilaginem illam, & graueolentiam contrahunt alui excrementa detenta nimis, & non ventilata.

Signa huius morbi multa adducuntur ab auctoribus; meo autem videri tantum datur vnicum, & essentiale, nempe ablata actio expellentis facultatis intestinorum per sedem inferiorem, quia verò excrementa alui non deponuntur continuò, & hoc nimis euariat hominum natura, rarò agnoscitur ileum sine dolore superueniente propter retentionem stercoris, & aliorum excrementorum. Quod respiciens Princeps noster dixit *cap. 31. citato: Signa ileos sunt, vt sit dolor super vmbilicum, & non egrediatur aliquid omnino de sumptis.* Quo loco D doloris alicuius non meminit, tanquam accidentis inseparabilis: itaque non est dubium, dolorem esse essentiale signum; rarò tamen agnoscitur, aut datur ileon sine graui tormento, quia aut descensus intestinorum, aut inflammatio, aut circumvolutio intestinorum à flatibus semper comitantur iliacam passionem, & cùm statim incipiat stercorum, & flatuum totalis retentio, vt aliorum excrementorum primæ regionis, incipit etiam pars affecta torqueri, & excruciari doloribus. Requirit tamen huius morbi cognitio summam in Medico diligentiam, & attentionem, quia cùm retentio stercorum non statim se ostentet, & dolor fit circa ileon, symptoma tam frequens intestinorum facilè occultatur, & obscuratur ilei affectio, quousque iam ingrauescens ob grauitatem symptomatum clarè percipitur: timendus igitur ileos statim ac intestina in scro- E tum perlabuntur, & vbi inflammatio aliquod intestinum molestat, aut flatuosa distentio vehementer excrucians in regione vmbilici torquet cum superueniẽte vomitu, & cum hoc nihil stercoris, neque aliquis flatus excernitur per sedem, quod maximè notandum est: semper, vbi potest esse ilei suspicio, vrgente malo cruciatus intenditur, alimentorum vomitus fatigat, & vbi in desperationem abiit, singultu vexatur æger, & vomuntur stercora, sudore frigido inundantur, fœtent anhelitus, sudor, & sudor, & veluti in stercore inuolutus miserè animam agit: neque enim vomere stercora

eora signum est essentiale, sed superueniens. Cuius contrarium absque ratione opinantur quidam, & est sententia expressa Galeni 7. *Aphorism. comment.* 10. dicentis: *Vomitus autem non semper adest, quando exulalce sunt, & si vehementius distorqueantur, stercus eius superiora petit.* Et 6. *Aphor. comment.* 4. *Vomitus autem stercoris aduenit his, qui se habent exitialiter.* Idem docuit 3. *de caus. sympt. cap.* 2. & 6. *de loc. aff. Et. cap.* 2. dixit nonnullos sub fine stercus quoque euomere: ergo si in loco citato vomitus absolutè non est essentiale signum, minus erit tale reiicere per os stercora, & si vltimo loco dixit, ad finem mali euenire stercoris vomitum, non erit essentiale, quia deberet esse à prima inuasione morbi. Vnde rectè Auicenna *cap.* 30. *citato* dixit: *Et deterior ileos est ille, in quo expellitur stercus per superiora, & non inatur foetidus.* Quod non potest esse verum de signo essentiali, quia in hoc tenentur conuenire omnes ilei. Alia signa traduntur à Principe *cap.* 32. quæ superuenientia sunt: & illis discriminat ileon à dolore colico, facilia quidem omnia, nec expositione indigentia.

Morbi causæ iam sunt adductæ, nempe inflammatio intestinorum, nempe claudens omninò stercoris viam, agnoscitur facile continua febre, dolore innumerabili, & duro pulsu, & locus dolens si comprimatur, augetur dolor, & tam densus, durúsque se ostentat, etsi vt fit ab inflammatione, ita à quouis alio tumore fieri potest. Si autem propter descensum intestinorum oriatur, satis clara erit causa, eritque complicatio morbi in situ, & conformatione, quamuis immediatè oriatur ex morbo conformationis: si autem propter obstructionem stercoris exsiccati contingat, vt causam illi statuit Galenus 6. *Aphorism. comment.* 44. cognoscetur facillimè ex diuturna retentione stercoris.

Potest etiam aliquis putare, quòd à debili, aut ablata actione expultricis intestinorum aliquando causetur hic morbus; sed tandem immediata causa erit retentio stercorum obstruentium omninò intestina; causabitur etiam talis læsio intestinis à frigida nimis, & humida distemperie; frigus enim veluti mortificat, & paralysin causat in facultate expultrice: etiam temperies sicca idem poterit, nam densando intestina viam eorum coarctat, & fibras transuersas indurans, impedit earum contractionem, & per consequens impeditur productio impulsus in stercoribus excernendis, facit etiam nimia siccitas ad fæcum concretionem, & sic compactæ difficiliùs mouentur. Constabit hæc debilitas ex causis infrigidantibus, vel humectantibus, & exsiccantibus, frigidam intemperiem in intestinis producentibus. Excrementa absque molestia aliqua primis diebus retinentur, tumor ad tactum non apparet, excrementa quieta continentur, neque sursum, nec deorsum reiici possunt, quousque intestinis oppletis paulatim non potest ventriculus per sedem inferiorem se exonerare; sicque grauatus vomitione alimenta detrudit, inappetens redditur, nauseabundus, & totus æger graueolens efficitur, quia retenta stercora respirationem, sudorem, ructum, & occultam transpirationem inficiunt, & vt obstruitur via à stercore impacto, ita etiam à succis crudis, lentis, & crassis, etsi id Galeno difficile visum fuerit 6. *Aphor. comm.* 44. in fine tamen *commenti* illud tandem admittit, neque est implicatio, aut repugnantia aliqua, cur ex lentis, & crassis nequeat omninò intercludi intestinorum capacitas; neque aliter benè potest exponi Aphor. ille. Fernelius etiam *lib. 6. de part. morb. & symptom. cap.* 9. anatomica dissectione expertus est, colon intestinum obstructum omninò ab humoribus crudis mortem quidem attulisse; ita enim in collo pituita concreuit, vt totum intestinum velut vnicum corpus cum pituita censeretur, neque id mirum, cùm experimentum docuerit in colo intestino concreuisse lapides pituita densata.

Quomodo verò contingat sursum ferri excrementa, & euomatur stercus, docuit Galenus; est enim natura semper solicita de reiectione molestantis obiecti, & cum nequeat deorsum per viam à natura dicatam molestantia detrudere, incipit contrahi intestinum per partem inferiorem, & tam validè, quousque ad ventriculum excrementa detrudat, & post vomitione excernatur: motum istum peristalticum appellant, eo quòd fiat ordine inuerso, compressis, constrictisque per partem inferiorem intestinis vehementer, & sic impellentibus sursum quæcumque in cauitate eorum continentur; neque probabile puto, hunc motum peristalticum ab exulceratione causati posse, vt putauit Andr. Laurent. *lib.* 3. *cap.* 13. nullus enim ex antiquis auctor vomitus stercoris causam posuit intestinorum vlcus, alioqui in dysenteria aliquando daretur. Et ratio est, quia tam deprauatum motum nunquam tentat natura, nisi quando occluditur omninò via communis, & in exulceratione tantum abest, quòd via intercludatur; quod fit non dubiè capacior: citat Hippocr. quem ego non legi, nec inueni vbi id nos doceat; & contra eum stat fortissima ratio; putat enim ipse, quòd quando omninò intercluditur via inferior, tentat prius natura per viam consuetam molestantia reiicere, & sic constrictionem orditur per partem superiorem, sed cùm inanes, & irritos sui experiatur conatus, transuerso ordine contractionem ab infernis inchoat: Constat verò, quòd si priùs natura tentat per assuetam, & naturalem viam excrementa depellere, & exulceratio intestinorum nequeat illum impedire conatum, nunquam per superiora emittet stercus.

Est etiam reiicienda Ludouici Mercati doctrina *lib.* 3. *de internis morbis, cap.* 16. putat enim Galeno consentaneum, quod aliquando ileos causetur vitio trahentis facultatis, eius nimirum, quæ in ventriculo, & intestinis alimenta allicit, dum inuerso ordine agendi procedit, videlicet ab infimo intestino facto tractionis initio: & id exemplis Galeni comprobat, præsertim quando clystere iniecto aliquid euomitur. Quæ doctrina sustineri non potest. Primò, quia Galenus expressè *lib. de caus. symptom.* 3. *cap.* 1. contrarium docet. Verba sunt: *Ac venter quidem cùm pro natura lege se habet, trahit quidem ad se supernè per stomachum; deorsum verò excernit, cùm præter naturam est affectus, etiam ab inferioribus aliquid capit, nam & clysteris aliquid nonnullis in ventrem subiit, ita vt vomerent, præterea stercus in lethalibus volulis.* Quæ Galeni verba occasionem errandi præbere videntur, se tamen ipsum explicat statim, dicendo: *Satiùs enim existimem eum in huiusmodi affectibus non trahere, sed quod ab intestinis violenter detrudentibus ascendit, duntaxat recipere.* Secundò est perspicuum contra Mercatum, non posse dari finem naturæ, ob quem ventriculus stercora trahat, neque alia pars, imò omnes extremo conatu intendunt illa reiicere, & si traherent, manerent diutiùs applicata ventriculo, vt manent omnia, quæ familiariter trahuntur, cuius contrarium experimur. Tertiò, quia tractio est motus, medio quo facultas attrahit, & vnit sibi quod trahitur, vt docuit Aristot. Et si intestina se constringunt violenter per partem inferiorem, vt excrementa reiiciant à se, non potest esse tractio illa motus, sed pulsio. Peccat etiam hic Auctor, quia eundem motum respectu eiusdem motoris putat esse posse contractum, & pulsum, quod est omninò impossibile. Dixi, respectu eiusdem motoris, quia respectu diuersorum non implicat: qua ratione existimo alimenti deglutionem esse expulsionem œsophagi; detrudit enim alimentum versus fundum ventriculi; ventriculus autem trahit propriissimè, quia alimentum actione propria sibi attrahit, & vnit.

Aliam huius morbi causam satis veram, etsi tardè euenientem, prætermiserunt Auctores, carnosam nempè sub

substantiam, aut exerescentiam in cauitate intestinorum ereatam: nam sic Galenos putant *lib.3.de caus.symptom.cap.*1. carnosum in ventriculo genitum posse omninò impedire alimenti transitum: idem morbus euenire poterit in intestinis ipsis, & impediet omninò transitum exerementorum absque vlla salutis spe.

Est Ileos quicumque exitiosus, quia, vt diximus, præcludit omninò viam exitus inferioris, si sit exquisitus, vt neque flatus pellatur: nothus verò minus periculosos censetur, talis autem dicitur a recentioribus, quia non omninò claudatur via, sed aliquid stercoris possit reiici, quo fuit oppressa mulier ab Hippocr. *sent.* 2.3.*lib. Epid.text.*7. habuit quidem illa deiectiones crudas, tenues, & paucas, contra quam expositionem, quam etiam sequitur Mercatus, stat clare acuties, & breuitas mortis, quæ non videntur pendere nisi à grauissimo, & exquisitissimo ileo, ob quod dicunt alij, & magis consentaneè, illas deiectiones fieri ex materia, aut exerementis existentibus in parte inferiori, & genitis ante ileum. Dixit etiam Hippocrat.7. *Aphor. text.* 10. *Ab ileo vomitus, singultus, dissipantia, aut conuulsio malum.* Quam sententiam transferens Auicenna *in hoc cap.* dicit: *Et quando fit frequentia vomitus maligni, & albuces, hoc est conuulsio, aut singultus, est mortale.* Simúlque notat, quòd bonitas vrinæ in hoc malo habet exiguam vim ad significandam salutem, quod desumpsit ex Galeno in historia mulieris volvulosæ dicente. *Parua igitur ex vrinis, vt sint bonæ salutis sic habentium est spes, sed non paruum ad exitium momentum, si malæ sint.* Cuius oppositum inferius videtur dicere hac ratione: *Atque vrinas semper memineris, vt simul inspicias in aspectibus ventris, Thoracis, Pulmonis, neruorúmque; nam bonæ si appareant, multùm valent ad salutem, contra si prauæ, ampliant simul ægri periculum. Verum non sibi repugnat: his vltimis verbis loquitur, quatenus bona vrina significant, non esse complicatam succorum corruptionem, & coctricem facultatem validam esse.* Est pueritia iliacæ passionis ferax præ cæteris ætatibus, propter cōgestionem succorum crudorum, & flatuum immoderantiam, vt testatur Aretheus: verùm beneficio humiditatis liberantur facilius: quam sententiam ex Aretheo transtulit Aëtius *serm.9.c.*28. vbi docuit, multos statim dolorum acerbitate deficere: ob quod dixit Galenus in adducta mulieris historia, hoc malum acutissimum esse, sicque affligere solet doloribus, vomitibus, & omni inquietudinis, & anxietatis molestia, quod auxiliis locum non det, & Hippocrates ibi testatur dicendo: Non erat remedio locus; vnde voluulum intestina tenuia affligentem intra tertiam, aut quartam horam necare docuit Aëtius.

CAPVT II.

De ilei curatione.

TRadit ilei curationem Auctor noster *fen.16.lib.3.text.4.c.*34. & quia causæ ferè doloris omnis colici, ileon etiam creant si intendantur, & in curatione doloris colici cuiuscumque causæ propriam curationē dicauerat, dicit statim in principio capitis, quòd cura ileos appropinquat curæ colicæ: estque discrimen, quòd requirtur esse fortior curatio ilei, & rursus, quòd plus iuuetur perbibita, quia in tenuibus intestinis frequētiùs generatur, vt diximus: vt autem ordine procedamus, quæ ab eo malè digesta sunt, ordine tradētur.

Frequentior causa ilei est inflammatio intestinorum: huic auxiliandum statim sanguinis missione. *Si enim fuerit apostema* (inquit Princeps) *non erit eius excusatio, & secanda statim basilica vtriusque brachij*, nisi inflammatio sensibiliter ad latus determinatum inclinetur; tunc enim ab eodem latere secanda vena, neque satis

A erit semel tantum vacuare, & in vnico die, si vires permittant; quia cùm tam mortalis sit ileos, si semel increscat, impediendum est omni arte incrementum illius; nullum auxilium meliùs, citiùsque hoc præstat, quàm frequens sectio venæ: est enim acutissimus morbus, & ideò celeriter applicanda auxilia. Addit Auicenna, quòd non solùm est secanda vena, quando affligit inflammatione, sed etiam quando propter vehementiam dolorum timetur: si fuerit (inquit) dolor fortis, ex quo timeatur apostema, oportet vti ea, attracti enim humores à dolenti intestino inculcantur in illo, ibique accumulati putrescunt, & non capiendo locus dolens totum quod fluit, disseminatur per vasa, & totum corpus fœtet. *Vnde* (inquit Auicenna) & quando *separantur humores*, hoc est, distribuuntur

B per totum corpus, *quia non possunt exire per sedem inferiorem ob impeditam viam, phlebotomia est ex necessariis*; debet autem fieri in hoc euentu ex talo, nam sic impeditur distributio sic totum iam corruptorum in venas; est etiam secanda vena in talo, quando inflammatio facta iam est, vt euacuetur ex loco affecto, quod tam perniciosam passionem generat.

Applicabitur etiam supra locum inflammatum statim in principio, commune oxirrhodinum ad temperandum incendium, ne trahat pars, & vt firmetur, ne recipiat tam facilè, frequenter permutabitur, ne calefiat: éstque securius tepidum illum applicare. Si autem inflammatio ob magnitudinem vrinam cohibeat, repetenda est sectio venæ in talo, & in magna quanti-

C tate extrahendus sanguis. Confert etiam in principio fotus ex vino adstringente cum oleo rosaceo, & guttulis aceti rosacei, quæ lana succida commodè, & leniter applicantur; renuit inflammatio, ne calida applicentur auxilia in principio, & partis natura frigida respuit ob quod Auctores consulunt, quòd applicentur tepida, præterquam quod sic dolor etiam mitigatur. breuitas enim resolutionis tam acuti mali frigida tollit. est enim celerrimè resoluenda, aut suppuranda inflammatio cùm tam celeriter minetur periculum, quam breuem resolutionem frigida remorantur, & cùm inflammatio, quæ ileon creat, necessariò sit magna, & resolui inflammationem magnā tempore breui sit difficillimum, miscenda semper suppurantia, quæ neque resolutionem impediunt, & dolorem mitigant, imò cùm sit

D facilius magnam inflammationem supputari, quàm resolui, videtur mihi securius suppurationem tentare, quòd etsi sit minus secura terminatio, est tamen breuior, & propterea amanda in tam pernicioso, & acuto morbo: vnde non solùm auxiliis per os assumptis, & extra applicatis cuicumque indicationi, sed etiam clysteribus, & si in principio patentur ex decocto hordei, ros.rub.violar. prunor. & medullæ tamarindorum cum oleo rosaceo, & violaceo, vitellis ouorum, & medulla cassiæ fistulæ, & tempore resolutionis mutetur materia pro complenda eadem indicatione. Si autem suppurare velitis, optimum erit iniicere clysterem ex iure pingui, in quo incoxerit radix altheæ, & maluarum, melilothum, & ficus, & passulæ pinguis, cui iuri

E miscebitis vitellum ouorum, axungiam liquatam, crocum, oleumque amygdalarum dulcium, & yrinum, nihil irritans iniicientes, vt detineantur medicamenta; nunquam enim in tam acuto malo à remediis cessandū, quatenus vires fetant, quia celerrimam, vt dixi, terminationem exposcit, aut per resolutionem, aut suppurationem ob imminentem mortem.

Tempore quo resoluere, & suppurare simul intendimus, laudat Italianus auxilium, quod sic conficit, ceræ ℥.v. olei camemali, farinæ fabaceæ, & olei rosae. ana ℥. j. ß. lutea ouorum iiij. aut 6. succi seminis lini quod sufficiat, oua, & farina leuigentur, atque tunc ceratum refrigeratum iniiciatur, & omnia subigantur, quousque inuicem commixta fuerint, & in

vnum coiisse videantur; quod auxilium & renibus, & vesicæ inflammatis pulchre (inquit) auxiliari potest, cui, si velimus superare, addentur axungiæ liquatæ, & croceum, & ante appositionem fouebitur pars inflammata hydreleo calente, quòd si tumor non resoluatur, neque suppuretur, scarificanda est cucurbita supra locum dolentem altioribus plagis, vt docet Aëtius *cap. proprio*, in cuius fine sic loquitur. *Aliquando autem, & inflammatæ partes commode per ambitum scarificantur.* Constat verò in inflammatione (intestinorum) hoc est iliaca, abstinendum esse à medicamento expurganti, vt notauit Trallianus, esseque reuellendus humores, ne fluant frictionibus assiduis, & ligaturis, & cucurbitulis. Conuenit etiam victus tenuissimus leniens, & attemperans, commendatur ptisana ab omnibus cum sacchàro, vinum vituperandum, nisi in magna virium iactura.

Simili methodo curantur alij tumores facta solùm mutatione in auxilijs iuxta ideam peccantis humoris: erysipelas enim refrigerantia magis exposcit, & attemperantia roterius assumpta, balneum etiam aquæ dulcis, in quo emollientes herbæ, radices, & flores incoxerint, vtilissimum est ad mitigandum incendium, & resoluendum biliosum humorem; & si dolores vrgeant parabitur hydrelei balneum, aut solo oleo tepido, nil enim dolores intestinorum mulcet, & laxat tensa, & inflammationem resoluit Estque auxilium celebre ad vehementia intestinorum tormina, a quacumque causa oriantur, tumores ædematosi curantur, vt iliaca orta a crassis, & crudis humoribus: schirrhus autem, & cancer, vt rarissime eueniunt, ne sunt omninò desperati, requirunt enim tempus longissimum vt auferantur: quod grauitas mali non sustinet.

Hoc malum, si oriatur à succis crudis, & viscosis intestina obstruentibus, calefacientia requirit, dissecantia, & detergentia, & quæ facilius iuuent tam tenacem materiam per vsum continuum clysterum detergentium & eliquantium succos crudos; parantur autem ex decocto cicerum, centaureæ minoris, origani, & calamenti, betæ, anisi, cumini, camemali, & hyssopi; quorum decocto mel purissimum adiicietur, & elect. diaphenicon, aut indum minus, aut parabitur ex mulsa, oleo rutaceo, & yrino, cum puluere castorei, qui semper iniiciendus est in clysteribus, aut ex aqua naphæ ℥. vj. aquæ vitæ ℥. j. ß. succi betæ ℥. ij. mellis rosac. ℥. j. ß. pulueris castorei ʒ. j. misceatur pro clystere: iterius erit continuus vsus mellis rosae. cum oximellite simp. ad dissecandam pituitam, deinde purgabitur moderatè. Rursus præparabitur solo oximellite cum aqua instillatitia raphanorum, aut decocto corticum radicum eorum, quia summè laudatur: præstat etiam oximel schiliticum cum decocto dauci, anisi, feniculi, liquiritiæ, & corticum citri, & purgatio iterabitur medicamento fortiori: sæpè autem necessarium est præbere medicamentum, quod corpus vomitu turbet, & deiectioné moueat violenter; nam succi tenues vomitu exagitantur melius, nam semper medicamentum expurgans eluditur, quia lentor humorum tenaci adhærentia tractionem impedit: vnde succi attracti ex alijs partibus inculcantur in loco obstructionis, & duplicatur malum. Conferent enim in hoc malo pillulæ iliacæ Rasis, si æger sit robustus, & humores crassi benè priùs sint extenuati, & incisi: aliuqui dantur cum periculo, vt notauit Herculanus, ante illa verò dabitur commodè ius galli decrepiti, vt communiter paratur, addendo infarto turpeti ʒ. ij. fibrarum hellebori nigri ʒ. ß. sic enim purgatorium detergens, & vomitorium euadet ius illud; eritque optimum auxilium in hoc malo. Si autem vires sustineant, dabitur sequens medicamentum loco pillularum Rasis. Recipe trociscorum de alhãdahal puluerizatorum ʒ. ß. seri lactis caprini ℔. j. macerentur simul per noctem, & mane colentur, & colaturæ suman-

A tur ℥. v. quæ dosis sequenti die, aut tertia repetenda est, si opus fuerit. Commode enim macerabitur eadem quãtitas trociscorum in aqua mulsa parata ex decocto radicum assari, vt abstersio, & vomitio, & purgatio eodẽ medicamento fiat. Nec minus coterent g. vj. aut viij. antimonij infusi in vino albo, cuius colaturæ sumantur ʒ. iiij.

Semper tamen notabilis, num causa obturet crassa intestina, nam crassis obstructis auxiliantur magis clysteres expurgantes, & lecutiua iniiciuntur: tenuibus verò plus conferunt assumpta per os: inter clysteres autem ad eliquanda, & expurganda pituitosa excrementa, validus, & optimus est, quod sic paratur, olei seminis lini ʒ. vj. trociscorum de alhandatal ʒ. j. ß. commisceantur, fiatque ebullitio parua: qua mixtura inungitur vmbilici regio, & venter inferior, reliquum verò per clysterem iniicitur.

B Victus ratio attenuans, calefaciens, & detergens desideratur, est autem vtilissimum alimentum simul cum medicina coniunctum mel optimum, quia dotes indicatas ab huc malo contineat: vinum etiam antiquum, & album celebratur, vt alimentum scilicet, & remedium, circa quod audiendus est Hippocrates 2. *lib. Epidem. sect. 6.* sic scribens: *In voluulo tenui frigidum vinum multum merum secundum rationem dare, quousque somnus fit, aut crurum dolor fiat, soluit autem & febris, & dysenteria sine dolore.* In cuius loci commentationem noster Vallesius non commendat vinum in omni voluulo, sed ex duro stercore, aut flatibus, aut humoribus crudis impactis. Voluulum enim ortum ex causis relatis nihil melius quàm vinum soluere

C potest, cruda concoquit, crassa extenuat, flatus dissipat, digerit, deducitque per corpus quæ sibi sunt obuia: vnde aut concoquendo, aut dissipando, aut in aliam partem detrudendo obstruentem materiam à tanto malo liberat: præcipit tamen Hippocrates, vt detur quousque somnum concilieт, aut excitetur dolor articulorum, tia somnus molestã scotationé tollit, & ad crassorũ coctionem summè confert. Si enim stupefacientia, quando dolores vrgent, imperantur, etiam si sint contraria morbo, securius erit vinũ, quod conciliãs somnũ vim narcoticorum participat, virtutem firmat, simulque opponitur causæ. Conditiones vini, vel vt vinum sit vtile, docet Hippocrates imperando quod sit frigidum, calidũ enim inimicum est, & ingratum, & per consequens vomitoriũ: multum est dandũ, quia in parua quantitate neque con-

D cilibabit somnum, neque articulorũ dolorẽ inducet; merum imperat ob easdẽ rationes, dilutum enim nec somnum conciliat, neque commotionem in humoribus, aut excrementis causat, quod præcipue in hoc malo desideratur. Quod multum imperet, non est intelligendũ, quod detur semel multum, sed potius quod crebrò repetatur moderata exhibitio, vt commutetur, & non euomatur, neque in acetum vertatur: quæ euenient, si multum semel detur; crebra itaque repetitio moderatæ quantitatis multum tandem dabit, & ita dabitur secundum rationem, quia ventriculus debilis neque multum semel datum continebit, neque commutabitur.

Videtur tamen suspecta hæc doctrina, quia si dandum est vinum merum, quousque conciliet somnum, aut dolor artuum suscitetur, non poterit dari absque periculo incidendi in Apoplexiam, aut conuulsionem, aut

E aliud graue malum ex his, quæ vinum merum in magna copia datum affert, & efficere consueuit; ob quod existimo verba illa, *secundum rationem dare*, non esse intelligenda, quòd detur, quousque somnus fiat, aut artuũ dolor causetur; multi enim vinum ingerunt in magna copia, & in tanta, antequam somnum concilier, quòd non priùs dormiant, quàm apoplectici euadant; articulorum verò dolores, vt mensuram conuenientis quantitatis constituere nemo non videat incertum. Proindè ego intelligo illud, *secundum rationem*, esse intelligendum absolutè, hoc est, detur in ea copia, quæ somnum

conciliare

conciliare solet, aut deductionem succorum, & excrementorum: hoc verò intelligendum considerata natura ægrotantis in consuetudine bibendi vinum, foetitud ne capitis, & aliis quæ obstent, aut permittant maiorem, aut minorem quantitatem: est verò intelligenda sententia de vino albo antiquo, & generoso; id enim dicta bona præstabit, quia summè attenuat, dissipat flatus, & distribuit, commouetque succos, aut excrementa: & eum febris etiam sanet huiusmodi malum, & hanc causasset non tardò vinum multum, & merum, etiam erit ob hoc vtile; detur igitur secundùm rationem, est autem tale in quantitate, quæ somnum conciliare solet, aut succos commouere, & febrem facere, & si aliquid horum fiat, satis datum putatur: si verò non fiat, non detur quousque fiat, sed in copia, quæ dicta bona præstare possit: quæ si intelligeret Aurelianus, non damnaret Hippocratem adducentem alioqui vetissimam, & approbatam sententiam: obiicitur itaque H ppoc. quòd non obseruauerit declinationem mali, in qua dandum est vinum: tursúsque multum, & merum sanorum mentem alienabit, nedum infirmorum, & quod frigidum omnia tumentia auget, & indurat, q to fit, vt eùm passio deterior reddatur, impediatur per consequens morbi conciliatio, quia acuta passiona, & dolore non poterit æger quiescere.

Sed hæc omnia ex dictis manent soluta, cùm dicat Hippocrates, esse dandum secundum rationem: neque frigiditas tanta esse debet, quòd vim obtuerit, sed ea quæ ingratitudinem tollat, ne enormatur, præterquam quò l vinum attenuatum iam corrigat frigiditatem omnem, vt constat: erauit igitur etiam Mercurialis dicendo frigidum impetrari, vt in minori quantitate somnum conciliet, præterquam quod non semper datur pro somno, vt ex *text.* 14. constat, sed etiam vt dolor in articulis excitetur, est certum, quod vinum non conciliat somnum, vt frigidum, aut aretando frigiditate, sed vt flatuosum, & euaporabile nimis: quod si non declinet malum, constat non esse expectandam declinationem, sed in vrgentia qualibet dari posse, quia vt remedium conceditur tanti mali.

Putauit etiam Vallesius, potum vini esse idoneum in ileo orto ab stercoribus obstruentibus, & exsiccatis, datum modo adducto ab Hippocrate, quod mihi non probatur, non quia putem aquam ventriculum mouere, cùm oppositum Hippocr. doceat 3. *de vict. rat. in acut.* Sed quod in tanta copia necessarium vinum non sit, nam præterquam quod mulsa magis lubricat aluum, quàm vinum, habet hoc id vituperandum, quòd vrinas moueat, homiditatem per ambitum corporis celeriter faciat; vnde aluum siccat hac ratione: nec merum emollit plus fæces, quia dilutum mediocriter emendatur, non ob vini permixtionem, noxa inducenda à frigore aquæ humectat, non dubiè magis quàm vinum, & minus celeriter distribuitur quàm merum, sicque diutiùs detenta in prima regione aluum laxat, & stercora emollit. Constat doctrina ex Paulo *lib.* 5. *cap.* 7. in quo ad cohibendam immoderatam purgationem per aluum dicit, cutis frictur, & lauetur calida, & ante balneum vinum tenue, fuluum & flauum detur, tale siquidem celerrimè in totum corpus distribuitur, siccatque aluum, & eam nimis fluentem merum sistit, quod celerrimè distribuatur per corpus, & secum ferat humiditatem ventris. Galenus etiam 4. *Aphorism. comment. vltim.* alui siccæ affectens remedia dicit, quòd quando aluus siccatur, detur maior potus, & prohibeatur, quantum fieri possit, distributio etiam ad venas, vt à potu maiori, & diutiùs in intestinis moratæ humidior reddatur aluus, & emolliantur stercora: nec dubitari potest, familiaritate, & analogia trahi vinum celeriùs, & auidiùs quàm aqua: ergo in induratis fæcibus nec mero indigemus, nec in magna copia dandum: sed dilutù mediocriter, & in moderata co-

A pia, nec melius impeditur distributio celerrima, quàm datum dilutū, nam vt in prima regione aqua nimis moratur, vt loco citato docuit Hipp. sic detinet vinum sibi permixtum, ne tam celeriter distribuatur per totum.

Alia causa erat dictum stereus, quod facilius tem euitationem desiderat, & quæ cedere solet, emolliis enim fæcibus discedunt facile, de qua Auicenna in hoc cap. sic loquitur: *Et factus ex face curatur in primis cum clystere leni, deinde peruenitur ad forte gradatim, & succedit illi potus solutiuorum propriorum faci, vt d ponatur illud quod remansit.* Galen. *lib. artis medicinalis, cap.* 94. docet, obstructionem à duro stercore primam curationem habere ab emollientibus humidis, & pinguibus clysteribus, deinde ius pingue, in quo malua incoxerit, & ipsa malua cum saccharo ingesta in prima mensa, in

B quem vsum conceduntur pruna pinguia cum saccharo, & aqua cocta, deinde oleo amyg. dulc. madefacta, initio prandij, & cœnæ deuorata: commune auxilium ius, in quo elixa fuerint mercurialis folia; sumitur primò ius, deinde folia eum saccharo; vtilissima etiam bottago, aut vua passa Corinthiaca: Laudat Mercatus tertio quoque die sumere ante cœnam ʒ.vj. medullæ cassiæ, supra quas ius pingue ingeratur, oleum amygd. dulc. sesaminū, aut de semine lini laudatur, si à ieiuno corpore ante cœnam sumantur ʒ.ij. semper tamen initio emollitionis à clysteribus fiat ex decocto prunorum, violarum, maluarū, passulatum sine granis, mercurialium multo oleo altheæ, & meliloti, sed melius emolliuntur iniecto solo oleo dulci communi, cui butyrum, aut axungia liquata admisceantur, deinde venter vngendus oleo amygd. dulc. butyro, & axungiis liquatis, aut ingrediatur æger balneum

C ex oleo dulcissimo, in quo detineatur per quartam partē horæ, aut foueatur venter oleo violaceo, amygd. dulc. sesamino, lilior. albrorum; sed antequam balneum ingrediatur, iniiciantur clysteres ex emollientibus dictis, trāsacta hora à balnei exitu, ex acrioribus rebus iniiciatur alter, vt vellicata natura emollita stercora trudat. Sumantur folia teneriora violarū, & maluarū, coquantur in aqua, & oleo cōmuni, extrahantur, & per setaceum traiiciantur. His additur oleum amygd. dulc. & violaceum, & bene mixta supra ilea, & ventrem apponetur in forma emplastri, quod mirè emollit induratas fæces: acres clysteres parantur ex mulsa cū sale, aut ex decocto mercurialiū, origani, brasicæ, vrticæ, centauri minoris, & betæ, cui mel, & sal adueniantur, aut aliqua ex hieris maio-

D ribus: aliqui mutiam solùm iniiciunt, quia vehementer irritat. Eundem effectum præstant suppositoria ex hiera logadij, melle, & puluere cumini, quo tempore commodè venter vngitur vnguento de agripa, & vmbilicus impletur vnguento de artanita, & interius fumitur ius ex brasica, beta, mercuriali, & ciceribus paratum cum oleo amygd. dulc. & saccharo, aut ius galli veteris rebus emollientibus infarti; nec minus manna in iure pingui soluta. Reliqua verò expurgantia cauenda sunt ob rationem adductam in ileo ex inflammatione, nam solutiua commodata à Principe sunt, quæ dantur appropriata fæcibus: ea verò sunt lenientia solùm, vt cassiæ medulla, manna, serap. ex plurib. infus. violarum, & alia huius naturæ.

E Si vèrò ex resolutione facultatis pellentis ileum causatur, similia auxilia conueniunt, ac pro fæcibus crudis obstruentibus tradita sunt: nam vt eruditatibus oblita intestina non irritantur à bile, & indè non pellontur, aut obstructio, & frigiditas sensuum, auferendo molestiam excrementorum impedinnt, à quibus causis detersio, calefactio, & extenuatio indicantur, & non minus irritatio per clysteres inducta, præsertim quia illita multò intestina bilem non sentiunt, aut quando bilis descendere non potest ad intestina, tunc clysteres acres vicem molestantis bilis supplebunt. Constat verò, quòd si mucus stupida reddat intestina, iniiciendi sunt priùs clysteres detergentes, & eliquantes eruda excre-

menta, deinde irritantes, sed detersioni magis innitendum, eo quòd abstersis crudis excrementis sensus statim redit, quod maximè notabitis, nam calefacientes clysteres, & exsiccantes cùm exsiccent, calore, & siccitate pituitam induant, & difficilius reiicitur, si liquatiuis effectu priuentur. Conueniunt in hoc casu decoctum guaiac. & alia infinita frigidæ, & humidæ intemperiei accommodata, neque inutiliter dabitur terebintina cum sacchato rubro ad detergenda pituitosa excrementa, quæ imbibita in intestinis stuporem causant, cum lapsu insigni facultatis expultricis.

Substantia flatuosa intestina intorquens, & distendens, sicque intendens contractionem fibrarū ileo præbet initium cum dolore immani ex impetuo a ruptione; neque implicat præ nimia distensione corporis caui, & molis ita occludi viam, quòd impediatur exitus inferior, præterquam quod intestinum ileon in gyrum nigrum, & multis circumuolutionibus formatum si distendatur nimis, vt potest, à flatibus, deperdet non dubiè idoneam formationem naturalis cauitatis, sicque impedietur per sensum expulsio. Inuadit inopinatè huiusmodi malum, tensio nimia citra pondus in intestinis sentitur, dilacerantur disrupta cum atroci dolore, & regio ventris tacta tensa sine duritie se ostendit, & dolorum acerbitas subitò eueniens citra febrem, aut inflammationem, substantiam esse flatuosam monstrat præcipuè, præsertim si causæ infrigidantes manifestæ præcesserunt.

Medemur huic causæ, & malo ex illa orto clysteribus carminantibus, vt in dolore colico ex substantia flatuosa, sed prius detergenda pituita materiam præbens flatuum generationi: est communis clyster oleo amygd. dulc. anethino, aut rutaceo, cū vino albo generoso, benedicta, & electuario indo maiori, & mihi vsitatissimum electuarium de baccis lauri, aut decocto foliorū lauri, anethi, anisi, cumini, camemali, radic. ciperi, & ligni aloe in iure carnium parato, cuius idoneæ quantitati inicio electuarium de baccis lauri cum Indo maiori, & ℥.j. aquæ vitæ rectificatæ. Decocta enim in aqua confecta pro corrigenda distemperie frigida, & humida, & resoluendis flatibus minus mihi probantur; facilè enim aqua se reducit, præterquam quod nunquam humiditatem deponit, ob quod aut in vino, aut iure carnis simplicia sunt incoquenda. Ore assumitur tabella aromatici rosati, & deinde anethi odoriferi decoctum calidum, quod miram habet vim ad absumendos flatus. Est enim singulare diaciminum, aut diatrion pipereon cum serapio de corticibus citri, & de mentha; mitridatum etiam, & theriaca magna antiqua, & castoreū, si legitimum inuenitur, datum per os, & per sedem iniectum est mirabile, aut eius oleum cum reliquis in clystere iniicitur: totus venter inungendus oleo amygd. dulc. cum anethino, rutaceo, castorei, aut liliorum alborum, in quibus aut cubebæ, vel radix enulæ, aut cuminum incoxerint; sed decoctum radicis enulæ in vino vtilissimum est interius assumptum, & per sedem iniectum. Emollito iam ventre inunctionibus dictis cucurbitæ eidem affigentur, quia incantamenti modo, vt testatur Galenus, flatus euacuant, & ventris distensionem auferunt. Neque omittendum auxiliū commune ex omento arietis recenter extracto, puluere cumini, cubebarum, florum camemali, & castorei insperso, & toti ventri applicato: est enim eius calor naturalissimus nobis, concoquens, sedans dolorem, flatus dissipans, & tensionem laxans, quod maximè conuenit, si ex frigiditate externa, aut potu aquæ gelidæ initium sumpserit morbus, cauendo semper ab his auxiliis externis, quę præ nimio calore cutem indurant, & pituitam exurunt interius: sic enim flatuum resolutionem solent impedire, imò & maiorem eleuare copiam inæquali, & violenta calefactione; quæ si non sufficiant, balneum olei dulcissimi ingredietur æger, si consentit vites, quia mirè dolores demulcet, & laxat tensa.

Quando ex descensu intestinorum causatur ileon, statim sunt reducenda in locum naturalem supinè collocato ægro, contractis cruribus, & accliuibus, & decliui corpore, vt sic ad locum naturalem redeant. Quòd si flatibus & fæcibus dura, & tensa percipiantur, emollientibus, & resoluentibus latus prius fouebitur, locusque: reductio intestinorum intendatur, simùlque cum emollientibus, & resoluentibus permiscebitur anodinum: quibus factis blandissimè, & leui compressione intrò intestina reprimentur. Dixit enim Mercurialis, sæpè fit vt intestina labantur in scrotum rupto peritonæo. Vnde cùm chirurgi volunt intestina ad proprium locum reponere, imprudentia fit, vt impulsa magno impetu intestina conuoluantur, & fiat obstructio, & ileos; repositis iam intestinis imperanda quies, & apponendum emplastrum contra rupturam cum ligatura idonea.

Quando à flatibus, & decidentia intestinorum positio naturalis eorum, & compositio deperditur, ita vt occludatur via, auxilium hoc tanquam celebre imperatur à Medicis. per podicem enim cum folle, aut alio instrumento accommodato aere pleno, intromittitur aer impetu, eo modo, quo iniiciuntur clysteres, vt dicatur propriè clyster ex aëre: impulsus enim aer & intrò permeans intestinum contortum in naturalem formationem reducit, replendo nempè illius capacitatem, & impulsu distendendo aufert illam circumuolutionem violentam, & morbosam, & locus datur, vt excrementa descendere possint: quod auxilium desumptum fuit ex Hippocr. *lib. 3. de morbis*, & illo vtitur, quando stercora obstruentia ileum causant, nam propter nouam distensionem ab aere iniecto separantur intestina ab excrementis, & hæc commouentur, daturque locus, vt clyster emolliens, aut irritans iniiciatur. Verba Hippocr. sunt: *Sin minus follem fabrilem si dato, & in ventrem flatum immittito, à quo & ventrem, & intestinum contractionem distendas, deinde extracto folle clysterem adhibeto.* Sit autem infusum per clysterem iniiciendum paratum non ex valdè calefactoriis, sed ex iis quæ stercora dissoluunt, & colliquant. Quam doctrinam sectatus Amatus Lusitanus *centur. 1. curat. vlt.* quendam ab imminente morte liberauit: quod auxilium commendat Boetius *in suo comment. medico*, & Pereda *in scholiis*, & doctissimus Hieron. Montuus, & obscuris verbis illud insinuauit Princeps in præsenti *cap.* dicendo: *Et quibusdam videtur, quod rectius est, quòd aquetur intestinum, in primis cum positione inflationis eius cum facilitate, deinde clysterizetur.* Constat verò ex loquutione auctorum, & lectione eorum, hoc auxilium esse idoneum in ileo causato à flatibus, aut stercoribus duris, aut decidentia intestinorum, quamuis hoc auxilium Mercatus absque fundamento aliquo condemnet. Cælius tamen Aurelianus *lib. 3. acutor. c. 17.* Hippocratem carpit ob duo; & quia intestina distenta sunt præter modum in ileo, vnde flatus nimis distentus de nouo malum gignat; deindè peccatum summum putat aërem frigidum intromitti, cùm morbus calorifica, & laxantia requirat: leues quidem rationes, cùm aer non iniiciatur, nisi quando circumuolutio intestinorum debitam conformationem destruxit, aut tota cauitate à duris stercoribus occupata, locus non est, intra quem concipiatur clyster: quæ vitia aër intromissus auferre potest; aërem autem intromissum priùs calefieri posse antequam immittatur, nemo non videt quàm facile sit, & ita fieri debet: commendat Mercatus in ileo à flatibus alicuius rei magni ponderis deglutionem, vt calybis limatura, aut opiata ex eo confecta; putat enim incredibile substantiam flatuosam resistere posse grauitati calybis. Cuius docteinam ingenuè fateor non capere, cùm ileum à flatibus non causent, aut circumuolutis intestinis, aut ita distentis à substantia flatuosa, quòd seipsa comprimere nequeant, & per consequens neque aliquid possent expellere: vnde aër non obstat descensui excrementorum propria corporatura, sed inducendo morbum conformationis, aut distendendo

dendo nimis; & cùm ob dictos morbos obstructa sint intestina à copia excrementorum, & stercoris, hæc sunt principalia impedientia cum vitiata conformatione descensum calybis, non autem aer, aut flatus, meliúsque foret non calybem, sed pillulam plumbeam deglutire, vt præcipiebat Diocles, quem auctorem Mercatus leuibus rationibus refutat, & loco plumbi aurum deglutire poterit, si pondus putatur remedium: Est autem ridiculum meo videri, quòd Mercatus damnet plumbum propter frigiditatem, & quia timet ab eo corrosionem intestinorum, cùm nullâ efficacius vnguentû contra erodentes humores, quàm vnguenta ex plumbo parata, cuius mirandum effectum contra tam erusa vlcera commendauit Galenus 9. *de simp. med. facult. cap. proprio.* Incredibile autem videtur quod narrat Eustachius *lib.3* obseruatum fuisse, nempe aliquos liberatos, qui iam in desperatione existebant, haustu argenti viui cum aqua sola ℔. iij. pondere enim suo intestinum velut vinctum expedit, & euoluit, prædurántque obstructes fæces deorsum deturbat, & addit valuisse in colico affectu idem medicamentum trium vncinarum pondere, vt cum stercus gallinaceum aridum ex vino datum, & bibitum cuidam desperato fuit præsentaneum auxilium, vt tradit Alexander Benedictus *lib. 19. c. 13.* quo loco tetere stercoris tædam vomitionem sanare aquam frigidam copiosè exhibitam: quo auxilio Medicus quidam seipsum liberauit à reliquis iam ve desperatus destitutus. Aetius ex Orib uno dicit: Anethi in oleo, & aqua coctam bibatur, deinde crustra panis ex aqua feruente præbeatur, mirè enim iuuantur, etiamsi stercora euomant, Galenus *lib. 9. medic. local. c. 4.* inquit: Colica admirabilis, qua vtor ad voluulosos, & qui stercus sursū euomunt in magnis doloribus: datur in magnitudine fabæ in aquæ frigidæ cïathis tribus, aut quatuor: recipit autem piperis albi, feminis hyosciami, vtriusque ʒ. iiij. opij ʒ. ij. croci ʒ. j. spicæ nardi, euphorbij, piretri, ana ʒ. ij. excipe melle cocto. Aetius ex Archigene feliciter, inquit, vsi sumus ad voluulosos sine inflammatione hiera nostra ex cholocinthide pondere ʒ. ij. aliquando etiam ʒ. iij. in catapotia reddit, aut enim vomitu reiicitur pharmacum cum multa bile, aut pitnita, aut in forma ad intestinum omnes causas morbum facientes secum subducit: Vnde & Asclepias Elatherium terebinthina exceptum, & in catapotia redactum commendat, desuper tamen aquam esse bibendam docet. Est enim præstantissimum, & optimum præceptum, si non sit inflammatio, aut tumor contra naturam, dare medicamentum quod violentia deturbet impactos humores, & stercora, vomitúque, & eiectione conetur detrudere, nam tam grauis affectio non cedit lenioribus: ob quod auctores relati medicamenta valida commendant, & Montuus ex duobus granis præcipitati, & ℈. j. diacimini tres parat pillulas sumendas à cibatione: statimque, inquit, morbosum homioem vomitu, vel deiectione reiicere faciunt. Quod auxilium ab Eginet. referri dicit Ras. & Vigon. Hinc Eustachius in curatione gallici morbi docet, sæpè in ileo eum vtilitate datum fuisse hydrargirium; & Lacuna *lib 5. c. de præcipitato*, v. ant vj. g. illins cum vino præbet pro morbo gallico, & nimium prodesse dicit. Est etiam summè penetrans hoc auxilium, necessaria conditio in iliacis, si melancholiæ copia obstruat intestina, vinum antimonij commodè dabitur, aut mulsa, in qua hellebori nigri ʒ. j. incoxerit: suprenis quippè morbis suprema remedia dicenda, iis præcipuè, qui certam perniciem semper polliceantur. Est etiam notandum, quod de hydrargirio tradit Schenckius *lib. 7. fol.* 1013. ex doctrina Sambarolitani, contra Diasth. non, inquit, mihi videri consonum intestina perforati, cùm sit in aduerso experientia; nam si bibetit patiens Miserere mei Domine, ℔. iij. argenti viui cum aqua (facta prius mortis pronosticatione) quando ex se

A mortalis sit ægritudo, fortassè liberabitur, sicut multi sani facti sunt a tam sæuissima ægritudine, & etiam dolore colico lenissimo, minori accepta quantitate, scilicet ʒ. iij. citat Auicen *c. proprio*, de argento viuo dicentem: *Argentum quidem viuum plurimi qui bibunt, non læduntur; egreditur enim cum dispositione sua per inferiorem regionem.*

SECTIO IX.

DISPVTATIO VNICA.

B *De morbis Renum.*

CAPVT I.

De eorum inflammatione, & eius signis.

De hoc malo egit Princeps *fen.* 18. *lib. 3. textu* 1. Sic *posteriori cap.* 1. non definit quid sit, cum id ex *tr.* constet, esse nimirum tumorem præter naturam pendentem ex sanguine calido. Causæ satis perspicuæ sunt, ex tractatu *cap. de inflammatione ventriculi, & iecoris*; nec minus constat modus inflammationis ex ibi relatis. Discriminantur autem (inquit Auicenna) apostemata calida renum, quòd quædam C fiunt à sanguine crasso, & alia à sanguine subtili, & cholerico. Rursus differunt ex parte loci: quædam enim fiunt in corpore, & substantia renum, quædam tendunt, seu inclinantur ad latus concauitatis, & quædam ad tunicam, & membranam inuoluentem renum substantiam. Rursus quædam tendunt ad partem meatus emunctorij, & quædam declinant ad partem dorsi, & quædam ad partem meatus, qui est ad superiora, Quæ omnia attentè contemplanda sunt, quia diuersa nascuntur signa, & diuersa symptomata, iuxta diuersitatem locorum affectorum.

Signa demonstrantia apostema calidum (de his enim instituitur sermo, cùm hæc sola acuti morbi sint) adducit Princeps *c.* 20. dicendo: *Signum apostematis calidi in renibus est febris inseparabilis, seu continua; hoc est* D *communissimum accidens omnis calidæ inflammationis partium internarum.* Vnum tamen adducit peculiare huic inflammationi dicendo, quod febris illa habet etiam temissiones, & commotiones inordinatas, quasi sint propriæ quartanæ, & pulsus non habet immoderationē in inceptione paroxysmorum eius, quā habet in initiis aliarum febrium: quòd vt intelligatis, notate, quod in renibus inseruntur duæ arteriæ magnæ in parte sima ipsorum: & inde trahitur cor in consensum facillimè, continuéque febricitat, quia semper causa febris incessanter affligit, inflammatio nimirum in renibus durans, quia verò renes alligantur spinæ, & ob id cum neruia magnā communione sortiuntur, súntque corporis pars quædam, qua deducitur lotium, & excrementa, quæ cum E illo afferuntur, ideò varia solet esse, & inordinata eleuatio fuliginum, & excrementorum dinersorum à Phlegmone alteratio; ob quæ erraticæ quædam inuasiones affligere solent, vt in erraticis euenit febribus quartanam imitantibus: & hoc est, quod docet Princeps, febrem inflammationis renum habere temissiones, & commotiones inordinatas, quasi sint propria quartanæ, hoc est, eo modo, quo in erraticis febribus quartanam antecedentibus contingere solet: hæc verò inordinata principia pulsum non opprimunt, & coarctant, vt aliarum febrium putridarum principia, quia non causantur ita ex nouo humorum affluxu, & vt ex diuersa excrementorum alteratione, quæ paulatim ad renes accedunt cum lotio, & inde in tanta copia non dantur,

quòd pulsum coarctent, & magnam suffocationem inducant. Hoc dictum Principis nullatenus Iacobus calluit; putat enim suffocari calidum per illa erratica principia, quia directè fuligo eleuata per magnas iam dictas arterias tendit, & cor, & cùm non feratur per sensibiles partes, non causat rigorem, aut horrorem, & sic non coarctatur pulsus, nec suffocatur. Quæ doctrina Principi refragatus dicenti inferius. Et fit illic oppilario commiscens inflammationem, id est, inflammationi commixta: quæ verba exponens Iacobus, sibi repugnat, admittit enim mordacem calorem, & causam per musculos seminatam eosdem pungere, sicque cum inflammatione horripilationem coniungi: Nec puto hanc disseminationem per partes sentientes fieri, vt in aliis accessionum initiis, sed quia vt diximus, renes spinæ alligati facillimè neruis acria excrementa communicant, sicque horrent ægroti, etsi aliqui continua febre vexentur: quod summa ratione notauit Auicenna. Nec putet aliquis ob erraticas inuasiones, & horripilationem relatam inter intermittentem collocandam febrem comitantem apostemata renum. Accedit contra Iacobum nullam esse causam maiorem suffocationis pulsus, & vitalis caloris, & opprimitur cor, & grauatus: est ergo verior ratio à me adducta. Addit Auicenna, esse febrem cum frigiditate extremorum, manuum scilicet, & pedum. Ratio est, quia renes inflammantur facillimè, & nimis, & cùm supponamus calida inflammatione obsideri, ob nimium incendium, reuocat ad se vitalem calorem, sicque algent extrema, ad quod non parum conducit horripilatio frequens, si detur, vt retulit Princeps.

Aliud signum retulit Princeps dicendo, ex sensibilitate extensionis, & grauitate apud partem renum semper inflammationis causa duo facit, & corporatura humoris distendere partem affectam, & grauitate notum, alienumque pondus inferre, ob quæ & distensio datur in renum regione, & grauitatis, seu ponderis sensus: estque dolor grauans commune signum omnibus partibus sensu tactus priuatis, sentientibus tamen solùm ob membranam tegentem, & quia inflammatio fixa, constánsque passio est in eadem parte, ideò assiduè, immobilitérque infestat, quod intelligetur de dolore orto à causa inflammante: quia verò, vt dixi, renes sunt emunctorium delationis vrinæ, & excrementorum, quæ cùm illa deriuantur, erratici dolores affligere solent cessantes facilè, quia solùm offendunt in transitu; & ideò dicit Auctor, quòd datur dolor, qui commouetur, & sedatur; quod etiam contingit, quando inflammatio suppuratur; tunc enim ob feruorem increscunt dolores, & remittuntur etiam sedato feruore, est dolor inflammationi debitus remissior multò, & propriè grauans, si sola renum substantia inflammatur: Si verò inflammatio attingat membranam, duriùs excruciat, quia sensibilis, ita vt corporis erectionem impediat, tussim, & sternutationem, neque decentem, & idoneum decubitum ægris promittat, quia in quauis commotione pars inflammata nimium sensibilis dilaceratur de nouo, & extenditur, & inde augetur cruciatus, mitigatur hic dolor, aut premit minus in supino decubitu, quia ren inflammatus suspensus non est: si verò supra ventrem aut pronus cubat æger, magis dolor fatigat, & dilaceratur pondere humoris. Addo ego, in prono decubitu comprimi lumbos, & renes per consequens, sicque dolere magis. Quæ doctrina non solùm est vera respectu inflammationis membranæ, aut suspensorij, sed etiam respectu renum, quidquid exponat Iacobus; renes enim spinæ alligati in prono decubitu suspenduntur etiam.

Pulsus non meminit Princeps, erit tamen durus non dubiè cum reliquis differentiis aucto vsui debitis; hæc sunt signa essentialia huius mali, febris scilicet continua, dolor grauans, & permanens in renum regione, & si membrana ipsa cooperiens inflammationis particeps fiat, erit dolor acutus, & pungens, decubitus supinus suauior, quo signo à lumborum inflammatione præcipuè distinguitur pulsus durus, & veluti serrans; vrina in inflammationis initio alba est, inquit Auicenna; intelligit Gentilis remissè tincta, quia bilis ringens penetrat renum substantiam ad renum apostemata; melior sensus à Iacobo adductus, & verior, quia scilicet obstruitur via à rene ob inflammationem distento, sicque bilis crassa portio ad vesicam non deriuatur cum lotio, quod signum vel facilè imperitos decipiet, renum ardori colorationem vrinæ tribuentes, nescientes distinguere læsiones corporaturæ, & alterationi dicatas, & quàm variè mutentur excrementa, eadémque actio lædatur ob ea quæ diuersa requiruntur. Notat tamen Princeps, quòd quando vrina alba perdurat, ostentat duritiem futuram, aut quòd suppuretur inflammatio. Ratio est, quia si permutetur inflammatio in schirrhum, ardor cessabit resoluto inflammabili; terreum verò, & frigidum manebit. Vnde & remisso calore, & constipata via à tumore indurato, quod albescat vrina; quia quando suppuratur inflammatio non minus comprimitur via, & materia in pus mutata albicat necessariò, & quidquid resodat, albedinem causat in lotio, & quod plus coquitur, ampliùs albescit, quia & album magis est pus, & inflammatio laxatur, sicque cum lotio plus albicæ substantiæ resudat, & illi admiscetur, rupta verò vomica multò magis, quia iam cum vrina totum deriuatur pus, éstque adeò bonum (inquit Auicenna) quod melius esse non possit; erit tamen hæc vrina crassa, & torbata ob puris mixtionem: si verò alba viscosa euaderet, mala est, quia significat vlcera sordida renum, & pus genitum esse viscosum, & consolidationem eorum impediens.

Deinde tradit Princeps signa significantia renem dextrum, aut sinistrum inflammatum: quod etsi ex dolore cum pulsatione satis perspicuè monstrarit, addit alia signa ad id inquirendum. Primum est, quòd etsi in rene dextro inflammatio molestet, decubitus super dextrum latus minus fatigat, quàm super sinistrum, quia in opposito cubans suspenditur ren inflammatus, & pondere dilaceratur, & rumpitur; & idem in sinistro rene inflammato putandum; declinat etiam dolor ad iecur, si dexter ren inflammetur: Si autem sinister, ad vesicam extenditur dolor; quod videtur præter rationem, nam cùm situetur vesica in media regione, nec magis inclinetur in sinistrum latus, quàm in dextrum, non videtur probabile, quòd non compatiatur vesica ita benè cum rene dextro, aut sinistro: sed id summa ratione notauit Princeps, quia ren sinister magis deorsum situatos; dexter verò sursum, & altiùs, & inde sinister propinquior vesicæ cùm sit, eam in condolentiam trahit, quod non facit dexter ob situm altiorem, ex qua positione pendet aliud quod tradit Auicenna dicendo: *Et cùm apostema est in sinistro, tunc sentitur super inguina duo, dolor scilicet, aut grauitas*: magnificatur dolor non minus in musculo dorsi; in toto illo hæc (inquit) eueniunt ob situm decliuem renis sinistri, ob quem ad inguina magis accedit, & comprimis illa, vt & musculum dorsi

Est rursus communissimum accidens, quòd alnus pigra reddatur, quod dixit Auctor ita: *Et retinetur venter propterea quod contrectat materia intestina*, hoc est materia inflammationis, seu causa tumoris distendendo renum substantiam comprimit intestina, & sic detinentur fæces. Addo etiam, incendium intestinis tam proximam humiditatem absumens, vt nec intestina, nec stercora lubrica sint, & ita detinentur diutiùs, tardeque reiiciuntur.

Est vitium hoc perniciosum, nam & continuitate febris molestat, & assiduo dolore, vigiliis, inquietudinéque virtus labescit; acre lotium molestat, crebra expulsione

expulsione guttatim ferè facta, quia paulatim per renes obstructos percolatur, nisi vnicus tamen inflammetur, & alter cuiuscumque mali expers existat: est tamen quodcumque malum ex defluxione pendens non lædere simul renem vtrumque; si incrementum suscipiat inflammatio periculosa est, tum ob symptomatum magnitudinem, tum etiam quia ob priuationem, & communitatem cum septo mentem alienat, & coafficit cerebrum. Sic Auicenna *cap. 1.* scribit: *Et cum apostema calidum est in rene, neque est vacuum à febre, deinde accidit commixtio renis, tunc illud causa communitatis velaminis magnitudine apostematis, & illud est mortale.* Nomine velaminis intelligit septum; vsque adeò rectè dicebat Aretheos 2. *lib. acutor. c. 9.* ad inferendam mortem renes benè habiles esse, non tamen ob dicta, sed ob lotium sursum. Galen. etiam *de puls. ad tyrones, cap. 13.* Retinentur etiam cæteroa turbantia mentem, corpusque coinquinantia, & immunda omnia reddentia, decubitui placido locum omninò negat, non pronum, neque in latus contrarium, vt vidimus supra. Læsura verò incendium augetur & tractio, & ventriculi firmitudinem destruit, quòd si malè suppurata inflammatio rumpatur, vlcera mali moris oriuntur diuturna tate, & tabe necantia: si verò suppuretur quàm optimè non vacat periculo, est enim solùm secura, quando vomica rupta per vreteras pus ad vesicam euomit: Si verò per intestina tentet, expulsio periculo plena est: nam si per emulgentes ad Iecur, & ex hoc per mesaraicas ad ventrem alimentum in transitu inficit, Iecur offendit, arguit inferiorem regionem per vreteras virium contraxisse non leue; estque indexterus, violentusque nimis operandi naturæ modus, etsi liberari possit æger per eum, vt historia Foresti declarat *fol. 487.* si pus benè coctum, & non multum existat: si verò per hanc viam expulsio non fiat, ad loca vacua inter renes, & intestina fiet reiectio puris, intràque inclusio ipsa macularis contagio, & sensim, longóque incremento conficiet ægrotum, suletque in hydropem permutari. Ob quod dicebat Princeps: Expulsio, quæ fit ad intestina, qualitercumque sit, est mala valdè: hoc periculum certius est, si membrana inflammetur; quòd si inter cateum, & ipsorum tunicam pus reiiciatur, inclusum manebit, donec tota perforetur, extrahatur, aut diuturnitate excedat particulas, & in aliquem locum ex dictis præcipitetur; qui exitus omni arte, & solertia obstandum esse suppurationi satis perspicuè monstrant; promptissimè etiam causa inflammationis concrescit, & tophacea redditur, vt de omni apostemate notauit Auicenna, dicendo: *Omnia quidem apostemata velocia sunt ad hoc, vt in lapidem conuertantur;* quando verò neque in tophum vertatur, docuit agnoscere, eo quòd reddatur vrina tubra, & laudabile sedimentum contineat. Significat (inquit) quòd apostema est obediens coctioni naturæ absque conuersione in rem aliam vt docuit etiam Ras. 9. *ad Almansor.* induratam inflammationem ad Hydropem perducere ægrum; quod fiet bifariam, & quia serum non trahitur ob debilitatem, & quia frigiditas emulgentia & iecur tandem distemperant: Passionibus verò renum hæmorrhoïdes superuenire putatur iuxta *Aphor.* 11. *lib. 6.* dicentem: *Melancholia, & Nephritide laborantibus hæmorrhoides superuenientes, bonum.* Galenus *in comment.* renum passionibus absolutè conuenire docuit.

CAPVT II.

De huius mali curatione.

INstituit Princeps curationem *lib. 3. cap. 3. text. posteriori, fen. 18.* dicendo: *Initium curationis est per phlebotomiam ex basilica, si sanguis est vincens; & quando est tibi necessarium, vt sequaris illud faciendo phlebotomiam, excurra tum poplitem: & si non apparet vena illa, tunc fiat ex saphena.* Secat primò basilicam, vt obstet incremento inflammationis, reuellatque in contrarium; est enim rationi consonum ex partibus superioribus sanguinem in renes præcipitari, & transmitti, vt non secta vena in mali exordio in partibus inferioribus tota plenitudo ducetetur ad renes, dupl carceque malum; & est expressa Galeni sententia *lib. de missione sanguin. cap. 17.* dicentis: *Itaque misso ex cubitu sanguis interdum auscultant, vbi videlicet recens phlegmone fuerit, quando verò vacuare, & deriuare opus est, est verò occasio deposita iam plenitudine, aut quando multum in renes confluxit, impetitumque est, tum in ipsis, tum in proximis venis, secanda vena poplitis est, aut huius defectu in malleolis.* Quas solam respiciendo indicationem euacuandi nimirum cum deriuatione secate præcipit Galenus 13. *Meth.* venarum cubiti oblitus: semper tamen secabatur vena è directo respondens tum in cubitu, tum in talo, quod intelligendum, vt sæpè notauimus, si menstruorum defectus, aut imminutio, vel alia quæuis inferior euacuatio suppressa non sit: in hoc enim casu semper secabitur in cruribus, & meo videri non est secanda primo vena directè reni affecto respondens, sed in opposito crure; hæc enim non minus quàm alia vterum transmittentem euacuat, & cùm hoc non ita euocat totius plethoram in renem affectum, vt quæ directè respondet, & hoc tantò indicatur vrgentius, quantò agnoscatur in partibus superioribus sanguinis copia maior transferenda deorsum per tali sectionem. Deinde dicit Auicenna: *Sunt etiam euacuandi per ventris solutionem, si sint humores acuti, & calidi cum sanguine.* Est verò efficienda euacuatio clysteribus lenientibus cum mucilaginibus factis quantum possibile est: timet meritò Auctor vsum medicamenti ex urgantis in principio huius mali, eo quod in locum affectum, & partes sibi proximas deducuntur humores, ex quibus facillimè deriuantur in renes, & vt diuretica in mali exordio certam perniciem adferunt sibi expurgantia, quia rarò non mouent vrinas: quod respiciens Actius mulsam vituperans in principio dicit: *Nec item laudo eorum que vrinam ciunt vsum, obladunt enim mordaces humores inflammatis partibus inducendo, nec etiam par aut pharmacum exhibendum, velut quidam consueuerunt.* Per clysterem autem maluæ decoctum admixto etiam melle, aut ptisanæ succus cum oleo, & melle. Extollit Auctor vsum cassiæ fistulæ dicendo: Et in cassia fistula est maturatio, exsolutio cum facilitate, & zuchari, & mellis, vel huius ordinis: sed de lactis sero maiora prædicat ita & illud quod melius soluit est aqua casei, & cassia fistula, & in aqua quidem casei est declinatio materiæ ad intestina, & ablutio, & abstersio, & infrigidatio, & maturatio, & rectificatio in vlceribus.

Iis tradit medicamentum, quod per os exhiberi potest, si biliosa cacochymia sanguinem vitiet, & in renes feratur; est autem serum lactis caprini, & cassiæ medullæ, leniunt quidem ventrem, attemperant inflammationem, & maturant, serum verò detergit ichores ex inflammato rene manantes, abluit intestina, & vlcera expurgat, si quæ sunt, & mordacia excrementa contemperat: sunt enim hæc medicamenta mitissima, non turbantia corpus, vt sueci agitati abundè consuiunt, sed euacuantia biliosa excrementa vasis renum proximis hærentia; & si aliquid medicamenti deducatur ad renes, præstant commoda dicta; est etiam opus, ne sueci trahantur in copia magna, à qua distenta intestina renem inflammatum comprimat, & dolor increscat, & multa copia fuccorum exagitatorum deriuetur in renes, quod inferius extollit etiam auctor vt auxilium stremum hordei aquam. *Est enim* (inquit) *ex eis, quibus adhærendum, & oportet, & nullo*

nullo modo dimittas. Attemperat sitim, extinguit acres humiditates, demulcet, & indè vias vrinarias limpidissimas, sordiumque expertes reddit, & eius occasio transacta fluxione, in principio etiam humores exagitat, & commouet detergente natura; in quo etiam summa ratione damnat Princeps diuretica, quòd deducant humores per renes, in quo summè solent peccare imperiti: est ergo diureticorum occasio sedata fluxione, & inflammatione concocta, ob quod dicit Auctor: *Non prouoces vrinas, donec verificetur maturatio.* Conueniunt verò præcipuè, si suppurata inflammatio pus non concedat, vt rumpatur vomica, & ad vesicam ducatur. Aliud etiam notat, in quo peccatur, quod facere oportet, inquit, *vt prohibeas potum aqua, quantum possibile est in hora simili huic hora*, id est, in principio fluxionis, in quo damnabantur diuretica. Ratio est, quia etsi vt refrigerat, & humectat, videatur conueniens, nocet tamen magis, quia lotium prouocat, & sic grauat renes, quando nimis opprimuntur fluxione. Rursus nocent, quia cùm renes attrahant aquam tanta fam liaritate, & tam cupide, præsertim quando incalescunt, & humores permiscentur cum aqua, trahuntur etiam cum illa permixti, & inde grauantur renes, augetur phlegmone, lotiique via obstruitur magis; tandem quia humores esistentes in partibus prosimis reni inflammato repellit ad eum, & impedit, quòd deriuentur per alium renem liberum ad vesicam. Vnde Aetius sic loquitur: *In principio sorbitionibus tenuibus morsus leuantibus con...tire oportet*, & aquæ calidæ potu, quam Tralianus commendat, vbi feruentes humores renem inflammant, sic loquens: Vtendum magis aqua tepida copiosiori quæ acrimoniam obtundit, erosionem illam, atque in corpore diutiùs remanens caliditatem distrahit, dolorem mitigat, qui magis fluxionem commouere solet, quare si acrimonia offendat, non est verendum liberaliorem potum offerre; nam hæc copiosior inflammationes ex acrimonia prouenientes iuuat.

Deinde notat Auicenna, quòd si necessarium fuerit concedere aquam frigidam, sit dulcissima, & sugatur per corium, vel aliud sorbeatur, non tamen sit tam frigida, quòd concoctionem impediat. Magnus quidem fuit timor dandi frigidam aquam, quando tam paulatim bibi docet Auicenna, quod debet fieri per mediam lanam, aut per aliam fistulam angustam, vt exponit Iacobus; sic enim impeditur, ne confertim, & cumulate deducatur ad renes, nec deferat secum humores, quia sic paulatim sumpta non causat in eis inundationem, nec tam fluxiles reddit, nec frigore ita nocet, quia tam parua quantitas in transitu attemperatur. Subdit: Et abstineat à dulcibus, aqua verò calida nocet eis, & similiter omne calidum actu, quod fortis est caliditatis; ad vltimum, & penitus aqua multa non euacuatur, quin laborare faciat renes suo incessu, & motu: damnat summa ratione carnium esum in principio inflammationis, quia cùm ibi debeatur tenuissimus victus, crassior caro putatur quòd ei conueniat, nec ita attemperat calidas inflammationes vt decet; præbet enim alimentum, & succum calidum. Sic enim Cardanus *errore 3.* Medicos concedentes in febribus acutis carnem, & oua suggillat, eo quòd putent nostri temporis ægros antiquum cibandi ordinem sustinere non posse: verùm dum alios condemnat, incautè incidit in maiorem errorem, laudando oricam vt cibum conuenientem febricitantibus: nec laudandus panis in calidis inflammationibus, si caro vituperatur, quia calida, & nimis attemperans; sic dulcia non conueniunt, quia calida, vt facilè in bilem mutabilia, & glutinosa. Quod de aqua calida dicit, maximè venit notanda doctrina Aetij, & Traliani doctrina, quæ mihi non videtur sequenda, quia nec febrem, nec inflammationem mitigat: & negari non potest, plurimum

A extenuare humores fluentes, laxare vias, & partem recipientem similiter, quo nihil absurdius in mali principio; erit ergo vtilis potus aquæ hordei sine cortice cum granatorum succo, & modico sacchari: quæ mirè attemperat, & renes confirmat; dempto enim cortice non ita detergit, nec citat fluxionem, & cum granatorum succo humores in quiete detinet, & acrimoniam eorum demulcet: & in victu conueniunt relata à nobis in cura inflammationis iecoris; transacto verò fluxionis impetu laudatur emulsio semin. frig. quæ in cibo, & potu sumatur, quia attemperat incendium renum, & febrem, detergit ichores acres manantes, & per lotium deducit, & expurgat vias vrinæ, estque cibus gratus, & optimi succi, dolorem mitigat, & conciliat somnum.

B Subdit Auicenna: *Et oportet vt administretur in primis ex eis quæ bibuntur, & epithematibus, & clysteribus, & aliis, illudque est ...., deinde admisceatur de his, quæ sunt abstersiua, & mollificatiua, & maturatiua, aliquid secundum magnitudinem apostematis eius & paruitatem, & deinde administrentur abstersiua, & mollificatiua.* His verbis omnem ferè indicationem auxiliorum adducit Auctor: in primis itaque, id est, in principio morbi sumenda sunt interius, quæ cum attemperatione fluxum cohibeant, vt serapia granatorum, rosar. siccar. serap. rosaceum, oxalidis, de portulaca, violaceum, & in magno incendio, de papauere cum decocto earum rerum, aut tamarindorum; sed non sunt nimis diluenda serapia, quia omnia liquida renes grauant in multa copia. Exterius applicantur in principio infrigidantia, C quæ & repellant, & simul renem confirment, ne recipiat facilè: Commune auxilium oxirrhodinum commune ex oleo, aqua, & aceto rosaceo, quod sæpè immutandum, ne incalescat; melius penetrat, si blandè foueatur locus affectus. Estque auxilium satis idoneum in inflammationibus mediocriter calidis; in adurentibus additur oleum nenuphatis, aut quod ex floribus cucurbitæ paratur ex oleo rosaceo, succo poligonij, aut portulacæ, cum aceto, & nullum dicit esse ita præstans in magno incendio. Optimum quod Nicolaus parat ex rasura cucurbitæ, succo plantaginis, & portulacæ, pulu. santhal. & modico aceti rosacei; & interius addit solatri succum, si ingens æstuatio molestet: D sic vnguentum refrig. Galeni, & rosacei sunt in vsu; sed vtilius quod ex cucurbita paratur cum oleo violaceo, & modico camphoræ], & in intolerabili incendio admisceatur populeon, si recens existat. In his, & aliis topicis notandum Traliani consilium dicentis: quibus igitur multa calefactio vitanda est, ne materia in pus conuertatur: ita etiam renum inflammationem iis quæ multum refrigerant, sæpéque primum indurant; quare omnia extrema vbique fugienda sunt, præsertim in renibus inflammatione tentatis, sunt enim aptissimi, vt schirrhosi reddantur ob natiuam substantiam, & naturam excrementi deriuati, vt 13. *Meth. cap.* 15. Galenus notauit. In principio clysteres parabuntur ex eadem refrigerantium sylua; summè enim auxiliantur in re- E num affectibus, dummodo magna copia compressionem non causet, & inde nouum dolorem; deinde resoluentia admisceantur, cauendo omni ingenio suppurationem inclinantia, vt anteà notauimus; sic repellentibus miscetur decoctum florum camemali, meliloti, & iunci odorati, & fœnugræci, quibus semper miscetur acetum penetrationis gratia, aut tempore resolutionis vini albi modicum; non probatur mihi tempore resolutionis axungias reliquis simplicibus miscere, eo quòd vehementer suppurent; vnde tum emplastica tam secura videntur, & imperantur à multis, nam etiamsi resoluentia putentur, semper tamen ad suppurandum inclinant, quòd poros obturent, coaceruantque calidum intra, & difflationem impediunt. Securiores sunt fotus ex resoluentibus rebus,

intimiusque

intimiusque penetrant, & potos occludunt; est resolventium innumera copia; varianda tamen simplicia, vt feruidior, aut moderatior fuerit inflammatio; quibus semper miscenda anodina, & moderatè emollientia, nam vt à frigidis tophacei renes redduntur, sic & à calidis resoluentibus nimium, & si crassior putetur inflammationis causa & incisoria, miscebitur decoctum florum camemali, meliloti, fænugræci, iunci odorati, dauci, schinanti, rosar. rub. & radic. yreos ex aqua, vino & melle paratũ, resoluit optimè, & secabit viscida, & crassa, & si dissecare magis conueniat, per interualla fouebitur regio renis affecti aceto albo, in quo incoxerint camepiteos, yreos, abrotanum, betonica, & enulæ radix, cui miscebitur oleum amygdal dulc. & violaceum ad emollitionem materiæ, vt dissecetur faciliùs, & spongia in dicto decocto madefacta diù applicata manebit, & nunquam frigida permittenda, sic in vesicis vtiliter conueniens decoctum applicatur, & plus durat calor, & suauiter corpus supra illas quiescit; applicatur etiam vtiliter cum mollissima lana, & commodiùs, in quo tempore clysteres etiam pro eadem indicatione parentur.

Quòd si adhuc non euacuetur materia, & dolor excruciet, applicabitur cucurbita supra renem dolentem, & scarificata loci plenitudo extra educenda, mirè quidem prodesse solet, vt hic Auicenna præcipit, vt sectio repetita ex vena poplitis; euacuat enim materiam in parte contentam: est etiam vtilis scarificatio, quia viam faciliorem præbet resoluentibus, & dolorem sedantibus, & intra diem repetetur: rursus sicca cucurbita supra scarificatum locum, vt ex doctrina Aetij in Pleuritide diximus: in hac secunda appositione non sanguis, sed virus extrahitur; & si adhuc dolor non cesset, in balneum immittendus æger, quod extremè dolorem mulcet, & materiam impactam eliquat, & resoluit. Paratur ex aqua dulcissima, & tenuiori, in qua radices altheæ, & maluarum, cum fol. camemali, violarum, melilotum, fænugræcum, semen lini, & parietariæ incoxerint, & in balneo renes vngentur oleo amygd. dulcium, & camemalino. Nec mihi probatur doctrina Auicennæ in hoc cap. non admittentis balneum in calidis inflammationibus, nisi post eorum inflammationem; nam ibi mera resoluentia conueniunt, antequam declinet (in vigore nimirum) vt declinet exactè; itaque corpore euacuato balneum vtilissimum erit; & si aliquid in illo suspectum est, non est aliud, quam ipsa commotio; ipsum verò securius quàm resoluentia imperatur, nam minus calefacit, & totum sanguinem attemperans humores reuellit per cutem, dolorémque mitigat. Notabitis tamen, quòd si ob magnum dolorem, & intolerabile incendium balneo vtamini, non inicantur nisi temperatissima simplicia, aut ex sola aqua dulci temperata balneum paretur, sicque minus calida aqua. Considerandum etiam, num febris putrida, cuius materia cruda molestet, simul cum inflammatione fatiget: nam in hoc casu balneum non erit vtile, nisi adaucta nimis mordax, & tenuis steterit; & dolorum immanitas balneum ob vrgentiam exposcat.

Symptomata huius mali præcipoa sunt dolor intolerabilis, immoderatæ vigiliæ, & alui stercorum cohibitio; dolor mitigandus omni ingenio, quòd omnium morborum symptoma inducat: id præstat oleum amygd. dulc. recens in quantitate iiij. aut vj. ℥. cum saccharo violaceo sumptum, aquæ etiam stillatitiæ flor. camemali ℥. iiij. commendantur, aut in aqua maluarum flores iidem camemal. coquentur. Lac non timet Auicenna in curatione huius mali, quod non dubiè mitigabit dolorem: fotum laudat etiam paratum ex camemalo, meliloto, altea, & furfuribus, dicitque esse iuuatiuum valde. Nec parum vtile erit, si in lacte coquantur, quo tepido foueatur pars, cuius loco sic parabitur optimum auxilium. Recipe violarum, & flor. camemali ana p. ij. rosar. & flor. nimpheæ ana p. j. meliloti m. j. capitum papaueris albi n. ij. flor. maluæ, & violæ, ana p. j. coquantur benè in aqua, & oleo amygdalor. dulc. recent. seruetur colatura pro fotu, deinde sumatur residentia, & optimè pistetur, & per setaceum traiiciatur; quæ æqualiter extensa in linteo renibus applicentur, & fortassè (inquit Auicenna) est necessarium causa doloris, vt ponatur in eis aliquid papaueris, & cortices papaueris sunt conuenientes ad illud.

De somni conciliatione abundè diximus *cap. de Phrenitidis cura*; verùm vbi calida, & mordax causa nimis renes molestat, pro attemperatione, & somni conciliatione optimum sic parabitis auxilium. Recipe amygdal. dulc. excorticatorum ℥. ij. quatuor semin. frig. maior. mundatorum, ana ʒ. ij. seminis lactucæ, & papaueris albi ana ʒ. ß. vel j. contundantur omnia in mortario lapideo, sensim effundendo decocti hordei, & liquiritiæ recentis lib. j. macerentur per duas, aut tres horas, deinde colentur cum leui expressione, de qua emulsione sumantur cum saccharo ℥. vj. aut viij. est enim alimentum, & auxilium, ardoremque vrinæ, si molestet, mitigat.

Quomodo verò sint deponenda alui excrementa, fastidiosum esset adducere, ne tamen ignoretis, clysterea etiam adducam, qui dolorem renum sedare possint; parantur sic ex decocto ad fotum parato, aut ex lacte cum succo maluarum, aut in quo incoxerint aliqua ex relatis simplicibus in iure carnis pingui parato cum hordeo excorticato: coquuntur altheæ radices, flores meliloti, & violarum, rosar. rubr. & cum oui recentis vitello, & modico croci paratur clyster; & si opus fuerit, aliquid philonij inicietur. Dicit enim Auicenna *in hoc cap.* philonium est medicamen melius in hoc loco, quod præbet per os ad sedandum dolorem cum seminibus frigidis: Extollit Montagnana clysterem ex solo oleo nenuphari tepido; quod si feruor causæ erosionem renis terret, confert hoc auxilium sumptum per os. Recipe seminis portulacæ, cacuminis lactucæ ana ℈. j. croci g. v. corticum mandrag. & fructus haliacbabi ana ʒ. ß. cum succo liquiritiæ, & camemali misceantur: de qua mixtura detur ʒ. ß. aut ʒ. j. cum decocto nenuphar. & seminis papaueris albi, quod est optimum. Est etiam mirabile ad dolorem ex erosione emplastrum hoc. Recipe folior. violarum, camemali, meliloti recentium ana m. iij. fol. lactucæ m. ij. croci ʒ. ß. farinæ hordei ℥. ß. cum decocto seminis papaueris albi: fiat emplastrum, & applicetur tepidum.

Tandem dicit Auicenna, quòd si inflammatio suppurari incipiat, ei auxilietur Medicus celerrimè. Medicamenta hoc præstantia notissima sunt apud omnes, facta iam suppuratione, si non rumpatur abscessus spontè, tentanda est à Medico ruptio, ne pus derentum erodat, & vlcera maligna creet; ob quam etiam causam post ruptionem celeriter sunt incarnanda vlcera, & ad cicatricem ducenda: partes quippè totius excrementa recipientes quàm facilè cadunt in vlcera mali moris, præsertim post morbum acutum adurentem materiam, & sanguinem totum distemperantem. Vnde mihi probatur praxis Foresti statim à vomicæ ruptione expurgantis corpus leniori medicamento: sic enim quæ distemperata, corrupta, aut prauè disposita iuxta locum inflammatum & in ipso manebant, euacuantur celeriter; vnde minùs sordescunt vlcera, & curantur faciliùs: rumpitur à Medico vomica decocto radicis achori, & seminis agni casti, quæ duo commendantur à Principe vt vehementia, quæ vt moderétur, in decocto exhibentur. Iacobus verò cuiusque sumit ʒ. j. redactam in puluerem, & in ℥. iiij. mulsæ concedit. Rupta iam vomica est commune auxilium ad detergenda viscera renum ex vomicæ ruptione manentia, aqua hordei integri cum

emulsione

supprimatur vrina, quia per tres dies, & noctes assidue fuit euomitio succorum, & alimenti cum potu. Vnde nec in corpore erat, ex quo serum traheretur à renibus, nec ab alimento, & potu secernebatur, quòd non commutarentur, nec serum separaretur ab eis. Mihique videtur probabilissimum ex tam violentis vomitibus, & tam continuis compressas ferè semper extitisse vreteras, vt lotij deductio nimis impediretur: quòd si quis opinetur, lotium à solis renibus trahi non posse, sed agere auxilio iecinoris, facilior causa reddetur tantæ suppressionis in colera morbo, in quo tam deprauatè operatur expultrix iecinoris, quod omnia in ventriculum, & intestina detrudat, & nihil per renes.

Causa igitur huius suppressionis potest esse inflammatio in vtroque rene, aut tumor alius præter naturam, & hoc rarum est, inflammari nempe vtrumque renem tam violenter, vt omninò supprimatur: & idem dicendum de quouis alio tumore: idem quod de tumoribus diximus, dictum etiam putabitis de lapide renum. Potest enim si vtrumque renem afficiat simul, totaliter vrinam supprimere, sed etiam rarum est, & causæ dictæ agnoscentur per signa inflammationum, aut tumorum, & per signa lapidem significantia.

Alia causa est paralysis attrahentis renum: si enim deficiat omninò vis attractiua, erit lotij totalis suppressio, vt 3. *de causis sympt. cap.* 2. docuit Galenus. Agnoscitur hæc causa, quia præcessit frigida, & humida renum intemperies, & paulatim ingruit huiusmodi malum, ita vt per multos dies, antequam omninò supprimatur vrina, diminuta tractio præcesserit, vt vrinæ paucitas sine molestia aliqua, aut dolore, & cùm paucior quàm per naturam reddatur, redditur etiam per longiora interualla, quæ tardiùs colligitur illa, quæ ad molestandum sufficiat.

Frequentissima causa, simúlque perniciosa est obstructio renum, & cauitatis, per quem percolatur vrina in vreteras: causatur ab humoribus frigidis, & lentore nimio tenaciter hærentibus, vnde & frigore, & lentore, & crassitie ita viam vrinæ coarctat, vt supprimat omninò, idemque in vreteris quotidie experimur. Cognoscitur hæc causa per signa humores crudos monstrantia, & quòd non præcesserit sanguinis euaporatio per renes, & vrinæ expulsio; & quia subitò afficit absque dolore vllo, vt sæpè contingit, ita vt ægroti de tanto malo non conquerantur, quovsque tempus nimirum præcesserit sine aliqua vrinæ redditione; nam neque humores obstruentes aliquam pariunt molestiam, quia obstruunt omninò sine aliqua solutione continui dolorem inferente, & quia humores pituitosi etsi tumefaciant, non causant dolorem, vt in œdemate experimur; vrina autem detenta cùm distribuatur per vasa cum sanguine, nec grauat, nec deprauat statim cœpta notitia, nisi mingendi priuationem longiorem contemplentur ægroti; estque fallacissima propterea huius morbi conditio, quia nisi per priuationem per tempus aliquod aliàs naturaliter conuenientem non ostendit seipsum. Neque mihi placet Ludouicus Mercado *lib.* 4. *morb. inter. cap.* 12. docens, sine dolore aliquo supprimi vrinam, significare renum imbecillitatem, ita vt à nulla alia causa possit pendere, cùm satis efficaciter constet, pituitosos humores indolentes esse, quando partem in tumorem attulisset, & eiusdem conditionis futuros multò melius, quando simpliciter obstruunt, & vtrumque passim experimento probatur. Inde colligetis, non dari signum aliquod distinguens necessariò obstructionem emulgentium renum, & vreterarum, quia in quacunque ex istis partibus morbus existat, simili semper nascitur; omninò modo, vt posito discrimine non valeat mõstrare, cùm detur nullus, & ex nullo assequitur Medicus partem obstructam; si autem dolor superueniat, vt potest, grauans præsertim, positus partis eam esse affectam monstrabit, & tamen nihilominus magis proprium obstructæ emulgentium nullum dolorem, aut grauitatem vreteræ via, si obstruantur verò non dubitur molestia aliqua in loco obstructionis, sed maior grauitas erit in renibus repletis vrina: vnde & lumbi ab eadem plenitudine grauante dolere solent, in principio tamen morbi, vt dixi, nullus necessariò datur dolor, vt ex historia relata à Fonseca *tom.* 2. *consult.* clarissimè patet.

Dubitat tamen Ludouicus Mercado loco citato, an si vnicus ren, aut emulgens vena, aut vretera obstruatur, omninò sufficiat, vt omnino etiam supprimatur vrina, quamuis alterius via libera maneat, & absque vlla læsione. Respondet, quòd actio trahendi vrinam est communis vtrique reni simul operanti; nam etsi duo renes huic muneri sint dicati à natura, non tamen ita vt quilibet seorsim vrinam trahere possit, sed quòd ambo sint necessarij ad tam vacuidam actionem perficiendam, alter enim ren seorsim consideratus trahit (inquit) aliquid, sed tam paucissimum, quòd solùm deseruiat, vt ne statim in morbosos affectus incidat homo, non tamen quòd paulatim non vitietur sanguis, quia non benè, nec satis expurgatur à sero per actionem solam vnius renis. Vnde infert, quòd actio cuiuslibet renis maior, & robustior est, quando trahit, si simul cum alio operetur. Infert secundò, quòd quando vnicus ren dolore torquetur, quamvis alter sit indolens, & sanissimus, nihil tamen trahere potest. Rationem reddit, quia in grauissimis doloribus facilior est concessus, quàm in quovis alio affectu; quòd autem cesset omninò vrinæ tractio, quando alter solùm atroci dolore cruciatur, non aliter quam experimento probatum esse docet.

Hæc difficultas multa difficilia continet. Primum est, quòd tractio vrinæ sit communis vtrique reni simul operanti, ita vt tractio vnius iuuetur, & nullius fiat, quando alter trahit, simulque si seorsim, & solus operetur. Contra quod argumentor. Primò, quando duo agentia potentia trahere idem numero corpus, trahunt ad locum diuersum, quia sunt constituta, & situ, & positione diuersa mutuò se impediunt, & retardant in opere. Patet: si eundem lapidem trahere conentur ad se duo homines inter se distantes, quamvis alter alium vincat, tractio fit cum violentia maiori, & tardiùs quàm si alter non reluctaret. Et ratio est, quia idem numero corpus nequit moueri simul ad loca diuersa; cùm ergo renes distent loco, repugnat iuuari actum vnius per attractionem alterius, si respectu eiusdem portionis sibi fiat vtriusque conatus: quinimo mutua erit pugna, & quilibet retardabit actionem alterius; quod mihi indubitatum videtur. Si autem comparatio fiat in ordine ad diuersas portiones vrinæ, erit similis ratio, & idem inconueniens, quia cùm tractio vnius renis fiat per lineam diuersam, nequit iuuari per tractionem oppositi renis trahentis ad se, & per alteram lineam, quia non conspirant simul tanto concursu in eundem affectum, idémque mobile trahendum: vnde censeo, quod si eadem portio seri esset æquè distans ab vtroque rene, & quilibet esset æqualis virtutis, maneret immota portio illa, quia mutuò se impedirent, eo quòd conarentur trahere illam per diuersam lineam, & ad diuersam positionem localem, & cùm simul ad diuersa, vbi moueri repugnat, idem mobile sit, quare ex hypothesi quod vterque ren sit æqualis virtutis, manebit immota portio illa, seu æqualiter distans. Non ergo videtur, qua ratione mutuò se iuuent renes, nisi simultanea tractione; perspicuéque doctrina Mercati refragatur Galeno asserenti, vnum renem esse alio elatiorem, ne in tractione mutuò se impediant; non ergo in opinione Galeni se iuuant ad inuicem, sed quivis ex vi iuris absque adminiculo alterius.

Sed quod dicit de maiori consensu vnius cum alio, quando alter eorum graui cruciatur dolore, improbabile

est;

est; nam si dolor ad tractionem confert, vt passim confitetur Galenus, non tollitur tractio ob dolorem, sed iuuatur, & per consequens non est cur à ratione doloris alter compatiatur cum alio magis, quàm cum alia passione absque dolore impediente tractionem. Patet, quia si dolor tractioni auxiliatur, & per tractionem vnius renis alter iuuatur, plus trahet sanus quando torquetur alter dolore. Præterquam quod opinio Mercati admittit per consensum morbum absque receptione alicuius non debiti, aut carentia debiti ad operandum, quod est apertè contra Galen. & communem Medicorum consensum, tantùm admittentium illos duos modos compatiendi eum alio.

Dicendum ergo est, duos esse renes à natura concessos, vt magna copia seri expurgetur à sanguine facilius, citiùs, & minori labore vnius renis, & ne si vnus impediretur, cessaret statim, sine quo vita consistere nequit: neque repugnat quòd seruetur incolumis, etiamsi alter ren omninò deficiat, quod satis declarat historia propria Mercati; nam vir ille, cuius facit mentionem, postquam è rene dextro eiecit lapidem, à cuius expulsione cessauit omninò tractio vrinæ per illum renem, incolumis erat spatio trium annorum, quantum ad expurgationem conuenientem vrinæ, in quorum fine à rene sinistro æquali tormento alium lapidem ferans, inopinatè incidit in totalem suppressionem vrinæ: Si ergo nullum vitium in vrinæ expulsiona apparuit tam longo temporis tractu; constat experimento firmissimo vnius renis tractionem ab alio simul cooperante pendere non posse, præterquam quod experimento anatomico constat, interdum non dari nisi vnicum renem, vt notauit Laurentius *lib. 6. cap. 23.* & alij plurimi, vt notauit Schenkius. Neque est tacendus error Mercati putantis vim attractricem vrinæ conuenire emulgentibus, in cuius debilitatem interdum reducit vrinam suppressam; nam cùm venæ emulgentes sint eiusdem naturæ cum reliquis, inesset omnibus venis vis vrinæ attractiua, quod est merè insomnium, dicente Galeno 1. *lib. de locis*, *cap.* 1. primam vrinæ secretionem in renibus fieri; venæ itaque non habent cum vrina cognationem aliquam, aut familiaritatem; vnde neque vreteræ trahunt, sed solùm sunt via delationis vrinæ.

Experimentum docuit, desperatum esse hoc malum, & rarò cedere auxiliis, nam cum omninò occlusa sit via delationis vrinæ, & per totum corpus distribuatur, & sanguis vitietur, & alimentum, & cacochymia serosa calor vitalis extinguitur, & motu Pulmonum assiduo serum per totum corpus aberrans, & veluti in sanguine innatans, in ipsos facillimè trahitur, vt tandem intereant sic affecti pulmonum hydrope. Est etiam credendum, quòd succi obstruentes tam validè viam delationis vrinæ tanto petant, & inuincibili lentore afficiantur, quod moltis sint auxiliis cessuri, cùm vrina super aos alterans acriorum, & partium tenuiorum, detergentisque naturæ, assiduéque per renes emanans impedire non potuerit, ne humores cum ea delati totaliter obstruant; & cum rursus tota regio proxima renibus, sero, & vrina ob repletionem tendatur, cessatque omninò renum attractio, quia sunt saturati, neque medicamenta facilè renes attingunt, neque trahi possunt, vt inde absque fructu applicentur: Sic totum corpus tanto sero onustum in partes diuersas, quas debiles esse contingit, trudit violenter. Vnde experimur vomitione vrinam reiici per venam portam, & mesaraicis, & ventriculum reiectum à iecore, & maioribus venis, & per venas alimenti in ventriculi substantias imbibita vrina singultum creat, non rarò caput tentat, & replet, & somno graui, mentisque torpore associat, interdum delirium vitam miserè finit, cum graui, & molesto stercore ob repletionem Pulmonum, qui etsi tussi assidua conentur serum reiiA cere, laborant inaniter, quòd succus tam tenuis sursum ab aëre nequeat subleuari, eo quòd diuidatur ab impetu corporis tenuis in minimas partes; quinimò euenire solet, quòd etsi efficacia auxiliorum tandem obstructio vincatur, reseretúrque via, & abundè lotium pellatur, pereant nihilominus, quando maiorem spem salutis concipiunt; id prouenire opinor; quia sunt interna viscera (cor præsertim) distemperata, & serum abundat in partibus distantibus à renibus, ex quibus attrahere nequeant, quia sunt extra sphæram eorum, vnde sanguis tanto sero dilutus, aquosusque redditus, adhærentiam, natiuúmque lentorem nutritioni necessarium deposuit: vnde nec nutritioni, nec spirituum vitalium generationi aptus existit, & cùm in ipsa vrinæ nimia expulsione expellant simul spiritus B membra destituta vitali calore, & sero distemperata, robur natiuum amittunt, & incipiunt infrigidari extrema, vt in ipsa lotij expulsione pereant; non raròque desperatio certior eueniet, quando suppressio per multa dies affligit, & vrina computruit, sicque viscera, & sanguinem inficit contagio, & febris lenta subsequitur, quæ etsi remissa exitiale signum est in hoc malo: quamuis igitur vrina violenter eiiciatur, & in multa copia, salus præsagienda non est, vt imperiti faciunt, sed pulsu explorato facilè assequetur Medicus, num extinguatur calor, aut sit concipienda salutis spes; talis autem erit in mali principio, si non omninò obturatur via, sed aliqua portio vrinæ mittatur, & hoc signum certius erit, si vrina crassior appareat.

C

CAPVT IV.

De curatione suppressionis vrinæ.

CVratio huius, quando ex renum inflammatione nascitur, adducta iam est: qua methodo quilibet alius tumor præter naturam auferendus erit, variata medicamentorum sorte, vt magis, aut minus à propriè dicta inflammatione distauerit: Si autem sanguinis grumi eandem viam obturent, est curatio difficilis, quia dissoluuntur difficilliimè, dicente Galeno 6. *de locis*, ex sanguinis grumis vnum tantum seruatum D vidisse, de quorum dissolutione dicemus in fine cap. Est etiam huius capitis principalis finis auxiliari obstructionibus ex lentis, & crudis humoribus natis, quòd extirpentur difficillimè, & sint frequentissima causa tam horrendi symptomatis: requirit autem eius curatio diligentissimum Medicum in mali cognitione, & in applicatione auxiliorum, cùm mortem breuiter inferat; erit autem generosi animi, si efficacibus auxiliis obstruentem causam dimoueat, non perterritus suppressione vrinæ, & aliis accidentibus, quæ superuenire solent, quamvis experimento constet in primis morbi diebus nihil ferè molestare, quovsque collecta vrina in moderata copia elucere symptomata incipiant.

Et quia in his ita affectis rarò non datur in prima E regione copia crudorum, leui medicamento statim primo die educit illam Mercatus; sequenti verò si copia sanguinis adsit, secanda interna brachij in moderata copia, & repetenda, si opus fuerit: deinde ad vsum calybis venit; quo, & calore exercitij putat liquari posse, concoqui, & abstergi humores tenaciter obstruentes, ob cuius auxilij defectum omnes hoc malo oppressos interiisse docet. Ego verò in hoc casu timeo nimis medicamenti expurgantis vsum statim primo die; nam cùm sit commotionis, & fluxionis humorum, nullúmque sit expurgans, etsi leue, quod non moueat aliquo modo vrinam, & per renes deriuet non parum succi commoti, sitque via obstructa, totaliter inculcabitur ibi, & geminabit malum. Vnde nisi magna sit certitudo succorum crudorum, ab hoc auxilio

cessarem,

cessarem, etsi leui, & in parua quantitate clysteribus A primo die deponerem cruda melle rosaceo cum oxymelite, & sequenti die venam secarem in parua quantitate extrahendo sanguinem, & idem auxilium sequenti die repetendum; nam cum sola leui purgatione crudorum primæ regionis accedere statim ad vsum calybis, suspectum mihi videtur: nam plenitudo vasorum impediret non dubiè calybis distributionem, & exercitium liquabit, commouebitque humores, vt impetuosius fluant, & obstruant de nouo; non enim latere potest corpus oppletum crudis succis, & iam obstructum, in renibus fluxionem magnam passurum, & non resolutionem, per exercitium calybi debitum. Est ergo statim secanda vena si copia crudorum in prima non sit: si autem datur, & clysteribus potest deponi (hoc auxilio tentabitur) sin minus leuis expurgatio imperabitur, B à qua nunquam deficiet timor ne noceat, & nihil educat crudorum. Fiderem magis vomitibus, si facilè æger euomere soleat, mirè enim cruda excrementa primæ regionis exturbant, & simùl à renibus potenter reuellunt.

Sic præparato corpore, disentiendum venit, num medicamenta ex calybe dentur commodiùs quàm alia, quippè sunt multa dissecantia magis, & detergentia; & in forma potabili data, seu liquidiori, maiorem cum renibus familiaritatem habentia, sicque trahentur ab eis velocius, sibique auxilium hoc præsertim verum videtur, si vreteræ obstructionem patiantur, ad quas calybis crassities, ponderositas, & corpulentia nisi difficillimè accedere possunt, & sina vi, quia in paruissima quantitate. Experimento enim con- C stat, totam ferè substantiam calybis per secessum emitti, quod indicat excrementorum alui nigredo; neque id sine ratione euenit: iecur enim cum calybe conuenientiam nullam, aut familiaritatem sortitur, quia nil alimentosum participat, neque seorsum, vt trahatur à renibus, & pondere suo deorsum præcipitetur, & sic tractioni ad intra resistit nimium: ob quod existimo hoc auxilium minus vtile, quidquid dicat Mercatus, nisi renum affectio ex crudis humoribus primæ regionis manifestè foueatur, vt aliquando solet. Tunc enim pondere magno, & abstersoria facultate vtile esse poterit; videturque oblitus Mercatus præcepti, traditi ab eo *lib. 2. de morb. mul. cap. 6.* vbi docuit, medicamenta deobstruentia in D forma solida ventriculo obstructo, & primis venis vtilia esse; quæ verò in forma fluida dantur Iecori, & spleni, quòd venas habeant augustas, & intro reconditam sedem.

Quia verò calybs ignitus, & nonus facultatem abstersoriam, & extenuantem strenuè liquoribus communicat, securius puto, quando renes emulgentes, aut vreteræ tam validè obstruuntur, in hoc malo serapium deobstruens parare cum decocto nimis calybeato, virtus enim sulphurea in decocto facilè extrahitur, sicque trahitur melius ad intra, & distribuitur per vias tam strictas. Decoctum ergo paratum iam ad conficiendum serapium raphani ex descriptione Fernelij optimè calybeabitur frustulis nouis semper igniti E calybis; serap. igitur sic parati sumentur ℥. ij. decocti radicum vrticæ, apij, graminis, & virgæ aureæ ℥. iij. misceantur, & post assumptionem ambulabit æger per horam integram: huic auxilio vtiliter miscebitur pulu. millij solis ʒ. ß. quoniam mirè abstergit, qua facultate pituitosis febribus tenacibus summo auxilio esse solet: nec minus difficulter patientibus hoc auxilium quolibet mane repetetur, vesperi autem ante cœnam sumat laborans ℥. vj. huius sequentis decocti. Recipe radicum ononidis ℥. j. corticum radicum raphani siluestris ℥. ß. seminis vrticæ ʒ. j. radicum eiusdem ℥. ß. dauci ℈. iiij. coquantur in vino albo generoso, & postea cinnamomo aromatizentur, & decocti sumentur ℥. vj. aut iiij. A iuxta vires patientis, quibus adde oxymellis simplic. ℥. j. ß. & sumatur totum calidum; & si maiori attenuatione sit opus, miscebitur oxymel schilliticum in minori dosi: pro cœna verò sumetur ius pulli cum ciceribus, radicibus petroselini, fœniculi, & apij paratum; est enim hoc perniciosum malum exposcens continuam medicinam cum cibis, vt superari possit.

Si autem efficacius decoctum parare velimus, sic dispensabitur: radicum apij, ononidis, & altheæ ana ℥. j. betonicæ pilosellæ, & adianti, ana m. ß. liquiritiæ parum contusæ ʒ. j. ß. seminis millij solis, fœniculi, & dauci, ana ʒ. ß. coquantur in sufficienti quantitate aquæ, & aromatizetur decoctū cum optimo cinnamomo, & ʒ. j. carabei: decocti sumantur ℥. iiij. succi parietariæ clarificati ℥. ij. olei vitrioli g. iiij. misce, & sumatur to- B tum, aut loco olei vitrioli addetur succi depurati limonis ℥. j. efficacius autem sic parabitur: Ciner. radicum ononidis, & stipitum fabarum, aut corticum earundem ℥. j. ß. cineris ligni iuniperi ℥. j. ponantur in nodulo lineo, quem intromittes in decocto parietariæ, betonicæ, & radic. vrticæ, coquantur donec fiat lixiuium forte, & coletur ter, aut quater per manicam Hippocratis, in qua cinnamomum, & daucus in puluere sint redacta: huius lixiuij sic percolati sume ℥. iiij. aut vj. serap. limonis ℥. j. ß. pulu. sacchari rub. ℈. ij. misce; est enim optima potio, & grata; efficacior verò reddetur, si loco sacchari ponantur ℈. ij. carabe puluerizati subtilissimè, verùm in omnibus potionibus saccharum rubrum, aut mel sunt optima pro- C pter duo, & quia detersiora crassorum succorum, & quia dulcis potiu auidiùs, magisque cupidè trahit à visceribus; quo præcipuè indigemus in præsenti malo, eo quod renes humore tanto satiati inappetentes sunt; ob quod optimum consilium est in prima mensa concedere duo, aut tria cochlearia optimi mellis, vt aluus seruetur lubrica, & detergantur humores hærentes. Probanit enim Auicenna text. proprio de sirup. acetoso, magis sedare sitim quàm aqua, & acetum, quoniam Iecur accelerat ad tractionem rerum dulcium vltima attractione: ex aceto autem inquit, non attrahitur res plurima propter prauam conuenientiam naturalem cum eo: qua doctrina probatur quod de calybis vsu in Mer- D catum notauimus, nimirum non distribui tam facilè, vt putat, & propterea minus laudandum illud auxilium, quando renes, emulgentes, aut vreteræ obstruuntur.

Sed quia malum hoc tam breuiter desperatum redditur, securius est, euacuato bènè corpore, ad efficaciora accedere, inter quæ summè probatur aqua instillatitia ex corticibus radic. raphani; dixit enim Princeps: & aqua raphani fortem habet impressionem in hoc capite; & tantum valet, quòd oportet vt ipsa sit condimentum cibi: vnde pro communi potu distillanda statim aqua ex parietaria, ononid. radic. asparagi, adianthoque, alchechegij, prassio, cardoo sancto, schilla, & ciceribus, quæ non semel tantum distilletur, sed sæpiùs, aut super easdem fæces, aut super alia noua simplicia; sic enim summè penetrans, & effica- E cissima euadit: fæces autem deinde in puluerem redactæ sunt vtilissimæ in quantitate ℥. ß. & posteà superbibatur aqua; eodem modo distillanda sæpiùs est aqua raphani, cuius vsus statim imperandus: docuit enim Eustachius, quòd si citò, & continuò exhibeatur, raro, aut nunquam frustratur fine: quod desumpsit ex Vessalio, & ex eis Mercatus: Ita etiam in prima mensa ante alia cibaria vtiliter sumuntur raphanorum cortices in aceto mulso maceratæ, mirè quidem humores tenaces, & glutinosos dissecant, & aliquando vomitum mouent, quo nil vtilius, quoniam tenellis à viis obstructis, & ipsa vomitus concussiu, & agitatio inculcatis humoribus initium commotionis & eradicationis præbet.

Si hæc adhuc frustrè applicentur, concedunt Auctores

duo, aut tria cantharidarum, quòd incredibili efficacia in vesicam mouent, quibus miscendus ℈. j. seminis dauci, & ℈. ß. amios: his enim vesica tuetur: aut detur olei vitrioli ℈. j. in iure diuretico, aut vino albo, in quo maceratæ fuerint radices vrticæ, & dosis qualibet sumenda cuiusque potus, accidula fieri potest v. aut vj. guttulis eiusdem olei; est enim summè penetrans, & incisorium. Potatur enim vtilissimus therebintinæ abietinæ, si ex ℥. ß. illius cum pulu. liquiritiæ, & sacchari rubri conficiuntur boli, detergit enim strenuè, & vias vrinæ expurgat, aluum etiam emollit, & sic omnem indicationem implet: sic paratur etiam vtilissimè therebintinæ lotæ in vino albo generoso ℥. j. pulu. virgæ aureæ, & ossium mespillorum ana ʒ. j. sumat ʒ. ij. addendo saccharum. Potest etiam dissolui cum oui luteo, & vino albo, in quem vsum laudatur etiam ius galli antiqui cum croco, cinnamomo, & petroselino, & modica resina pini. Erit autem auxilium efficax, si detur ʒ. j. ammoniaci, cum decocto sabioæ, aut in ℥. iij. succi parietariæ ʒ. ß. ammoniaci misceatur, nam vt docet Mathiolus, miraculi modo prouocat lotium.

Si autem auxilia dicta obstructas vias aperire non possint, quis iam corpus serò grauatum existit, & oppressum, ne calor suffocetur, vrinæ multitudine expurganda est serosa humiditas, vt fit in hydrope, vt si detur ℥. j. succi radicis yreos cum ʒ. j. rhabarbari in decocto spicæ, schinanti, & radic. plantaginis, aut in mulsa parata in decocto enulæ, & sabinæ: aut conficiantur Montagnanæ pilluiæ hoc modo: succi cucumeris asinini ʒ. j. mastichis ʒ. ß. fiant pillulæ cum serapio de mentha, quarum dantur duæ, aut tres; mirè enim aquas expurgant: aut detur electuarium Mathioli, quod sic parat, succi yreos ʒ. iij. galangæ, cedoarij ana ʒ. ij. cinnamomi, cariophilorum ana ʒ. j. ß. brasicæ marinæ ℥. ß. mellis, quod sufficiat, vt excipiantur: datur quotidie ℥. ß. quo tempore clysteria parata ex carduo benedicto in vrina cocto iniicientur etiam: sanat enim hydropem, vt testatur Vbecherus, Est tamen obseruandum, quòd si adhuc succi crudi non cedant, purgandi etiam sunt, & id efficiendum vehementi medicamento, si ferant vires, nam aliter non domabitur humor tenax naturæ, sic autem auxilium parabitur, si robustum sit corpus, troeiscorum de alhandahal redactorum in puluere ʒ. ß. seri lactis caprini lb. j. infundantur per noctem, & manè coletur, colaturæ sumantur ℥ vj. & potest repeti sequenti die si opus fuerit: dabitur etiam hiera diacolocinthidos habet enim prærogatiuam in eductione crassorum: dosis erit à ʒ. ij. ad iiij. & potest in pililulas redigi cum saccharo, quia est summè ingrata. Est etiam mirabilis Nicolai benedicta, & in clysteribus etiam semper iniicienda dosis, si sumatur per os à ʒ. iij. ad iiij.

Præcipit Mercatus, quòd si iam omnibus auxiliis applicatis malum non cedat, & corpus plethoricum sit, & aliqua fuerint euacuatio suppressa, secetur vena vt supersit locus ventilationi, & ne celeriter suffocetur æger, quod auxilium mihi non probatur, quando iam vasa vrinâ repleta soffocationem minantur, quis enim audeat venam secare sub tanta cacochymia serosa, præterquam quod hoc auxilium in principio alterandum erat, si plethoricum corpus existebat, & aliqua euacuatio suppressa; nam tanta frigiditas, vt datur in repletione serosa, omninò recusat missionem sanguinis. Et contra Galenum Meresius loquitur, qui *lib.* 2. *de elementis*, *cap.* 4. arguens. Asclepiadem docet, non esse secandam venam in morbo regio ob copiam bilis efficientis in sanguine cacochymiam. Constat verò deteriorem esse cacochymiam serosam, & sectioni venæ reluctantem magis, quia causa est frigidior, & status corporis ascititius, in quo hoc auxilium recusauit Galenus 4. *lib. de vict. rat. in acut.* Securius ergo est aquas purgare; sic enim tam grande moderabitur malum sine sanguinis

A extractione, & euacuata aqua per aluum datur nouus locus ventilationi.

Deinde in balneum mittetur æger ex radicibus aperientibus, & aliis simplicibus liquantibus humores tenaces, intra quod æger constitutus aliquam ex dictis potionibus deobstruentibus sumet: in balneo detinebitur per semihoram. Notauit enim rectè Mercatus contra communem consuetudinem non esse commodum balneum in principio, quia neque confert obstructionibus, neque vrinam trahit ad corporis ambitum, distribuitque per totum, & non permittit vrinam ad proprias vias deferri. Iam verò distributa vrina mali diuturnitate per totum corpus confert balneum, quia magnam copiam illius resoluit, & laxando venas potest esse vtile, vt dimoueantur humores obstruentes, ad

B quorum resolutionem, & detersionem, viarúmque apertionem non parum conferunt vnctiones vreterarum, & lumborum, pro quo munere est mirabile vnguentum quod sequitur: olei scorpionum ℥. j. ß. amygdal. amar. ℥. j. dulc. ℥. ß. succorum apij, petroselini, & parietariæ ana ℥. j. coquantur ad consumptionem succorum, & adde therebintinæ ℥. ß. puluer. radic. assari, petroselini, apij, & centauræ minoris, ana ℈. j. cantharidarum gran. iiij. misce, & cum cera paretur vnguentum, ante verò quàm fiat inunctio, fouebitur pars decocto florum camemali, parietariæ, schinanthi, meliloti, sabinæ, radicis yreos, petroselini, dauci, seminis fæniculi, & anisi: decocti sume lb. ij. quibus adde olei scorpionum ℥. j. camemali, & amygdalorum amarorum, ana

C ℥. j. ß. rutacei ℥. ß. aceti schilitici ℥. j. ß. misce, & foueatur pars optimè: deinde exsiccetur linteo calido, & posteà vngetur vnguento iam dicto.

Neque sunt contemnenda alia auxilia, quæ propter nitrosam naturam summè abstergere possunt; Sic stercus anseris in quantitate ʒ. j. cum ℥. iij. aceti mulsi summè prodesse potest; nam pro morbo regio, seu ictericitia indubitatum putatur auxilium. Experimento etiam mihi compertum est, puluerem tormentarium miro modo abstergere, & extenuare succos tenaces: sumuntur ʒ. ij. & vidi, qui ℥. ß. sumebat, quolibet die summo mane ʒ. ij. & alias ʒ. ij. vesperè; & ab excretitia crassorum vesicam molestantium tam grauiter, vt lapide cruciari videretur, & crederent omnes, sic perfectè sanus euasit, vt amplius dolorem nullum;

D nullamque vrinæ difficultatem persenserit; neque aliter vrina apparebat, quàm si ex albuminibus oui fuisset concinnata.

Alimentum moderatissimum conuenit, calefaciens, exsiccans, & incisorium aromatibus concinnatum, iura præsertim conueniunt deobstruentia nimis euacuato iam corpore. Est celebre ius quod paratur ex ciceribus, corticibus cæpæ, & radicibus diureticis cum cinnamomo, semper in prandio sumentur, vt dixi, duo aut tria coclearia mellis electissimi, nocte sufficiunt cappares cum oxymelite, saccharo, & oleo; & cortices radicum raphani in eodem oxymelite madentes. Est etiam vtile nasturtium aquaticum, seu sisimbrium, cuius succus saccharo sumptus, aut cum melle corpore ieiuno

E prouocat extremè vrinam: si fortassis molestet incendium, decoctum fragariæ cum succo senclorum vulgò deobstruit optimè, & attemperat, sumatur cum saccharo, potus semper paruus convenit, sit vinum album generosum, in quo infusæ sint radices vrticæ, aut folia, & rami virgæ aureæ.

Inflammatio emulgentium, aut vreterarum nullo alio modo, neque aliis auxiliis auferenda, quàm inflammatio renum, nunquam tamen licet in hoc malo vti diureticis; nam absque methodo, & vtilitate imperantur, & necessariò inflammationem exasperant deductis humoribus io viam obstructam, suntque damnanda simili ratione, qua Galenus vituperat medicamentum expurgans in inflammatis intestinis. Vndè errauit Vessalius

crassissimè

crassissimè talia commendans; quomodo sanguis concretus dissoluendus sit, & pus coquendum, & eliquandum, *sequenti capite* abundè docebimus.

SECTIO X.

DISPVTATIO VNICA.

De Acutis Morbis vesicæ.

CAPVT I.

De vrina suppressa ob vitium vesicæ.

QVANDO vrina supprimitur propter malum vesicæ, ischuriam propriè dici, antea ex Galeno retulimus; estque symptoma ablatæ actionis expellentis vesicæ, quod subsequitur symptoma tertij generis, in his quæ præter naturā retinentur. Mala. à quibus generatur tam perniciosū symptoma, varia sūt, & similia his, quæ de suppressione ob vitium renum, emulgentiū, aut vreterarum retulimus, de quibus egit Galenus *lib. 1. de locis affectis, cap. 1. & lib. 6. cap. 4.* & Princeps noster *fen. 19. lib. 3. tex. vlt. cap. 6.* in quo satis doctè causas & morbos suppressionis enumerat. *Difficultas* (inquit) *vrinæ, aut fit propter causam in vesica ipsa ex debilitate, & sequitur complexionem malam, & propriè frigidam, sicut accidit in aere septemtrionali.* Hic morbus est intemperiei conueniens vesicæ vt parti similari, quæ Galenus loco citato retulit, & sæpissimè euenire docet. Tripliciter autem solet frigus immodicam ischuriam efficere, & quia facultas extincto naturali calore cessat ab opere, & comprimere nequit fibras transversas, sine quarum contractione reiectio vrinæ non agitur; fit enim expulsio compressa vesica, & à se exprimente lotium: Galenus sic loquitur: *Ischuria superueniet; interdum quidem cùm circa id quod in ipsa continetur ei obuolui vehementer non potest, vt ipsum exprimat*; & inferiùs, *quippè vesicæ officium vnicum est, vt voluitio circum vrinam.* Vndè Auicenna inquit: *Quare non pertransfit apud expulsionem eius dominium super vrinam, vt extrahat eam exprimendo, &c.* Secundo modo læditur vrinæ reiectio ab immodico frigore propter torporem aut insensibilitatem inductam corpori vesicæ: Subordinatur enim expultrix vesicæ sensationi molestæ inductæ aut propter copiam, aut propter qualitatem mordentem: vnde impedito sensu expulsio cessat, quia irritatio determinans expultricem cessat etiam: frigus autem immodicum causare insensibilitatem, non eget præceptore. Tertiò causat ischuriam densando: frigus enim concretionem, & densitatem induceit, & sic potest meatus occludere: ob quod dixit Auicenna in hoc capite, aut propter constrictionem ex frigore, vlterius fibras transversas indurans, reddit eas immobiles, & inde tollitur impetus, quo lotium extra reiicitur: quæ incommoda calor etiam creare solet exsiccando per accidens, & siccitas per se densat, & immobiles reddit fibras, & duras, & vt frigus etiam meatum occludit, humiditas etiam auctor tanti mali putatur, tum quia concidunt partes in se emollitæ, & laxatæ; deperdunt enim firmitudinem certam, sine qua consistere nequit meatus formatio, neque impetus in vrinam fieret, & duriter fit à corpore molli, hoc enim cedit genti sese intromissum, impetus est conditio, vt pellà se, quod motu satis forti, & firmo eget vt reiiciatur

A foras: sic modis dictis primæ qualitates creant ischuriam.

Causatur etiam à morbo in conformatione, vt quando obstruitur via. Eam obstruit in primis tumor quilibet præter naturam; accidit, inquit Galenus, *vel ab inflammatione, vel ab alio huiusmodi tumore.* læduot autem tumores dupliciter, & comprimendo viam, & reddendo partem immobilem; nam cùm vrinæ reiectio non agatur sine vesicæ contractione, nec sine laxatione musculi circundantis collum illius; has motiones auferunt tumores ob tensionem; est enim omne tensum immobile contractione, aut dilatatione, facillimè autem vrina supprimitur à tumoribus obsidentibus collum, quòd ibi sit angustissima via; & idem contin- B git in fistula; enumerat enim Galenus crassos humores, lapidem impactum, aut pus crassescens, & lentum & sanguinis grumos; hæc enim in meatu vehementer impacta firmiter hærent; quas causas in *præsenti cap.* refert Princeps, additque his flatum crassum repugnantem contractioni, distendens enim nimium partem, quam afficit motus contractionis, aut dilatationis, fieri non permittit; sicque rigidam, & velut conuulsam, immobilémque seruat: addit etiam verrucam in meatu situatam, cum qua carnositas etiam, & omnis alia excrescentia intelligenda est, quando ex vlcere progresso plusquam decet, caro superexcreuit & fistulam obturat omninò, aut collum vesicæ.

Alias causas recenset Princeps efficientes frequen- C tius difficultatem vrinæ, quàm suppressionem totalem, eo quòd per consensum patiatur vesica, & minoretur meatus, vt quando intestinum, aut vterus, aut regio vmbilici inflammantur, aut alio tumore, causave præter naturam extenduntur, & propter vicinitatem coarctatur colli orificium, stercus etiam in multa copia collectum in intestino vesicæ proximo: fibris etiam tenuibus, & membranis connectitur vesica recto intestino: sic hemorrhoïdes tumentes, & dolore excruciantes: *Aut pituita* (inquit) *plurimum extensiua in intestino recto conclusa distendens illud, inde per consortium comprimetur orificium, aut vesicæ cauitas.* Intelligo ego per *pituitam extensiuam*, inflatum crudioribus, & crassioribus flatibus: sic eodem modo D inflammatio, aut tumor in partibus posterioribus dorsi, aut retractio testiculi vehemens versus superna vesicam contingunt; quæ omnia cùm difficilem vrinæ redditum causent, si crescant nimium, supprimunt omninò.

Hæ sunt causæ ischuriæ, quando vrina in vesicam delabitur, quas esse insufficienter numerosas hoc argumentum efficaciter probat. Fatentur enim omnes cum Galen. locis infinitis, vrinæ expulsionem esse voluntariam suo modo: quod constat euidenter, quia quando volumus, illam reddimus, & illam etiam voluntariè supprimimus, sicque concedunt omnes, datum esse naturaliter musculum circumdantem collum vesicæ, vt cohibeatur vrina voluntariè: ex quo sequitur, dandam esse aliam causam præter naturam suppressionis vrinæ E distinctam ab enumeratis. Patet, quia musculus ille claudens, & detinens debet laxari tempore redditionis vrinæ, & per consequens esse dandam partem oppositam, ex cuius contractione laxetur musculus ille claudens: Docuit enim Galenus cuilibet musculo solùm conuenire vnicum motum, contractionem scilicet, & per consequens, vt semel contractus laxetur, esse constituendum alium oppositum, ex cuius contractione dilatetur oppositus: ergo, si ille, cuius contractione laxatur claudens vesicam, incidat in Paralysim, vt contrahi nequeat, supprimetur vrina, quia non erit, à quo laxetur, qui claudit orificium, & sic non expelletur vrina.

Hoc argumentum mihi videtur euidens, & per conse-

quens esse dandum hanc causam vrinæ suppressæ. Quæ autem sit pars, aut in qua resideat hic musculus, est inter Auctores magna discordia, & in primis reiicienda est nostri Principis dicentis, quòd laxatur hic musculus claudens orificium vesicæ à facultate pellente ipsius vesicæ. *Vesica* (inquit) *expellit vrinam, quoniam constringitur super eam ex omnibus lateribus, & comprimit eam, & dilatat lacertum suum*, &c. Hæc doctrina admittenda non est, quia sequeretur in vrinæ expulsione nihil dari voluntarium, quod est contra ipsum, & contra Galenum 1. *de locis, cap.* 1. dicentem: *Si prius meminerimus, quo modo per bonam valetudinem volentibus nobis vrina excernatur*, &c. Et Princeps id confitetur *fen.* 19. *lib.* 3. *text.* 1. *cap.* 1. dicendo: *Cúmque repletur, euacuatur quod in ea est cum voluntate.* Et ratio est, quia si opinio Auicennæ esset vera, nunquam repleta vesica, & grauata, irritatáque expultrice detineretur à nobis vrina. Patet, quia sola contractione laxat musculum claudentem: ergo nobis inuitis expelleretur, quod tamen non fit, quousque voluntariè laxemus musculum illum. Nec obstat, quòd Galen. 1. *de locis cap.* 1. vt monstret vrinam non expelli ob debilitatem facultatum, dicat: *Verùm si hominem ita figuraueris, vt declinis fit ceruicis vesicæ positus, ac manibus tumorem præter naturam compresseris, expelletur vrina.* Vbi ob solam compressionem manibus factam admittit vrinam reiici: ergo & sola compressio vesicæ erit satis. Respondetur supposuisse Galenum, non esse læsionem nisi in facultate: reliqua verò necessaria in promptu esse: vnde cùm expulsio fiat constringendo vesicam, quando reliqua benè se habent, ideò si manibus fiat similis compressio, & similis sequetur expulsio.

Hoc supposito duplex dicendi modus in Auctoribus inuenitur. Primus est, laxari musculum claudentem vesicam per contractionem musculorum abdominis. Ita Galenus 2. *de motu muscul. c.* 8. *& 9. & 6. de locis, cap.* 4. cuius verba sunt: *Quippè musculi, qui fluores cohibere solent, tunc quiescunt ab opere abdominis, musculis munere suo fungentibus, maximè verò medius.* Agebat de reiectione excrementorum alui & vesicæ, & excerni dicit, quia musculus claudens vesicam, aut anum laxat, eo quòd contrahantur musculi abdominis medij præsertim: quo fundamento probat eodem cap. Galenus resolutionem musculorum claudentium vesicam, & rectum intestinum, esse non posse causam vrinæ, aut stercorum suppressorum, sed potiùs inuoluntariè effluere. Et Auicenna *fen.* 19. *lib.* 3. *cap.* 1. *text.* 1. dicit, dari musculum claudentem vesicæ collum, & vrinæ exitum prohibentem. *Nisi cum voluntate* (inquit) *mollificante illum lacertum adiunctum lacertis ventris, secundum quod scimistis in loco suo.*

Alius dicendi modus est, musculum circundantem collum vesicæ habere fibras, quibus contrahatur ad claudendam vesicam, & quibus laxetur, vt & emittatur vrina, quando volumus. Ita Vallesius *in Scholio cap.* 1. *lib. de locis. Hic musculus* (inquit) *est protensus per collum ipsum, & habet fibras transuersas: cúmque mictio fit, laxat eas, quæ in ipso vesicæ collo sunt: reliquæ autem iuuant cum vrina impetum, qui interius excitatus, inceptusque est; hic musculus motus facit, vt mictio non paulatim, aut guttatim fiat, sed repentè, & continuato fluxu.* Andreas Laurentius varius percipitur; nam *lib.* 6. *cap. vlt.* dicit: *Expellitur etiam vrina volentibus nobis beneficio musculorum abdominis, qui hypogastricem premunt, & voluerunt quidam paruos abdominis musculos succenturiatos dictos vrinæ excernendæ dicatos esse.* At verò *lib.* 5. *ad finem*, dicit, musculum hunc seipsum laxare. *Dum enim* (inquit) *præeunte voluntate laxat seipsum, apertis viis permittit vrinā fluere*; quæ doctrina mihi videtur verissima, ita quòd ad vrinæ redditionē non sit opus contractione musculorum abdominis; sed in

A musculo circumdante collum vesicæ esse diuersam positionem fibrarum, quarum diuersitate claudit orificium, & quando opus est, laxat illas, & aperitur: quod idem conuenit septo transuerso, & musculo externo recti intestini. Est hoc Galeni doctrinę consonum dicentis *lib.* 1. *de locis, cap.* 1. *Ergo quod ad vrinæ redditionem pertinet, excretionis actio fit à vesica contractione concurrente interdum musculorum abdominis auxilio, cùm videlicet admodum exiguam continet vrinam, aut vesica infirma est.* Galen. 2. *de motu musc. cap.* 2. dicit: *In musculo quidem qui est ad anum, & eo qui est ad vesicam, & in reliquis res aliter se habet; vnus enim in singulis est sine vllo opposito musculo.* Ex quo loco constat, rotunditatem non esse huiusmodi musculis, eo quòd habent diuersitatem fibrarum ad contractiones diuersas, &
B non habere alium oppositum musculum: expendo verba illa: *Concurrente interdum musculorum abdominis auxilio*, &c. itaque ope ipsorum non egemus semper, sed quando conamus exiguam portionem vrinæ reiicere; aut quando vesica ob imbecillitatem se ipsam non bene constringit. Experimento etiam patet sine contractione musculorum abdominis voluntariè nos emittere lotium, & ipsam expulsionem accelerare, aut tardiorem reddere solo motu musculi circundantis collum vesicæ: nec constat ex anatome per contractionem musculorum abdominis laxari musculum illum, sed vesicam comprimi violentius, sicque iuuari, quando ab exigua vrina non irritatur, aut debilis est: Inde Galenus itaque satis varius percipitur; dixit enim 2.
C *lib. de motu muscul. cap.* 8. *& 9.* musculorum abdominis habere vicem, & locum oppositi musculi respectu eorum, qui circundant collum vesicæ, & intestinum rectum, quod esse falsum experimento probatur; nam semper quòd fit violenta contractio oppositi musculi, sequitur alterius laxatio, vt quando brachium thoraci applicatur, contractis internis musculis, sequitur necessariò laxatio externorum, & è contra; imò repugnat contrahi sine laxitate oppositorum; id verò in musculis colli vesicæ & recti intestini non inueniri ipsa experientia monstratur; si quis enim violenter comprimat totum abdomen, si velit, continebit clausos intestini recti, & vesicæ musculos, & sine laxatione, quod esset impossibile, si musculi epigastrij obtinerent vicem oppositorum cum musculis dictis, quini-
D mò simul omnes relatos musculos, tam abdominis, quàm intestini, & vesicæ comprimet quis violentissimè, si velit, & id experiri poterit, quod esset impossibile, si laxarentur sphincteres per contractionem abdominis. Iuuant itaque musculi abdominis compressionem vesicæ, & intestinorum inferiorum, vt sic violentiùs, & faciliùs excrementa illa pellantur; laxatio verò musculorum intestini recti, & vesicæ ab ipsismet fit, quia sortiuntur diuersas fibras, quibus interdum claudunt dicta orificia, & interdum aliis oppositis fibras laxant claudentes, quod etiam participat secundus musculus mouentium scapulam, quando mouet illam interdum sursum versus occiput, & deorsum versus octauam costam Thoracis, & ad latus versus regionem
E vertebrarum.

Inde colligetis etiam vrinam supprimi posse per paralysim fibrarum, quarum contractio laxat claudentes orificia relata, & rursus per conuulsionem claudentium supprimi non minus, quia laxari non poterunt. Quod vltimum contra Galenum noster Vallesius notauit 6. *de locis, cap.* 4. à quo desumpsit Mercatus, & ante omnes tradidit Philotheus 6. *Aphor. comment.* 36. Ego verò contra Vallesi. aduerto non benè dixisse 1. *de locis*, quòd Galenus non respexit ad actionem fibrarum, quarum contractio laxat claudentes meatum vesicæ, quia inuestigabat causas vrinæ suppressæ intus, aut ille quem inter meiendum musculus non facit, quominus vrina supprimatur, sed quominus mingatur paulatim:

psul atim: sed contra est, quia si contractio quarundam fibrarum confert ad laxitatem claudentium orificium, vt liber exitus detur vrinæ, cadenti in paralysim cohibebitur vrina non dubiè, quia nequibunt laxare claudentes meatum.

Suppressio ergo vrinæ euenit etiam in vesica ex multis causis; nam & ex destructione facultatis, & ex sensus defectu, ex lapide, aut sanguinis grumo, aut crasso, resiccatoque pure, ex humoribus lentis, & crassis, ex tumore præter naturam, cuiuscumque materiæ sit, ex flatu crasso, & nebuloso, ex conuulsione musculi occludentis collum vesicæ, & ex paralysi fibrarum, quarum contractio laxat claudentes meatum, tandemque ipsa vrina, si nimium detenta ita repleat vesicam, quòd distensione claudat meatus, & simul etiam impediat contractionem fibrarum transuersarum, quibus celebratur expulsio.

Signa, quibus causæ cognoscuntur, varia sunt. Primum ergo quod Medicus agnoscere debet, est si vrina descendat, aut non: quod descendat si sensus vesicæ ablatus non sit, obscurari non potest, si æger captus mente non sit, aut loqui nesciat, sentiur quidem molestia grauis in ipsa regione vesicæ: Si verò sensus deficit, docet Galenus cognoscere vrinam descendere 1. *de locis*, *cap*. 1. dicendo: *Sit ergo ex. g. tumor aliquis in pube satis euidenter circumscriptione vesicam impletam esse ostēdens, nihilque excernatur*, &c. Sed hoc signum difficulter percipietur, nisi in magna iam facta suppressione: Certior ergo reddetur Medicus statim, si faciat quod Galenus monet ad explorandam resolutionem facultatis. *Verùm si hominem* (inquit) *ita figuraueris, vt decliuus sit ceruicis vesicæ positus, ac manibus tumorem præter naturam compresseris, expelletur vrina*. Comprimenda itaque est vehementer vesica, nam siue ex resolutione facultatis excretoriæ, siue ex sensus defectu non trudatur, vrina statim pelletur, quia maoour compressio supplet actionem vesicæ, pellit nimirum comprimendo seipsam; hoc verò facit non minus compressio, idē quippè est quantum ad hoc non excernere, quia sit resoluta facultas, aut quia molestia deficiat. Præterquam quod sensus priuatio cognoscetur facillimè, si compressa vesica nil molestum sentiat interius. Sic Galenus 6. *de locis*, *cap*. 4. tradit historiam illius, qui ex laxatione vertebrarum torpente sensu vesicæ in ischuriam incidit, cùm enim non excernant quod non molestat, impletur statim vesica, & noua causa cohibitionis resultat. Sic ergo agnoscendum, an ex resoluta excretrice, an verò ob sensus defectum hoc reiiciatur. Lapidis, aut inflammationis signa, aliorúmque tumorum hic recensenda non sūt, cùm in propriis tradantur locis, concretus sanguis nunquā obscuratur, quia semper fere emittitur aliquid sanguinis prius, sicut ex pure, si vomica rupta iam est, sempérque præcesserunt signa disruptionis vasorum, aut anastomosis, sicut præcesserunt etiam apostematis suppurati signa, multò antequam cohibeatur vrina, humores crudos, & tenaces monstrabit corporis habitus pituitosus; præcipuè euenit hoc hominibus ventri, venerique obsecundantibus, & ventriculi humidi, multaque, & cruda exspuentibus subitò vrina supprimi solet, ante quam suppressionem cruda, tenuis, albicansque, aut minus quam decet, pallida se ostentet, vbi aliquid adnatum in via vrinæ eam cohibeat, si caruncula sit, præcessit vlcus, si verruca agnosci nequit, nisi quia vlcus non præcessit, & paulatim cœpit vrinæ difficultas, & per multas dies durauit antea; vtramque etiam causam cathetere ostendit, semper quippè difficulter ingreditur, aut non potest nisi maxima vi, quando loco carnis excrescentis, aut verrucæ applicatur; resistunt enim adnata, sed sine duricie, in quo differunt à lapide impacto. Si crassi succi, aut sanguis concretus viam obturent, sine resistentia fistula ingreditur, vel leuissima est in sanguinis grumis; idem in pure inuenies. Laxatio vertebrarum occultari repugnat, & cùm interim faciat ad suppressionem, interim verò ad inuoluntariam mictionem, dignum inquisitione est discrimen symptomatum, pendet verò quòd inuoluntaria mictio causatur, quando comprimuntur nerui differentes vim in musculum claudentem; suppressio verò, quando comprimuntur nerui differentes vim adsentiendi ad insertos corpori vesicæ, tunc enim non sentit, aut nimis obtusè; sic impletur vesica, quia non insurgit expultrix ob defectum molestiæ. Nec obstat Galen. 6. *de locis*, *c*. 4. dum dicit: *Aut verò neruorum à spinali medulla exortorum, nec etiam ipsius spinalis medullæ passiones tantam imbecillitatem afferre possunt, vt vrina propterea supprimatur*, &c. Hoc enim est verum loquendo de facultate expellente, ipsa enim non pendet à cerebro, cùm sit naturalis omninò, verùm conditio requisita pendet non dubiè, de qua non loquitur ibi Galenus, cùm reprehendat dicentes, reiectionem vrinæ esse voluntarium opus, & non naturale, & vt naturale docet impediri non posse ob affectus neruorum à medulla exortorum, aut ipsius medullæ.

Signa distemperierum communissima sunt, nec indigent aliquo examine, nam causæ calefacientes, infrigidantes, exsiccantes, & humectantes notissimæ sunt: est verò opus diligentissima inuestigatione causarum, vt monet Galenus *loco citato* cùm tot inueniantur. Contemplandæ itaque sunt, & inquirendæ omnes euidentes causæ, & extrinsecæ, & acutiori diligentia inquirendæ internæ passiones, quæ ante ischuriam molestarunt ægrotum. Auicenna satis perspicuè tradit signa diuersa ad cuiusque causæ inuentionem, *fen*. 19. *lib*. 3. *tract*. *vlt*. *cap*. 7.

Præsagia adducta iam sunt *præcedente capit*. habent enim hic eundem locum, & vim, molestia tamen grauior est vesicæ suppressio, nisi ob sensus defectū fiat, quia doloribus vrget viuens atrocibus ob exquisitū sensū vesicæ, estque expectanda celerrima mors, vbi pro inflammationis magnitudine cohibetur lotium totaliter.

CAPVT II.

De Ischuriæ curatione.

CVm impleatur vesica in hoc malo, & nihil emittatur, tam grauiter torqueri solet æger doloribus à plenitudine ortis, quod liceat sæpè huic symptomati occurrere, antequam morbo, & vbi sanguinis grumus, crassus humor, aut lentus, aut caruncula genita in causa sunt, per catheteris intromissionem solet statim excerni vrina, & mitigari molestia; nec minus conuenit, quando lapis impactus suppressionis auctor, cathetere nimirum impellitur intro, vt vrina excernatur, & curationi det locum: vbi verò inflammatio, aut tumor alius molestat, aut conuulsio musculi claudentis vesicam, cauenda est catheteris intromissio, quia præterquam quod sine fructu immittitur, exasperatur inflammatio, aut tumor quicumque, & dolore debilitatur laborans, concitatur fluxio; ob quod Galenus 1. *de locis cap*. 1. dicit: *Percussus ergo validè quidem in ea parte, quæ frenum appellatur, inflammatione suborta in vulnere vrinam reddere non potuit, ac vesica ipsa vrinæ plena manifestè secundùm circunscriptionem incisi videbatur, huic ne irritaretur inflammatio, æneam fistulam adhibere noluimus, sed aqua calida infusa adeò purgere satis putauimus, cum qua tribus horis sic cùm tractassemus, tumore non parum laxato, ac dolore, vt ipsemet fatebatur, non ita grauiter infestante, iussimus, vt vrinam reddere tentaret: interim cùm nos vesicæ tumorem ad inferiores partes impellendo sensim promeremus, iuuenis vrinam reddidit.*

Hæc tamen doctrina non tollit, quòd si ex inflammationa, aut alio tumore supprimatur vrina, ante fotum laxantem secetur vena, imò conuenientissimum est: nam præterquam quòd statim à missione sanguinis potest foueri para, efficitur etiam cum minori periculo fluxionis ad partem: non enim vacat periculo recipieorem partem tempore fluxioois neque euacuato corpore calefacera, & laxiorem reddere; & cùm ita vrgeat malum, non semel taotum, sed bis secabitur vena eodem die. Idem afficiendum est in curationa cuiusque causæ petentis venæ sectioonem. Circa quod notandus venit Mercatua, sine discrimioe imperando statim primo iosultu forus ad laxandam partem, oblitus omnioò curationia causæ: oam sanguinis missio nullam moram laxantibus ponit, & summè prodest ad causæ oblationem, disponitque vtilissimè, ne cum tanto periculo fluxionis imperatur forus emolliens, & laxans, & confert etiam vt celerius pars laxetur inflammata; euacuabitur itaque celerrimè corpua, deinde fouebitur para tumida hydteleo, vt Galenus docuit, aut decocto maluarum, flor. camemali, violarum, melilot. radic. ebisci, fol. violariæ, & seminis vtriusque maluæ, & lini. Decocti sumuntur lib. ij. quibus adda olei amygdal. dulc. sesamini, & camemali, aoa ℥. j. aceti sambuccini ℥. j. ß. misce, quia si dicta simplicia in oleo dulcissimo, & aqua maluarum concoquaa, deinde residentia tota exquisitè pistetur, & traiciatur per setam, & iam traiectæ addas de liquamine axungiæ gallinæ, & butyri recentis aum croco, mirabile efficies præsidium ad sedandum dolorem, laxandum tumorem, & citò concoquendum; durat enim virtus per multum tempus, & in forma emplastica applicatum efficacius auxilium alterat.

Est etiam summè notandum in haa suppressiooe, in qua lotium in vesicam delabitur, nullatenua esse imperaoda diuretica, quia cum summa pernicia magnam vrinæ copiam mouebunt, sicque vesica replebitur, & obstruetur magis, & intendentur dolorea; celerrimè etiam euacuandum corpua sanguinis missione, aut expurgatione & vomitibua, si opus fuerit, quia affectionia breue periculum sic indicat, & requiritur. Si ex luxatione vertebrarum hoc malum oriatur, statim facanda vena basilica, & reponenda vertebra antequam inflammetur spina ob dolorem: & si inflammatio eueniat, curanda statim; nam inflammata parte reponi non potest sine magno incommodo, quousque mitigetur; sic si ex frigore labescat expultrix, aut sensus deficiat, corrigenda statim distemperiea, si sit sine materia; si verò cum illa, propetabitur sumendo bis, aut ter serapia idonea: deinde purgandi pituitosi succi, & clysteribus calefacienda vesica, & resoluenda, liquandáque cruda materia, & in vtroque casu, vt ex Galeno retulimus, reiicietur vrina manuum compressione. Sic etiam tempus commodum medelæ concedetur: summè conferunt balnea parata ax calefacieotibus, attenuantibus, & resoluentibus, in quibua sedeat æger, & cooperiatur vsque ad vmbilicum: & iotra balneum blandè foueatur pars, vt intromittatur meliua virtus remedij: à balneo vngenda vesica oleo castorei, rutaceo, baccarum lauri, cum aqua vitæ, aut vngueoto martiat, & aregon, cum theriaca antiqua, & puluetibus nicorianæ Indæ, anios folia calida superposita optima sunt: nec contemnendus sacculua paratus ex puluer. castorei, nucis muscatæ, fol. lauri, artemisæ, cubebis, semine dauci, cimini, & baccar. iuoiperi, qui irrorerur vino albo generoso, aut aqua vitæ, qui calefactus pubi, & peritoneo applicabitur. Conferunt etiam oleum petroleum, de piperibus, de cinnamomo, de cariophilis, scorpionum, aut sic patabis. Recipa olei scorpionum, castorei, & amygdal. amar. ana ℥. j. olei amygdal. dulc. & camemali ana ℥. ß. succi cort. rad. raphani ana ℥. j. ß. succi spiculorum alliorum ʒ ij. coquantur in vase duplici, donec fermententur moderatè, quo auxilio calido pars foueator.

A

Eisdem auxiliis occurrimus resolutioni musculi aperientis vasicam. Conferunt etiam suffumigia ex eisdem rebus, aut cootinuam euaporationem suscipera ex decocto radicum cyperi, raphanorum, bacchar. iuniperi, & lauri, fol. artemisiæ, laori & meortasti, facto in aqua, & vino albo; cuius decoctum io limpido scaphio iniecti cómodissimè vaporem recipiet laborans sedeos supra illud: renuitate anim substantiæ, & impetu delationis sursum penetrant vaporaa, & mirè extenuant, & absque iocommodo aliquo recipiuntur. Suffumigia parabuntur ex puluera sulphuris, ligno aloe, nuce miristica, radic. coulæ, acori, filipendulæ, & cariophilis: aut hoc vnguento iouoges partem

B

resolutam. Recipe olei vulpim, castorei, ana ℥. j. olei amygd. amar. & dulc. ana ʒ. ß. olei petrolei ʒ. iij. pulueɼ. castorei, semin. rutæ, & ameos, aoa ℈. ij. puluer. nicotianæ, & diambræ ana ʒ. ß. gummi, carabi, & aspalati ana ʒ. ß. dissoluantur gummi io aceto schilitico, & ex omnibus paretur cum cera vngueotum. His non sufficientibus sudatiooes ex guaiaco conueniunt, aut saxifragia, smilax aspera Indica, & in altero crurum fontauellam apatire, quæ duo auxilia celebraoda soot solùm quando videt Medicua duraturum morbum tempua idoneum, vt vtilia esse possint. Sanguinia grumi dissoluendi statim quod fiat oximel simplex cum decocto saxifragiæ sumptum, aut acetum mulsum cum coagulo leporis, aut hœdi Confert

C

etiam oxymel schiliticum, & magis acetum schiliticum cum decocto sabinæ, dauci, & adianthi. Aolcenna plua laudat oximel quàm acetum, eo quòd neruosas partes offenditat, tum ob frigus cum acrimonia; & quia mel resoluit, & detergit. Cuminum habet etiam vim resolueodi sanguinem concretum: semen cardui agrestis laudat Princeps. Sunt etiam hæc duo semina renuiorum partium, & nimis desiccantia, & in vesicam iniiciendi etiam liquores ex decocto saxifragię, coitreolari, radicum apij, & peoniæ cum coagulo leporis, aut hœdi, vel saoguinia hirci præparati. Conueniont etiam (inquit Prioceps) quæ ad frangendum lapidem sunt idonea; item & ingredientium balneum frangeorium lapidem, & dissecantium: est etiam efficax lixiuium ex cioera ligni ficus, vt docet etiam Aui-

D

cenoa, aut ex cinere sarmentorum vitis, vel abrotaoi; delicatior est aqua decoctionis cicerum nigrorum. Est perniriosa hæc passio, vt interim cogat, quia relata auxilia sine frustrantur, illato vulnere exitum grumia parare, vt paratur lapidi impacto; quod cum Actuario Mercurialis docet. Forus etiam conueniunt ex eisdem rebus. Per syringam iniicit Bauder. hoc: decocti virgæ aureæ, scorcioneræ, betonicæ, bacchar. lauri, spicæ celticæ ℥. vj. oxymellis simplicis ℥. iij. succi limonum ℥. j. olei vitrioli ʒ. j. fiat iniectio. Si fortiota requirat malum, coquantur dicta simplicia in lixiuio aliquo ex dictis. Et Bauderonij verba sunt hæc: *Si his grumus non dissoluitur, aperiatur perineum nouacula iuxta eius suturam, & non supra eam (ne fiat vlcus irremediabile)*

E

ab aliquo perito chyrurgo. Satius est hanc viam rentare præmisso prognostico, quàm Presbyteris cadauer committere; requirit hæc causa quæ contra venena pugoant, quia putant Auctores concretum sanguinem in accidentium malignitate emulcere venenum, & Galenus docuit *6. de locis cap.* 4. Cur verò hoc eueniat, magna est inter Auctores Medicoa controuersia, de quo *cap. de vter. suffocat.* incidet sermo.

Eandem medelam pro grumis adductam puti obturanti dicant Auctores, sed meo videri non sine errore: Exsiccantia enim, & calefacientia rantùm abest quòd sint vtilia, quòd nihil pernitiosius adhiberi possit. Ratio est, quia puris crassities à calore coquente, seu suppurante causatur, & immediatiùs à siccitate; vnde

calefa

calefacientia, & exsiccantia pus vertunt in tophum potiùs quàm eliquent, nam quæ calore, & siccitate concreuerunt, non liquantur eisdem, sed humidis, & diluentibus, & quia pus concoctum omnis ob nimiam permixtionem, cùm succus lentus euadit, detergentia requirit, & indicat. Sunt ergo accommodata medicamenta, quæ moderatissimè calefaciunt, nam frigore indurant refrigerantia, similiter calida calefacientia nimium: ergo erunt moderatè abstergentia cum partium tenuitate, & humore; ideò laudatur aqua hordei cum melle, aut decocto cicerum, lentium, orobi, & lupinorum, & foliorum maluarum cum saccharo. Laudatur serum lactis, in quo incoxerint maluarum semina, liquiritia, & fluebali, de quo sumantur ℥. vj. in quibus dissolue mellis optimi ℥. ß. cum saccharo sirupi adianthi, misce, & potui detur. Similia inijciuntur per syringam intra vesicam, detergentia præsertim vtilissima sunt cum moderato calore, ob quod laudant Doctores quolibet die propinare lac feminium frigidorum maiorum cum saccharo, eritque vtilissimus succus parietariæ cum melle rosaceo, aut saccharo, aut cum sero distillato, & modico oxymellis simplicis. Si pituita obstabat (inquit Mercatus) simili modo procedendum est, quod mihi non probatur, nam succi crudi frigore concreuerunt, & inde calida desiderant auxilia, vt liquentur, ob quod nullum auxilium efficacius inuenit Hippocrates, quàm febrem superuenientem morbis à pituita natis: conueniunt igitur calefacientia, attenuantia, & detergentia, de quibus abundè diximus medentes ob structis renibus ia eadem causa. Solùm addendum est, esse miscenda quæ in vesica auxilia inclinent, & velocius deducant. Conuenit ergo, si opus sit, statim primæ regionis excrementa deponere leui purgatione, aut clysteribus, qui sæpe repetendi, quia mire calefaciunt, eliquant, & adeoquunt crudos succos ob proximitatem cum loco affecto. Crassi succi expurgandi pillulis præsertim, deinde terebintina, & si opus fuerit, medicamento ad vomitum inclinante; deinde parabuntur fotus, & balnea ex rebus iam dictis; secabitur vena in talo non semel, sed bis, quia difficultatem vrinæ venæ sectio soluit, teste Hippocrate: inijcientur expurgantes clysteres: erit vsus continuus alicuius aquæ ex distillatis, raphani præsertim; Parietaria oleo scorpionum concocta applicabitur assiduè, dabiturque ius galli decrepiti cum resina pini, quod sic parant auctores: coquatur gallus cum radicibus, & foliis petroselini, ciceribus nigris, & malua cæpa; & radicibus graminis vsque ad ossium separationem, iuris sumatur lib. ß. puluetis resinæ pini ʒ. ij. misce. Creditur statim prouocare lotium; efficacius reddetur, si radices vrticæ & virga aurea cum reliquis ponantur. Requirunt hæc auxilia corpus à recrementis benè expurgatum. Emplastrum ex parietaria, capartæ alliorum, & cæpa, & nasturcio aquatico in vino generoso coctis efficax est, aut eadem simplicia in oleo scorpionum, amygdal. amar. & dulcium coquantur, cum oleo foueatur vesica, & residentia pistetur, & per fetaceum traijciatur, cui adde cantharidarum g. iij. pulu. ameos, & dauci, ana ʒ. ß. croci ℈. j. therebintinæ ℥. ß. misceantur bene, & pubi, petineoque applicentur. Est etiam vtile auxilium pro vngendis renibus traditum, item decocti sabinæ, baccarum lauri, iuniperi, acori, & granorum alchechengi ℥. iiij. succi parietariæ ℥. iij. facchari rubei subtiliter puluerizati ʒ. j. cinnamomi parum, misce, & sumatur. Si hæc non sint satis, g. ij. cantharidarum propinabuntur eo modo quo diximus antea, cum semine dauci, & ameos. Mathiolus *lib. 5. cap. 74.* præbet atramenti sutorij ℈. ij. cum aqua agrimoniæ, & vt vtile laudat pro ischuria, & calculria, & calculosis, & *lib. 4. cap. 81.* succum parietariæ datum in quantitate ℥. iij. vt miraculum commendat. Hinc succo adderem ego olei vitrioli gut. iiij. aut vj. Quod

A si decoctum efficax parare velitis ad ischuriam, sic parabitur. Recipe cineris radicum ononidis, stipitum, vel corticum fabarum ana ℥. j. ß. immittantur in nodulum lineum; deinde parabis decoctum parietariæ, betonicæ, millij solis, & saxifragiæ, de quo sumantur lib. iij. eoquantur cursus cineres prædicti in hoc decocto, donec fiat lixiuium forte, deinde transcoletur ter, aut quater per manicam Hippocratis, & aromatizetur cinnamomo, cuius decocti dantur ℥. iij. aut iiij. cum ℥. ß. serapij limonis, aut cum ʒ. iij. succi eiusdem limonis, & saccharo, & mirè auxiliatur ischuriæ: efficacius erit, si oxymellis familitici ℥. j. misceatur decocto, quia vt dicit Princeps, est iuuatiuum valde, & si lapidis occasione, aut arenulis supprimatur, addes ℥. iij. etiam dictis litontripon ʒ. j. misce, & sumatur. Etiam

B est forte diureticum ab Auicenna relatum hoc modo. Recipe sabinæ, asari, amomi, ameos, petroselini, seminis apij, rubiæ tinctorum, amygd. amar. spicæ, ana ʒ. v. seminis melonum ʒ. ij. ß. corporum cantharidarum abscissis capitibus, & allij g. xviij. ammoniaci, dissoluatur ammoniacum in vino albo, & fiant pillulæ ex omnibus, de quibus sumantur ʒ. iij. post quas præbet Iacobus aquæ fœniculi ℥. iiij.

Certum tamen debet esse, & diuretica idonea esse magis, quando obstructio est in renibus, aut emulgentibus, aut vreteris, si ob debilitatem renes non trahant: nisi verò collum vesicæ, aut corpus eius molester, securius est per euacuationes vtiles, & omne genus medicamentorum resoluentium crassos

C humores liquare, & resoluere, quam plurimam vrinam monere, etsi non lateat Principem in hoc capite, vehementia impetare diuretica. Inflammatio vesicæ curanda breuiter: eam aufert Princeps dicendo; *Curetur apostema, & mollificetur, & leniatur.* Commendat phlebotomiam basilicæ, vt maximè necessariam, deinde ex talo, seu saphæna. *Quandoque enim* (inquit) *prouocat eum ea vrina*; contra id quod dixit Hippocrates *6. Aphor. text. 36. Difficultatem vrina vena secta inuat, secare verò interiores*: Galenus *in commento: Reuerà vena sectio solui difficultatem vrina, illam videlicet, qua propter inflammationem, & multitudinem fit.* Dicit verò esse intelligendas venas malleoli, aut tali, quia Hippocra-

D tes semper in morbis infra iecur hasce venas secare præcipit. Quæ doctrina non opponitur Principi imperanti priùs secari basilicam, hoc enim etiam est consonum Galeno gratia reuulsionis, quæ à distantissima fieri debet parte: quando verò euacuare intendimus, secanda est vena tali, aut malleoli: quia verò vena malleoli trifariam diuiditur, non magis interest (inquit Galenus) internas, quàm externas secare, cùm istæ ab eodem deriuentur trunco: & inde prauauit Galenus Aphorismum relatum non Hippoc. sed adiectum fuisse; quam doctrinam Auicenna damnat dicendo, aliquando experimento vincei rationem, hoc est, rationem Galeni, nam etsi vera sit Galeni doctrina, multum tamen interest secare internas, aut externas, quia cum internis seruat tectitudinem maio-

E rem in vesica per oscula vasorum, & carnis, & ita si secentur, conferunt plus quàm externæ, imò eo ipso quòd ab eodem trunco procedunt, erat Hippocratis animaduersio, ne putaret quis æqualem vtilitatem afferre, quòd ab eodem emanent trunco.

Enacuato corpore conferunt cucurbitæ partibus superioribus affixæ, frictiones etiam brachiorum, & dorsi versus superiora, oxirrhodinum commune tepidum in principio conuenit; frigidiora enim suspecta nimis sunt, quia vesica neruosa cùm sit & exsanguis, non tolerat frigida, & in lapidosam, schirrhosamque naturam facillimè inflammatio mutatur ob eandem rationem; quod ita non timuit Princeps, vt repellentia etiam recuset, nisi ardor non minus molestet. *Non superfluas* (inquit) *in eis* (repercussiuis scilicet) *neque*

prolongeris; illud namque motiuum est, & indurat apostema velociter, imo si inceperis a mollificatiuis, & non fuerit aliquid quod præbeat ex sensu vehementi, erit melius, quia membrum est neruosum.

Laudat etiam Auicenna euaporationes receptas in vesica, eo quòd leniunt, & dolorem demulcent: parantur ex decocto rosarum rubrarum, violarum, fol. maluæ, & violariæ, meliloti, flor. camemali: hoc decocto vesica semiplena, & moderatè calida vtilissimè applicatur, aut lana succida eodem decocto imbuta, & addi possunt decocto oleum rosf. violar. & amygd. dulc. aut cucurbitæ. Per syringam iniicit Princeps asininum lac, mucagine psillij, aut aqua hordei cum eodem lacte asinino, quod magis laudat: deinde lacti adeps misceatur; quæ etiam concoctoriæ sunt, suppuratoriæ, & anodinæ.

Dicit deinde, quod transacto principio, est optimum emplastrum paratum ex sesamo excorticato, cum lacte, & oleo violaceo, aut camemali. Nam (inquit) etiam sunt boni, coquuntur in lacte, & oleo amygd. dulc. deinde pistantur, & applicantur. Laudat nimis descensum in balneum, ita quòd quando aduenit vrina eis rectius, & commingat in eo, præcipitque quòd balneum paretur ex decocto emollientium, vt maluarum, violarum, meliloti, fenugræci, altheæ, camemali, & schenanthi, & rosf. rubr. & seminis lini, aut ex aqua dulcissima cum oleo. Notandum semper, quòd quando vrina supprimitur omninò, tentanda est resolutio tumoris, aut suppuratio ob vrgentiam symptomatum, & ita in principio inaniendum est totum copiosè, vt sic securius ad resoluentia, aut suppurantia accedamus.

Inquit deinde Auicenna, vt cum vehemens fit dolor, & timetur mors, non est excusatio à narcoticis linitis, & suppositis. Dolores mortales ex vesica malè affecta ob exquisitum tactum illius nasci experimento constat: & docuit Hippocrates 2. *Prognost. ad finem*, dicendo: *Vesica dura, & dolentes graues quidem omninò, & mortales: maximè verò mortales, quæ cum febre continua fiunt:* nam dolores, qui ab ipsis fiunt, sunt satis ad interimendum; & ventres non excernunt, nisi durè, & ægrè: soluit tamen vrina purulenta micta, albam & leuem habens hypostasin; si verò ne cuipiam cedat, nec vesica molestat, & febris continua sit, in primis periodis morbi spectandum est ægrum moriturum.

Ad sedationem doloris acerbi laudat Princeps sumere semin. papauer. albi ʒ. ij. ß. terantur, & dentur in potu cum decoctione spicæ, & squinanti. Principio (inquit) si sit difficultas vrinæ, extrinsecus apposuit epythema ex iusciamo, mandragota, & semine papauer. decoctis in oleo dulci, & sumantur opij gr. xv. dissoluantur in ʒ. j. ß. olei violacei, & adde croci ℈. j. madefiat linteum, & ano applicetur; fortassè (inquit) inueniet tranquillitatem, & dormiet, & mitigatur etiam aliquid huius per syringam, & epythema de opio extrinsecus factum, est fortis stupefactionis: quod intelligi potest, quòd ponatur in temporibus ad conciliandum somnum, aut supra vesicam ad stuporem inducendum; ne doloribus pereat æger. Si callo, aut caruncula genita supprimatur vrina, consulendi sunt Chirurgi.

SECTIO XI.

DISPVTATIO VNICA.

De Morbis vterinis.

CAPVT I.

De vteri inflammatione.

Quid illa sit?

De hoc malo agit Princeps *fen. 21. lib. 3. text. 4. cap. 1.* cuius titulus *de apostemate calido in materia*: Est sermo non de inflammatione sicca, seu de ardore sine materia, sed loquimur de inflammatione humida, & à causa calida pendente, siue talis sit ex propria natura, vt quando ex sanguine, aut bile creatur, siue in vtero calorem contra naturam concipiat, quia etsi non sit calida ex se, ibi inculcata putrescit, & partem ipsam distemperat, vt quando pituita, aut melancholia in vterum confluunt, aut tumorem creando non ventilatæ putrescunt, & febrem, ardorémque creant, causatur hoc malum eo modo, quo retulimus anteà, fluxiones fieri, aut materiam tumoris in ipsa parte inflammata per congestionem accumulare, quæ repetere nefas esset, vt ex dictis in anteactis capitibus. Sciendum est esse morbum in magnitudine acuta, accipiendáque signa, quibus vna, aut alia causa monstratur; num sanguis, aut bilis, aut alius succus cum sanguine auctor inflammationis existat, variantur quippe symptomata miro modo iuxta diuersitaté humoris fluentis, & ex parte doloris, duritiei pulsus, intensionis febris, & aliorum symptomatũ, quæ cuique causæ, aut humori sunt propria, vt retulimus sæpe. Id tamen ignorandum non est, ex sanguine solo, aut bili permixto vehementissimas excitari febres, & de genere continentium, vt testatur Galenus, eo quòd vterus grandissimas participet venas; quomodo verò continentes esse possint huiusmodi febres, si datur determinatus focus, & certus locus affectus, vterus nempe, in quem succi putrescentes confluunt, satis difficile est, cùm expresse opinetur Galen. 2. *de differ. febr. cap. vlt. ad finem*, ideo continentes esse, & creari febres, & repetentiis carere, quòd non detur in eis certus locus affectus, quam difficultatem absoluimus nos text. nostro de continent. febr.

Præter communes causas fluxionis, aut congestionis humorum in vtero excitatur peculiariter eius inflammatio, inquit Princeps, aut propter percussionem, aut casum, aut immodicam venerem, aut propter aborsum, aut disruptionem ab imperita obstetrice violenter secundinas abstrahente, cùm recipit fœtum, aut hunc violenter extrahit, ne videatur deficere in munere, quæ occasio frequentissima est. Quod percussio, aut casus sint occasio fluxionis ob excruciantem dolorem, publicè confitetur ab omnibus: nec minus immodica Venus ob concitatum incendium, ad tractionem, vt dolor conducens, laxat etiam partem, & ad recipiendum aptissimam reddit, & nihil magis totum debilitat, quàm venus superflua, debilitata retentrice totius liberè præcipitantur humores in vterum; éstque rarissimum, vitiosus, & malignos non reddi ob vitalis caloris defectum, & indè nascitur noua occasio fluendi ob visinm expulsos. Aborsus, qui nihil est aliud, quàm intempestiua fœtus resectio, cùm sit naturæ violentus, & ligamenta, aut tabula sine maturatione rumpantur, summos dolores, & vlcera excitat,

excitat, & inde fluxiones mouet, quæ symptomata maiora sunt non dubiè tempore medio gestationis vteri; in quo firmiorem coalitum habet fœtus cum vtero, nam vt in tempore medio gestationis securius, & cum minori periculo abortus purgantur prægnantes, sic si abortus eueniat, cum maiori periculo accidet, quia vt alligati fortius fœtus cum vtero, sic disruptio violentissima fit, & vehementissimis excruciat doloribus, & commotati succi inflammationem generant.

Addit Princeps aliam frequentissimam occasionem, menstruorum nempe retentionem, ob quod abundat inflammationis causa, sub qua comprehenditur quævis alia abundantia, & si ex menstruis retentis non fit, sic diminuta, aut ablata purgatio à partu eandem sanguinis copiam parit, estque frequentissima inflammationum cum summo periculo, & quia laboribus partus superuenit, & quia malignæ naturæ est, excrementitiusque omninò expurgandus sanguis à partu, cùm dulcissimum sanguinem in propriam nutritionem consumpserit infans, fæculentum, & crassum relinquens, vnde febres oriuntur malignæ, & turgens natura non ferens malitiam succorum, rarò non tentat in partem internam periculosum eorum decubitum, propter vteri in flammationem aliam lethalem creando.

Subdit Princeps: *Et quando fiunt propter eleuationem spermatis*, hoc est, propter feruorem, & ebullitionem seminis ex calore putredinali illius causata. Quæ doctrina non debet intelligi de propriè dicta inflammatione: nullus enim dixit, semen in vteri poros confluere, & illum tumefacere; neque enim in tanta copia putrescere potest, vt per fluxum efficere queat tumorem tam grandem; nec continetur in loco, à quo in vteri porositates possit detrudi; est enim communissima via, per quam à vasis in vteri cauitatem reiicitur, quando aliqua occasione irritantur: loquitur ergò auctor de tumefactione vteri à flatibus seminis corrupti, eleuatis, & distendentibus illum, sine eo quod tumor propriè causetur. Sentiunt enim sic affectæ dolorem, tensionem, & ardorem in vtero, sed tumor verus non est; sed inflammatio, febrisque, aut mitissima si comparetur ad eam, quæ inflammationem propriam sequitur, eruntque potius histerica accidentia, & maligna.

Solent etiam steriles ad conceptionem nulla non tentantes auxilia sine methodo vterum inflammare, quæ rarò non sint calidissima, & quæ interiùs assumuot, & quæ vtero, aut lumbis accommodant; sic etiam frigus nimium vteri vasa, & corpus eius exsiccans, ac densans, plenitudinem in eo causare, & esse inflammationis auctorem, sicut & adstringentia remedia ad cohibendam intempestiuè vteri hæmorragiam, aut aliam fastidiosam purgationem excrementis detentis inflammationi præbent originem.

CAPVT II.

De huius mali signis.

Signa inflammati vteri retulit Princeps *cap.* 4. adducitque ea indextero ordine, tradendo priùs ea quæ per consensum in partibus vicinis resultant: Nos econtrà essentialia ex eodem auctore prius enumerabimus. Est in primis essentiale signum dolor in spatio medio inter rectum intestinum, & vesicam, quia inter has partes vterus secundùm naturam locatur. Addit Auicenna: *Et erit dolor fortis, & pulsatio*; hoc est dolor fortis pulsans symptoma essentiale propter arterias in eo inflammatas. Est etiam essentiale signum febris continua, & de natura continentium aliquando, vt Galenus testatur *lib. de humor. & 6. Epidem. sect.* 1. *comment.* 2. *&* 3. *prorrhit. comment.* 27. Habet enim vterus cum corde magnam communionem per satis magnas

A arterias, vt rarò non sit febris de genere ardentium, quod explicuit Auicenna dicendo: *Et erit febris inflammata.* Addit tamen vnum difficile, nempè quod sit febris illa cum horripilationibus, quod videtur omninò alienum à natura febris continuæ, nedum continentis, si Galeno credendum est. Est tamen non dubiè verissima Auicennæ doctrina, & notatu dignissima; fallitur Medicus iudicando febrem esse de intermittentium natura, quia rigoribus diuersis ornetur. Est verò duplex ratio, ob quam cum rigoribus vteri febres molestent. Prima, quia est pars nimis sensibilis, & inde summa molestia irritatur, & natura ob molestiam totto calorem trahente, extremæ partes incipiunt tremere destitutæ vitali calore, vt in timore experimur. Secunda, & magis propria, vt vterus horror causetur, pendet verò ex natura sanguinis inflammationem facientis; nam
B cùm semper ferè inflammetur ob menstrua retenta, aut improsperam purgationem à partu, vel abortu, & sanguis à partu, aut menstruis cohibitus malignè ferè semper putrescat, halitus eleuati ab illo partes sentientes irritant, & concutientes, vt eos reiiciant, quia malignè alterantur, non secus ac in exitiosis punctieularibus febribus inordinatos rigores per interualla molestari ob prauam vapotum naturam, quæ demonstratur clarissimè, eo quòd per insensibilem transpirationem absque vlla molestia reiiciendum erat, quia in halitus forma sub tam tenui materia sic natura molestet, vt cogatur media concussione, seu vibratione tenuissima etiam vapores repellere. Est etiam essentiale signum pulsus durus omni inflammationi, vt ex Galeno retulimus *cap. de Pulmonia*: quod signum sine ratione tacuit auctor, quod fortè fecit, quia satis conspicuum
C est. Tamen notandus Mercatus *lib.* 2. *de morbis mulierum, cap.* 17. inter signa inflammati vteri à sanguine ponentis pulsum vndosum. Quæ doctrina tam aliena est ab inflammationis sanguineæ natura, vt sit optima omninò (cùm vndosus non possit esse sine mollitie) quòd tumor sanguineus tensionem non leuem, renitentiamque magnam in partibus ereet. Est etiam essentiale signum vteri ardor, pondusque à lenom; ille ob putredinem causæ; hoc propter grauitatem succorum fluentium in copia tam grandi; & hæc sunt essentialia signa inflammationis vteri propria.

Signa verò per consensum partium euenientia innumera sunt, quia tantam cum partibus sociis tatem partieipat vterus, vt omnes ferè Principes compatiantur
D cum eo; sic per venas communes, & neruos consentit ventriculus, vt inde doleat, cardialgia vexetur, oppressionem patiatur, vomat, nauseet, & quando pejus consentit, singultiat, cibumque omninò fastidiat cum potus intenso appetitu. Cerebrum (inquit Auicenna) ei communicat, quare accidunt dolor capitis in sincipit, & dolor in collo, & radice oculorum, & præcedit dolor, donec consequatur extremitates, & digitos, & vtrumque crus, & iuncturas, & dolent duæ partes dorsi, & duo inguina, & pecten, & inflantur: cerebrum dolet, quòd participet vterus neruos quamplures à sexta coniugatione, & à parte spinæ lumbari & sacra. Vnde mirum non est quòd cerebrum doleat, & collum, & oculi, & lumbi distentis neruis à tumente vtero. Est enim sextum par neruorum amplissimum per plures,
E & diuersas partes distributum, & vagans, cuius compressione tot partium excitantur dolores, ad quorum ortum pergrandis inflammatio requiritur; non enim quævis tam violenter tot neruorum propagines tendit, vt omnes doleant.

Ob vicinitatem etiam compatiuntur promptissimè vesica, & intestinum rectum; hoc compatitur plus, si partem posticam vteri afficiat inflammatio; si verò antea plus patitur vesica, & quia compressio est duplex, & ratione ardoris, & quia à tumente vtero vesica comprimitur, oritur vrinæ stillicidium, seu crebra mingendi

gendi cupiditas; redditur enim acrior vrina ab incendio, & inde stimulat magis: quomodo verò vesicæ compressio frequenti mictioni conferat, non est tam facilè; conferi tamen vt puto, quia angustior facta repletur paucissima vrina, & inde irritantur crebrò ad mictionem vesicam paruam naturaliter habentes; tum etiam quia nihil magis desiderium mingendi suscitat, quàm intromissio, seu accessus vrinæ ad orificium, & collum, sentitur ibi cum magna molestia. Vnde quia compressa vesica redditur, fundum minus eleuatur sursum, & versus collum retinetur, sicque crebro molestat, & ad frequentem mictionem inclinat: ob id dixit Hippocrates 5. *Aphorism. text.* 58. recto intestino, aut vtero inflammationem patiente vrinæ accidit stillicidium. Rationem reddit Galenus, quia distemperatur, & angustatur vesica, non quia calida distemperies ad crebram mictionem conducat, sed quia acrior, vt dixi, vrina redditur, & sic sub minima quantitate stimulat expultricem; rectum verò intestinum occluditur etiam, & angustius redditur, vnde detinentur stercora, & quia exsiccata corpulentiora redduntur, & minus lubrica, & quia via descensus occluditur, ob quod impedimentum cohibentur etiam & flatus, à quibus venter inflatur sæpe. Per arterias compatitur cor, & deliquia, aut syncopes eueniunt, aut palpitatio, aut tumor, & interim per iugulares arterias, quæ sursum ascendunt ad sinciput, vaporosa substantia cerebro communicatur, & dolet sinciput, sicut ratione neruorum occiput, quando à parte postica eueniunt. Septum etiam comprimitur, & difficilis respiratio subsequitur, totus venter ardet interius, sitis molestat, lingua exasperatur, & nigricat, crura dolent, si latera nimis inflammentur, comprimuntur quippè nerui eorum, hæc symptomata euadunt maiora, si erysipelatis particeps sit inflammatio. Febris est ardentissima, sitis implacabilis, ardor intolerabilis, lingua summa asperitate nigrescit, delirium superuenit, ardet lotium, vigiliæ molestant, & si malum desperatum euadit, frigent extrema; tot itaque mala causat vteri inflammatio, si incrementum suscipiat, aut erysipelacea sit: estque mortale malum, si totam vuluam afficiat: curabilis verò, si ceruicem, si fundum verò difficilis curatu.

CAPVT III.

De Curatione.

Dicit primo Auicenna esse necessariam sectionem venæ, cum adiuuant significationes famosæ. Primò, quando dantur scopi necessarij; præcipit quòd secetur primò basilica, & hoc dicit esse rectius quàm secetur vena in talo, quia secta vena brachij reuellitur sanguis fluxurus ad locum affectum. Quæ doctrina intelligenda est in principio inflammationis, quando fluxio non sumpsit originem ex menstruis suppressis, aut improspera purgatione à partu, vel aborsu: nam in his occasionibus semper in talo secabitur vena, quia non tantum locus affectus sic requirit, sed etiam partes mittentes; sunt enim inferiora vasa repleta, quorum sarcina in carnem vuluæ transfunditur, & reijcitur, generatúrque apostema. Quæ praxis vniuersa est, nisi Medicus agnouerit ex menstruorum defectu grandem plenitudinem totum corpus grauare, quod sit opus venas superpas inanire prius, ne secando venam in talo, præcipitetur tota plenitudo partium superiorum in vterum, & magna conuocatione facta crescat inflammatio. Quæ praxis magis mihi probatur. Ratio à priori est, quia in dicto casu non tantum mittit in vterum inferior regio, sed etiam superior, cùm totum corpus grauetur æqualiter, & propterea tutissimè secetur vena basilica primò, vt quidquid impetuosè moueri timetur in vterum, si secetur vena tali, extrahatur, reuellatúrque, quod regio superior transmittit: quòd si id tentare non audeas, secabis venam ex talo, copiosè tamen in primis euacuationibus, si vires ferant; alioqui timendum rationabiliter est, ne attracta impetuose plenitudine totius ad regionem infimam, quæ facilè grauitate tota præcipitatur, geminetur inflammatio, & venæ inferiores repleantur magis, foueantque efficacius inflammationem inceptam.

Nec doctrina Principia imperantis primò sectionem basilicæ refragatur Galeno *lib. de sanguinis missione, cap.* 18. *& 3. meth. cap.* 11. docenti esse secandam venam in talo; est enim vtriusque auctoris vera doctrina, consideratis indicationibus diuersis, quas quodlibet tempus inflammationis præscribit. Nam vbi reuellere est opus, & obstare, ne plenitudo partium superiorum impetuosè ad inferna trahatur, sequenda est nostri Auctoris doctrina. Quando verò deriuare, aut euacuare intendimus, quæ indicationes posteriùs quàm reuellendi inueniuntur, quando regularis curatio fit, secanda est vena in talo, quæ cum vtero, & venis ei proximis maiorem rectitudinem habet, & inferiorem regionem inaniunt. Quam doctrinam tradit etiam Galenus 2. *ad Glauconem cap.* 10. dicendo: *Ex vtero, v. g. retrahes, si cubiti venam secueris, aut sub mammis cucurbitam admoueris, aut manus calefeceris, fricaueris, aut ligaueris, deriuabis autem, si quæ in poplite sunt, aut malleoli venas diuiseris, cucurbitas femori admoueris, crura calefeceris, fricueris, & ligaueris*: Et addit: *Atque si dextra vteri pars laboret, sanguis ex dextra manu, & crure deducendus est, sin læua, ex membris ei directè respondentibus.* Si verò menstruæ euacuationis tempus instet, quando incipit inflammatio vteri, secanda vena in talo. Idémque faciendum, si quod fluctum in vtero iam sit nimium, aut quia impetuosè natura transmittit, aut quia tardè vocatus fuit Medicus. In hoc enim casu non habet locum sincera reuulsio, quia quod impactum in vtero est, vrget, & quod in venis proximis abundat similiter, nunquam quidem intensæ inflammationes simplicem reuulsionem indicant, quia incrementum susceperunt, sed euacuationem, & deriuationem requirunt, quod tantò indicatur magis, quantò minus in parte superiori continetur, quod ad vterum possit transmitti; continetur verò minus, quò fluxit plus in locum patientem.

Difficilius est, num liceat venam tali secare, si gerens vtero corripiatur hoc malo? Respondeo affirmatiuè; nam cùm mortale sit ex propria natura, & non liceat per artem aliud auxilium congruum, adæquatúmve tanto malo applicare, nisi venæ sectionem, esset directè mortem matris, & fœtus inducere, cessare ab eo auxilio, sine quo vita vtriusque seruari non potest: neque enim sanguinis missio ex talo est directè aborsiua, testante experimento, eo auxilio non corrupisse fœtum, quia ob honorem vteri gestationem celantes, non semel, sed pluries sanguinis missionem ex talo sustinuerunt; nec Medicus directè intendit aborsum, sed matris salutem, quam sine tali auxilio assequetur nunquam. Quinimò cùm aborsus occasio grandissima sit vteri inflammatio, & magis si sit erysipelatis particeps, aborsum præcauet, quòd inflammationi medetur. Quòd vera erysipelas in grauida lethale sit malum, testatur Hippocrates 5. *aphor. text.* 43. dicendo: *Si in vtero grauida sit erysipelas, lethale.* Galenus in commento: *Quod enim existente in vtero erysipelate fœtus ex necessitate moriatur, manifestum est, siquidem febres acutæ aliquando sine inflammatione illum interficiunt, &c.* Fit ergo, quod si hoc malum ex necessitate est aborsiuum, & ex alia parte matri lethale, quòd venæ sectio, sine qua non sanatur, à fœtu impediri non possit, imò pro illo, & pro matre indicari. Dicit deinde Auicenna: *Et*

oporter

oportet vt fiat phlebotomia pedibus eius ad ſuperiora leuatis, & ipſa ſit iacens, & perueniat ad ſummum in extrahendo ſanguinem. Ratio primi eſt, quia ſi impediatur impetuoſus deſceoſus ſanguinis ad partes infernas, & fit reuulſio maior ad partes ſuperiores, & faciliùs, quia in magna copia extrahendus eſt, ſoſtinetur melius, minuſquè debilitatur, ſi iaceat, cùm neceſſariò laboret, ſi non iaceat ſe ſuſtinendo.

Commendat deinde Auicenna vomitum vt maximè conuenientem, quia non ſolum humores trahit in partem contrariam, ſed etiam euacuat impetuosè mouendo in regionem ſupernam. Addit: *Et quandoque eſt tibi neceſſarium, vt adminiſtres ſolutionem faciens, educens humores.* Quod præceptum non eſt multi vſus, quia ſemper medicamentum expurgans verſus vterum commouet, & rarò eſt vtile in internis inflammationibus, niſi quando iam feruor ſoppreſſus eſt, ceſſauit fluxio, & multa corruptio præceſſit in ſanguine. Quòd ſi in principio mali inſignis cacochymia monſtretur, euacuato priùs corpore miſſione ſanguinis expurgatio tentabitur. Eſt enim timendum, ne tota colluuies feratur ad vterum; ſemper tamen expurgatio tentanda ſecuriſſimis medicamentis, nimiæque conturbationis expertie: ſucci enim fluentes, ſi medicamento de nouo agitentur, impetuoſius fluent, & ſine dubio creſcent affectus.

Deinde tradit auctor medicamenta repellentia, reſoluentia, & quæ ſuppurant, ſi permutetur inflammatio in ſuppurationem. Aduertit tamen, ne vſus repellentium nimius ſit, aut quia nimis frigida, aut diutiùs applicata; lapideſcet enim inflammatio, aut prolixior reddetur curatio: eſt verò perniciosum acutos morbos longiores reddere. Conſtat verò repellentia applicanda eſſe in principio ſtatim à miſſione ſanguinis, eáque magis, aut minus frigida, prout ardentior, aut ſit particeps eryſipelatis inflammatio. Nunquam tamen tepidiora, ſeu minus frigida conueniunt, quàm ſi à partu, abortu, aut menſtruis ſuppreſſis inflammatio eueniet, cùm tota ſpes ſalutis in reuocatione menſtruorum, aut lochiorum purgationis collocetur, cui obſtat frigidorum vſus, denſando vias, & incraſſando ſuccos; niſi ob nimium incendium exſiccatus ſanguis denſetur, vt ſolet, & in grumos vertatur; tunc enim frigidiora concedentur; humida tamen cùm concretio à ſiccitate immediatè fiat, & à calore per accidens, & ad grumorum diſſolutionem, ſeu eliquationem, non eſt dubium calida moderatè, & humidiora competere; vt verò extinguat incendium concretionis occaſio frigida competunt.

Repellentia multa adducta iam ſunt pro aliis inflammationibus, quæ reſoluunt etiam, & ſupporant. Eſt commune, & vtile oxirrhodinum commune tepidum applicatum, niſi ardor nimius fuerit, aut decoctum plantaginis, poligonij, roſat. rubr. violar. oenuphatis, cum oleo roſaceo, & pauco aceto roſaceo: quòd ſi incendium moleſter, addantur in prædicto decoctu duo papau. cap. & folia hyoſciami, cuius oleum, vt à Mathiolo paratur, eſt optimum, aut leue cataplaſma parabitur ex hordei farina, ſucco portulacæ, & vmbilici veneris, cum puluer. nimpheæ, roſat. rubrar. & violarum, cuius erit frequens immutatio, ne exſiccetur, & incaleſcat. Tutus fotus eſt miſcere ſemper aliquid diaphoreticum, vt impediatur induratio apoſtematis, & penetrent frigida, vt in decoctis camemali, flores melilot. fænugræcum, & alia huiuſmodi. In augmento miſcenda ſunt reſoluentia, vt ſit horum vnica pars, repellentium duæ, reſoluit verò camemalum, melilotum, fænugræcum, artemiſia, iuncus odoratus, altheæ radices, & ciperi, & alia innumera, quæ repellentibus mixta in tertia parte augmenti conueniunt; ſed in æquali parte vigoris in declinatione ſola reſoluentia conuenionr, notando, ne ſint nimis calida ob nouam attractionem metuendam: iſti tamen docti Mediei reſoluentia applicare in vigore, etſi incendium moleſter, quod timentes triuiales perſiſtunt in frigidis, indurando materiam, retardando morbum, & infœcundam reddendo vuluam.

Similia medicamenta vuluæ applicantur interius, aut per ſyringam reiecta, aut in coitu applicata, aut recipiendo vapores, aut in balneo, præcipuè quando iam materiam reſoluere intendimus, & ſedare dolorem, & emollire ſuccos præaſſatos, & craſſos, vt ſi in decoctione maluarum, altheæ, & meliloti, ſchinanti, camemali, iunci odorati, artemiſiæ, ſeminis lini, vrticæ, fænugræci, ſedeat ægra, & valde foueatur vteri regio. In principio dicit Auicenna, ſedeat in aqua dulci commiata cum oleo roſac. quod genus remedij optimum eſt ad ſedationem doloris, aut reſoluendam materiam, parando decoctum pro balneo ex rebus diuerſis, iuxta iudicationem diuerſam, ob quod dicebat Paulus *lib.3. cap.64.* per totum morbi decurſum, & etiam inſeſſus vtiles ſunt ex decocto fænugræci, ſeminis lini, maluæ, artemiſiæ, & oleo.

Si verò induratum aliquid relinquatur, & in ipſa declinatione, ne ſchirrhoſum aliquid remaneat, ſequens peſſulus optimus parabitur. Recipe laudani ℥. ß. ſtiracis ʒ. ij. puluer. fol. matricariæ ʒ. j. croci ʒ. ß. cum axungia gallinæ, aut anſeris, fiat maſſa, & in cote, aut ſerico, aut linteo molli infra peſſuli applicentur. Eſt pro eadem indicatione Dioſcoridis auxilium, quod allet coquatur in vino, aut mulſa, adducto adipe ſuillo, aut anſerino, therebintinâve, vt malagmatis forma, hoc eſt, lentor fiat, & in peſſulum, vt præcedens applicatur.

Si verò ſuppuretur inflammatio, optimum eſt partem fouere hydrelco calido, deinde ſequens emplaſtrum parare, radicum altheæ, liliorum alborum ana ℥. j. ſeminis lini, fænugræci, ana ℥. ß. maceretur in decocto ficuum pinguium per noctem; deindè ebullient, & ℔. ß. mucilaginis coque, axungiæ gallinæ, anſeris, & medullæ cerui, ana ℥. j. ß. & adde gummi ammoniaci, & bdellij diſſolutorum in aceto, & æſſipio ana ℥. ß. farinæ ſeminis lini, fænugræci, & yridis ana ʒ. iiij. ex omnibus cataplaſma paretur, & applicetur calidum hypogaſt. ſuppuratione facta conſulerem, per quam partem tentet natura euacuationem puris; ſolet enim per aluum, per vrinam, & per muliebria; cuicumque parti applicanda ſunt detergentia, & abluentia, & cum attemperatione, ne exulcerentur in tranſitu puris, præſertim ſi perfectè coctum non ſit. Eſt inteſtinis vtiliſſima ablutio cum lactis ſero, & ſaccharo albo, aut rubro, aut rhodoſaccharo, aut mulſa diluta ex decocto hordei, & fabarum. Et ſi dolores vrgeant, ex lacte aſinino cum ſaccharo albo, aut violaceo veſicam mundant, & abluunt: lac ſeminis frigidorum cum aqua hordei, & ſaccharo, aut cum eodem lactis ſero, aut cum decocto maluarum, alchekengij, ſerapio violaceo, & ſaccharo rubro. Quod ſi pus halituoſum exiſtat, dabitur therebintina abietina lota in aqua maluarum cum puluere liquiritiæ, & ſeminis melonis. Vterus detergitur eiſdem, quibus inteſtina: & quia patitur vlcus neceſſariò, ſea laudat Metcatus lauare per ſyringam cum hordei cremore, & aqua aluminoſa; & ſi calor nimius ſentiatur, lauabitur eadem aqua aluminoſa cum aqua portulacæ, quæ etiam eroſionem impedit, deterſo vlcere narcotica conueniunt, & deinde quæ cicatricem inducant, & vterum firment.

Dolores ſolent ad ſe conuertere curationem, quos mulcet balneum adductum ex Pauli doctrina; fouetur etiam regio vteri oleo amygd. dulc. roſac. camemali, & de papauere, mica panis in lacte coquitur, & piſtatur, cui addantur ouorum recentium vitella, crocus, & flores camemali, & violarum, & paratur vtile cataplaſma, aut ſequens, quod eſt optimum. Recipe fol. hyoſciami,

hyoſciami, violariæ, ana m.ß.radic.althææ ℥. ß. florum nenupharis ℥. ij. coquantur in aqua decoctionis duorum capitum papauer. deinde pistentur, & traiiciantur per setaceum, & adde puluer. roſ. rub. & florum camemali, ana ℥. ij. puluer. melilot ℥. j. olei amygdalorum dulc. & axungiæ gallinæ, & anseris ana ℥. ß. croci ℥. ß. vitellis ouorum n. ij. misce. Si dolor vrgeat, immittitur oleum ex vitellis ouorum in vterum, cui g. iiij. opij addentur, aut lac tepidum iniicietur cum eodem opio, & fænugræcum bis lauetur in aqua maluarum, & tertio coquatur in aqua, & separato decocto adeps anserinus addatur, & liquentur ad ignem, & vbi frigida fiat, conficiatur pessarium, & butyro recenti illinatur, aut vnguento roſaceo, & populeo, cum oleo roſ. & opij g. iij. applicantur vtero, interius sumuntur etiam, quæ somnum concilient, de quibus latè diximus *cap. de phrenitide*, retrahuntur humores ligando brachia, calefaciendo, & fricando, vt Galenus dicebat, dummodo ex menstruis suppressis, abortu, aut partu malè purgatis non eueniat malum. Eadem indicatione applicantur cucurbitæ dorsi superiori regioni. Nec leue auxilium est hirudinum appositio, hæmorrhoidibus, attemperanda febris, cauendo semper quæ quouis modo moueant vrinam. Inediam in principio mali commendat Princeps, quod est præceptum commune in omni morbo ex fluxione. Addit, quòd prohibeatur aqua penitus, non quia vinum conueniat, sed quia quilibet potus fluxibiles reddit humores, & inde in primo die commendat omnimodam abstinentiam ab aqua, etiam quia in primo die est impetus maior fluxionis. Somnus moderatus, quia noxius omnibus inflammationibus interuenit: *Et habites* (inquit) *in domo boni odoris*; qui textus deprauatus est, cùm solæant fœminæ incidere in vteri suffocationem, & cum maximo periculo in enixis grata odorantur. Correxit *text.* Costeus dicendo: Et habitet in domo boni aëris, sit verò liuidus, si debilitas non obstet; tenebrosus enim intro reuocat succos, & lucidus extra, & sic ad cutem reuellit; quia verò plus dissipat, continentur debiles in tenebroso aëre. Clysteribus deponenda alui excrementa, sint tamen moderatæ quantitatis, ne opprimatur inflammatus locus ob intestinorum dilatationem à copia clysteris; erit tamen artemperans, & dolorem mitigans, vt si pates ex iure pingui cum vitellis ouorum, cum saccharo, & oleo amygd. dulc. aut ex lacte ptisanæ cum succo maluarum, oleo violaceo, butyro, & saccharo, & ob affinitatem luci patientis non est dubium vtilissima fore clysteria, si parentur ex decoctis tempore inflammationis idoneis; licet enim clysteribus repellere, attemperare, mitigare dolorem, resoluereque tumorem, & ad suppurationem conducere.

CAPVT IV.

De vteri strangulatione.

ETsi sint partes aliæ ab vtero, quæ ob principatum sui mortem breuissimam, & inopinatam fœminis possint inferre; nulla tamen in corpore datur tot malorum diuersitate, tôtque diuersitate tormentorum excrucians, vt vterus: habet enim, quia magnus in mole, alterandi potentiam, & quia grandes venas, & arterias, multásque participat, vitia corruptionis humorum per eas extendit, & seminat; in hoc excedit reliquas partes, quod semine sic subiicitur, vt ipsum semen tam variè, malignéque corrumpatur in vtero, vt pari efficacia ac venenum corpus alterer, & exitium minetur. Est etiam membranosa vulua neruis intersecta, ob quorum texturam, & quia membranosa, cerebro, & neruis analoga, & eum eis

A communicaus; hinc nulla pars princeps morborum vuluæ incommodum fugere potest, iecur per venas, per arterias cor, & cerebrum per neruorum surculos, & vt putant aliqui, similitudine substantiæ: nam etsi neruea non sit, accedit proximè ad neruos, quia membranosa; quanta autem vi propria mala ventriculo imprimit, nihil magis ostendit, quàm gestatio vteri, quæ etsi naturalissimum opus eius sit, illius appetentiam tollit, & passim deprauat tam validè, quia carbones, cinerem, lutum, & alia indelibilia prosequatur, vt alimenta suauissimæ nauseæ, vomitu, & cardialgia rarò non extorquet gestationis tempore toto, quin etiam hoc malignum inducit, nimirum nescire, nisi exitialibus morbis telæris proptiis machinari periculum: nulli cordi grauiores palpitatione, tre-
B more, atque syncope: cerebro demum dementia, furore, epilepsia, & carocho; ventriculo, cardialgia, intenso dolore, singultu, nausea, vomitu, & morbis antea relatis. Hæc verò mala in propriis partibus causas varias, & magnas requirentia seorsim tam facilè inducit, vt vel vnico sui morbo tot per consensum distribuat. Huius tam magni infortunij fæminis auctor est vulua, quæ semine, & sanguine menstruo corruptis, tam nobilibus partibus semper parat insidias, & cùm nesciat se nisi malignè, & vt venena corrumpi; sic ignorat vterus, nisi lethales, venenosósque morbos mediis illis creare, suam malitiam cùm celet in se, quia nullius nobilis actionis est auctor (potius destructor) exttaneæ partes ostentant, sine quarum
C actionibus nequit vita consistere: ad quid hæc omnia? dicetis, vt discatis ex eis, quanta symptomatum varietate affectiones hystericæ ornentur, eorumque teddatis rationem, & causas, quas si ignoretis, à dæmone potiùs quàm à vi naturali pendere credetis, vt sæpè imperiti putauerunt.

Inter symptomata verò maligna, periculosáque ex vteri consensu euenientia, non contemnenda est præfocatio. Sic enim per consensum cum vtero difficulter respirant, vt si laqueo strangulentur. Vnde Paulus *lib. 3. capite 71.* dixit: *Strangulatus vuluæ ad superiora reuersus est, quæ principalissimas partes in doloris consortium perducit affectio.* Auicenna verò in præsenti dicit: *Hæc ægritudo similis est Epilepsiæ, & syncopi, cuius initium est ex matrice*: Vt intelligatur, quid sit præfocatio matricis, seu vteri strangulatio,
D aut suffocatio, notate, quòd suffocatio sumitur propriè, & impropriè; est propria teste Galeno *lib. 4. Aphorism. comment. 34.* nihil aliud, *quàm interitus functionis propter defectum inspirationis ortus ex angustia alicuius instrumenti ex iis quæ seruiunt respirationi*, vt contingit in angina, pulmonia, pleuritide, suppuratione, aut aliis morbis quamplurimis vitalis regionis, seu thoracis. Ex qua Galeni doctrina nunquam suffocatio propriè dicetur, nisi orta ex morbo conformationis, seu compositionis, angustia scilicet ob coarctationem viæ, per quam aër ingrediendus est motu respirationis attractus, & propriè suffocari dicemus habentes impeditam viam ab aliquo corpore ad aëris ingressum, siue id fiat, quia clausa sit formationis defectu, aut quando laterà cauitatis concidunt compressa, aut laxata, siue quia ab
E alio corpore exttaneo occupata, obstructáque sit via ingressus aëris. *Suffocatio verò impropria est, quando respiratio læditur, vt vsui non satisfaciat.* Sæpè verò in hoc malo tam grauiter offenditur, quòd aut non appareat, aut paruissima sit, non quia debilis redditur facultas motiua, ratione cuius Thorax aut non mouetur, aut si mouetur, est tam debiliter, & per tam minimum spatium, quòd aut non percipiatur à Medico, aut absolutè deficiat, & inde vsui non satisfaciat ob paruitatem. Hoc verò quod est non satisfacere vsui, est velut ratio communis suffocationis propriæ, &

& impropriæ, nam qui paruissimè respirat, si vsui satisfaceret, non suffocaretur. Similiter quamvis aliquis magnam efficeret respirationem,& aër traheretur proportionali Thoracis dilatatione, si hoc motu non satisfaceret vsui, ita vt calor, & fuligines abundantia ad mortem deducerent, suffocatus periret cum magna respiratione,quia satis non fuit ad reiiciendam copiam corporum extraneorum,& mitigandum incendium.

De hoc igitur vtroque modo propriæ, & impropriæ suffocationis loquuntur Auctores *in præsenti capite*,non enim dicunt solum vteri strangulatione perire, quæ pereunt septo compresso, & angustiore reddita cauitate Thoracis, aut repletis viis respirationis malignis, & multis vaporibus eleuatis ex semine, & sanguine, sed etiam suffocatas fœminas ex vtero appellans pereuntes, quia vterus vitalem calorem absumens vaporatione maligna sic labatur facultas, vt mouere nequeat Thoracem,quamuis nulla obstructio in via aëris ingrediendi datur, nec aliquod respirandi instrumentum compressum, aut aliud vitium participans inueniatur. Bifariam igitur dicuntur vtero suffocari mulieres; aut quia recurrens vterus sursum comprimat septum, aut flatibus ab eo eleuatis illud tendat, & vias respirationis obstruat,quod est suffocari propriè. Aut maligno halitu vitalem calorem corrumpens, sic facultatem destruat, vt nequeat mouere Thoracem. In hac verò vltima ratione suffocandi notabitis diligenter, quod si ratione refrigerij cordis, & totius, non egeat mulier respiratione, nullatenus dicetur perire suffocata, quia vt Galenus testatur 6. *de locis*, *capite* 5. vbi summum datur cordis refrigerium, non est opus respiratione; sed sola motio arteriarum, & cordis satis est ad ventilandum pusillum calorem manentem: quod ergo dicuntur suffocari, ob inductam debilitatam facultatem respiratoriæ est, quando Thoracis motus non sufficit attemperare, & ventilare calorem, & fuligines cordis; nam ex hoc tandem prouenit fuligines crescere, & inde calorem, sicque repleri pulmonem, & ventriculos cordis, & tandem verè suffocatos perire ob extraneam corporaturam.

Deinde notabitis, quod quando de vteri strangulatione loquuntur Auctores, non solùm comprehendunt illo nomine difficultatem respirandi ob vteri vitium inductam; sed etiam multa alia grauissima symptomata, vt deliquia, syncopes, tremores, & conuulsiones, cum sensus, & motus defectu: rarò enim quando sic turget volua, vt suffocationem inferat, non associat sibi plura alia symptomata ex dictis, & interdum lethalia magis, quàm suffocatio ipsa, & inde intelligetis Auicennam dicentem: *Quòd hæc ægritudo est similis epilepsiæ, & syncopi, cuius initium est ex matrice*, hoc est, propter suffocationem, quam vt inseparabile signum causat; assimilat etiam strangulatam fæminam eis, qui patiuntur epilepsiam, & syncopen, quia cum vteri strangulatu molestant etiam epileptica, & syncopalia accidentia, éstque expressa doctrina Galeni *lib.9. pharm.c.*10. dicentis: *In vteri suffocatione contingit sensus, ac motus priuatio, & pulsus obscurus, parnus, & penitus interceptus; in aliquibus verò tum sensus, tum motus adest, itémque ratio, veriùm vix respirant, aliquibus etiam non intercipitur vox, aliis contrahuntur artus, &c.* Quam doctrinam repetit *6.de locis,cap.*5.vbi docet diuersas esse species suffocationis vteri desumptas ex varietate symptomatum superuenientium suffocationi. Auicenna verò celebriorem exponens, dixit esse similem epilepsiæ, & syncopi. Eustachius verò *lib.* 2. *practic. cap.* 51. sigillatim,& frequentiùs, quæ eueniunt, enumerans symptomata varia patientium hunc morbum;hæc autem symptomata ordine hoc vtplurimum fiunt; nam primo nausea quædam, & dolor stomachi à vapore viscera, & ventriculum adoriente mouetur; cùm tamen rarò succedit vomitus notatu dignus, sed saliuam solùm

A euomunt, si in stomacho, aut capite humiditas sita sit, sæpéque tædium quoddam, & cibi fastidium interdum cum ventris rugitu, nonnunquam citra suboritur, vapore ad Thoracis partes delato, respiratio breuis, & crebra velutì compresso pectore fit, postea dum cor incipit obsidere, leuem interdum animi defectum inducit; quo tamen vix pulsus immutantur: deinde metus, & desperatio ægram concutit, vt sæpè certò interituram putet, fauces deinde inuadens, eas manu præcludere videtur, & spiritum prorsus intercipere cum magno suffocationis metu. Vbi verò cerebrum conscenderit, aut furorem vterinum cum loquacitate, ira, & inquietudine mouet, aut alia desipientiæ genera metus, horrorisque plena; interdum artus contrahuntur, nonnunquam verò quasi soporem quendam inducit, quo
B mulier corruens velut attonita iacet,sensu,& motu deperditis, & respiratione, ita vt sensu abolita, vt mortua ab imperitis esse credatur; sed tamen pulsus interdum constat, & validus est;interdum verò adeò paruus, & obscurus,vt ne percipi quidem possit. Hactenus Eustachius, qui omnia signa retulit huic malo frequentiora; & superuenientia: éstque miranda certè causæ huius mali potestas, quæ cùm vnicum signum essentiale tantum obtineat, difficilem nempè suffocantem respirationem, tanta, tamque varia inducat superuenientia symptomata: Est discors opinio auctorum de morbi natura tot inferentis symptomata, nec minus de causa tam valida,quæ discordiæ sigillatim exponendæ sunt.

C.

CAPVT V.

De morbi natura in vteri suffocatione.

SEd quis detur morbus in vteri strangulatu, difficillimum est; & in primis reiicienda est doctrina Platonis, quam etiam damnat Galenus 6. *de locis, capite* 5. Putauit enim vuluam, seu vterum velut quoddam animal esse per corpus aberrans, cum sic, & humiditatem quærens huc, & illuc mouetur; vnde comprimendo septum transuersum, quando sursum ascendit, respirationem reddit difficilem, paruam nimirum, & crebram, quia septum liberè moueri non potest distentum
D ab vtero. Hanc distensionem reiicit Galenus *loco citato*, non quia vterus aliqualiter moueri non possit, sed quia repugnat tam violenter ascendere, vt comprimat septum: quando negat ventriculum ascendere posse, confitetur Galenus; est enim firmiter alligatus ventriculus naturalibus: *nam si aliquid* (inquit Galenus) *ascendere videatur, id perexiguum est, nec sufficit ad hoc, vt totum ipsius fundum, ne ad ventriculum quidem ascendisse ostendat, tantum abest, vt hunc prætereundo, ad septum transversum pertingere possit.* Ratio sumitur ab experimento: nam etsi aliquis conetur magna vi sursum mouere vterum, nullatenus deducet ipsum vsque ad ventriculum ob ligamentorum resistentiam. Ex qua doctrina Galeni, vt improbabi-
E lis censenda est opinio dicentium, vteri strangulationem causari ex morbo vteri in situ, quia sursum ascendens comprimat septum: quam tenent quamplurimi Auctores; & eam damnat Galenus, quia magnam distensionem patitur vterus in grauitate, & nunquam visum est, quòd septum comprimendo, prægnantem stranguler; ergo neque ex recursu ad superna, neque ex distinctione nimia, si comprimi septum potest, vt ob difficilem respirationem vitæ inducatur periculum. Est etiam ventriculus septo vicinior, & si impleatur, distendatúrque magna ciborum mole, comprimit septum, vt crebriorem reddat respirationem, non tamen tam difficilem, vt suffocet; multò ergo minus comprimetur ab vtero magis

distanti, etsi nimis tumesiat; quod exitio hydropicorum confirmari non minus efficaciter potest, in quibus tam magnè intumescit venter, & nihilominus non respirant tam difficulter, vt videantur strangulari. Et inde Galenus 6. *de locis, capite citato*, concedit histericam passionem fieri aliquando in sua sede collocato vtero.

Est etiam reiicienda opinio dicentium esse morbum in distemperie frigida vteri: nam cùm Galenus, & omnes Medici fateantur semen, & sanguinem putrefieri, quando hoc malum causatur, tepugnat esse causam idoneam huius frigiditatis, cùm putrescentia calidiora reddantur: tum etiam quia in hydrope vteri datur frigiditas maior, & rursus si pituita vitrea molestetur, in quibus morbis nullatenus datur suffocatio vteri, nec tam maligna congeries symptomatum, vt in histericis experimur.

Omissis verò aliis modis dicendi, mihi est dicendum, quòd non semper sit vnus morbus, à quo causentur accidentia essentialia huius mali; quòd vt intelligatis notate, quod anteà retulimus, nempè esse duplicem sortem difficultatis respirationis in hoc malo: vna est, quando parua redditur respiratio ob septi compressionem, quo tantò malignior agnoscetur, quantò plus viget cordis incendium, aut minus remittitur calor eius: alia difficultas respirationis est, quòd deficit, aut absolutè, aut quantum ad Medici sensum, quæ non dicitur propriè suffocatio; nam sic affectæ non pereunt, quia respiratio sit necessaria, eò quòd calor tam extinctus est, vt sola occulta transpiratio arteriarum, & cordis satis sit ad ventilandum pusillum illum calorem manentem, cum quo conseruatur vita: pereunt ergo; quòd sic distemperetur cor, quod præ frigore ponatur dispositio incompossibilis cum forma.

His suppositis notabitis rursus, quòd licet ad difficilem respirationem ob vteri morbum innatam non sit necessarium, quod aliud symptoma complicetur, tamen Auctores sequuti Galenum 6. *de locis, cap. 5. & 9. de compositione, pharmacor. capite* 10. nolunt appellare vteri suffocationem quamcumque difficilem respirationem ex dictis, sed requirunt etiam, quòd cum illa respiratione difficili complicentur alia grauia symptomata, vt deliquia, syncope, conuulsio, deliria; aut saltem si hæc non consumentur omnia, detur tamen malignorum accidentium initium, & quædam propensio; non itaque appellant Medici histericam affectionem quamcunque respirationem difficilem ob vteri morbum, nisi complicentur simul maligna symptomata, quorum ex mente Eustachij iam mentionem fecimus. Est enim histerica suffocatio, vt ipsum nomen indicat, non simplex passio, sed complicatio quædam ex accidentibus histericis, & læsione respirationis: hoc ex Galeno deducitur *locis iam citatis*, dicente: *Ego verò cùm viderim multas mulieres histericas, alias sine sensu simul, & minimum habentes pulsum, aut omninò apparentes sine pulsu, alias sentientes, & cum motu, & ratione nihil læsa deficientes in animo, & difficili respiratione, alias autem contrahentes artus, innense plures differentias histericarum passionum*, &c.

Ex dictis deducitur conclusio nostra, nempe in hoc malo semper dari morbum à tota substantia, seu venenosum, non tamen semper ipsum solum sufficere ad producendum symptomata, quæ in vtraque specie suffocationis histericæ dantur: quod detur morbus malignus, ex eo colligitur, quia tot, & tam grauia symptomata vt in histericis dantur, non possunt in aliam causam probabilem reduci; quis enim probabit, & credet à portione parua corrupti seminis totum corpus infrigidari, & ob insignem corruptionem spirituum vitalium sensus omnes deficere, pulsum auferri, aut reddi paruissimum, respirationem ita ob-

A scurari, vt imperceptibilis fiat, vt à defunctis ferè nihil distet histerica, nisi, vt Galenus putat, discursu assequamur, dari magnam vim immutandi in paruissima mole, quod est proprium venenosarum causarum, necnon humor in vtero detentus calore, aut frigore in corpore toto tam insignem virtutum destructionem causabit, cùm nec per febres ardentes, aut passiones hydropicas, in quibus in tanta copia causæ succrescunt, tot dentur symptomata, vt tam inopinatè euenientia; itaque ex ipsa grauitate, & varietate accidentium, & quia subitò eueniunt, apertè colligitur, non ab alia causa, quàm à venenosa, & maligna relata accidentia creari; id tradit Princeps *fen. 21. lib. 3. tratt. 1. c. 36.* dicendo: *Et secunda est ægritudo naturalis cum eo quod facit procedere materiam retentam ad duo membra prin-*
B *cipalia ex vapore malo venenoso: quare accidit res sicut Epilepsia, & syncopis, & quantum hac ægritudo est fortior syncope, quia tunc antecedit syncopi, sicut debilius antecedit fortius.* Idem tradit inferius addendo rationem, cur in commotione partus non dentur hystericæ accidentia; dicit enim. *Enim ipso non procedit vapor venenosus ad membra principalia, &c.* Et Galen. 6. *de locis, capite* 5. non alia ratione, quàm à simili ex venenis desumpta concludit, nihil esse mirum, si vitiatum semen, & sanguis menstruus cùm retinetur, & putrescit in corporibus, vt afficiantur idoneis, grauia inferant accidentia.

Quando ergo menstruus sanguis, aut semen corrumpuntur malignè; aut etiam venenum æmulantur, à so-
C lo morbo totius substantiæ causatur histerica suffocatio impropria, cum accidentibus requisitis ad illam, non ad refrigerium illius, syncopen, aut deliquia, aut ablationes respirationis, & sensuum omnium defectum; sola alteratio maligna est satis, nec aliter causat relata accidentia, quàm absumendo vitales spiritus cordis, & animales cerebri, & cùm in hac specie præfocationis nihil aliud detur, quàm omnium actionum ablatio, aut diminutio insignis, & defectus hic, aut diminutio ex sola resolutione vitalis spiritus possit oriri, ideò solùm morbus à tota substantia sufficiet, vt eueniant prædicta accidentia: vnde meo videri illa species suffocationis matricis, quæ respirationem sic destruit, vt non nisi per speculum, aut aqua plenum appositum vas innotescat, syncopis hi-
D sterica potius dicenda est, quàm præfocatio, eò quòd in illa sic destruitur vsus ob summum cordis refrigerium, quod non sit opus respiratione, vt docuit Galenus; & cùm omnium virium sit tam insignis destructio, & subitò fiat, est non dubiè præceps virium lapsus, per quem definitur syncope.

Alia verò species suffocationis histericæ, in qua propria datur respiratio intensa, & ob defectum respirationis, aut paruitatem sentiunt mulieres verè præfocari, non potest causari à solo morbo totius substantiæ, nam ad eam requiritur aut oppressio septi transuersi, aut cordis ventriculos obstrui corporatura vaporum, & vitium manis sit in instrumentis respirationis à corporatura, & compressione vaporum, quàm diminutionis
E à qualitate eorum maligna; & inde quia non ita diminuitur vsus, apponitur verò magnum impedimentū ad liberè respirādum ob distensionem septi, ob oppressione cordis suffocantur propriissimè, quia ob defectum respirationis intereunt, aut periclitantur; in specie notabisis, plus peccare vapores in copia, quàm in qualitate maligna, & inde non absumuntur spiritus in tanta copia, & quantitate, quod diminuatur respirationis vsus tam valide, vt sine respiratione viuere possint; obstruuntur itaque, & occupant respirationes, & comprimunt instrumenta eius plus quàm alterent, & absumant spiritus. Et ideò hæc differentia, aut propria vteri suffocatio frequentius causatur à sanguine menstruo detento, quia hic minus malignè corrumpitur, quàm semen. Illa verò species

suffocationis

suffocationis impropriæ, in qua velut mortoæ, & fine respiratione apparent, ex semine prauè corrupto, frequentissimè originem trahit: quod quia in minori quantitate datur quàm sanguis, & malignius illo corrumpitur, redditur ad alterandum efficacissimum velut venenum, & ita potens ad obstruendum, & comprimendum instrumenta respirationis, quia hoc sine magna mole non fit; & ideò secundam speciem suffocationis impropriæ frequentissimè causat, vt sit comparatio corruptionis sanguinis menstrui ad corruptionem seminis in malignitate, vt comparatur maligna putredo puncticularis febris ad pestilentem.

In impropria ergo suffocatione matricis solus morbus totius substantiæ resoluens spiritus sufficit ad causandum symptomata. Si verò propria sit suffocatio, solus ille morbus non sufficit, sed requiritur alius, à quo coarctentur instrumenta respirationis, & occupentur viæ, quia sine illo propria suffocatio non datur, & quia morbus hic erit necessariò conformationis, aut compositionis, & à sola qualitate causari nequeat; ideò non sufficit morbus totius substantiæ, sed alius conformationis, aut compositionis requiritur, vt constat ex definitione suffocationis adductæ ex Galeni doctrina, dicit enim: *Nil aliud esse quàm interitum subitum ob defectum respirationis ortum ex angustia instrumenti alicuius ex his quæ respirationi deseruiunt.* Vnde qui putant vterum non posse sic ascendere, vt comprimat septum tam validè, quod periculum suffocationis inducat, vt Galenus docuit, tenentur asserere, eleuari magnam copiam vaporum, & comprimi, distendique septum; cor etiam vaporibus obrui, vt periculum suffocationis existat; hoc, vt anteà dixi, rarissimè euenit ex semine detento ob quantitatem paruam. Contingit ergo ex sanguine menstruo, quia vt in maiori copia datur, implere cor potest, & saptum distendere, & quia minus malignè corrumpitur, non sic absumi spiritum vitalem, vitalémque calorem, vt non fit respirationis necessitas, & inde suffocatio inducatur, semen verò ob contrarias rationes histericam syncopem potiùs quàm suffocationem creat. Estque Galeni doctrina *lib. 6. de locis affectis, cap. 5. citato.*

CAPVT IV.

De causis huius mali.

Galenus *loco citato* recenset sanguinem menstruum, & semen, has enumerat frequentiùs, nam à flatibus fieri constat, quia ex frigidis occasionibus, à quibus distemperatur vterus, creatur quotidie huiusmodi malum. Quod & indicat morbi solutio, cessat enim multis reiectis ructibus, & calidis carminantibus. In quem sensum dixit Hippocrat. *7. Epidem. text. 66.* plurimi histericarum flatus; verùm à causa non excitantur maligna symptomata, sed solùm flatulenta distensio vteri, & hypocondrij, à qua septum compressum promptè moueri nequit, & inde difficilis fit respiratio, simplex enim flatus à refrigerio eleuatus cùm nullam inducat qualitatem malignam, histericorum symptomatum causa esse non potest. Addit Augenius contra Galenum, non solùm ex sanguine menstruo, & corrupto semine, sed etiam ex alio quouis humore malignè corrupto fieri posse, quod negari non potest, nec id negauit Galenus, sed adduxit frequentiores causas. Constat verò, satis non esse, quòd sanguis, aut semen detineantur, & abundent, nisi corrumpantur malignè, vt tam grauia causentur symptomata; multis enim menstrua supprimuntur, & longissimo tempore, quin experiantur accidentia histerica, & multæ castè viuentes similiter, & quamvis seminis abundantia non minus viros molestet, quàm fœminas, non tamen proinde tam fre-

A quenter incidunt in accidentia maligna, quia semen virorum est calidius, & siccius, & sic minus aptum putredini, sempérque detinetur intra vasa spermatica absque adhæsione alicuius partis, à qua malignè corrumpatur; in fœminis verò aut in vterum pellitur, aut illi approximatur naturaliter, à quo corrumpi potest malignè, cùm sit velut cloaca corporis, & ratum sit sordidis excrementis repletum non esse contagio inquinantibus semen; præterquam quod viri ob multas causas plus seminis absumunt, quàm fœminæ, & inde minus in eis redundat; & cùm sit duplex causa histericorum symptomatum, sanguis menstruus, & semen, & vtraque fœminas vexet, viros non nisi vna, rarius opprimuntur malignis accidentibus, aliquando verò Galenus fatetur *6. de locis, cap. 1.* & Auicenna

B *in præsenti cap.*

Cùm dictæ sint causæ immediatæ; possunt tamen esse aliæ plurimæ, occasione quarum semen, & sanguis menstruus redundet. Sic frigus densando replet occasionaliter; idémque præstat siccitas, vt hic Auicenna notat; densat enim, & vasa coarctat, sicque replentur, quia non dissipantur: in quem sensum interpretari potest Hippocrat. *lib. de morbis mulierum*, vbi vteri suffocationem vt causam histericæ strangulationis trahit, sic obstructiones vasorum vteri eundem effectum præstant, & alia quæcumque adstringentia, quia poros occludunt, & menstrua remorantur.

Est verò duplex dubitatio ex dictis; nam cùm asser-

C tum sit, requiri in sanguine, & semine corruptionem malignam ad causandum hoc malum, inquiritur primò, cur tam frequenter hæ duæ substantiæ corrumpantur malignè. Secundò dubitatur, cur semen malignius putrescat, quàm sanguis? vt hic Auicenna tradit, & est ex Galeno desumptum *6. de locis citato.* Vt autem dissoluamus hæc duo difficilia, notabitis id quod passim Galenus docet, calida nempè, & humida corpora esse paratiora ad putredinem, eo quod sint, & habeant symbolam naturam cum causa putrefaciente, quæ calida etiam, & humida esse tenet. Vnde cùm sanguis, & semen talem sortiantur natiuam temperiem, erunt per consequens ad putredinem paratissima, quod supposi- tum cùm sit tam commune, & consentaneum rationi, mirandum est, cur negetur à nostro Magistro *lib. de la-*

D *cis affect. disp. 66. cap. 4.* cuius hæc sunt verba: *Non ego legi apud Galenum, aut aliquem alium auctorem antiquum, qui efferat, sanguinem, & semen ex propria natura, aut mixtione habere dispositionem, vt facilè corrumpi debeant, &c.* Sed contra est, quia cùm corruptio hæc per putredinem sit inducenda, & hæc innadant facillimè corpora calida, & humida, vt millies testatur Galenus, taliáque sint ea natiua temperie semen, & sanguis, erunt per consequens ex propria natura, & mixtione taliter disposita, vt corrumpantur facilè media putredine; nam aliud est corrumpi, aliud putrefieri, cùm non omnis corruptio fiat media putredine, & sed Magister de putredine dubitat.

Omissa verò ratione Veigæ Lusitani quantum ad facilitatem corruptionis, quam satis doctè impugnauit

E Magister loco citato, notate deinde, quod non controuertitur de omnibus corporibus in communi, sed solùm de succis in corpore inuentis. Cur (inquam) sanguis, & semen malignius, quàm alij succi, aut humores putrescant, & rursus cur semen malignius, quàm sanguis. Respondet Vega de mente aliorum *6. de loc. Affect. c. 4.* quòd res, quò perfectior est, quando corrumpitur, permutatur in deteriorem naturam, nam cùm quidlibet à contrario corrumpatur, & optimo contrarietur pessimum; hoc est, quòd semen, & sanguis sunt optima in nobis, si corrumpantur, abeant in naturam pessimam, & malignam. Hæc doctrina improbabilis est: Primò, quia sequeretur semper putridum sanguinem in malignam corruptionem degenerare; & inde nullam

febrem deteriorem ex humoribus fore, quàm ortam à sanguine, quod est contra Galenum appellantem mitissimas febres pendentes ex sanguine; & Hippocrates *in Prognost.* ex vrina subrubra, & subrubro sedimento securissimum morbum præsagit. Sequela probatur, quia si sanguis præ cæteris humoribus, quia perfectior, maligniùs corrumpitur, sæuiora inducet symptomata, & incoctibilior, inemendabiliórque reddetur, tum etiam sequetur fructuum viuentium intra nos corruptionem deteriorem esse, quàm sanguinis, & seminis. Constat, quia sunt substantiæ perfectiores. Est ergo falsa maior suppositio adducta, nempe res perfectiores per corruptionem necessariò mutari in malignam aliam substantiam; nec valet ratio: id contrariatur optimo: ergo erit pessimum; nam cùm corruptio cuiusque rei possit fieri per excessum cuiusque qualitatis contrariæ, & non per quamlibet qualitatem producatur eadem res, ad corruptionem sanguinis non sequetur produci semper malignum liquorem, cùm variæ res possint produci: & constat clarè, quia in generatione corrumpitur semen, & in nutritione sanguis, & mutatur nihilominus in perfectissimas substantias.

Dicendum ergo est, quòd non semper quod corrumpitur sanguis, corrumpitur malignè, cùm contrarium manifeste constet experimento, cui Auctores innixi prædicant morbos pendentes ex sanguine securiores esse, & salubriores. Nec obstat, quòd Galenus 6. *de locis*, *cap.* 4. maligna accidentia referat ad sanguinis grumos sequuta, animi nempè defectum, calorem pallidum, pulsus paruos, frequentes, & debiles, & laborantem ipsum cum anxietatibus resolutum; non obstat itaque, quia ex eis solùm corrumpitur aliquando, vt venenum possit corrumpi, quod nos fatemur; non tamen quòd semper malignam corruptionem acquirat; sanguis concretus enim vim veneni participat ob summum frigus, quo corripit spiritus: infert enim eadem symptomata, ac frigida venena, & eisdem auxiliis curatur. Guarinus *fol.* 50?.

Neque obstat, quòd Galenus reddens rationem, cur tot, tam grauiáque mala sanguis putrefactus afferat: dicit, an sanguis, cum omnium, quæ sunt in nostro corpore, maximè nobis sit familiaris, ex vasis suis effusus tanti mali Auctor est; nam vt putredo partium, & mortificatio ipsum sequi solet. Quibus verbis insinuat, ex eo tot symptomata sequi, quod corrumpitur quod est nobis familiare: Vnde cùm semper sit talis sanguis, semper corrumpitur modo maligno, aut ratio Galeni inualida est. Respondetur, quod in primis verbis solùm intendit sanguinem posse corrumpi malignè, & sic posse esse tot symptomatum auctorem; quòd verò extra vasa effusus aliquando partes corrumpantur, & mortificentur, dependere potest ex familiaritate; nam contagium, & infectio faciliùs inducitur in naturis similibus, quàm in dissimilibus. Primæ verò qualitates non recipiuntur faciliùs, quòd ab hoc, vel illo agente producantur; nec enim sanguis faciliùs calefacit carnem ob familiaritatem, quàm aliud quodvis agens eiusdem virtutis. Corruptio tamen, & putredo terminata ad dissolutionem modi substantiæ faciliùs inducitur inter symbola, & similia, quia in modo substantiæ conueniunt, seu minùs distant, & sic contingit inter sanguinem, & carnem.

Sed adhuc vrget, quod Galenus confitetur 6. *de locis affectis*, *capite* 1. maiora, aut grauiora symptomata causari à putrefacto semine, quàm à sanguine menstruo. *Visum* (inquit) *mihi est longè maiorem ex detento semine, quàm menstruis noxam corporis euenire posse*; quod non videtur aliam habere causam probabilem, nisi quòd substantia perfectior sit, & sic corrumpatur maligniùs. Respondetur, quòd causari accidentia grauiora necessariò arguit maligniorem causam; tamen quòd corruptio prauior sit, non pendet ex maiori perfectione, sed ex aptitudine ad illam. Quod vt intelligatis, notate, non posse in mea opinione aliquid alterari malignè, vt operetur à tota substantia sine mutatione formæ substantialis; nam si sanguis in naturali statu non continet potentiam à tota substantia operantem, vt hæc sequatur, requiritur substantialis mutatio in nouam formam, cui debeatur ea facultas; & cum inter entia naturalia detur aptitudo maior, vt hoc transmutetur in illud, potiùs quàm in reliqua mixta, hinc potest oriri, quòd corrumpatur semen, & sanguis maligniùs, quia cum certis mixtis habent analogiam maiorem, & semen habet illam cum substantia prauiori, verùm cùm in viris etsi semen corrumpatur, non experiamur tam grauia accidentia vt in fœminis, neque tam frequenter putridum, est non procedere totum malignitatis exordium ex promptitudine materiæ, sed etiam conducere multùm vteri conditionem, & naturam, & excrementa, quæ in ea nascuntur regione; quod inde deducitur, quia sanguis intra alia vasa corruptus non causat tam frequenter accidentia maligna, vt quæ in vtero, aut vasis est proximis, computrescit. Similiter semen per corruptionem in viris non acquirit tam prauam naturam vt in fœminis; vnde colligitur, in vtero, aut regione illi proxima esse danda excrementa maligna, velut illi regioni congenera disponentia etiam grauissimè menstruum, & semen.

Putrefieri ergo facilè semen, & sanguis, pendet ex natura calida, & humida; malignè putrescere, ex aptitudine, vt per corruptionem mutentur in mixta magnæ naturæ, & à tota substantia operantia; quod verò semen corrumpatur maligniùs, quando cum prauioribus mixtis, vt ait Galenus, habet analogiam maiorem, hæc non sunt satis, etsi non semper quod corrumpuntur, putrefiunt malignè; sed adesse oportet excrementa parua illi regioni analoga, à quibus tam malignè disponantur, vt in venenum mutentur. Est enim regio illa satis humida, & calida, & inter intestina, & vesicam locata, irrigata, indefessa excrementorum colluuie, redolentiáque grauiter ex propria natura, & ita nihil mirum in ea regione semen, & menstruum malignè corrumpi ob aptitudinem propriam, & conditionem loci. Est etiam probabile, quòd semen corrumpatur maligniùs, quia humidum magis, & minus terreum quàm sanguis, & inde paratius ad recipiendam maligniorem putredinem, cui quod terreum est, resistit plus, vt resistit putredini.

Hæc doctrina videtur mihi probabilior, quàm adducta à Magistro *loco citato*: dicit enim, quòd accidentia grauiora, quæ causant semen corruptum, non fiunt, quia corrumpatur maligniùs, sed quia cæteris paribus ex parte agentis partes seminales, vtpotè similiores corrupto semini, patiuntur magis, quarum actio est valdè necessaria, & ita symptomata apparent maiora. Sed contra est: primò quia grauiora symptomata, ob quæ magis periclitantur histericæ (ne dicam omnia) ferè pendent ex consumptione spirituum vitalium, qui neque ex semina fiunt, nec habent analogiam cum illo, sed si habent aliquam, est cum sanguine ipso, ex quo generantur; vnde ex eius corruptione nascerentur potiùs accidentia grauiora, præsertim cùm cor non seminale, sed sanguinolentum existat, ex cuius damno totum ferè insurgit periculum. Cor itaque, septum, iecur, & Pulmo carnosa sunt membra, & sanguinis analogia: & inde si ratio Magistri probaret aliquid, paterentur grauius à menstruo, quàm à corrupto semine, præterquam quòd, vt dixi, ad receptionem qualitatum primarum non datur dispositio maior respectu vnius, quàm alterius agentis, licèt ad receptionem alicuius qualitatis occultæ possit concedi, ad quam potest esse vna pars magis quàm alia disposita.

Mutatio

Mutatio ergo requisita ad causandam suffocationem histericam, debet esse putredo, inquit Magister; & tradit Galenus 6. *de locis*, *cap. 5.* dicendo: *Nihil mirum, si vitiatum semen, aut menstruum cum retinetur, & putrescit, corporibus vt afficiantur idoneis, grauia inferant accidentia*, &c. Qua doctrina statim se offert dubitatio, qua ratione tam validè refrigerentur histericæ, si vapores sunt frigidi, cùm sit calida omnis putrida causa, & præcipuè quæ in forma vaporis alterat. Fatetur tamen in hoc Galenus, respirationem omninò cessare in histericis ob insignem refrigerationem cordis, & totius meritò, cuius non est opus respiratione. Nec valet, si dicas à vaporibus putridis vitales spiritus destrui, ad quorum defectum tantum frigus ab interno producitur: sed contra est, quia si fuligines causantes spirituum corruptionem sunt à prædomino calidæ, B & calore corrumpunt spiritum, etiamsi deficiant isti, non producetur frigus ab interno principio, quia adsunt fuligines spiritibus calidiores. Respondetur, quod si hoc argumentum aliquid probaret, quando euenit syncope ob summum incendium febris, non infrigidaretur viuens, cuius contrarium experimur. Dicendum ergo est, quòd vapores causantes syncopen, non sunt in vniuerso corpore, sed in corde, vt malè affectum non generet spiritus, & cùm resoluantur statim, qui erant per totum disseminati, incipiunt infrigidari partes ab interno principio, quia eis non est applicata causa corrumpens spiritus, & tandem frigus ita intenditur ab interno principio, quòd non solùm partes reddantur tam algidæ, vt experimur, verùm C etiam extinguunt calorem fuliginum, sic quòd totum infrigidetur extremè: sunt etiam fuligines non minus quàm spiritus exhalabiles, & deficiunt facillimè, si non fiat continua earum productio, hæc verò deficit deficiente transpiratione per pulsum, vt fit in syncope, quia suffocantur spiritus remanentes, & ipsæ fuligines, nec adest calor, à quo putrescat aliquid de nouo, & sic non eleuatur fuligo. Omitto etiam esse probabile, posse spiritus corrumpi à venenosa qualitate, quòd sit eum forma eorum incompossibilis, licet nihil tollat qualitatum cannenientium spiritibus, quia malè disponere non pendet ex ablatione alicuius debiti, sed eo quòd fit repugnans per propriam entitatem formæ substantiali, vt es se disponat ad aliam nouam formam, sicut bene disponere solùm consistit in conuenientia certa qualitatis D cum forma substantiali, quamuis nihil tollat de qualitate repugnante, vt si nuda materia disponeretur, introduceretur forma, quin aliquid repugnans tolleretur; in qua doctrina non fiet corruptio per productionem caloris necessariò, sed per qualitatem venenosam, & huius doctrinæ ratio à priori est, quia ad quod est dispositio adæquata ad hanc formam, potest esse partialis ad aliam, cui partiali si adiungatur alia partialis, cum qua resultet totalis ad nouam formam, inducetur hæc forma, quamuis partialis adueniens non destruat aliquid præexistentis partialis; nam ad corruptionem huius formæ satis est addi, quod cum praexistente dispositione facit nouam sigillationem ad nouam formam, quamuis præexistentis nihil destruatur, & sic se E habere potest venenosa qualitas in ordine ad gener. tionem venenosæ substantiæ. Hæc solutio habet hanc difficultatem, quia qualitas, quæ oritur post formæ productionem, non p test esse dispositio antecedens ad illius formæ generationem, ita verò se habet qualitas occulta; pendet enim eius esse à productione formæ, cuius est actiua potentia, aut talis potentiæ affectus, vt calor qui à pipere producitur, post eius actuationem nequit disponere ad formam eiusdem piperis, quia hanc præsupposuit, vt resultet ab ea vis, seu facultas occulta, qua post actuationem producitur calor: quæ doctrina est notanda maximè, vt probemus venena non corrumpere nos per occultam qualitatem, sed calore, aut frigore, aut alia qualitate ad formam nouam disponente.

CAPVT VII.

De signis huius mali, eorum causis, & varietate.

Signa significantia hoc pernitiosum malum traduntur à Principe *fen. 21. lib. 3. text. 4. cap. 17.* & nos retulimus antea ex Eustachio, satisque sunt aperta; quod verò difficilius pendet ex explicatione tantæ varietatis signorum, non solum in diuersis fœminis, sed etiam in eadem, quinimò in eadem numero accessione, tam varia, & stupenda accidentia fatigant, quod nisi à dæmone fieri posse credatur. Constat verò ex dictis & communi auctorum doctrina, esse duas species celebres huius mali; vna in qua difficilis respiratio molestat cum aliis accidentibus histericis; alia, in qua velut mortua fœmina apparet sublata omninò respiratione cum paruissimo pulsu, cadauerosa facie, & frigiditate summa: ante verò quàm malum molestet, innumera accidentia percipiuntur, vt deliquia animi, suspiria, vociferationes, turbata mens, dentium stridor, membrorum vestigationes variè, & inopinatè euenientes, subitòque cessantes; interim tam violenter brachia contrahuntur, quod insuperabile pondus velut arundinem sublevent, dilacerantes simul quidquid sibi fit obuium; sæpè etiam velut epilepticæ apparent, non rarò catochio mudo afficiuntur, aut crura contrahuntur violenter, aliæ soporantur, aliæ furore capiuntur, tristantur aliæ, & interdum tam validè spina conuellitur, vt arcus imaginem corpus præ se ferens, sic occiput approximetur calcaneis, vt omnem vim naturalem tam violenta contractio videatur excedere. Tanta itaque, tam miraque est accidentium varietas, vt nullum sit imaginabile symptoma huius mali atrocitatem effugiens, nam præter dicta, & cordis palpitationes, & tremores molestant eis iam facies tubet, iam viuidum calorem deperdit, ore contorto emanat saliua, & in tanta afflictione sudoribus inundantur, nauseant, euomunt, genituram emittunt, interdum etiam & stercora, & lotium, vt pulchritudo, & elegantia fœminea, stercoribus & cœno inuolutæ detegant miseriam earum, suaque ingenua timiditas & natiua verecundia sit mali ferocitate in vecordiam mutata.

Summa itaque ratione mirantur auctores de tam mira varietate symptomatum, & conantes illius rationem reddere, ad tres fontes reducunt. Est itaque prima radix diuersa putredo. Secunda variatio in qualitate causæ corruptæ. Tertia multitudo, & varietas partium compellentium cum vtero. Ludouicus ergo Mercatus *lib. 2. de morbis mulier. cap. 2.* quem etiam sequitur Magister noster *lib. de locis affect. disp. 66. cap. 5.* vt certum putant dari putrefactiones specie diuersas, quin & Magister putat se id alibi euidenter monstrasse. Vnde quia semen, & sanguis possunt putrefieri varietate specifica, non est mirum, diuersa oriri accidentia, nimirum, vt causa est putredo, sic diuersitas eius est putredo. Nullibi inueni hanc demonstrationem; suaderi tamen potest ob diuersam naturam veneni in puncticulari, & pestilente febre reperta, quæ non aliunde, quàm ex diuersa putredine ortum trahit, ob quam rationem in febribus putridis non contagiosis tale venenum non datur, quòd sit putredo diuersa; confirmari potest etiam ex eo, quòd si corruptis rebus per putredinem disponatur materia, erit diuersa in specie, quando sigillatur ad formam differentem specie.

Sed hæc non satis monstrant assertum, imò contra illud stat argumentum, quòd omnis putredo definiatur

eodem modo à Philosopho, quod non posset effici, si in suo conceptu formali possct specie differre, & cùm omnis putredo agatur præternaturali calore in humido, non est vnde constet diuersitas, præterquam quod si putredo terminatur ad qualitatem secundam, quam esse ignotam fatetur Magister, inde constat illi differre specie vnam ab alia, nam effectua per se intenti à naturali agente semper sunt similes, vt calor semper primò calefacit, deinde attenuat, raritatem inducit, & tandem reddit leuiorem, & hæc semper operatur ex se; vnde cùm putredo semper fit interitus natiui caloris ab extraneo calore in humido, semper inducetur similis qualitas, cùm semper ab his causis teneatur produci. Accedit, quòd accidentiū diuersitas in diuersam speciē putredinem redacta reduci potest non minus in intensionem maiorem, aut secus; nam si in doctrina horum Auctorum per varietatem solam in quantitate cum eadem putredine oriuntur diuersa symptomata, ita sub eadem quantitate, cum intensiori tamen putredine erunt diuersa accidentia; nam vt operandi potestas crescit per causæ extensionem, sic etiam augetur per intensius principium in eadem quantitate, quod in bona Philosophia dubitari non potest.

Nec adductæ rationes pro contraria sententia probant satis intentum; nam cùm putredo non sit adæquata dispositio pro forma introducenda, potest determinari à natura per alias dispositiones partiales differentes in specie ad nouam receptionem formæ, etiamsi putredo semper sit eiusdem speciei, vnde oriuntur etiam existente simili putredine diuersæ qualitates venenosæ, eò quod generentur diuersæ formæ substantiales, quibus debeantur qualitates venenosæ diuersæ. Nunquam enim in mea opinione resultat per putredinem venenosa qualitas absque productione nouæ formæ substantialis, cuius sit passio venenositas illa; vnde accidentium varietas reducta à dictis auctoribus in diuersam putredinem reducitur à me in diuersam formam, cui debetur venenum diuersum; quod stare rectè potest cum eadem putredine in specie, eo quòd aliæ qualitates, quæ sunt quamplurimæ in mixtis, sint diuersissimæ in hac materia putrida ab eis, quæ sunt in alia. Constat verò adæquatam dispositionem ad nouam formam resultare ex productis de nouo, & præexistentibus in materia, & ob istas præexistentes frustrantur passim agentia naturalia naturali fine, & intento, resultando nimirum innumera mixta non intenta per se ab agente disponente materiam.

Quod verò materia vtero occurrens, quando menstrua supprimuntur, aut semen abundat, sit diuersissima, probatione non eget, cùm sanguis suppressus sæpè culpetur sola quantitate, frequentiùs verò vitiosus existat, aut quia biliosus, aut melancholicus, aut pituitosus, serosus, flatulentus, & sortis tam variæ, quinimò nullus humor, etsi naturalissimus, sincerus est, sed suo sero constat sua parte pingui, aërea, & alimentosa, & alia terrestri; multum etiam differt semen à sanguine, & semen à fœmine, & inde summa datur in materia varietas, vt indicibiles formæ, & venena resultant; quibus si anxietas excrementorum variam naturam, & vim, quibus frequenter sordescit vterus, & sunt corrumpentia prædictas materias, tantam varietatem facilè admittes: loci varietatem, in quo celebratur corruptio, accusat Mercatus, non quod locus aliquid conferat consideratus seorsim, & vt continens corrumpendam substantiam (sic enim improbabilia diceret) sed cum loco intelligit etiam excrementa certo loco velut adnata, quæ & varia esse possunt, præsertim in vtero fœminis assueta cloaca adhuc inculpata salute. Ex quibus constat & ex parte materiæ, & ex parte efficientis, variæ corruptionis occasio, & accidentium diuersorum origo diuersa.

Quod verò quantitas maior, aut minor corruptionis materiæ conferat nimis ad varietatem symptomatum, non eget Magistro. Pauca nempe materia nec est in altetando tam potens vt multa, nec per totum sic potest distribui, vt partes diuersas simul molestet: quæ igitur pauca est, vterum, & septum, primamque regionem afficere poterit; non verò cor, nec cerebrum, & inde deficiunt cordis, & cerebri symptomata, vt molestabunt sub multa. Tertia causa putatur varius consensus partium; habet enim vterus cum partibus omnibus principalibus communionem perspicuam per neruos, venas, arterias, & membranas, seu tunicas vesicæ, & ventriculo proximus, & cum hoc in venis communicat, & magis cum iecore. Vnde prout contingit partes principaliores aliquam contraxisse dabilitatem, coguntur recipere excrementa ab vtero expulsa, & distributa per ipsas, si consentiente ventriculo vomitus, nausea, inappetentia, flatulenta distensio, cardialgia, aut singultus molestat: septo verò consentiente, quod opprimatur à flatibus, aut vt putant alij, à recurrente vtero difficulter respirant, & suffocantur si cor afficiatur, per arterias palpitat, tremit, linquitur animo, & syncopizat, infirma palpitat, & tremit, si flatibus opprimatur, & repleantur ventriculi, & corporatura læditur plusquam veneno; deliquia verò eueniunt contraria ratione, quia nimirum plus offendatur veneno, quàm corporatura, vt dissipato vitali calore deliquia, & syncope eueniunt. Vbi verò extrema fit consumptio spirituum, & vita adhuc durat, respiratio occultatur, aut deficit absolutè, quia cessat finis illius, vt Galenus nos docuit: fit etiam in hoc euentu debilissimus pulsus, tardus, & rarus, & sæpè occultatur, totum æget extremè, cadauerosa redditur facies, vt sit controuersum, an viuat.

Cerebro compatiente varia magis eueniunt symptomata, quod sit auctor rationis, sensuum, & motuum; sic epilepticis molestatur insultibus, quòd irritentur membranæ cerebri (aut ego opinor sine irritatione aliqua, quod ad motum conuulsiuum irritari non egeat, cap. *de epilepsia* probaui) indicibiles eueniunt, & variæ motiones; modò enim conuelluntur brachia, modò os contorquetur; iam occiput calcaneis annectitur; conuulsis violenter musculis partis posterioris, modò vnicum brachium contrahitur, quòd in eo latere maligsè irritetur; iam pars cerebri posterior afficitur, & catocho modo afficiuntur apertis oculis velut attentè inspicientes: modò pars anterior offenditur magis, vt velut lethargicè dormiant: sæpè varia loquuntur, & cum furore delirant, quòd ad animam magis, quàm ad corpus vergant humores, esto vergere ad animam, distemperare cerebrum, vt munus rationis deprauetur; vergere verò ad corpus, obstruere, & corporatura potiùs quàm distemperie esse molestos. Sic varia eueniunt symptomata breuissimo spatio, quòd multa sit causa, & validum cerebrum, pugnans quippe egregiè contra causæ perniciem, variè se concutit, & modò dextras magis, modò sinistras partes exagitat, & vibrat violenter, & ab hac in illam cerebri partem expellens humorem eueniunt inopinatè, & breuissimè accidentia tam varia, vt subitò sentiat, & subitò aut ferocia detur, aut mœsta iacet; deinde concutiatur sensu; & motu priuata, reiecto nimirum à cerebro humore in partes proximas mens redit, & sensus, deinde recipere cogitur quod ad alias partes transmisit, & redeunt noua accidentia, & fortassè diuersa, quòd non afficiatur eodem modo, vt antequam pellaret, & velut in pugna tempestuosa, velut mare agitatum variis torquetur accidentibus.

Tot igitur symptomata oriuntur, quia cor, & cebrum principalius patiuntur; reliquæ verò partes etiam molestantur, vt iecor, ventriculus, & quæ sunt vtero proximæ; hæc enim non solùm inquinantur vaporibus, sed retractione à compressione vteri dolent;

vterus

vterus ergo iecur molestat per venas, nec minus ventriculum, cor per arterias, cerebrum per neruos, etsi principalior consensus in membranacea natura potius consistat, non enim est tam neruosus, vt membranaceus, vt Galenus docuit 6. *Epid. sect.* 1. *comment.* 2. Iam verò docuimus 6. *de locis*, c. 5. semen efficacissimum esse ad maligna inducenda symptomata, quod corrumpatur malignius: vnde histerica suffocatio deliquiis, syncopi, refrigeratione nimiæ copulata, spermatica potiùs quàm sanguinea putanda.

Si quæ diximus, teneantur memoria, non erit difficile diuersorum symptomatum reddere causam. Cur verò tam magna sequatur frigiditas, explicuimus antea, in quam reducunt auctores deficientem respirationem; nam cùm instituta sit à natura ad attemperandum cordis incendium, & expellendas fuligines; hæc verò deficiant sub tanto refrigerio, non est opus respiratione, sed solus motus cordis, & arteriarum satis est ad ventilationem exigui remanentis caloris. Pulsus verò ad Medici sensum deficere potest, absolutè non potest, nisi breuissimo tempore, de quo *cap. de Apoplexia* abundè diximus. Quando verò difficilis redditur respiratio, & angusta, quòd parua sit, & crebra, pendet ex septi oppressione, si retractus vterus eo modo quo potest, ad supera per continuitatem comprimat septum, aut distendatur flatuum multitudine. Si verò magna fuit anhelosa respiratio, non septi oppressio, sed oppressio ventriculorum cordis censenda; respirant nempè vt asthmatici magnè, & crebrè, quia nullum instrumentum respirationis læsum percipitur, sed sola cauitas, in quam ingreditur aër, redditur minor oppleta vaporibus; hinc viget visus, & calor vitalis obstruitur, & opus est respiratione maiori, quinimò vt tussi reiiciuntur, quæ asperam arteriam molestant; sic magna, & velut suspitiosa respiratione, & vehementi compressione Thoracis conantur depellere, quæ cordis ventriculos obstruunt.

Tandem notabitis, quòd etsi verè dictum sit semen, & sanguinem putrescentia esse originem tanti mali, vt Galenus docuit, non videtur tamen repugnare quòd corrumpantur, & vim acquirant veneni absque putredine aliqua. Ratio est, quia cùm non sit putredo causa, aut dispositio necessaria ad corrumpendum quodlibet ens, vt non quodlibet generatur per putredinem, poterit quænis ex dictis substantiis corrumpi sine antecedente putredine, & in venenum mutari: quodlibet enim à suo contrario corrumpitur: est verò contrarium cuicumque mixto excessus cuiuslibet qualitatis primæ; & cùm excessus siccitatis, aut frigoris, aut humiditatis ad putrefaciendum idoneus non sit, corrumpent tamen dubiè fine intereecta putredine semen, aut sanguinem. Auicenna *cap.* 16. sic loquitur. *Et fit conuersio eius, quod retinetur ad frigus secundum plurimum, & propriè cùm accidit, quod in radice sit frigidum, & addit ei spissitudo, & soliditas, frigus, aut ad frigus putrefactionem, & parum est.* Quam doctrinam sequitur etiam Gentilis *in comment.* dicendo: *Ista quòd adhuc vt fiat putrefactio, non est necesse quòd semen putrefiat, sed sufficit quòd infrigidetur, & solidetur.*

Nec mihi probatur doctrina Magistri putantis, semper putrefieri prædictas substantias; & Auicennam interpretatur, quòd per frigus præparetur semen, aut sanguis ad putredinem, quia densat, & spissat illas substantias, sicque ventilari non possunt. Contra quam expositionem exclamat textus, cùm dicat esse parum, id est, rarum, quòd quando infrigidatur, aut sanguis & semen densitatem, spissitudinemque contrahunt, putrefiant: constat enim quòd res infrigidata, & pro frigore iam concreta resistat nimis putredini, non enim solùm in primis qualitatibus, sed etiam in modo substantiæ se opponit putredini; hæc enim calefacit, & laxat, vt patet. Dixit etiam Princeps, quòd sit conuersio illa ad frigus secundùm plurimum in hoc malo: constat verò hunc modum inducendi putredinem, infrigidando scilicet, & solidando, spissando verò substantiam putrefaciendam non solùm non conuenire secundùm plurimum, sed esse infrequentem, cùm sit per dispositionem repugnantem per se putredini.

Ne tamen puteris, me docere has substantias iam infrigidatas causare dicta accidentia frigore solo, cùm docuerim anteà esse morbum à tota substantia; sed quod assero, est, sanguinem posse corrumpi, & semen per frigus densans, & spissans, sicque mutari posse in venenum absque illa putredine; eritque tunc tam validi frigoris duplex principium, & consumptio spirituum à qualitate maligna, & postrema. frigiditas causæ, nec inferes benè à frigore solo sine qualitate maligna spiritus extingui; nam, vt putat Galenus, causa huius mali est in quantitate paruissima, potentissima tamen in viribus; vnde à tam distante loco trahere cerebrum, & cor in consensum, & non quomodolibet, sed exitiosis, & intensissimis accidentibus à nullo nisi à veneno fieri potest, quod indicat vteri hydrops, & aliæ passiones frigidæ totius, in quibus quia venenum deficit, tam grauia, & inopinata accidentia experta non sunt.

CAPVT VIII.

De curatione accessionis hystericæ.

Accessionis hystericæ curationem tradit Princeps *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 19. tentat multa, antequam adueniat ad remedia maiora; dicit primò: *Oportet, vt fundatur super caput oleum odoriferum confortatiuum, calefactum valdè, sicut oleum nardinum de been.* Dicit deinde, quòd fiat commotio in vulua cum facientibus pruritum mordicatiuis, & supponantur collyria prouocatiua, aut attrahentia, seu inclinantia matricem ad inferiora, vt galla, & oleo odorifero acuta, ad quæ declinat matrix, & imperat etiam suffumigia per partem inferiorem cum rebus optimi odoris. Est enim receptum ob omnibus, vterum benè odorata prosequi, & graueolentia, aut fœtida fugere, & quia in vteri suffocatione sursum retrahitur vterus, & comprimit septum, opponuntur inferius in collo matricis benè odorata, vt ad ea declinans vterus non comprimat septum, & situm naturalem acquirat. Est in communi vsu apud Medicos imperare, quòd obstetrix, aut alia mulier tinctis digitis oleo liliorum alborum, in quo gallia, aut muscus, vel ambra sit dissoluta, os vteri fricet, & veluti titillationem causando reiiciatur semen corruptum, quo facto statim cessat accessio. Cuius auxilij mentionem etiam fecit Galenus 6. *de locis*, *cap.* 1. & 9. *Pharm. local. cap.* 10. & 2. *de sem. cap.* 1. & hoc est quod docet Auctor in præsenti, & quòd fiat scilicet commotio in vulua cum facientibus pruritum. Quod auxilium à Medico Christiano imperari non licet, non quia execratur materia generationi dicata, & nutritioni deseruiens, nam etiam sanguis hæc obtinet, & est ipsius seminis materia, & licet profligandi morbi gratiâ extrahere sanguinem. Præterquam quod semen corruptum est malignè in nostro malo, & ita ouque ad generandum idoneus, & est cum hoc auctor morbi mortalis, & sic potest excerni. Ratio ergo peccati consistit in excretionis modo, quia nimirum titillatio, & pruritus præcedunt, actio quidem indecens, solùmque destinata propagationi, vnde abutitur illa, vt ad expellendos morbos vt medium imperetur, quia est contra ordinem naturæ, vt constat, & incitata natura titillatione illa, manifesto periculo expellendi semen fœcundum velut in actu venereo, delectatione summa mulier exponitur. Non me later contrarium placitum à Thoma

Sanchez ruari *tom.2. lib.9. de matrimonio, disp.17.n.19.* & quampluriмos auctores idem auxilium imperare, quando hifterica suffocatio ex corrupto femine orta exitialia fymptomata & funefta caufat, fed fequendi non funt; eftque non dubiè incerta cognitio, nam à femine ea accidentia contrahunt originem, cum poffint à menftruis corruptis pendere.

Hoc igitur fupponendum eft medicamentis appofitis vtero abfque aliqua confricatione, quæ & odorata, & calida fint; conteruot enim valde, cuius rationem inferiùs tradlemus; aft diligentar cauendum, na odor bonus feratur ad nares, & ideo cauendum, quando fuffumigia parantur ea rebus benè olentibus mulieribus applicata. Quòd fi periculum fuffocationis infter, & claudera nares videatur pericolofiffimum, optimum B confilium eft rerum graueolentium fuffitum per aerem cubitis affiduè diffemioari; fic auim optimi odoris perceptio impeditur, fic enim dicit Aoicenna: *Et fac eam sternutar., & odorare fœtida*: habent eoim fœtida duplicem vtilitatem; & quòd vterus fugiens ab eis relinquat fupernam regiouem, & inferius muucent, & quòd refo uunt malignos halitus cerebrum obftruentes, & diffipantes feptum; fteroutamentum verò putatur vtile fummè, quia concuffione illa commouetur materia, & expulfioni eius datur initium. Dixit eoim Hippoc. 5. *Aph. text. 35. Mulieri, quæ vterinis moleftatur, aut difficulter parit, fternutatio fuperueniens, bonum*, Galen. *in commento*: *Sternutatio eft bona, vt causa, quia eft huius paffionis remedium; nam vehementiori concuffu, atque feruore partim quidem natura excitat, partim vero excernitur, quæ a partibus corporis firmiter in. xi adhærent fic enim & fingultum folet fanare.* Laudatem pro mouenda fternutatione caftoreum, quod cerebrum roborat & partes neruofas: eftque graueolens, & refolutorium, cui tantillum euphorbij mifcebitur, aut ftaphidis agriæ. Addit Princeps: *Et fac adhærere inferioribus eius ventofas plurimas trahentes fanguinem, & matricem ad inferiora propriè fuper emunctoria, & coxas, aut fuper illud quod eft contrarium parti declinationis, fi fuerit declinatio, vt trahatur fanguis, & matrix ad inferiora.* His verbis commendat Auctor vtile, & communiffimum auxilium ad reuellendam acceffionem. Eft autem appofitio cucurbitarum in emunctoriis inguinum, ibi enim funt vtiliores, tum qoia proximæ D fatis vtero, tum quia applicantur partibus laxis, in quas fe deiecerat vterus, & funt capaciores, reuocant ad fa etiam halitus terreos, & trahuntur per vias capaciores, nempè per adenes. Vterus etiam inclinatur deorfum violenta cucurbitarum tractione, quæ etiam impeditur, ne tam promptè in cor, & cerebrum vapores afcendant. Et quando ob menftruorū fuppreffum caufatur occafio, fcarificatæ funt vtiliffimæ, quod prohibitum eft in faminis corruptione, & vbi flatuum copia turget vterus; cucurbita fupra vmbilicum pofita, incantamenti modo flatus euacuat, quibus extractis ceffat vteri tanfio, & fic facilius locum oaturalem acquirit: quo intellecto ceffat argumentum dicentium, cucurbitam vmbilico affixam obftare matricis defcenfui, quòd eam detineat in fuperiori loco; nam etfi hoc effet verum, confert nihilominus, quia euacuat potentiffimè caofam E retrahentem vterum, & fic fitum naturalem acquirit: poft ablationem caufæ conuellentis, & cucurbitæ dicit Auicenna, quòd fi vterus retractus videatur, ad partem finiftram applicentur inguini dextro, & è contra; timet enim, ne fanguis trahatur ad locum repletum, & fic ad contrarium latus illum inclinat; quod præceptum; vbi à flatibus fiat diftorfio, mihi non probatur, fed fecundum rectum. Eft etiam efficienda cucurbitarum appofitio, præcipuè fi ex corrupto femine caufetur occafio, aò quod immediatè euacuat ea loco magis, aut omninò patieori. Commendat deinde fricationes partium inferiorum, eundem effectum præ- A ftant dolorofæ ligaturæ, quæ ab eo imperantur, trabuot anim ex vifceribus fanguinam, & vapores corruptos ad partes infernas. Crurum diftractionem vituperat, commendando partium infernarum vnionem; fic enim vterus coalefcit magis, & viæ laxantor, vt defcendat femen, aut fanguis, & maior fit rafolotio eorum; in quem vfum commeodat fuffumigium ex auphorbio paratum, quòd habeat magnam vim refoluendi, & euocandi menftrua detenta. Dicit at enim *cap. 18. Euphorbium verò eft valde forte in hoc faciens defcendere menftrua ftatim.* Si imperantur ab eo carminantes clyfteres ad flatuum, & vaporum refolutionem, quibus mifcetur vtiliter aliquid expurgans, vt fuccorum colluuies minuatur. Sic verò relatis auxiliis non mitefcat acceffio, imperat infufionem olei feruentis fuper B caput, aut cauterizetur (inquit) finciput eius, fi non fuerit excufatio: hoc auxilium habet magnam vim ad diffipandos vapores malignos, fic obftruentes cerebrum, & fenfus fopientes, qood oihil fit moleftum, nifi tamen auxilium fuerit idonaum ad expergefaciendum ægrum; refoluens enim, & irritans reddeut fenfus, & mens. Conftat autem hoc auxilium cooenire folùm, quando alia irrita fuerint, & totum eft ioanitum perfectè, oe calore olei, aut cauterij multa copia trahatur, aut fi fit in cerebro, liquata à calora obftruat de nouo. Fuit hæc opinio Auicennæ, Simeonis etiam, & Iudæ, vt tradit Nicolaus. *Nifi conuertatur* (inquit Simeon) *cum hoc anhelius, fundendum eft fuper caput de oleo bullito, & combuftio fiat cum cauterio fuper me-* C *dio capitis, & noli timere.* Dicit deinde Auicenna: *Et quandoque euadit cum phlebotomia.* Miffionem fanguinis commendat Auctor; quandoque enim euadit cum ea, id verò conuenit, quando fuffocatio vteri à plenitudine ob defectum menftruorum duxit originem; nam quandoque ea corrupto femine nullus aufus mittere fanguinem: & proptereà dicit Auctor: *Quandoque*; quia noo femper conuenit. Confiliom Auicennæ fequitur Ludouicus Mercatus *lib.2.de morb.mulier.cap.3. Rarò* (ioquit) *prodeffe confpicimus fœtida odorata, & cucurbitas appofitas, imo obeffe plerumque folent. Quamobrem renocanda funt, fi periculum fuffocationis immineat fanguine miffo ex talo.* Idem tradit Euftachius *lib.2. cap.* Si malum (inquit) propter menftruorum retentionem D ortum fit, quia virtus tum temporis non propter refolutionem, fed propter fuffocationem fpirituum, & caloris, languet etiam, fi fyncope acto detineatur: attamen Galenum imitari debemus, & fanguioem quamprimum per fectam venam educere: extrahendus autem per venas inferiores, &c. fumpferunt ex Oribafio dicente: *Procede cum minutione ipfa hora ftatim, & requiefcet, fi fuerit ex retentione menftruorum; & intemperie infultus minuenda eft à cæna.*

Hæc doctrina intelligenda venit, fi in ipfo acceffionis infultu non detur fyncopis vera, & totom corpus calidum fit fine iofigni refrigerio. Appello fyncopen veram ortam iam ea confumptione fpirituum; non verà dico, quando nondum corrupti funt; propter oppreffionem tamen nequeunt influere, nec diftribui, & de E hac fpecie fyncopis intelligendus Euftachius, quamuis malè infinuet, per fuffocationem dari non poffe fyncopen impedientem venæ fectiooem; quod eft alienum à veritate, cùm per fuffocationem poffint verè corrumpi vitales fpiritus non minus qoàm per aliam quamlibet caufam, & conftat clarè ex fubita morte ob fummam plenitudioem nata. Quomodo autem diftinguenda fit fyncopis ab alia, docuimus latè in curatione fyocopis. Idem auxilium commendat Capibaccius *lib.4. c.10.* quod fine fundamanto aliquo Baredeus improbat, *tit.de morb.mulier.c.6.* eftque hìc transferēda doctrina à nobis adducta pro medela fyocopis. Diximus verò non conuenire hoc auxilium, fi ex corrupto femine oriatur occafio, quia nec materia antecedens, nec coniuncta indicat

indicat illud, & rarum est ex hac causa non dari syncopen veram, aut initium illius corruptis spiritibus à tetro & venenato vapore, totoque refrigeratur ocyssimè, & inde sanguine misso refrigerium intenditur, & confirmatur, completurque syncops. Vnde Auicenna cap. 18. dicit: *Et caue in huiusmodi dispositione phlebotomiam, imò administra excitantia caliditatem, & cura curatione syncopis.* Dixit optimè Iacobus: *Sperma fœminæ corruptum, vtplurimum est venenum frigidum, cui resistit sanguis, debilitat etiam valdè cor, & cerebrum, quarum partium debilitas augetur sanguine misso.* Cuius doctrina nostram confirmat asserentem non semper putrescere semen ad causandum hoc malum.

Tandem dicit Auctor: *Et caue, ne ei des vinum in potu, quàm aqua est ei conuenientior, & carnes grossas, & ea quæ addunt in carne, & spermate.* Non est contemnendum præceptum auctoris negantis vinum in hysterica suffocatione, videturque certè durum, nam si syncopis est tam familiare symptoma, vt vidimus, & nullum efficacius auxilium quàm vini potio ad subitò instaurandas vires, & harum defectus vincit quamcumque aliam indicationem, videtur irrationale vinum negare. Accedit quod ex Iacobo diximus, & est Galeni, & Auicennæ doctrina, corrumpi nempè semen fœmineum, & vim veneni frigidi acquirere, contra quod non potest non esse vinum antidotum, quia spirituosum nimis, & calidum, & roborans, quinimò Galeno 9. *Phar.* Agarici 3. j. in vino præbet ad auferendam accessionem, nec illud negauit Hippocr. Sed hæc ostendunt, in summa necessitate dandum esse, alioqui venenum putandum; habet enim vim commouendi venenum ipsum, seu semen etiam, & sanguinis eorrupti multam euaporationem causar, & caput ferit, vehendo secum quidquid euaporabile est, & etiam est odoriferum, nam nisi generosum conferre non potest in tanto vitium languore. Constat verò benè odorata certam perniciem inducere. Indè experimento probatur ad reditum huius mali vinum efficacissimum esse ob dicta: nec mibi probatur praxis Galeni, agaricum, & alia simplicia in vino præbentis, cum sint decocta conuenientissima omni carentia scrupulo, vt fortè decoctum caryophillorum, gingiberis cum semine rutæ, & tantillo castorei. Laudauit enim Princeps, vt mirabiles caryophilos, qui etsi odorati videantur, non ita euaporant, vt vinum ex dictis simplicibus mixtis; odor enim occultatur facillimè. Hactenus Auicenna pro moderatione histericæ accessionis.

CAPVT. IX.

Cur vterus graueolentia fugiat, & odorata prosequatur?

NOn parum torsit auctorum ingenia problema propositũ. Ratio difficultatis, est quòd vterus, vt contra Auicennam probauit Galenus, & docent vniformiter omnes, non est animal errabundum, ita vt sit animal in animali, vt Aretheus putauit: Sic enim crederetur facilè, suos habere sensus, & odoratorum suauitate allici posse, vt graueolentibus fugari; verum cùm pars corporis humani putetur, & sit tenera, vt careat olfactu, non videtur vnde procedat sic immutari diuersis odoribus, cum sit odor sensibile proprium olfactui soli dicatum, quo carens vterus odoratis immutari non potest; validissimè verò immutari negari non decet, si illicitum est experimenta negare: videmus enim sic immutari fœminas benè odoratis per nares perceptis, vt statim in deliquia, & syncopen cadant, sensu & mente priuatæ, carentes respiratione cum paruissimo pulsu, cui casui virtutum graueolentibus auxiliantur, suntque summum remedium, quo solo velut

A miraculo reuiuiscunt, vt dixi, quæ benè odoratis exanimatæ fuerunt.

Hanc quæstionem exagitat Magister noster *lib. de loc. affect. disp. 66. cap. 1.* vbi diuersa placita refert, & improbat. Solùm Horatij Augenij placitum sine impugnatione relinquit, nec illud refert, dixit tamen non placere. Est verè Augenij placitum hoc, nempè quòd graueolentia sensum olfactus contristant; putat enim cuicumque sensui dolorem, & tristitiam euuenire; vnde graueolentia quia ingrata, & molesta velut dolorifica sunt, & tristantia hominem, tristitia inducta retrocedunt spiritus, & sanguis ad sensuum principium intento quodam impetu, hinc vtero obuiam facti habent vim propellendi vterum ad partes inferiores, & quia calidi sunt spiritus, refrigerium vteri corrigunt,

B calefaciendoque malignos halitus dissipant, & laxant; similiter conducunt ad expulsionem succi, aut seminis corrupti, sicque prodesse tœtida naribus admota. Si verò benè odorantia olfactui applicentur, contrarius effectus sequetur; vis enim sensibilis cum spiritibus, & sanguine affatim mouetur ad obiectum percipiendum, & tunc relinquitur corporis centrum, seu viscera calore ferè destituta, quia mouetur ad partes superiores, inde refrigeratur vterus, & ascensus minimè impeditur. Cur verò benè odorata vtero applicata conferunt, dicit esse simpliciter vt benè odorantia, sed quatenus partes tenues habent, quibus calefaciunt vterum, & laxant, quam vim participant aromata omnia, ob quod dixit Galenus esse applicanda odorantia, non simpliciter, sed quæ laxare, & calefacere possint. Ex cuius Au-

C genij doctrina colligitur, non aliter odorata conditionibus dictis conferre, quàm laxando vterum, & vasa aperiendo, vt decidant substantiæ venenosæ in prædictis partibus accumulatæ, & inducentes histericam suffocationem.

Hæc doctrina videtur mihi improbabilis. Primò, quia si quilibet sensus patitur dolorem, seu tristitiam, vt ad maleolentia, quia contristant, sequitur retrocessus spirituum ad propria principia, & inde consequeretur suffocationi matricis eo modo, quo dixit Augenius: eadem ratione in obiecto gustum tristante, ob magnitudinem, & disconuenientiam cum nostra natura sequitur auxilium contra vterum suffocantem, quia fit retrocessus vitalis, & animalis spiritus ad intra, & per consequens sequetur similis ratio, & causa auferendi

D suffocationem. Secundò, quia Augenius non reddit rationem, cur vterus sursum ascendat applicitis naribus gratis odoribus; quod fatentur omnes: solùm enim dixit, quòd quia non tristatur infirma, nec sequitur retrocessus, non auxiliantur suffocationi matricis; nam quia spiritus mouetur ad olfactum, dum benè olentia percipit, sequitur refrigerium viscerum; & vteri, & ascensus minimè impeditur.

Sed contrà est, quia quando vterus quietus existit, sursum mouetur perceptis benè odoratis, cuius non redditur ratio ab Augenio, quod verò dicit, refrigerari vterum, quia ad iucundum sensibile mouentur spiritus, idem sequitur in iucundo gustabili, & in gaudio: vnde & ex perceptione saporis grati sequeretur vteri ascensus, & refrigerium, si ob gratum odorem nasceretur suffocatio

E hysterica, tum etiam quia quotidie experimur hoc malum creari ob tristitiam inductam, vnde tristari non videtur remedium. Est etiam improbabile quod dicit de causa ablationis mali per odorata. Patet, quia calefacere, laxare, extennareque humores, non minus conueniunt graueolentibus, quàm benè odorantibus: vnde si vterus non mouetur ad benè odorantia, sed prædictis operationibus putantur vtilia, erunt vtilia non minus graueolentia, quia eodem modo calefacere possunt, laxare, & aperire, & inde non confert magis applicatio benè odorantium, quàm fœtidorum in vtero ipso.

Magister

Magister noster loco citato opinatur commoueri versus bonos odores, & prauos fugere, quia participat vterus naturam valdè proximam, seu connexam cognoscitiuæ potentiæ odorom: quæ connexio communiter appellatur sympathia; non est tamen (inquit) propriè talis, & licet odores non sentiantur appositi iuxta vterum, versus illos mouetur, aut alios fugit. Quòd si obiicias, sequi ex eius doctrina, omnes fœminas casuras in suffocetionem bistericam perceptis bonis odoribus, quia in omnibus datur similis sympathia; hoc verò est contra experimentum. Respondet Magister, quòd quia in omnibus non est similis subordinatio quantum ad acutum, ideò histerica omnibus non contingit appositis odoribus optimis iuxta nares. Vnde fit (iuquit) vt licèt fibræ (vt dixi) sint similea aliis partibus, non contingat in aliis talis motus, quia non habent similem naturam cum vtero, & sic nec illis contingit subordinatio.

Sed obiicit sibi: Vterus non sentit odores; cur mouetur, si pruponantur infra; nam si per positionem intrinsecè vterus eodem modo se bebet, quia non sentit odores, non est cur moueatur ed bonos, & fugiat prauos. cùm non sit à quo determinetur, vt prosequetur, aut fugiet. Respondet, quòd licet vterus non percipiat odores, percipit tamen benè aliquam qualitatem tangibilem. quæ cum illis est coniuncta, propter quam fugit tetros, & prosequitur optimos: quòd autem sit illa qualitas diuersa, certò cognosci non potest, nec proprio nomine appellari.

Hæc magistri doctrina non apparet minus difficilis, quàm Augenij, & aliorum, quos ipse impugnauit, & cõtra illam hæ mihi se offerunt difficultates. Prima, quod si vterus fugit prauos odores & prosequitur bonos, quia in iis sentit conuenientem qualitatem tàngibilem, in prauis verò inimicam, parum refert habere vterum valdè annexam naturam potentiæ cognoscitiuæ odoris; ad quid enim, si odorem non percipit, & ratio fugæ consistit in perceptione obiecti molesti tactui, vt prosequutio in perceptione iucundi? Vnde infero, parum interesse, res graueolere aut benè, cùm non percipiatur odor, nec aliquid, vt talis conferat ad diuersas motiones vteri, sed tota, & adæquata occasio in qualitatem tangibilem reducatur. Secunda, si vterus prosequatur bonos, fugiat prauos odores. ergo si applicentur partibus inferioribus, & vtero praui odores, incident fœminæ non minus in histericam suffocationem, quàm si naribus applicentur benè odorantia. Patet, quia mouebitur sursum prauos fugiendo, vt mouetur sursum prosequendo gratos, si supra applicentur; hæc verò est contra experimentum. Tertiò argumentor vrgentissimè: si sensatio tactus, quæ determinat vterum ad varias motiones, esset necessariò manifesta, fœminis ipsis occultari non posset, si perceptio esset molestantis, aut grati. Vndè si vtero applicarentur bene, & maleolentia, quando benè valet fœmina, euidenter cognosceret molestiam graueolentium, & voluptatem odorantium, quod est contra experimentum. Et confirmatur, quia cùm tactus sit eiusdem naturæ in partibus omnibus, non solùm vterus eas qualitates perciperet, sed etiam reliquæ partes: vnde si vapor rei graueolentis manum pertingeret, perciperet qualitatem tangibilem molestantem, & gratam rei benè olaotis; hoc verò non fieri, vnusquisque poterit in se ipso experiri. Vlterius, quia incredibile videtur, vaporem rei bene odorantis naribus applicatom statim pertingere vterum; nam obiectum tangibile, præsertim secunda qualitas, non percipitur distans, sed immediata debet esse tactui; non enim est particularis potentia, qua deriuentur in vterum, nec via conspicua, per quam determinatè ad illum possint moueri. Nec rectè respondeas, si dicas ab vtero trahi, quia si hoc efficeret, non moueretur ad illos, sed eos alliceret ed se. Sic enim

A probauit Galenus, non ascendere vterom versus iecur, vt humectetur humido vtili, quia cùm habeat vim trahendi illud ad se, frustra concedaratur ille motus.

Deinde instat fortissime fuga graueolentium; hæc enim non trahet vterus, cùm fugiat ab eis; quomodo ergo applicentur vtero, vt eorum molestia sentiatur? qua potentia, aut qua via ex naribus feruntur ad vterum; deinde si quando syncopizat fœmina histarica, vt vtilitatem suscepit à benè odoratis vuluæ applicatis, quia sentit qualitatem tangibilem, quis dubitat eam qualitatem ad sui perceptionem vehementissimam esse, & inde efficacissimè percipi per bonam valetudinem. Patet, quia in deliquio, aut syncope non sentiuntur nisi vehementissima obiecta, cùm sensus tam validè stupeant: at in salute, vt antea notaui, nullo modo tales qualitates cognoscuntur: ergo non pendet

B ratio ex molestia, aut voluptate earum; & hoc tantò improbabile videtur, quantò odoreta quomodocumque non applicantur nisi in forme vaporis, qui in tanta obtusione sensuum immutare non potest, vt sentiatur in materia tam rara.

Præterea si hæc doctrina Magistri esset vera, nunquam conferret ad eleuandam accessionem histericam medicamentum odoriferum ingestum; quod contra communem praxim patet, quia si ad nares applicato medicamento benè olente mouetur vterus sursum, mouebitur etiam, si deuoretur versus ventriculum, & cor. Patet, quia ibi detinetur medicamentum, & alterabit non dubiè efficacius vterum quàm applicatum naribus, cùm distet multò minus: deinde si benè odorata applicarentur femoribus, incideret mulier in vteri descensum, quia sicut ascendit contra

C naturalem grauitatem, descendet facilius, cum ab ea grauitate iuuetur.

Deinde affirmare, quòd res boni odoris habent qualitatem tangibilem vtero familiarem, & res prauè olentes inimicam, est sine fundamento physico multiplicare entitates, & simul adstruere id quod ratione nequit probari. Vnde enim constat omnia entia mali odoris habere qualitatem tangibilem secundam vtero aduersam? est enim rerum graueolentium diuersa nimium primarum temperies, vt benè odorantium, & implicat habere easdem qualitates secundas, sed diuersas ferè, si nascuntur ex primis, & si modum immutandi tactum, quem habent qualitates secundæ, considere-

D remus, vt possint sentire, chimæricam esse Magistri doctrinam apertè cognoscemus; non enim nisi confricatione quadam percipi possunt, manendo tangibilia sub forma crassiori, & velut consistentia, non verò in forma vaporis leuissimi, qualem expirant benè odorata, aut malè olentia. Fateor ingenuè, difficillimum esse problema, nec minus, si assertio nostra dura videatur, cum non sit facile miraculorum naturæ ostendere causas, sed excutire in propositione rei nondum probabiliter adhuc illuminatæ.

Est ergo assertio nostra, vterum nec odores percipere, nec aliam qualitatem tangibilem, sed solùm subordinari olfactui in hoc opere, & sic sola perceptione bonorum odorum sursum moueri, & perceptis prauis odoribus fugere ab eis; ac per consequens si mulier priuetur olfactu, non compati vterum, aut non

E subordinari, sed immotum manere, & hoc habet peculiare hæc pars præ cæteris omnibus, quod nulla magis subordinetur huic sensui; & sic immutari plus. Constat verò esse diuersum pati, & pati per subordinationem: consensus enim non fit sine receptione alicuius de nouo, aut carentia aliqua: at verò pati per subordinationem, nihil intrinsecè requirit, sed solùm resultet ex positione alicuius rei extrinsecæ, cui subordinatur; sic appetitus sine receptione aliqua fugit molesta, & iucunda prosequitur, animalis facultas proposito imperio exequitur motum, aut cessat ab eo,

quia

quin per imperium aliquid recipiat: sic cor in passionibus animæ per solam subordinationem variè determinatur ad opera, vt in timore intromittat spiritus, & hoc subito modo, quem motum in tristitia causat, sed non subitò, sed paulatim; in gaudio è contra mouet, ad ambitum nempè corporis; in verecundia partim ad intra, partim ad faciem, quod peccauit verecundans in alterius præsentia. Deglutio alimenti non fit, si appetitus deficiat, suntque alia innumera exempla subordinationum in operibus sine receptione alicuius, & hoc idem in vtero contingere; sicque experimur, quod etsi graueolentia opponantur vtero, non eueniat histerica suffocatio, nec descendere vterum ad benè odorata inferius apposita, quinimò si odorata apponantur inferius, & ad nares perueniat odor eorum, statim læditur fæmina, quod non moueretur, si ad tangibilem qualitatem moueretur, cùm alteretur efficacissimè à medicamento vuluæ applicato, & nihilominus fugit ab eo, & sursum mouetur, quia ibi sentitur odor. Sic mulieres non odorantes non cadunt in histericam ab odoribus, & hoc experimento probatur, nec dormiens, etsi sufficiat, dummodo antequam expergefiat, eueniat odor. Sic tamen celeriter graueolentia auxiliantur, quia vt reducatur vterus, si potest produci, aliud non sperat quàm sensationem deterrimi odoris, sicque tam inopinatè, & subitò mulier sana in histericam cadat passionem, quia vt ascendat, nihil aliud exposcit quàm benè odorare, quorum euentuum tam subitò, & inopinatè euenientium, nulla causa probabilior quàm à nobis adducta, vnde sine olfactu non datur vteri commotio, nec aliud intendimus, quam in vteri suffocatione praua olfactu percipere, nec ad præcautionem aliud imperamus, quàm non olfacere optima: nihil itaque fit, nisi præcesserit odoratio.

Ex dictis inferò, quòd quando in accessione huius mali benè odorata applicantur inferius, non fit quia moueantur ad illa, eo ipso quod sint benè olentia, vt optimè putauit Augenius, sed id imperari à Medicis ex falsa opinione; nam cùm experiantur ex odoris boni olfactu sursum moueri vterum, & prauis odoribus vterum perceptis fugari, inde colligebant, ad odores bonos moueri, & sic conferre si vuluæ applicentur; nec puto vtiliora esse odorata, quàm mala, si easdem qualitates participent, quibus resoluant, laxent, & aperiant; hoc verò habent benè odorata, cuius ratione eliguntur, quod sint aptissima, & recreentur spiritus, & fiant de nouo, sicque conferre, cùm in hoc malo, quando vrget, detur eorum tanta consumptio.

Nec obstat, si dicas, semper quòd percipitur odor bonus, sequetur motus vteri sursum, quia si ad motum non requiritur aliud, nec vterus aliquid percipit, mouebitur statim, ac percipientur benè odorata; & similiter quando graueolentia percipiuntur, sequetur statim recursus vteri in proprium locum: neutrum verò experimur esse perpetuum, & inde sequitur aliud requiri vt determinetur ad motus diuersos; nam videtur impossibile non sequi motus illos semel perceptis odoribus, si per solam subordinationem fieret, cùm non deficiat facultas in fœminis benè valentibus.

Respondetur, hoc argumentum in qualibet opinione habere vim, soluitur tamen facile, quia non est in omnibus fœminis subordinatio æqualis; id verò dependet ex indiuiduali cuiusque naturæ, quædam enim non immutantur sufficienter ab odoribus ob sensum obtusum; est enim necessaria intensio certa cum sensatione olfactus, vt vterus immutetur per subordinationem, sicut non quodlibet obiectum timorosum immutat omnes æqualiter, nec tristabile, & vt experimur in aliis, statim subuerti ventriculum, & nauseare, ac percipiunt odorem putridæ rei, aut excrementorum; aliorum verò minimè, etiamsi odoretur res fœtidissimas, & hoc non potest reduci nisi in particu-

A larem cuiusque naturam, sic eodem modo in nostro casu philosophandum est, requiri nempe in olfactu, vt eis subordinetur vterus, certa perceptio odorum, siue sit in intensione, siue in alia indicibili re, sine qua non subordinatur vterus odorum sensationi: sic experimur dari fœminas, quæ etiamsi perpetuò odorentur optima, nunquam tentantur histerica suffocatione, quia nunquam datur in eis perceptio illa ad subordinationem requisita. Accedit etiam, quòd etsi moueatur vterus ad odorum perceptionem, non semper sentitur, sicut non sentimus compressionem ventriculi, aut dilatationem, quando amplectitur alimentum, aut illud reiicit iam coctum per pyloron, nec semper est facultas tam valida, vt sensibiliter illum commoueat, nec ligamenta magnum motum admittunt: quòd verò

B non semper sequatur fuga, aut recursus ad situm naturalem, quando graueolentia sentiuntur, pendet ex similibus causis, præterquam quod hæc frustrantur frequentiùs effectu, quòd applicentur in magno deliquio, aut syncope, sub quibus aut non sentiuntur odores, aut leuissimè, & inde non mouetur vterus; quòd si retractus sit ob plenitudinem, aut conuulsus à flatibus tendentibus illum, & ligamenta, constat inutilia esse graueolentia, quousque ligamentis laxatis, aut deposita plenitudine, consumptisque flatibus retrocedere possit.

Hic philosophandi modus probabilior mihi visus est, consta[t]que experimento, & auctorum doctrina dicentium, odorata elicere vterum, & fugari à prauis

C odoribus; nam cum loquuntur præcisè in quantum sunt odorabilia, constat loqui quatenus percipiuntur, nam nullo alio modo odorabilia immutant nos nisi vt sentiunt per olfactum, cui subordinatur vterus; nam si alia qualitate, aut modo immutandi determinaretur vterus ad fugam, aut prosequutionem, impertinens esset odor bonus, aut malus, vt contra Magistrum proposui.

CAPVT Vltim.

In quo succincta methodus traditur pro omnibus auxiliandi histericæ suffocationi.

D QVia nulla ferè auxilia in anteactis capitibus tradita fuerunt, sed solùm indicationes occurrentes huic malo, placuit vobis exponere medica auxilia auferentia accessionem: Est ergo primum consilium agnoscere, si semen corruptum, aut sanguis menstruus tanti fuerit mali auctor; cuicumque causæ conueniunt frictiones fortes, & assiduæ partium inferiorum, & dolorosæ ligaturæ, & cucurbitæ cum multa flamma, inguinibus, coxis, & cruribus affixæ, graueolentia applicanda naribus, & vtero odorata: sic Galenus 1. *ad Glaucon. cap.* 13. accessionis curationem instituit: *Et quæ etiam ex vtero laborant, atque exsoluuntur, non aliter curanda sunt, excepto oxymellite; fricare etiam, atque deligare magis pedes oportet, quàm manus,*

E *& sicut in multo effluxu cucurbitas mammillis imponimus, sic quibus sursum, aut in latus tractus est vterus, in inguinibus & coxis adhibentur, & naribus quidem ea quæ fœtidissimum odorem habent, vtero autem odorata, ea etiamque laxare, & calefacere possunt, medicamenta afferemus.*

Vituperat oxymel ob aceti acritudinem, & frigiditatem, quibus est vtero infestissimum; quod docuit Hippocrates 4. *de victus ratione in acutis, text.* 39. *Mulieribus* (inquit) *longè magis quàm viris aduersatur acetum.* Galenus *in commento*, omnibus partibus neruosis incommodum esse docet, quia summè penetrat illas ob eximiam partium tenuitatem, vterúmque acrimonia mordet, frigiditate distemperat, & siccitate infœcundum

cuodum reddit. Vellicatus vero vterus in fesa comprimitur, & hysterica accidentia causat; adstringit etiam, cùm nihil incommodius ad reieuandam accessionem. Sic quibus à partu purgantur, exitiosissimum est, aut menstruantibus, nam ob mordacitatem irritatus vterus, compressus in se per modum fugæ claudit orificia vasorum, & propriam cauitatem comprimit; Sicque lochia, aut menstrua supprimuntur, aut etiam adstringente vitnita, & frigore: sunt enim frigida inimica ossibus, neruis, dentibus, cerebro, & spinali medullæ, vt sectatur Hippocr. 5. *Aphor. text.* 18. est eadem ratio membranarum, & quia vterus membranosus nimis est, læditur nimium à frigore. Ex hac doctrina acida setapia per morbos febriles vituperantur pro, fœminis: sunt verò multæ, quibus acida infesta non B sunt, & vbi id constat, male priuantur acidis serapiis per febres malignas, quibus tam strenuè auxiliantur aohibendo putredinem, & id passim in praxi obseruo, præcipuè si nondum fuerint enixæ; non enim est consentaneum lædi per febres ab acidis, quæ per bonam valatudinem absque incommodo vllo eis vtebantur, cùm contra noxam eorum pugnet tam validè calor febrilis: non itaque indiscriminatim, vbi nimis agemus acidis, damnanda sunt, si citra noxam possunt præferri; nulla enim perpetua regula in arte, si à conditione indiuiduali sumatur, aut sexu.

Est tamen dignum consideratione, quòd Galenus præcipiat deligare, & fricare manus, quamuis minus quàm pedes; videtur enim hoc amethodum si sursum retractua vterus tam malignum morbum generat; nam per C brachiorum frictiones, & ligaturas sursum inclinabitur magis, & si quid transmittitur ad superiora, iuuabitur etiam. Nec valet, eas per frictiones, & ligaturas manuum extra euocari, quæ cor, & cerebrum obsidebant; per ligaturas verò, & frictiones crurum impediri ascensum ab vtero ad superna, & sic esse vtilas omnium extremorum frictiones, aut ligaturas: sed contra est, quia si semel fateamur, frictiones brachiorum ex vtero trahere ad partes superiores, non constat non trahi in maiori copia, quàm ad extra euocentur. Ob id mihi securius videtur, brachiorum frictiones, & ligaturas omittendas esse in principio mali, quousque omninò se exuneraueric vterus, quo tempore vtiles esse poterunt, quia iam non trahent aliquid D notato dignum, & retrahent ad extrema malignos vapores, cerebrum, & cor molestantes.

Non tradit Galenus missionem sanguinis pro moderanda accessione: iam verò diximus ex mente Auicennæ, & aliorum auctorum in suppressione menstruorum vtiliter aliquando imperati, nunquam verò conuenire in consormata syncope, aut si ex corrupto semine malum oriatur. Notant tamen Auctores gutrur exsiccari aliquando in hoc malo, quòd hálitus atrabiliarij, & exusti fauces & guttur resiccantes falsam anginæ speciem æmulentur, cui suffocationi corporatam etiam auxiliantur, ob quod symptoma non licet sanguinem ex venis superiorum partium educere, & emolliriona, lenitione, & moderato calore laxandum guttur, & E rasoluenda flatuosa substantia.

Fœtida applicanda naribus, vt sunt ruta, Galbanum, castoreum, sagapenum, sulphur, pili acerati, assa fœtida, peuaedanum, & alia infinita, quorum vapor per nates susceptus summè opitulatur. Præ cæteris laudat Mathiolus caluamentorum veterum fumom, vt sibi expertum, quod et summum auxilium tradit ad extrahenda animalia deuprata *lib.2.c.42.* dommodo noteris diligenter, na in magno periculo soffocationis ob oppressionem sepri constituta sit ægra, tunc enim fumus eleuatus nocious est, de quo diximus in curatione Pleuritidis: Naribus ergo tunc applicabitur medicamentum, quod citra ignem spiret ex se prauum odorem; illa enim insensibilis exhalatio corporatura nocere non potest, & conferet prauo odore, vt si ruta cum forti aceto contundatur, & puluere castorei irroretur, sicque applicetur naribus, aut sagapenum in aceto olfactum, vt docet Dioscor. *lib.3.cap.79.* suntque in hoc euentu secura sternutatoria ex castorro, & pitetro parata, aut ex castoreo, & modico ellebori, aut euphorbij, vel piperis.

Vtero accommodantur benè odorantia, cauendo ne peruenoiant ad nares, sed nullo melius præcauetur, quam apposito grauevlenta suffumigio naribus accommodato, nam & ex vtero ad nares ferri bonum odorem confitetur Hippocrates, qun experimento fœcunditatem vteri tentat agnoscere 5. *Aphor. comm.* 59. & illud in commodo præbet Galen. in oleo de behen, vel iasminorum, aut liliorum alburum: dissolutur muschos, aut ambra, galla muscata, alipta muscata, aut diambra, & bombace illa mixtura imburo, & in vtero intromisso calefit vterus, & laxatur, ac coboratur: mihi est familiare in optimo balsamo muscum, aut ambram liquare; & si menstua suppressa sint, aliquid euphorbij adiicietur, aut pulueris sabinæ, & vbi seminis venenositas magna putatur, miscenda theriaca, aut mitridatum, aut in oleo mathioli, & iasminorum prædicta simplicia liquentur, & bombace applicentur; sic creditur radicem Peucedani ore detentam efficacem esse, melius si poluis eius succo rutæ admixtus ori applicetur, & palati cælum illiniatur, cui theriaca antiqua permixta, summè vtila erit linimentum, & obsistens veneno; vbi reliqua auxilia irrita fuerunt, vt arcanum putatur sequens auxilium. Aquæ instillatitiæ apiastri ℥.iiij. in quibus caphuræ frustum accensum sæpè extinguatur, & dentur potui ℥. ij. repetaturque auxilium, quod Schenkius refert ad patiem. Vnde Euioius *1. lib. meth. ad praxim fol.* 136. dicit; si aquæ cíathus, in qua caphura in quantitate nucis auellanæ accensa conflagrauit, detur hystericis, statim liberantur: experimento Augenij nunquam inuentum sequens fallax est: muschi optimi g.v. cinnamomi, caryophil. nucis muscatæ ana ℈. j. vino odoratissimo dissoluuntur, & deuorantur: quo auxilio arguitur sententia Magistri; vinom præbet, quia sic præcipit Hippocrates lib. de natura muliebri, vinum odoratum commendans: est vtile hoc auxilium, vbi ob extinctionem spirituum iam alger rotum, velut si veneno repleta sint viscera, semper cauendo, ne odoretur, compressis naribus aur graueolente suffito, roracontusa, & decocto seminis agni casti macerata strenuè dissipat venenatos seminis halitus, si deuoratur infusio.

Cordi, & cerebro auxiliandum, quia nimis patiuntur: cordi applicatur oleum mathioli, coi permisceatur theriaca, & arocus; odorata enim suspecta mibi sunt, etsi imperentur à multis; exterius enim apposita, & calefecentia nares tentant irremediabiliter, & sic melius est pullum columbinom, aut gallinaceum per medium secare, & puluera Chermes inspersum cordi applicare, extrahere creditur malignos vapores actuali calore, ad quem effectum columbas prærogatiuam habere credunt, atque probabila: spiritus arteriæ mora intromittit aëris loco, depanperata enim viscera vitali calore vndique trahent, si inueniant.

Si caput patiatur, permunietur oxyrrhodino admixto castorei puluera, & si aonuulsiones epilepticæ affligant, vngetur spina oleo amygdal. dulc. & castorei, & si veluti apoplectica ceddatur infirma, oleo feruente sinciput irrigetur, vel candente ferro adurarur leuiter, vt docuit Princeps, ex quo etiam Varandeus desumpsit.

Commendauit atiam Princeps, quæ indita ano flatus discutiant, & vterum leuent à prauitate succorum, vt suppositorium ex melle cocto, cui anisum, cuminum, & pulu. baccar. lauri misceantur, aut melios

ax

ex hlera parabitur cum eisdem pulueribus. Est mihi frequens clystes ex iure auis,& arietis,in quo incoquuntur lauri folia,sem. angelicæ, anisum,anethum, carduus benedictus,& enulæ radix,melati semen,& artemisię folia, colaturæ sufficienti addatur electuar. Indi ʒ.iij.electuar. de baccis lauri ʒ.ß. aquæ naphæ ℥ i. ß.& lento igni exquisitè incorporentur,& iniiciantur, quo iniecto obturetur sedes interios linteo calido, vt detineatus clyster. Si mente priuata sit, huic commodè additur ad vteri expurgationem mercurialium succus : Est secretum magnum, si clyster paretur ex decocto hederæ terrestris, de quo sumitur lib. j. cui additur mitridati ℥. j. & iniiciatur ; conuenit propriè in magno refrigerio vteri, & vbi semen corruptum alterat malignè.

Vmbilico etiam applicantur, quæ flatus dissoluant, & extrahant humiditates, & vapores corruptos. Est in communi vsu emplastrum pro matrice in officinis paratum ; sæpè proficit galbanum solum vmbilico affixum, cum ad graue olentia vtile est, & humiditates & flatus euocat ad se, nec minus conferre solet theriaca magna antiqua, quia si Galeno credimus, habet

A vim trahendi ad se venenatos humores ; Ciberum cauernæ vmbilici appositum, vt expertum extollit Mathiolus *lib.* 1. *cap.* 10. Consulo vt cooperiatur sub putamine nucis fascia ligato, ne odor ad nares ascendas ; quod pro reliquis odoratis dictum sit, alia infinita vmbilico tradunt Auctores apponenda : iam verò diximus, cucurbitam vmbilico affixam commune remedium esse, nunquam tamen est apponenda, si ex plenitudine vteri malum oriatur, quousque deposita sit plenitudo. Auxilium rusticum, sed non contemnendum, scutella oleo rutaceo inuncta, in quo alliosum spiculæ incoctæ fuerint, & vmbilico applicatæ.

Hæc pro reuellenda accessione conferunt ; ne verò repetat, pertinet ad morbos diuturnos. Est verò considerandum, si ex seminis copia, aut menstruorum defectu typos certos obseruet, vt solet non leui molestia : suntque considerandi morbi menstrua supprimentes, & debita methodo auferendi, vt si ex distemperie vteri B frigida, vt solet, aut ex cacochymia vasorum : quibus omnibus iuxta propriam ideam auxiliandum, occursendumque est.



TRACTATVS DE SOMNO, ET VIGILIA.

CAPVT I.

Quid sit Somnus, atque Vigilia.



SOMNVS & Vigilia, & insunt nobis modo naturali, & contra naturam ; & quando ambo pendent, tam molestè, & grauiter ægrotos offendunt, quòd quamvis habeant rationem symptomatum, curationem conuertant ad se : quia somnus suffocando, vigilia verò resoluendo vitales spiritus hominem perdunt : sunt etiam symptomata frequentissima mentem vehementer turbantia, & lædentia ; nam somnus fatuitatem, vigilia verò deliria,& mentis depsauationem creat. Priùs igitur quid vigilia secundum naturam sit, & quid naturalis somnus, dicemus, & qua ratione fiant modo naturali ; deinde quomodo contra naturam reddantur : ob id enim inter res non naturales numerantur à Medicis, quòd modo se teneant ex parte naturæ, modo ex parte morbi, & sint contra naturam.

Vigilia ergo naturalis accipitur dupliciter : aut pro actuali cognitione alicuius obiecti, aut pro dispositione naturali, aptitudinéque ad sentiendum. Idem de motu locali progressiuo, & media cognitione facto putandum est : motus enim localis in tantum ostendit animal vigilare, quatenus sine cognitione antecedenti fieri non potest ; & ideò Aristoteles *lib. de somno & vigilia*, docuit vigiliam pertinere ad partem sensitiuam. Est igitur vigilia nihil aliud, quàm *naturalis dispositio apta ad percipiendum obiecta* : & inde actualis vigilia est *Actualis obiecti perceptio naturaliter*, per quod di-C stinguitur ab actuali sensatione, aut aptitudinali dispositione morbosa, & quæ in somno naturali datur in ea enim sentitur obiectum, sed non immutat naturali modo, sed vehementia maiori, vt possit sentiri : quia quando aliquis dormit, etsi sentire possit obiecta aliqua, non tamen in ea remissione, sub qua naturaliter illa sentiret ; sed requiruntur vehementiora, & acriora obiecta, vt dormiens illa percipiat. Est etiam certum, naturalem somnum non impedire vim sensitiuam omninò, sed eam solùm, per quam obiecta languidè immutantia perciperentur, quando n que apoplexia illud facit. Aristoteles *cap.* 1. *lib. de somno & vigilia* sic loquitur : *Sentientem enim vigilare putamus, & vigilantem vel extrinsecam sentire, vel aliquam* D *in seipso motionem.* Ex qua doctrina dixit Fracastoreus *lib.* 2. *de intellectione, & anima* : *Tunc dicitur animal vigilare, cùm sentit, & stat, & motus exercet voluntarios.* Quòd autem vigilia sumatur & pro dispositione ad sentiendum, & pro ipsa actuali sensatione, ex Philosopho constat : dixit enim 2. *lib. de Anima, cap.* 1. quòd vigilia est similis contemplationi : quæ locutio fuisset impropria, nisi esset alia dispositio distincta à contemplatione, quæ appellaretur vigilia : vbi S. Thomas *in commentario* dixit : *Et vigilia quidem assimilatur considerationi : quia sicut consideratio est vsus scientiæ, ita vigilia est vsus sensuum.* Quæ doctrina constat, quia quando homo non dormit, est in vigilia secundum se totum ; non tamen secundum omnes potentias actu ob- E iecta concipit, neque potest : Sed quia in ea dispositione quodlibet obiectum applicatum percipere potest, ideò dicitur esse in vigilia.

Est deinde notandum, quod somnus & vigilia ad partem sensitiuam pertineant, cùm non dentur in plantis, neque in homine solo : dormiunt enim & vigilant bruta : debet autem esse dispositio ad vigiliam

& somnum in cerebro : non enim ad sensus externos A pertinet, sed ad internos. Quod primò constat : quia cùm brachium laborat paralysi, non dicitur dormire contra naturam, etiamsi neque sentiat, neque moueatur. Idem dicendum, quando cæcus priuatur visione, aut surdus auditione, & sic de reliquis; quinimò neque omnis cessatio actuum internorum dicitur somnus contra naturam, vt in deliquio, aut perturbatione magna, aut in syncope : requiritur enim certus modus, quo teneatur affici sensus interni, vt dicatur animal dormire, de quo *inferius*. Vnde si eadem parte, qua vigilamus, dormimus, vt putat Aristoteles *cap. citato*, quia oppositia versantur circa idem; sic cessatio tactus in brachio, aut visus in oculo, quando non patitur cerebrum determinato modo, non dicitur somnus, neque actiones illæ B dicentur vigiliæ, nisi cum relatione ad sensus internos: propterea non dicitur ad conuenientiam sentire, & vigilare, & non sentire, & dormire : est enim sentire absolutè superius quid ad vigiliam, & non sentire est quid superius ad somnum : non enim omnis sentiens dormit. Quod latiùs explicabitur tradendo partem affectam, & docuit Arist. *cap. s. citato*, dicendo: *Quando vterque hic affectus circa sensum primi sensitiui accidere solet.*

In plantis verò non dari somnum, sic docuit Philosophus *cap. 1. Manifestum*, inquit, *profectò est, quod quibuscumque alterum animantis in sola sunt incrementa, & decrementa, illis somnum, & vigiliam nequaquam inesse, vt stirpibus.* Ratio verò, ob quam somnus plantis denegatur, sumitur ex fine : est enim somnus datus à natura in reparationem virtutis deperditæ ratione vigiliæ; & quia plantam in propriis operibus fatigari repugnat, inde somno non eget : cur verò virtus plantarum non labescat, est quia non indigent spiritibus ad operandum, aut si indigent, generantur coctione aut alteratione naturali; & quia plantæ non habeant aliam operationem nisi nutrire media coctione, inde nulla datur in ipsis actio, quæ absumat spiritus naturales earum. Ratio mihi non satis efficax: nam etsi probabilis sit de naturali somno, non tamen de somno contra naturam, cùm possint stirpes pati à causis violentis resolutionem nimiam spirituum, aut dari impedimentum intrinsecum ad distributionem spirituum per obstructionem, aut concidentiam D potorum, vt datur in nobis, & inde somno contra naturam affici. In plantis igitur somnus non est : quia non quælibet actio appellatur vigilia, neque per consequens quælibet actionum cessatio dicitur somnus, sed solùm dicuntur tales quæ ad virtutem sentientem pertinent: ob quod neque in motu cordis, aut arteriatum datur vigilia, neque in eius cessatione somnus : est enim improbabilis mihi doctrina Magistri, putantis ex eo non dari somnum in motu cordis, & arteriarum, quia quamvis per earum partium actiones consumantur spiritus, reparantur facillimè breui quiete, vt docuit Galenus *lib. s. de causis sympt. capite 8.* sunt hæc verba: *Est autem rationi consonum, illud animalis membrum quiescere, in quo rationalis animæ principium residet, quippe cor breuibus intermissionibus videtur hoc facere, ita vt tempore multo ad requiem non indigeat; cerebrum autem non ita, sed in vigiliis semper exercetur, in somnis quiescit.* Quæ verba si rectè perpendantur, non vrgant facultati vitali somnum; sed solùm afferunt discrimen inter recuperationem necessariam pro vitali facultate, & pro animali : nimirum animalis facultas indiget quiete multa, vt restauretur; vitalis verò quiete breuissima reparatur. Et contra Magistrum stat manifesta ratio : quia somnus & breuis, & longus esse potest : vnde quòd sit tempus breue, in quo restaurantur vitalis facultas, non tollit quod sit somnus. Supponit etiam eius doctrina, quod per motum arteriarum & cordis consu-

mantur vitales spiritus, quod ego non admitto; tum quia repugnat definitioni Galeni dicenti, esse pulsum ordinatum ad generationem spirituum vitalium, vnde per eum non possunt absumi : tum quia in illo motu non videtur esse aliqua corruptionis occasio, cùm nulla intemperies producatur per illum, quæ sit spirituum corruptiua. Quod confirmatur : quia nunquam magis quiescit arteria, quàm dum mouetur debilissimè : tunc autem non est actio productiua alienius qualitatis corrumpentis spiritus; à motu enim producitur non occasionaliter, nisi calor; qui verò à motu arteriarum potest prodire, remississimus est, vt intendere non possit tam intensum calorem, qualem ex propria natura participant spiritus, indéque pulsus in homine sano nunquam quiescit ob defectum spirituum. Quòd si per quiescere intelligat Galenus quietem intermediam inter interuallum, & alium motum naturalem, non minus dormiret vitalis facultas, quantum ad durationem, quàm animalis: nam quamvis in vnica quiete detineantur minus cor, & arteriæ; hanc tamen quietem crebrò repetunt, vt crebritate repetita non quiescant per minus tempus, quàm cerebrum intra diem.

Quinimò ratio Galeni potest contra illum retorqueri : dicebat enim, ideò cerebrum indigere quiete, quia in vigiliis semper exercetur, hoc est semper operatur inter vigilandum facultas, aut virtus sentiens cerebri; sed multò magis operatur vitalis facul- C tas, quia nunquam ab opere cessat : ergo magis indigebit quiete. Quod si pro Galeno respondeas, non indigere quiete, quia facultas vitalis possit moueri sine quietibus mediis inter motus, & propterea non indiget quiete aliqua, in qua omnino quiescat, & ab opere cesset, non satisfacies proposito dubio, cùm verosimilius sit quietes illas esse per se à natura intentas propter eosdem fines, propter quos fuerunt præcedentes motus : & sic in opinione Galeni operatur vitalis facultas incessanter, aut mouendo, aut detinendo corpus, quod mouet in quiete; animalis autem facultas sic per somnum quiescit, vt omnino ab opere cesset. Putandum igitur est facultatem vitalem in naturali statu nunquam fatigari opere proprio, neque aliquam contrahere imbecillitatem ratione operæ propriæ, & sic non indigere quiete. Quia verò vigilia per sensus, & motum multam spirituum dissipationem efficit, non potest stare animal in perpetua vigilia, & inde ei opus est, quòd iam fatigatum ab opere cesset, & dormiat, vt in somno reparentur vitius consumpta. Quomodo autem per vigiliam consumantur spiritus, trademus inferiùs.

Ex dictis soluitur dubium inquirens, an detur animal quod perpetuò vigilet, aut perpetuò dormiat naturaliter : estque conclusio negatiua iuxta mentem Philosophi *cap. 1. citato*, dicentis : *Pari quoque modo constat nullum esse animal, quod aut semper dormiat, aut semper vigilet, sed vtrumque eidem tributum esse à natura.* Quod placitum longa oratione suadet S. Thomas, & Magister noster *loc. cit.* & ratio ab eo adducitur ab Aristotele, E nempè quod omne sentiens fatigatur in ipsa sensatione, quia in ea dissoluuntur vires, & non est alius reparationis modus naturaliter, nisi cessatio ab opere, cuius occasione facultatum languot contrahitur, nisi ille qui per somnum inducitur.

Quæ ratio Aristotelis adhuc petit principium respectu omnium animantium sentientium : namque sunt terræ affixa, & localis motio, & visio, intensáque cogitatio denegata sunt à natura: quæ non sentiunt, neque mouentur, nisi quando punguntur, vt sit probabile in doctrina Philosophi solum habere sensum communem, seu phantasiam indeterminatam, vt ipsum exponis S. Thomas *lib 3. de Anima, cap. 3. lect. 5.* non habent hæc sentientia aliquam actionem, quà debilitentur.

Si

Si autem aliqua ratio probabilis potest adduci, est hæc: nam sentientia omnia egent alimento, quod non assumunt perpetuò, sed per certa interualla, quando nempe molestantur fame; est verò in eius concoctione necessarium, quòd euaporatio aliqua succedat, cùm coctio semper celebretur calore, ea autem vaporum eleuatio obstruet necessariò partem primò sentientem, aut totum animal, sicque impediet perfectam sensationem, quod est dormire; discusso verò illo erit in statu vigiliæ animal, quia paratum ad cuiusque obiecti perceptionem. Itaque ipsa cibi indigentia affert somni necessitatem omni sentienti, quia teste Aristotele, omni inest alimenti cupiditas. Notauer dici, obstrui vaporibus alimenti, aut partem primò sentientem, aut totum corpus, cùm sit probabile non dari in omnibus sentientibus partem determinatam, in qua residentant sensus interni; sed per totum corpus esse dispersus, neque in omnibus agnoscitur pars determinata, quæ in reliquas influat spiritus, aut aliquam irradiationem: nunquam itaque putabo animalia affixa, & carentia visu, & auditu, aliquam debilitatem naturaliter contrahere, ob cuius reparationem somno indigeant, quòd existimem omnem consumptionem spirituum, per quam contrahitur debilitas, aut per visum, vel auditum, vel progressiuum motum, aut animi passiones, & dolores contrahi, quorum nullum necessariò inest animalibus dictis, & sic non dormire, quia fatigentur operando; sed quia sumpto alimento contingit, quod dixi. Idemque dicendum de fœtu intra vterum clauso, præsertim in primis mensibus, quamvis in illo maior possit esse occasio ratione dolorum. Quæ doctrina latius explicabitur inquirendo, an somnus fieri possit naturaliter per solum defectum spirituum.

Vigilia ergo naturalis est *Dispositio secundum naturam apta ad percipiendum obiecta iuxta leges immutantia*. Somnus autem naturalis, est *naturale impedimentum ad obiectorum perceptionem*. Dicitur verò naturalis somnus, & quia per se intentus à natura, & quia vtilis, & quia ab interno principio & naturali fieri potest, & in hominibus sanis. Præternaturalis verò dicitur, qui pendet à causa morbosa, aut neutra, vt in conualescentibus, aut aliqua soporosa passione affectis: dormiunt enim conualescentes longiùs, & profundiùs, quàm per naturam: sicut qui diutiùs fatigati fuerunt, in quibus somnus & longior esse solet, & dormiunt profundiùs; & quamvis somnus & vigilia numerentur inter res non naturales, quæ propterea tales dicuntur, quòd mediam naturam participent inter res naturales, & contra naturam; dicuntur tamen naturales eo modo, quo diximus, quia vtiles, & per se intentæ, & à causis ineuitabilibus iuxta cursum naturæ.

Neque obstat, si dicas somnum dari in reparationem substantiæ spirituosæ deperditæ, cuius defectus naturalis esse non potest. Respondet Magister *disp.* 4. *cap.* 2. rectè stare consumptionem illam esse quadam ratione præter naturam, & eius reparationem esse naturalem. Patet de nutritione, quæ naturalis est, & datur nihilominus in reparationem substantiæ deperditæ; mihi tamen videtur eodem modo esse naturalem illam consumptionem, quo est naturalis somnus: pendet enim ex ineuitabilibus principiis à natura ordinatis, & est per se intenta, vt est vigilia ipsa, à qua inseparabilis est illa consumptio. Quod autem omnis nutritio sit in reparationem deperditi, mihi non probatur, vt *tractatu de coctione* contra Magistrum ostendimus: nam infans, etsi nullo modo resolueretur, nutriretur sine dubio ad adquirendam perfectionem, & quantitatem sibi debitam. Sic etiam existimo, quòd quamvis nulla daretur spirituum consumptio, dormiret nihilominus animal. Constat clarè, quia si somnus naturalis causatur, quia vapor ab alimento eleuatus, dum coquitur, cerebrum obstruit, quamvis nullus esset defectus spi- A rituum, in somnum incideret: quia obstructio illa, & eleuatio vaporum non originatur ex spirituum defectu; sed procedit à calore agente, & corporatura vaporum. Est ergo naturalis somnus, qui ex causis ineuitabilibus iuxta cursum naturæ euenit: non naturalis, qui ex consumptione maiori per immoderatum exercitium contingit, aut qui in conualescentibus datur; contra naturam verò originatus à causis morbosis. Eodemque modo philosophandum est, quando à vaporibus causatur: nam vt est alimentum mediocre, somnum naturalem causat; at si excedat in copia, aut qualitate somnifera, potest esse intensior somnus, & grauior, vt neutra dispositio, aut vt morbus.

Somnus diuiditur in completum, & incompletum. Completus est ille, qui omnes sensus ligat, quantum ad obiecta communia, ita vt non solùm sensus externi B nil sentiant, sed etiam interni, ita vt nullum insomnium dormiens patiatur: hoc autem contingit, quando cerebrum totum obstruitur leuiter: incompletus autem dicitur ille, in quo secundum partem sensus impediuntur, & secundum aliam vigilant, vt contingit in insomniis, aut in iis qui dormientes ambulant, vt docuit Philosophus 5. *de generatione animalium, cap.* 1. & in se fuit expertus Galenus. Id autem prouenit, quoniam secundum eam partem non obstruitur cerebrum, & ita sentit per illam, communicatque spiritus, & illustrationem alicui sensui externo: quia via, per quam influit, libera est, & non obstruitur, & inde pendet, quòd aliqui aut leuissimo contactu, vel strepitu, aut luce statim expergefiant: sunt enim sensus illi liberi quasi in vigilia, & ita quodvis obiectum percipiunt à quo excitantur. Iam verò diximus excedentia sensibi- C lia sentiri à dormientibus: quia somnus naturalis non impedit omnino vim sentientem, sed solùm diminuit, vt non sentiant obiecta, quæ per vigiliam sentirentur: quinimò tam leuiter aliquando obstruitur cerebrum, vt qui dormit, iudicet insomnia esse quæ videt, & nullatenus decipitur, vt iam ex Aristotele retulimus *lib. de insomnis, cap.* 3. *Nam sæpè* (inquit) *euenit, vt quis dormiendo in animo suo dicat somnium esse, quod videt.* Quod etiam docuit *cap.* 1. dicendo: *Quin etiam interdum opinio, quæ visa sunt, ea falsa esse, vt in vigilia, dicit.* Rationem tradit Philosophus, quia etsi dormiat, non ignorat se dormire; & inde, quæ videt, colligit esse insomnia. Ego autem credo id etiam contingere D posse, quia sæpè obseruauit iam expergefactus se illudi per somnum; vnde quando simile redit insomnium, iudicat insomnium esse: quia ipsum insomnium excitat species, quod sæpè illum deceperit.

CAPVT II.

In quo consistat natura somni.

IN naturali somno reperiuntur duo; & impedimentum ad sentiendum, & causa illius, & rursus ipsa actionum cessatio. Est ergo quæstio, in quo consistat eius natura? Et mihi videtur probabilior opinio asserentium, naturam somni consistere in ipsa priuatione dispositionis conuenientis ad sentiendum, vt nihil sit E aliud, quàm priuatio vigiliæ, ac per consequens opponi immediata oppositione; vt opponuntur forma, & eius priuatio: ex qua immediata oppositione nascitur, quòd naturaliter necessariò homo dormiat, aut vigilet. Est conclusio Aristoteli consona: nam *libro* 2. *Ethicorum ad Eudemum*, appellauit somnum otium vitæ: & 1. *lib. Ethicorum ad Nicomachum, cap. vltimo* dicit: *Somnus est otium animæ, tam studiosæ, quàm vitiosæ: & sic hominem esse in vigilia non agnoscitur, nisi quia aliquid percipit, aut quia mouetur: quòd dormiat, ex nullo alio innotescit, nisi quòd nihil sentiat, aut sit*

immobilis. Vnde Paulus *lib.*1. *c.*97. dixit: *Somnus virium animalium requies est ex vtili humiditate cerebrum madefaciente proueniens.* Et Princeps noster *fen.*2. *lib.*1. *doctr.*2. *cap.* 13. *Somnus*, inquit, *quieti vehementi similis existit*: estque communis acceptio. Omnes quippè putant, vt dixi, hominem dormire, quando sensibilis, immobilisque est: & constat nihil esse cuique intrinsecum magis, quàm illud, sine quo intelligi nequit; repugnat autem aliquam dormientem intelligi, si non priuetur sensatione, aut motu.

Notabilis autem diligenter, non dici ad conuertentiam animalium actionum cessationem cum somno, vt notauit Philosophus *lib. proprio, cap.*3. dicendo: *Neque enim somnus quaecunque impotentia sensus est, vt diximus: nam & dementia, & praefocatio, & animi deliquium talem impotentiam afferre potest*, &c. Vnde colligit D. Thomas ex doctrina eiusdem Aristotelis, non esse Insomnia ea quae percipiuntur in ipso animi deliquio: quia deliquium non est somnus, & inde neque apparitiones in illo possunt esse insomnia: quia insomnium est visum, quod in somno apparet. Valet itaque: dormit, ergo est priuatus dormiens virtute sensibili, non è contra: est priuatus virtute sensitiua, ergo dormit: est enim quid superius priuatio illa ad somnum: neque in rigore medico sequendus est S. Thomas in huius loci expositione, qui à somno epilepsiam extrudit: est enim verè somnus praeter naturam, vt *proprio capite* diximus, & *cap. citato* insinuanit Philosophus. Vnde si aliquando negat Aristoteles somnum esse requiem facultatum & sensuum, intelligitur benè, quia non dicitur ad conuertentiam actionum cessatio cum somno: quasi diceret, non quaelibet actionum sentientium cessatio somnus est, neque contra naturam: nam cessatio libera, & requies naturalis somnus non est, neque quod in deliquiis, aut syncope datur, est somnus contra naturam: cuius rationem trademus inferius.

Est contra dicta difficilis locus Philosophi *lib.*6. *Topicorum, cap.*3. vbi reprehendit definientes somnum per impotentiam sensus: quo loco videtur negare somnum in priuatiuo consistere. Rationem reddit Philosophus, quia somnus non inest sensui; deberet autem inesse, si eius fuisset impotentia: *Non enim*, inquit, *est impotentia sensus ad alterum alterius effectiuum: nam aut propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus.* Respondetur reprobare Aristotelem definitiones traditas per subiecta, quibus non inest definitum, nec sunt eius susceptiua. Vnde infert: somnus non benè definitur per impotentiam sensus: quia somnus non dicitur quaelibet impotentia sensus; sed ea solùm, quae imaginationis, aut primi sensitiui est: & quia sensuum priuatio est communis omnibus sensibus externis, etiam quibus primò somnus non est, ideò absolutè non definitur rectè per impotentiam sensus: quia hoc genericum quid est, latiúsque patet, quàm somnus: éstque definitio vitiosa, quia solùm traditur per genus.

Neque obstat quòd expressè videatur negare Philosophus, quod sit impotentia, dicit enim: *Dolor non est separatio partiũ, sed effectiuum doloris, neque somnus impotentia sensus, sed effectiuum alterũ alterius: neque enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnũ impotentes sumus.* Respondetur, quod impotentia est duplex: vna in parte quae debet influere, vt motus & sensus fiant; alia in ipsis potentiis, eo quod influxus requisitus, vt operentur, deficiat. De prima intelligitur Philosophus, quando dixit non esse impotentiam, sed causam somni: & ita est verum quod propter impotentiam influxus dormimus, sicque priuatio sensus reducitur in causam priuatiuam, in defectum nempe influxus, & per consequens in impotentiam influendi: sic enim caecus dicitur formaliter quidem per impotentiam videndi; fundamentaliter verò per morbum tollentem visio-

A nem: ita somnus formaliter est ipsa sensus priuatio; dispositio verò ob quam nascitur, somnus non est, sed est occasio dormiendi. Cònstat verò ex dictis, hanc impotentiam non debere esse totalem in naturali somno, sed solùm sensibilium, quae inter vigilandum percipiuntur: & cùm somnus dependeat interim à frigore, aliquando ab obstructione vaporum, habeatque coniunctam detentionem caloris vitalis, & reuocationem eius ad intra, quandoque explicatur à Philosopho per vnum aut aliud, sicque ex dictis cessant argumenta Argenterij contra Aristotelem adducta *tractatu proprio, cap.* 12. in quo putauit Argenterius somnum nil aliud esse quam priuationem sensuum, & vigiliam esse sensationem ipsam: nam qui sentit, vigilat, & qui vigilat, sentit: ac praeter sensum ipsum internum nihil aliud
B concipere potest, in quo ponatur vigilia. Eadémque ratione sensuum cessationem à certis causis factam somnum vocandam esse, ita vt somnus sit quaedam insensibilitatis species; vigilia verò sensatio aliqua. Sic Galenus *lib.*3. *de causis pulsuum, cap.*8. dicit: *Somno cum viuentibus solùm est communis alimenti confectio; reliqua mortuis sunt similia: non videre, non audire, nil intelligere, vel cogitare, vel sentire, carere ratione, & proiectum esse.*

CAPVT III.

De causis somni naturalis.

C SI somnus in priuatione virtutis sentientis consistit, causa somni naturalis erunt ea, quae intra limites naturae absque vlla laesione morbosa, aut neutra dispositione priuationem naturalis vigiliae efficere possunt. Sunt haec varia: nam & alimentum, & potus in mensura naturali assumpta somnum causant naturalem: saepè etiam conciliat somnum lectio librorum, aut leuis contemplatio, balneum aquae dulcis, cantilena, musica suauis, & interim leuis tristitia, & alia multa, quae si corpus non alterant violenter, ita vt faciant somnos morbosos aut neutros, conciliabunt somnum naturalem, eritque somnus mediocris: quia neque plusquam per naturam durabit, neque difficiliùs suscitabitur dormiens, quinimò in statu morboso medi-
D cis auxiliis somnus naturalis conciliari potest: nam cerebrum aestuans & siccum, infrigidatum, & humectatum mediocrem temperiem adquirit, vt somnus naturalis oriatur. Non itaque somnus naturalis iudicandus est ob id, quòd solum fiat à principiis intrinsecis, sed à quacumque causa excitetur, dummodò vtilis sit, & modum naturalem non excedat, erit somnus naturalis, loquendo medicè, vt putatur naturalis temperies per medica auxilia producta, etiamsi ab extrinseco producatur; sicut indicatur naturalis calor spirituum productus in partibus, etiamsi semper producatur ab extrinseco.

Est autem celebre, quomodo somnus in homine sano concilietur, & à qua causa fiat, nam in doctrina
E Aristotelis *lib. proprio, cap.*3. nulla alia agnoscitur causa, nisi alimenti vapores in cerebrum eleuati, ac repulsi cerebri frigiditate rursus retrocedunt ad cor, quod in opinione Philosophi est primum sentiendi organum: & sic dormit homo corde onerato, & obstructo ab alimenti vaporibus. Translatio Vatabli sic legit; *Vti iam diximus, non omnis impotentia sentiendi somnus est; sed ea solùm, quam dinaporatio alimenti committit*, &c. Quo loco ad reuulsionem vaporum, & caloris in cor factam à cerebri frigiditate somni occasionem reducit. Et *in fine eiusdem cap.* sic scripsit: *Dictum est, quae causa dormiendi sit, innati scilicet caloris vniuersim ad primum sensorium confugientis antiperistasis.* Putauit autem Philosophus cor esse primũ sensorium: ob quod placitum

Galenus 1. *lib. de causis symptom. cap.* 8. Aristotelem reprehendit, quia in eius doctrina est inintelligibile ad quid conferat cerebrum grauari pro somni conciliatione, si primus sensus in corde residet. Melius, inquit Galenus, reduceretur somnos in pulmonis humiditatem: quia & cordi propinquior, & à natura datus, vt cordi ministrat; hanc tamen causam, alimenti scilicet euaporationem, vt somni naturalis Authorem cum Philosopho admittit Galenus citato capite: neque Aristotelem reprehendit, quia euaporationem alimenti vt causam adducat, vt malè putauit Argenterius. Verba Galeni sunt: *Cerebrum vbi requiescere plusculum ab actione vult, naturalem somnum animali inducit: quod etiam magis facit, cùm nutrix in eo largum, quo fruatur, humorem habet.* Quibus verbis coctricis actionem tradit vt auxiliantem naturali somno: deceptusque non dubiè Argenterium locus Galeni malè ab eo intellectus ex *lib. 3. de caus. puls. cap.* 9. qui tradetur inferiùs.

Quomodo autem alimenti vapores impediant virtutem sentiendi, explicatur facilè: quia nempe occupant cauitates, per quas animalis spiritus ad sensoria distribuitur, & ipsi vapores interpositi inter substantiam cerebri & animales spiritus, impediunt influxum eorum in cerebrum, & in partes subiectas, quia vapores non sunt capaces qualitatis producendæ ab spiritu: conducunt etiam ad somnum, quia permiati cum spiritibus diuidunt illos, & ita distantes inter se nequeunt sufficienter influere ad perfectè sentiendum: quia in quantitate sufficiente ad agendum non sunt vniti. Omitto etiam humectationem, cuius occasione partes cerebri emollitæ concidunt in se, & ita etiam obstruunt suo modo, & sensationem impediunt. Hanc causam naturalis somni nullus hactenùs negauit, cùm sit tam probabilissima, & vt dixi, eam solam agnouit Aristoteles.

Præter hanc causam Magister noster aliam inuenit *lib. de locis affect. disput.* 4. *cap.* 4. constituit enim vt causam naturalis somni præter vapores spirituum animalium retractionem ad cerebrum, neque admittit vt probabilem Auicennæ doctrinam sustinentis causari naturalem somnum per retrocessum vitalium spirituum ad cor: non probat aliqua ratione suum intentum; si autem ea eius lectione aliqua potest deduci, ea est quod per retractionem ad internos ventriculos cerebri separentur spiritus ab organis sensuum externorum, & inde nequeunt operari, quod est dormire. Constat verò illam retractionem spirituum tunc celebrandam esse, quando per naturalem vigiliam consumpti iam sunt spiritus nimiè, & ne omninò dissipentur, & in extremum virium languorem incidat vigilans, ideò retrahuntur spiritus, vt homo quiescendo ab opere per somnum amplius non fatigetur. Hæc autem doctrina Magistri videtur desumpta ex Galeno *lib. de causis symptom. cap. vlt.* dicente: *Ad ea verò, de quibus nunc agitur, illud ad rem pertinet, quod cerebrum, vbi requiescere plusculum ab actione vult, naturalem somnum animali inducit; quod etiam magis facit*, &c. Quo loco non obscurè docet cerebrum actione propria naturalem somnum inducere, quando fatigatum vigiliis putat conueniēs dormire: & cùm dicat Galenus hoc præcipuè operari, quando nutrix facultas, seu coctrix abundantem humorem habet, ex quo eleuentur vapores humidi per coctionem; constat hanc causam vt distinctam ab aliis recensere. Aliam verò esse retractionem ex eo deducitur, quia non est excogitabilis alia actio proportionata somno inducendo, nisi spirituum retractio à sensoriis externis prout distincta contra impedimentum positum à vaporibus ad sentiendum: nam idem est respectu sensuum externorum deficere spiritus: quia ob impedimentum ad illos non distribuantur, aut quia retracti non influant propter distantiam.

Hæc Magistri opinio mihi non probatur: quia & Aristoteli, & rationi dissonat: Philosophus enim loco iam *citato ex proprio libro, cap.* 3. expressè dixit: *Non omnis impotentia sentiendi somnus est; sed ea solùm, quam diuaporatio alimenti committit.* Sic ergo ea solùm non est alia præter illam in opinione Philosophi. Est etiam contra rationem: & primò afferendum est argumentum quod contra se ipsum tradit Magister, & meo videri non diluit: Si somnus, inquit, causatur à sola spiritus animalis retractione ad interna cerebri, sequitur quod quamvis cessare possint sensationes externæ, non tamen impedientur internæ, & per consequens non erit somnus. Probatur sequela: quia ex tali retractione abundant magis spiritus in partibus internis cerebri, quàm cùm vigilabat: ergo, si dum vigilabat, non dormiebat in sensibus internis, multò minus dormiet, quando retractio fit ad interna. B Constat clarè, quia approximantur magis spiritus interno sensorio. Respondet Magister negando sequelam. Primò quia non est necessarium quod animalis spiritus abundet magis in partibus internis cerebri, quando dormit, ob retractionem, quàm quando vigilabat: quia cùm aliquando, inquit, fiat illa retractio, quia spiritus animalis consumitur per vigiliam, etiamsi retrahatur spiritus, qui superest, maior potest esse consumptio per vigilias, & exercitia, quàm abundantia ex retractione, quovsque durante somno fiat copiosa spirituum generatio. Respondet secundò, quòd retractio fieri potest vsque ad ventriculos plurimum deserendo substantiam cerebri; operationes verò sensuum internorum fiunt in ipsamet substantia cerebri.

Istæ duæ solutiones difficultatem non soluunt: & C prima videtur mihi tanto authore indigna, & sic efficaciter impugnatur. Hic homo, antequam per retractionem spiritus conciliaret somnum, erat in vigilia: ergo habet copiam spirituum sufficientem ad vigilandum: ergo erat copia, vt possent operari sensus externi; sed quando somnum conciliat in doctrina Magistri, retrahuntur spiritus, qui erant per sensoria externa disseminati ad interiora cerebri: ergo abundant magis interius, quàm in vigilia, & abundant per consequens sufficientes, vt internæ potentiæ operentur: quia ante talem retractionem erat in vigilia.

Sed & secunda solutio multis rationibus improbatur. Primò: quia si nomine ventriculorum cerebri intelligit cauitatem osseam cum substantia in illa contenta, certum est in ipsa substantia ventriculorum D internos sensus agi, & nihil antiquius, quàm in diuersis ventriculis diuersas collocare internas potentias. Si autem intelligit per ventriculus distantiam illam, quæ datur inter os cranei, & ipsam substantiam cerebri, constat spiritus tam proximos esse, & magis ipsi substantiæ, quàm dum vigilabat: & inde non esse, cur vigilia in sensibus internis non sit. Patet quia distantia sensuum externorum, à quibus retractio fit, est multò maior, quàm cauitas illa, aut spatium, intra quod sub dubio non potest cadere. Accedit etiam contra Magistrum efficacissima ratio; putauit enim in parte naturali neruos non habere cauitates, neque per illas distribui animales spiritus; sed in cerebro existentes influere in partes subiectas, vt moueantur, & sentiant. Ergo si existendo in princi- E pio spinalis medullæ influunt in pedes, vt moueantur, & sentiant, multò melius influent ex propriis ventriculis cerebri in illius substantiam, cùm tam proxima sit.

Est etiam accusandus manifestæ repugnantiæ: nam tradendo principium, à quo fit retractiò spirituum, dicit esse substantiam cerebri media actione attractricia virtutis: sicut enim cor, inquit, quando laborat penuriâ vitalis spiritus, attrahit illos ad se, ita cerebrum ex vigilia fatigatum ob consumptos spiritus, trahit remanentes ad se: quod si verum est, implicat non abundare magis in somno, quàm in vigilia. Et rursus, si

quod trahitur, applicatur, & vnitur trahenti, & trahit substantia cerebri, huic immediatè applicantur spiritus, & non distant ab ea, vt in solutione argumenti dixit.

Præterea si cerebrum fatigatum iam ex vigiliis retrahit spiritus, cur non dormiunt phrenitici, nam calor cerebri contra naturam, quo laborant, trahit potentissimè, & facultatem attrahentem deprauat; siccitas etiam contra naturam ad maiorem tractionem confert, & nulla qualitas ex dictis conducit ad somnum, etiamsi tractionem iuuent; sed potius extremè vigilare faciunt: deberent ergo profundè dormire phrenitici, si doctrina Magistri esset probabilis. Constat: quia adest finis, ob quem debent retrahi spiritus, facultas trahens calida & sicca distemperie trahit potentissimè: ergo dormient phrenitici profundè. Neque est, quod respondeas, à calore, & siccitate mordaces spiritus B reddi, & sic irritato cerebro expelli, & non retineri spiritus. Contra est ratio efficax: quia phrenetici non sentiunt mordacitatem humoris biliosi propter delirium: ergo minus sentient spirituum acrimoniam, quia illam fortassis nunquam suscipiunt, & dicitur gratis. Eadem ratione non sumentes alimentum magis dormirent, quo nihil absurdius. Probatur: quia inediâ consumuntur spiritus: ergo trahet cerebrum remanentes, & dormiet interim quo alimentum non assumit. Patet: quia non est à quo reparentur spiritus de nouo, & sic retinebuntur interius, ne deficiat vita, & dormiet longissimè. Tandem quia, vt dixi, si spiritus existentes in cauitate, & principio spinalis medullæ influunt sufficienter in totum corpus, vt moueatur, & sentiat, cur non influent in auditum, visum, & externa sensoria, C quando colliguntur intra ventriculos, aut detinentur à cerebro?

Sed quid dicendum Galeno? Argenterius reprehendit illum, quia *loco citato* insinuauit cerebrum voluntariè conciliare somnum. Ego autem sic Galenum intelligo, non quidem quòd voluntariè somnum conciliet; somnus enim dependet ab actione, quæ in nostra potestate non est, siue retractione spirituum fiat, siue exhalatione ex alimento eleuata. Ergo quando dicit Galenus, quod cerebrum si vult quiescere ab actione, somnum animali naturalem inducit, nihil aliud significat, quàm liberam applicationem ad conciliandum somnum, quæ non dubiè in nostra potestate consistit: cubamus enim liberè, & sensus externos suspendimus fugiendo omne sensibile, & claudendo oculos, & sic D liberè impediendo, ne extra mittantur spiritus; sed interius detenti calefaciunt sanguinem, & quaslibet humiditates aptas ad vaporum generationem, sicque somnus sæpè conciliatur liberè facta applicatione per quietem, & cessationem ab omni externo sensu: hoc autem efficimus, quando iam fatigatum est cerebrum, & summa molestia actiones elicimus: ergo illa verba: *vult quiescere cerebrum*, idem significant, ac si diceret, appetit quiescere: quia iam ex superflua vigilia summam debilitatem contraxit, & fatigationem, quâ molestiâ perceptâ anima se recolligit, & ad summum se applicat; detento verò interiùs spiritu conciliatur somnus eo modo, quo paulò antè diximus, calefaciendo nempe humiditates corporis, & istæ permutatæ in vapores cerebrum obstruunt, & somnus conciliatur. E Sic intelligo Galenum *lib. 3. de causis puls. cap. 3.* dicentem: *Nam somnus incidit, quando natiuus calor, aut ex fatigatione, aut nimia siccitate ad alimentum se conuertat, aut propter immodicam humiditatem foras nequeat progredi*, &c. Non dixit Galenus, retrahitur; sed, se ad alimentum conuertit: quia agendo in illud somni est author. Quod clarius docuit inferiùs dicendo: *Nam in alimento concoquendo, quia largè succedit humiditas vaporosa, tum in ipsa cute, tum in poris, corporibusque ad externam superficiem vsque interpositis omnibus, non* A *perinde iam calori proclinis est ad externa motus, quare vt hanc discutiat, remoueátque, & meatus purget, & etiam corpus vndequaque sibi penetrabile reddat, postulat primos vehementes, atque violentos motus.*

Indiget enim probatione in opinione Magistri, quòd quando cerebrum immoderata vigilia fatigatum iam est, retrahat spiritus ad interna. Vnde enim id constat? & contrarium potiùs ratione potest deduci: sequeretur enim ex doctrina Magistri, quod nullus periret ex passionibus animi: nam in timore mitteret spiritus ad extra, quando iam instat suffocationis periculum. Et rursus quando in gaudio magno calor vitalis cor & viscera deserit, retraheret illum ad intra, vt præcaueret mortis subitaneæ periculum; & tamen non facit natura, neque potest: quia timor illud requirit, & gaudium similiter: sed eodem modo requirit vigilia, quòd calor B moueatur ad extra, vt docent omnes cum Hippocrate, & durante vigilia non fiet retractio; sed prius est quod ponatur aliquod obstaculum, vt vigilia cesset, & sic non mittatur spiritus ad extra.

Sententia ergo nostra est, somnum naturalem nunquam euenire ob solam retractionem animalis spiritus ad cerebrum: nam sic neque interni sensus, neque intellectus cessarent ab opere; sed per species reseruatas essent in perpetua contemplatione alicuius obiecti: nec mihi satis constat cessaturos sensus externos, etiamsi retraherentur ad interna cerebri, quamvis de visu probabile sit, quòd requirat præsentes spiritus, vt obiecta percipiat, ob quod neruos opticos cauos fabricauit natura, vt docuit experimentum anatomicum, & Galenus docuit. Causatur ergo naturalis somnus aut à vaporibus C alimenti, aut sanguinis: & hæc est frequentissima causa, aut ab aliis rebus aliquod impedimentum afferentibus sensui interno, aut spiritui, vt sensationes non fiant, de quibus erit peculiaris quæstio.

CAPVT IV.

De parte affecta in somno.

DE parte affecta est summa discordia inter Aristotelem, & Galenum: putauit enim Philosophus *libro primo*, cor pati in naturali somno: quia ipsum constituit organum primi sensitiui, & omnium sensuum internorum: noster autem Galenus existimat cerebrum D solùm pati in naturali somno, & reprehendit Philosophum *lib. 1. de causis sympt. cap. 8.* & probat Galenus proprium placitum: quia in somno contra naturam applicantur auxilia cerebro, & non cordi: ergo in somno naturali patitur cerebrum, & non cor. Patet: quia somnus naturalis & contra naturam eiusdem partis debent esse passiones, & cum conueniant omnes somnum esse passionem principij communis sentiendi, & tale principium, primáque radix sit cerebrum, vt mille rationibus confirmat Galenus contra Philosophum, constat ad cerebrum pertinere somnum, & minimè ad cor.

Mihi certum est, tam obscurè Aristotelem loqui de modo, quo somnus naturalis causatur, vt non sit facile eius doctrinam intelligere, & circa modum, quo fit, & circa partem affectam: nam *cap. 3. lib. proprij* insi-E nuat modò vapores eleuari, & ascendere in cerebrum, ibíque infrigidari, & vitalem calorem à frigore vaporum repelli versus cor, & viscera, & sic cessare sensus ab opere, & somnum conciliari. Verba sunt: *Quare ex iis, quæ dicta sunt, apertè constat somnum esse coitum quendam caloris refugientis ad intima, & naturalem antiperistasim, circumobsistentiamque propter eam, quam diximus causam: quocirca qui somno premitur, & agitatur vario, vnde & desipit, & refrigeratur, atque ob frigus palpebræ decidunt: quin etiam partes superiores & ex-*

terna frigent: contra inferiores & intima, vt pedes, & qua intrinsecus continentur. Causa verò fuit tradita ab eodem Philosopho *cap. illo* 8. dicendo: *Quamobrem somnus maximè post cibum fieri solet: tunc enim copiosus humor & corpulentus sursum connneat, qui cum consistit, corpus aggrauat, & obdormiscere facit; cùm verò iam descendit, & reciprocando calorem repulit, tum somno sepultum, obdormitque animal.* S. Thomas *in commentario prioris loci*, dicit: *Somnus est congregatio caloris intrinsecus, & reciprocatio caloris naturalis ad extra propter causam prædictam, id est propter repulsionem caloris à vaporibus descendentibus.* Insinuatur itaque ibi ab his auctoribus duplex causa reciprocationis caloris vitalis ex cerebro ad cor, & frigus vaporum, qui iam congelati fuerunt à cerebro ob antiperistasio, & repulsio caloris vitalis facta à vaporibus iam concretis, seu congelatis, & descendentibus per venas & arterias: sic loquitur Philosophus: *Cùm verò deorsum fluxerit, id est, quod sursum exhalauit, & reuertendo repulerit calorem, tunc fit somnus, & animal dormit.* Et in fine illius libri sic scriptum reliquit: *Dictum est, qua causa dormiendi sit, insiti scilicet caloris vniuersim ad primum sensorium confugientis antiperistasis, qua corpulenti vaporis à natiuo calore subuecti operâ prouenit.* Et S. Thomas *in commentario* sic loquitur: *Et primò dicit quod somnus est reductio caloris naturalis à loco superiori ad locum, quod est cor, cùm expellitur à vapore corrupto nutrimenti descendentis per venas quibus vapor ferebatur sursum ad cerebrum per calorem proprium.*

Hæc doctrina Philosophi videtur mihi probabilissima, causari nempe somnum, & quia caput grauatur, & obstruitur alimenti vaporibus, & quia calor vitalis retrocedit ad intra, aut interiùs detentus manet, ita vt ad cerebrum, & externa sensoria distribui non possit; & iudico sensisse Philosophum nunquam somnum conciliari sine passione cerebri, & inde iuxta mentem illius partem affectam esse, & proprius quàm cor: nam in eius doctrina nihil aliud legitur, quàm cor & viscera calidiora reddi per somnum, quod nullo modo potest conferre ad non sentiendum: quia, vt ipse docuit *lib.* 3. *de anima, cap.* 1. ignis aut nullius sensus est instrumentum, aut communis omnium est, quippe sine caliditate nihil sit sensitiuum: Et *lib. de somno & vigilia*, sic legitur: *Quin etiam partes superiores, & extima frigent; contrà inferiores, & intima, vt pedes, & qua intrinsecus continentur.* Non ergo cor infrigidatur in somno. Et inferius id explicuit: dubitat enim, qua ratione somnus fit refrigeratio, si vinum, & calida somnum conciliant? Respondent: *Vtrùm igitur ab eo accidit, quod quemadmodum venter inanis calidus est, sed dum oppletur, motionis ratione frigescit; ita meatus & loci in capite positi euaporamento commeante refrigerantur*, &c. Et S. Thomas *in commentario* idem tenet, & ratio est: quia si cor infrigidatum à vaporibus descendentibus ex capite auctor somni esset, impertinens omnino foret cerebrum ad infrigidandum vapores, cùm sint ex propria natura frigidiores corde, & alimentum ipsum, antequam in vapores verteretur, posset melius & efficaciùs cordis calorem remittere, & somnum causare. Præterquam quod non potest reddi idonea ratio, cur vapores concreti in cerebro debent necessariò proprio pondere directè in cor præcipitari; & si pelluntur, multò meliùs reijcerentur ante concretionem; neque est via, per quam rectè retrocedant ad cor, si pondere proprio mouentur, neque cur in cor ipsum motus vaporis terminetur, ibique finiatur vltimè. Constat deinde sic sensisse Aristotelem, dum dicit eodem *cap.* 3. *Signum dictorum sunt soporifera: omnia enim grauedinem capitis faciunt, & qui dormitant, hoc videntur pati, & non possunt leuare, nec palpebras; & maximè post cibaria somnus: multa enim ascendit à cibo euaporatio.* Et rursus id probat ex perenni somno puerorum, qui (vt tradit Philosophus) contingit, quia *vniuersum alimentum sursum rapitur, cuius indicium, inquit, est, quòd magnitudo partium superiorum in prima ætate excedit inferna*s, & inde colligit inter dormiendum pueros maximè epilepsiam incurrere, quia somnus est similis epilepsiæ, tentantúrque prædicto morbo dormientes, minimè verò vigilantes. Constat autem epilepsiam esse morbum proprium cerebri. Hæc addoxi, quis etsi Philosophus putauerit sensum communem in corde residere, quamvis falsò, vt omnes contra illum communiter docent, similque doceat somnum & vigiliam esse primi sensorij affectiones, nunquam explicare potuit originem somni sine concausatione cerebri, aut quod in somno cerebrum pati fateatur: nam experimento ductus id fateri coactus est, vt non absque ratione à Galeno reprehendatur 1. *de caus. sympt. cap.* 8. & nihil mirum, variùm percipi Philosophum: quia, vt ignorauit organum primi sensorij, sic confusus est in adducenda ratione somni.

Circa partem igitur affectam in somno est sententia nostra contra Magistrum, quòd si cerebrum constituitur ab eo vt locus affectus in somno: & hoc probat quia cerebrum est origo, & principium omnium sensuum, in quantum influit per illustrationem, & mediante animali spiritu illud, sine quo sensus agi non possunt, quod eo ipso & simili fundamento tenebatur asserere cor posse esse locum affectum in naturali, & contranaturali somno. Probo ratione simili: quia vt omnis sensus & motus cerebrum iudicatur auctor, quia animali spiritu & illustratione celebrantur sensationes omnes & motus: sic similiter non possunt fieri sine calore vitali, cuius principium solùm potest esse cor: neque enim in naturali somno facultas sensitiua ab opere cessat ob aliquam distemperiem; sed quia obstructo cerebro impeditur distributio animalis spiritus ad sensoria: ergo impedito transitu vitalis spiritus ob cordis passionem, causabitur somnus per consensum, priuato sensorio eo, quo indigebat ad operandum, etiamsi abundent animales spiritus in cerebro, & natiuam obtineant temperiem: quoniam hæ sine vitali calore non sufficiunt ad sensum, & motum. Quod elatè indicat syncope, in qua non minus deficiunt animalia opera, quam vitalia, quia ad quod & est requisitus simpliciter calor vitalis: non ergo cor debet excludi à ratione partis affectæ, cùm non minus influat, quod est necessarium simpliciter ad motum, & sensum; & id, quod cor influit, à nulla alia parte potest suppleri. Probatur ergo simili fundamento de corde, ac de cerebro.

Sic etiam ratio tradita à Magistro minùs mihi probatur, dicit enim: Probabilius iudico causam immediatam somni esse retractionem animalis spiritus versus cerebrum, à quo producitur, aut quòd impediatur exitus eiusdem spiritus à causa naturali ad exteriora, quàm retrocessus vitalis spiritus versus cor. Ego quidem econtra dicerem, quia vitalis spiritus non minùs requiritur ad vigilandum, quàm animalis; & quando vitalis retrahitur ad cor, distat à primo sensorio, à cerebro nempe, & applicatur cordi, quod organum sentiendi non est, impediuntur sensationes multò melius retracto vitali spiritu ad cor, quàm retracto animali ad cerebrum: quia hic applicatur parti & organo sentiendi, & distat minus à sensoriis externis.

Rursus peccat Magistri doctrina in secunda causa somni, dum dicit causari posse, quia impediatur exitus animalis spiritus, à causa naturali ad exteriora organa, cum hoc non sufficiat ad integram rationem somni: est enim requisitum in doctrina Philosophi, & omnium quòd patiatur sensus internus, & ligetur, vt somnus dicatur, & ita impedimentum ad sentiendum non solum constituendum est in ordine ad sensus externos, sed etiam ad internos: etiam adduximos rationem

à passionibus primi sensitiui: ergo si illæ causant somnum & vigiliam, prout separant calidum influens à sensoriis, aut ipsis approximant, constat clare esse affectiones calidi influentis, non autem primi sensitiui: sic enim Auerroes in expositione libri de somno & vigilia, dixit somnum fieri per recessum, & contractionem caloris ad cor: sic enim Argenterius, quòd facultas sentiendi otietur in somno, & in vigilia operetur. Verùm id non contingit propter passionem illius, sed propter passionem & motum diuersum calidi influentis, vt diximus. Et confirmat hoc exemplo: quia aliud vitium agnoscimus in ventriculo, quando non concoquit: quia in se, & in propria facultate laborat, ab eo vitio, quod aduenit, quia ob intensam cogitationem non concoquit distracto calore, & commoto ad sensoria: cùm ergo somnus & vigilia naturaliter adueniat absque aliquo vitio interno communis sensus, causenturque solùm ob passiones spirituum, ad istos solùm, & non ad primum sensitiuum pertinere dicentur.

Secundò Argenterius arguit, malè inferri ab his auctoribus somnum & vigiliam in ea parte debere fieri, in qua sentiendi facultas habet suam originem, & propterea aut in cerebro, aut in corde somnum fieri. Probat: quia multò diuersum est somnum & vigiliam esse affectiones sensus communis, & in primo sensorio fieri. Itaque non valet consequentia: virtus sentiendi dimanat à cerebro, aut corde: ergo somnus & vigilia in eis debent fieri. Probat: quia omnia sumunt suam vim à cœlo, cùm tamen nullum ex sublunaribus corporibus dicatur verè in eo fieri; sed quædam à cœlo in aëre, quædam in aqua, & alia in terra. Sic prima coctio, inquit, in ventriculo fit, quamvis à corde ad coquendum suscipiat calorem vitalem. Vt ergo non valet: sensus dependent à cerebro, aut corde: ergo in eis fiunt, cùm fiant reuera in naturalibus partibus à cerebro aut corde: ergo somnus & vigilia fiunt in illis partibus; inde infert Argenterius somnum & vigiliam non esse passiones cerebri aut cordis, sed totius animalis: non enim dicimus, per has aut illas partes vigilare, aut dormire; sed animal: nam animal ipsum, non vna dumtaxat pars illius dormire, aut vigilare dicitur, quoniam vniuersum animal in somno non sentit; in vigilia verò sentit totum, tanquam somnus & vigilia sint passiones totius, non partium determinatarum: estque eius opinio, quod somnus & vigilia nec sunt passiones cordis, neque cerebri, quia in his partibus non fiunt; sed esse affectiones totius animalis, & in eo verè existere propter affectiones diuersas calidi influentis.

Tertiò contra Galenum argumentatur: quia sumpsit falsum principium ad probandum quod somnus in cerebro fiat: conatur enim illud probare Galenus, quia applicatis remediis cerebro, quando animal dormit, auferuntur impedimenta, quibus dormiebat, & vigilat: erat ergo somnus in cerebro: nam si hoc principium, inquit Argenterius, admittatur, non semper erit somnus, aut vigilia in cerebro, sed aliquando in corde, aliquando in venis, imò & ipso ventriculo. Patet, quia & ob cordis incendium vigilat animal, dormiet statim ac cor temperetur. Rursus quando per venenum frigidum cordis dormit animal, si applicetur antidotum calidum cordi, expergefiet statim: ergo non solùm cerebrum, sed cor etiam erunt subiectum somni & vigiliæ: quia illis applicatis remediis somnus & vigilia resultant. Sic, inquit, quando per alimenti defectum, & inediam animal dormit, non expergefiet applicatis cerebro auxiliis; sed assumpto alimento, & reparato calore influente, ob cuius defectum dormiebat, & cessabant actiones: eodem modo somnus ortus ex superfluo exercitio non tollitur nisi quiete, in qua resarcitur quod defatigatio consumpsit, & cessationem actionum causauit, non applicatio alicuius auxilij huic, aut illi

A parti. Vnde tandem infert errorem putantium, omnem vigilandi impotentiam ansetendam esse auxiliis capiti admotis, quando, vt constat, somnus & vigilia ob caloris præsentiam, aut absentiam celebrantur. Non est autem, inquit, vna ratio, non vnus luens, qui causa sit motus, & præsentiæ, vel absentiæ huius influentia calidi. Cum ergo insensibilitates sint in partibus ipsis sensibilibus, sensu tamen priuantur, in ipsis erit somnus reuera, & sic in toto animali; quia totum non sentis per somnum.

Est friuola hæc Argenterij argutiæs: neque enim Galenus, aut Philosophus inuestigant, in quibus partibus detur sensuum priuatio per somnum: constat enim habitum & priuationem eiusdem debere esse: sic sensuum

B priuatio est eius, cuius est sentire: de hoc itaque dubitatio non est, sed de parte affecta in somno, non quod somnus in ea fit solùm, sed quod in ea existente causa somnum inducere potente dormiat animal secundum omnes potentias: & in hac significatione est vera doctrina Philosophi, & Galeni iuxta cuiusque placitum: Est enim celebrata Galeni doctrina, non posse fieri aliquam passionem communem vniuerso corpori, quin patiatur pars, à qua in totum distribuitur requisitum ad illud opus; & quia cerebrum in opinione Galeni & vera, influit in totum id, sinè quo actiones sensuum fieri nequeunt; ideò priuatio earum actionum in toto repugnat, si cerebrum in se non contineat læsionis principium: qua ratione syncope, quia præceps virium lapsus in toto fieri nequit, nisi cor contineat

C syncopis causam quia cor solum est, quod influit requisitum ad opera omnia, calorem scilicet vitalem: quando ergo dicitur ab iis Authoribus somnum & vigiliam esse passiones sensus communis, non sumitur communis sensus, vt significat determinatam potentiam internam, sed vt significat partem, ex qua, vt dixi, communicatur corpori vniuerso vis ad sensum & motum, sine cuius partis passione aut per se, aut per consensum repugnat totum simul priuari sensu & motu.

Hoc fundamento benè intellecto leuia sunt argumenta Argenterij. Ad primum respondeo, quòd etsi somnus & vigilia oriantur in affectionibus spirituum; tamen quia non influere simul in totum corpus oriri non potest, nisi in parte producente illos sit morbus, aut aliqua naturalis affectio; ideo dicitur somnus passio

D partis illius, & non spirituum: quia præsupponitur prius affectio aliqua in parte, antequam essent spiritus ab influxu. Addo contra Argenterium non omnem somnum pendere ex affectione spirituum: nam cùm sensationes non fiant per solum eorum influxum, sed pendeant etiam ab influxu per illustrationem communicato, si vitium detur in hoc, & in spiritu non sit, dabitur somnus non minus, quam per affectiones spirituum. Assumit etiam Argenterius falsum principium: nam etsi sint spiritus animales in cerebro, si interpositi vapores impediant immediatam applicationem partibus capacibus influxus, dabitur actionum cessatio quin intrinsecè aliquid patiantur spiritus.

Ad secundum iam constat solutio: authores enim

E non intendunt aliud, quàm causam somni affecturam esse partem, quæ communem, & necessarium influxum, aut aliud requisitum præstat partibus omnibus: quia somnus est communis passio, & sic causa somni commune principium tenetur afficere, quod est cerebrum, in opinione Galeni, & cor in opinione Philosophi: quia si istæ partes non afficiantur, non priuabitur animal totum simul motu, & sensu, & inde constat, qua ratione animal dicatur dormire: totum enim dormit sine dubio, non tamen dormit, nisi affectio sit in communi principio, & ita primariò est in cerebro, aut corde; secundariò autem in toto animali, quod dormire dicitur.

Ad tertium respondetur nunquam causati somnum,

tiis

nisi commune principium afficiatur aut per se, aut per consensum, & ita semper conferret vt remedia capiti posita patiatur, & quando alteratur à cordis incendio, conferunt etiam infrigidantia cerebro applicata: quia destruitur calor à corde productus, quando verò per alimenti defectum somnus causatur, quia cor retrahat vitales spiritus, & sic dormiat animal; si hoc, inquam, possibile est, constat cerebrum destitui vitali calore, sine quo neque spiritus generat, & sic patitur cerebrum defectu requisiti: si autem somnus aueniat, quia retracto calore operatur interiùs, & vapores suscitat; in hoc casu cerebrum illis impletur, & sic semper patitur communis origo, & eodem modo respondetur ad vltimum de somno per exercitium causato: calor enim exercitij causa fit, & liquat, vt docuit Philosophus, & sic humiditates conuertit in halitus cerebrum obstruentes. Si autem ob nimiam spiritus dissipationem in somnum incidat, eodem modo Philosophandum est, vt in retractione ob inediæ dissipationem docuimus.

CAPVT VI.

Vtrùm Somni naturalis causa sit solus vapor?

NOn inquirimus, si somnus naturalis fieri possit per solam retractionem spirituum animalium ad cerebrum sine aliqua alia occasione: tam enim contra Magistrum probauimus fieri non posse, quòd sensus interni per illam retractionem solam cessent ab opere: de aliis igitur causis, & occasionibus ad somni conciliationem conferentibus, quæstio est, quanam ratione conducant. Est autem prima dubitatio de lectione librorum, aut alia leui contemplatione, quas somnum conciliare experimento probatur, vt multi ad somnum conciliandum nullum auxilium efficacius inuenerint, quàm legere, aut historiam audire. Idem dubitatur de leui murmure aquæ cadentis, de motione cunæ, vt de pueris docuit Galenus *primo de sanit. tuend. cap.*7. cantus etiam nutricis eundem effectum præstat. Idem controuertitur de lotione pedum & brachiorum, & quod magis est, de titillatione plantarum pedum, & de aliis quamplurimis, quorum est ratio similis. Idem de esu lactucæ, & non est mirabile minus, quod opium in tam parua quantitate, vt granorum quatuor, somnum & stuporem inducat, & illo efficacius adhuc in minori quantitate species laudanorum per artem spagyricam extractæ. Quæ omnia clarè confirmare videntur non semper somnum naturalem oriri à vaporibus cerebrum obstruentibus, sed aliam esse rationem, cùm in adductis causis nulla detur eleuationis vaporum occasio, cùm multæ sint frigidæ; aliæ verò ad solum sensum pertineant, & nullo modo sint alterantes, neque materia vaporum.

Argenterius *lib.* 1. *de somno, & vigilia, cap.* 11. aliqua ex dictis contra Aristotelem tradit, vt contra illum probet, non perpetuò esse auctores naturalis somni vapores ex alimento eleuatos; & opinatus est ob adducta argumenta, somnum & vigiliam trahere semper originem, aut quia calidum influens fiat sensibus præsens, aut absens; impediti verò quod sensibus præsit, aut quia à vaporibus impediatur eius distributio per sensus, aut quia retrocedat ob aliquam animæ passionem, aut quia crassius factum reddatur eo ipso ineptum ad motum. Cuius auctoris sententia partim conuenit, quia concedit somnum ex sola retractione spirituum absque vlla vaporum miscella; differt verò, quia Argenterius non admittit animalem spiritum, sed vitalem solùm à corde productum, sine cuius influxu nulla viuentis operatio celebratur. Hunc spiritum dicit retrahi à natura post superfluam vigiliam; aut laborem immodicum, & sic somnum fieri. Similiter retrahitur idem à ventriculo spiritus post alimentum, vt illum concoquat: sic in tristitia, & timore retractio fit: verba Auctoris sunt: *Causa retractionis vna non potest esse communis omnibus causis somnum inferentibus: nam vbi deest substantia, contractionis causa est defectus subiecti, sine quo nequit calor consistere, & vniuerso corpori communicari. Cùm verò reuocatur calor ob actiones partium internarum, & coctionem ventriculi, somnúsque fit, contractionis causæ sunt facultates illarum partium instrumentum, sine quo agere nesciunt ad se reuocantes; cùm autem somnus fit, contractionis causa ab iis, quæ calorem repellunt, contractionis causa natura est à contrario pellente, & internis partibus attrahentibus quod ab externis reiicitur, ne torpescat naturæ instrumentum: cùm autem fit somnus eo quod calori influenti via sit occlusa, vel desit in sensoriis, quod illud moueat, & alliciat, & impeditur illius motus rectà ferri, vt oportet ad sensoria, contractionis vna est causa, ne scilicet aliquid sit otiosum in natura: vbi enim non habet quid agat calor, aut impeditur agere in externis membris, ille meritò illa deserit, ad internásque partes se recipit ab illis reuocatus; seruit ergo tunc calor internis partibus, vbi, vt anteà diximus, semper aliquid esse solet, quod concoquat, & ad suî conseruationem conducat; ac verò cùm somnus fit refrigerata, concretáque calida substantia, nulla contractio fieri videtur: quia substantia sic affecta inepta est ad contractionem, & alium quemlibet motum, vt in his qui sumpserunt papauer. Quæ* fit, inquit, *doctrina contra Galenum: calor in somno, vel defectu subiecti, vel quod repellatur, vel quod reuocetur ad suas fontes, quando agere non potest in sensoriis, aut illi ad suas functiones communi hoc instrumento maximè indigent.*

Constat ergo ex huius auctoris doctrina vitales spiritus nunc retrahi à ventriculo, nunc à corde: à ventriculo quidem, quando tentant coctionem: à corde, quando ob vigiliam consumuntur, aut opprimitur passionibus animæ retractionem spiritus annexam habentibus. Putauit etiam Argenterius, sæpè vitalem spiritum mitti in partes inflammatas, aut in alias determinatas in quibus putredinis focus existit, vt vincatur causa maligna, & coquatur, aut resolutione euanescat: sic enim, *vt tractatu de rigore* contra illum scripsimus, docuit rigorem non aliter fieri, quàm coaceruato vitali calido in loco putredinis, & propter rius defectum ambitum corporis, & extrema frigere, & tremulos esse propter caloris inopiam, & ex adductis principiis soluit problemata omnia, quæ velut argumenta contra Philosophum retulit.

Hæc sunt Argenterij, licet videatur probabilius, quàm Magistri nostri placitum, quatenus vitali spiritu retracto ad cor aut interna faciliùs percipitur quòd deficiat in sensoriis, & sic quiescant ab opere. Cum hoc tamen mihi non placet: quia nullum datur incendium efficax ostendens per naturalem vigiliam consumi vitalem spiritum, & sic retrahi vitale calidum versus cor & interna, quod sensus priuati calore influente agere nequeunt. Et argumentum, quod ex somno post vigiliam eueniente, aut post defatigationem corporalem absque vlla alimenti sumptione desumitur, solutum iam est. Et contra Argenterium pugnant etiam non minus argumenta adducta contra Magistrum: & hoc, quod iam conficio: sequeretur enim ex doctrina Argenterij, quòd etiamsi cerebrum laboraret sicca distemperie, dummodo cor maneret illæsum, dormiret nihilominus æger plusquam per naturam, quod est contra experimentum. Probatur sequela: quia virtus cordis retrahens ad se, & corporis intima vitales spiritus, nullam læsionem habet per intemperiem siccam cerebri: ergo retrahet non minus quàm per naturam vitale calidum ex tanta vigilia consumptum: experimur verò melancholicos, aut alia occasione cerebri exsiccatos somnum conciliare non posse. Ergo adæquata causa dormiendi

dormiendi non est victos cordis attrahens, supposita spirituum inopiâ, cùm hæc duo dentur in cerebro exsiccato, & tamen peruigilio perpetuo opponitur.

Secundò: quia in distemperie humida, & frigida cordis daretur peruigilium. Patet, quia attractio fieritate & calore celebratur: deficit ergo sub dicta intemperie, & sic nunquam detinebuntur interiùs vitales spiritus, neque fiet somnus. Rursus econtra propter siccam, & calidam cordis distemperiem, daretur somnus profundus, & contra naturam. Probatur: quia attractio depravata sit, aut aucta contra naturam ob illam intemperiem: nullus verò nactenus inter causas somni contra naturam constituit distemperiem calidam etiam cordis, vt neque peruigilij humidam & frigidam: & ipsemet Argenterius ait ob cordis incendium peruigilium fieri, quando contrarium deberet contingere, si tractione spirituum summus causaretur, vt ipse putat; eandémque veritatem suadet inflammatio lypirica reuocans ad se non solùm sanguinem, sed spiritum, ita vt partes externæ quasi gelu percipiantur, & nihilominus durmire non possint: esset in opinione Argenterij retractio illa somni profunda causa.

Neque obstat quod Hippocrates insinuet somnum & vigiliam fieri per motum calidi influentis: sic enim scripsit *lib.6. Epidem. sect.4. text.11. Manifestè qui vigilat, calidior est exterius; interius verò frigidior: qui dormit, econtrà.* Quam etiam doctrinam tradit Galenus 2. *Aphor. comment.* 1. ex qua deducit ex mente Hippocratis & antiquorum, somnum & vigiliam fieri iuxta innati caloris motiones diuersas: idemque docuit *lib. 3. de caus. puls. cap.4.* quia ergo somnus causatur retracto calido ad intra, est interius dormiens calidior, exteriùs verò frigidior: in vigilia verò, quia calidum extra mittitur, deserit interna, & sic sunt frigida magis, quàm exteriora; hæc verò calidiora, ex qua permutatione somnus conciliandus est in aëre frigido; dormiens tamen cooperiendus est: nam quia exterius est frigidior, eget tegumentis, vt partes externæ calefiant, & quia viscera ardent per somnum retrocessu caloris ad intra, opus est aere frigido, vt eius inspiratione cordis & viscerum incendium temperetur: quod his verbis ducuit: *Somnus in frigore coopertus*: hoc est, *dormiens sit in aere frigido, sed coopertus.* Respondeo his locutionibus non dici quòd spiritus trahantur ad intra, & ab hac sola tractione nullo alio superaddito somnum causari: nam si animales tetrahantur à cerebro, non propterea cessabunt sensationes internæ, vt contra Magistrum docui. Quod autem à corde talis retractio non fiat, ita vt cessent sensus omnes ab opere, probatum est contra Argenterium. In vigilia ergo moueri ad extra vitale calidum nihil aliud est, quàm in ea non dari impedimentum, vt distribuatur ad extra, & in somno intra moueri non est trahi ab internis, & sic fieri somnum; sed est detineri interius: quia datur impedimentum in somno, vt possit ad exteriora distribui: est autem impedimentum vapor eleuatus obstruens cerebrum, & partes iuxta cutem, vt expressè docet Galenus *lib.3. de caus. puls. cap. 9.* dicendo: *Nam in alimento coquendo, quia largè succedit humiditas vaporosa, tum in ipsa cute, tum in poris; corporibúsque ad externam superficiem vsque interpositis omnibus, non perinde iam calori proclius est ad externa motus: quare vt hanc discutiat, remoueatque, vt meatus repurget, & corpus vndequaque sibi penetrabile reddat, postulat primos vehementes, atque violentos motus.* Quo loco clarè docet corporis ambitum obstrui in naturali somno, & inde impediri distributionem spirituum ad exteriora; & propterea intus detineri: & hoc detineri interius appellant auctores retrahi ad intra, sicut non impediri, vt extra distribuatur, appellant trahi ab externis partibus ex visceribus, & ab istis in ambitum corporis mitti.

Dicendum ergo est, quod quamvis retractio fiat à natura, non ideò immediatè sequatur somnus ex ea: non enim potest, vt argumentum de cerebri siccitate ad peruigilium ducente efficaciter probat; sed fieri reuera ad impediendam superfluam dissipationem spirituum, & ab eis interius detentis calefieri viscera, vt sic idonea materia euncoquatur, ex cuius coctione eleuatis aliquibus excitatur somnus, sin minus, quamvis retrahatur, non erit sensuum otiositas, nisi tanta fiat dissipatio vitalis spiritus, aut animalis, quod iam non sit naturalis cessatio, sed violenta & morbosa, vt in incipiente deliquio, aut morbosa debilitate; & contra Argenterium stat doctrina Galeni 3. *libro de caus. puls.* ex somno: vbi docuit in somni initio minores, languidiores, tardiores, & rariores fieri pulsus: istæ autem differentiæ in initio somni naturalis repugnarent, si ex solo retrocessu vitalis caloris ad viscera forent emanaturæ. Constat: quia cor redditur calidius, & fortius per illum retrocessum, si solus retrahitur spiritus: cùm ergo docente Galeno eodem loco adductæ differentiæ eueniant in somni initio, quia calor alimentariam naturam conficit, ex cuius vaporibus onerantur arteriæ; constat ex Galeni doctrina initium somni oriri ex grauitate, & obstructione, oneréque vaporum, si in somni initio dantur tales differentiæ: nulla alia causa somni naturalis in mea opinione datur, nisi vaporum copia obstruentium cerebrum, & ambitum corporis, vt Galenus docuit: neque aliam assignauit Philosophus *lib. proprio*: vnde si natura retrahit calidum influens ob somni conciliationem, non retrahit illud solùm, sed vnà cum eo sanguinem, vt ei applicata natura alteretur magis, & abundans insurgat euapotatio obstruens, vt diximus: in quem sensum potest adduci Hippocrat.6. *Epid. sect.5. text. 29.* in quo sic scripsit; *sanguis in somno intro magis fugit.*

Quomodo autem soluantur opposita, sic aggredior: & quia de murmure aquæ cadentis, de cantu, & cunæ, & lectuli pensilis motitatione est eadem causa, soluentur priùs. Et in primis est certum omnia dicta, & si quæ sunt alia eiusdem naturæ, vt somnum concilient, debere esse moderata: nam motio vehemens, vox alta, aut sonus cum strepitu nullatenus conferunt, sed potiùs inducunt peruigilium. Dicta igitur, si moderata sint, & non ingrata, vt est naturæ grata omnis moderatio, ad quam gratitudinem capiendam cessat natura ab omni alio opere, & veluti suspenditur applicando solum eam potentiam perceptioni illius grati obiecti inseruientem; & quia obiectum moderatum est, & moderatè concurrit anima: cessantibus igitur aliis sensibus non dispergitur per organa vitalis spiritus, neque animalis, & sic interiùs manendo, & distant magis à sensibus, & efficaciùs operantur interius suscitando vapores ex massa sanguinaria, & alia omni humiditate vtili, sicque conciliatur somnus: ergo quæ sic illum conciliant, & moderata esse debent, & non ingrata naturæ, quorum si deficiat alterum, deficiet & somnus: intensa enim, & efficacia sensibilia, etsi sint ingrata, nimiam efficiunt spirituum conuocationem ad extra, neque potest esse nisi intensa vigilia, si percipitur intensum obiectum, quia ipsa perceptio fit vigilia; nihil tamen magis opponitur somno conciliando, quàm intensa vigilia. Nunquam tubæ sonus, si proximus sit, dormire faciet: proptereà moderatum debet esse obiectum, & si sit tale, modo sit ingratum, non conciliat somnum, quia nulla molestia detinet animum in quiete, sed in motu: quia fugere molesta, est moueri suo modo appetitu, & sensu in contrarium; & hoc est etiam expergefieri: quia ad nouam cognitionem & actum æstimatiuæ, & appetitus conducit: quod est vigilare, vt fugiat molestum.

Neque

Neque obstat, si dicas ea, quæ sunt grata prosequi appetitum, vt fugit molesta, & sic non minus à gratis expergefieri: quia indicat æstimatiua conuenieotia esse, & sequitur appetitus prosecntio. Rectè obiicies: sed quæ somnum conciliant, non debent esse grata ita vt propter delicias illa prosequamur, sed debent esse grata priuatiuè, etsi positiuè grata non sint; debent itaque non esse ingrata, sed neque prosequibilia gratitudine nimia: quia non minus expergefacient, eo quod animal reuocatur ad eorum fruitionem, quod est moueri & expergefieri. Debent ergo esse obiecta iodifferentia, ob moderationem tamen suspendentia animam à reliquis sensibilibus; vnde quæ sic conciliant somnum, non debent esse noua, quia hæc admirationem causantia expergefaciunt etiam: debent ergo esse assueta moderata, & nullo modo ingrata: sic enim à reliquis sensibilibus suspenditur anima.

Neque obstat sæpè nutrices vehementiori cantu somnum conciliate: nam etsi hoc sit verum, non est cantus vehemens ille pro infantibus: cùm enim habeant obtusum nimis auditum ob superfluam humiditatem excrementitiam cerebri, est ille sonus, qui apparet vehementior, mnderatus auditui infantium.

Lactuca verò sumpta somnum affert non vno modo, sed pluribus: est enim euaporabilis, vt reliqoa alimenta, & sic corporatura vaporum cerebrum obstruit; si autem sumatur in nimia quantitate, condensat vias immodico frigore, incrassat spiritus, & densat, illosque reddit immobiles; hic autem somnus naturalis non est: sæpè etiam, etsi non densaret vias, aut spiritus, somnum causat reducendo temperiem calidam & siccam cerebri ad mediocritatem: quia illa infrigidat & humectat, & ita attemperato cerebro non resoluit vapores ab alimento eleuatos, quorum etiam acrimoniam contemperans somnum naturalissimum caosat, quia detinentur ob adductas rationes.

De opio latè scripsi in curatione apoplexiæ non conciliare somnum, quia frigidum, sed quia vaporosum, & sulphureum, vt mistum, & non contemnendis argumentis calidum esse probaui. Quod si frigiditate putes somnum inferri, non erit naturalis, si densando spiritus, & immobiles eos reddendo dormire faciat: quod non est contra nos inquirentes solùm causas somni naturalis. Potest tamen, si putetur frigidum, attemperare cerebrum, & acrimoniam vaporum retundere, & partem distemperatam, à qua creantur mordaces, corrigere, & sic erit causa somni naturalis ex accidenti, vt lactuca; per se tamen immediatè causabitur à vaporibus. Quod autem de lectione libri obiiciebatur, notandum est non semper conducere ad somnum; sed interdum ad vigilandum afferre, vt opinatur Aristoteles *sect. 18. problematum, quæst. 7.* sic dubitaos: *Cur alios, si legere cœperint, somnus occupat, vel nolentes; alios vigilare volentes liber susceptus reddere peruigiles potest?* Cuius problematis traduntur rationes aliquæ. Adduxit primam Philosophus ex parte dispositionis corporalis: nam quando cerebrum excrementis frigidis, & humidis abundat, calefiunt ab spiritibus sursum ascendentibus, quando legere incipit: & quia flatus ex humida materia eleuati multi sunt, & cerebrum obstruunt, occludúntque vias, per quas communicandi sunt spiritus sensoriis, sicque vincitur cogitatio, seu cognitio, & cessat ab opere incepto anima, dormiúntque sensus. Si autem cerebrum sit excrementis humidis liberum, calefit ab ascendentibus spiritibus, & resoluuntur excrementa si quæ sunt, & ideò durat in obiecti contemplatione, & vigilat legendo. In primo casu, inquit Philosophus, vincitur motus spiritualis, seu cogitatio à motu corporali; à vaporibus nempè eleuatis. In secundo verò contrà cogitatio vincit corporalem motum, hoc est, ascendentes vapores, aut qui eleuantur, quia non impeditur ab illis.

A Alia solutio adducitur à Philosopho ex parte cognitionis: nam quando anima non intelligit, quod legit, aut non assequitur, quod ioquirit, manet indefinita, id est, non quiescit; sed permanens vigil inquirit veritatem problematis: *Intellectiones*, inquit Philosophus, *peruigiles sunt, quibus anima quærat, & dubitet: non illa, quibus assiduè contempletur, cum illa faciant in definitionem, hæ non faciant.* Itaque si non inuenit rationem quæstionis propositæ, vigilat anima, & seipsam solicitat, vt inueniat rationem quæsiti, sicque non dormit, neqoe est definita; at quando iam adepta est rationem quæstionis, quiescit, & definita est, & sic ad somnum inclinatur. Est modus iste familiaris, quando iam inuenta ratione problematis, vt à memoria non excidat, suspendit sensus externos, & solùm internè operatùr repetendo rationem illam, vt firmiter memo-
B riæ adhæreat. In hac autem suspensione sensuum externorum intrò colligitur calor, & incipit eleuare vapores somnum conciliantes: quòd præcipuè fit, si iam defatigata sit anima in inquisitione rationis: tunc enim cessant magis externi sensus, & non mouetur calidum ad extra: quod in eadem solutione docuit Aristoteles dicendo: *At vbi constiterit, & quasi fatigata succubuerit mens, immutatur, & vapores crassiores sursum sese efferentes ad caput, somnum faciunt*: vt his verbis clarè constet iuxta mentem Philosophi, ob immoderatam vigiliam non aliter somnum causari, quàm medijs vaporibus, malèque Argenterius *lib. 1. de somno & vigilia, cap. 11.* Aristotelem reprehendit, quòd soluat adductum problema, non stando suis principiis de vaporibus facientibus somnum: constat enim ex
C eius doctrina loco immediatè citato, in nullam aliam causam somnum reduxisse, nisi in copiam vaporum.

CAPVT VII.

De causa finali somni.

QVis finis statuendus sit somno, est satis difficile in nostra opinione: nam cùm nulla alia causa somni naturalis tradatur à nobis præter alimenti exhalationem cerebrum obstruentem, & hæc sit omnino accidentalis calori eleuanti vapores, & his sit non minus per accidens cerebrum pertingere, & illud obstruere. & quòd sic obstructo cessent operationes, videtur in rigore somnum non esse intentum per se à natura,
D sed quid casuale. Sed doctrina Philosophi est somnum habere finalem causam, seu esse propter finem. Est verò finis custodia salutis & vitæ. Sic loquitur *cap. 2. huius libri*: *Somnus profectò ad salutem iunctis animalibus fuit.* Rationem adduxit: quia si non potest animal esse in perpetua motione, sed operando lassatur, & imbecillum redditur, necesse est quiescere ab opere, ne consumptum deficiat assiduo labore: vnde si somnus est quies, constat esse ob salutem. S. Thomas *in commentario*, sic mentem Philosophi exponit: *Cuilibet animali non potenti semper continuè moueri cum voluptate, necessaria est aliquando quies propter salutem eius.* Sed somnus est quies huiusmodi: quia animal non potest continuè agere cum voluptate: ergo necessarius est somnus propter salutem animalis, & ita patet quod
E definitio somni est salus animalis.

Quod cùm ita sit, & tam perspicuè à Philosopho doceatur, absque vllo fundamento illum reprehendit Argenterius *lib. 1. cap. 17.* quem certè non intellexit: non enim dixit Philosophus, quod quies sit finis; sed quòd quies & actionis cessatio sumitur à natura vt medium, sine quo salus animalis consistere nequit: quia non potest esse perpetuò in motu & actione, & sic necessaria est quies, vt instauretur, quod per vigiliam deperdidit: vt hunc finem assequatur, somnum assumpsit

vt

vt medium natura : quia est actionum animal dissipantium cessatio, & quies, in qua spiritus acquiruntur per vigiliam deperditi.

Sed videamus quæ obiicit. Primò dicit, quod si somnus priuatiu est, nullum finem habere potest. Secundò : si somnus causatur in opinione Philosophi ab alimenti vaporibus ex decoctione eleuatis, absurdum est aliquem finem naturalem somno dicere : quia semper quod animal comedit, vapor insurget sicque somnus absque aliquo fine; sed ita cogente necessitate : quia alimentum assumpsit, cuius coctio, vt necessaria est, ita eleuatio vaporum, & per consequens somnus dabitur absque aliquo fine. Tertiò : quiescere ab operibus, & alimenti coctio, duos fines constituunt; at verò vnius rei vnicus tantum dandus est finis : non ergo somni erit finis duplicatus, quies scilicet actionum, & alimenti coctio. Et confirmatur : quia si datur aliquid propter finem determinatum, nunquam erit sine finis positione, ob quem datur; at si somnus nascitur à vapore alimenti, dabitur sæpè quando neque est opus, vt cessent actiones, neque vt concoquatur alimentum. Probat primum : quia si sumatur alimentum, quando fatigatæ facultates, neque cerebrum non sint, dormiet animal, & non erit opus quiete. Probat secundum, quando somnus conciliatur post magnum laborem, aut vigiliam, qui eueniet absque vlla necessitate concoquendi alimentum, cùm sine illius sumptione sæpè post labores, & vigiliam concilietur. Rursus quæ eueniunt ex necessitate materiæ, repugnant finem habere, quia necessariò eueniunt data materia: hoc autem somno non conuenit, si ex alimenti vapore creatur ergo non est ob finem coctionis. Similibus rationibus in Galenum inuehitur, quòd affirmauit somnum datum esse ob cerebri recreationem, & quietem. Contrà, inquit, quia priuatio non præscribit sibi aliquem finem; sed agens est, quod sibi finem determinat, & propter quem operatur : nam fines agentium sunt. Deinde quia sæpe somnus contingit, quando cerebrum fatigatum non est, vt quando absque debilitate alimentum assumitur : & si somnus datur, vt instaurentur spiritus ob vigiliam consumpti, satis foret constituere finem ipsam spirituum restaurationem, & non cerebri quietem.

Certè quæ obiicit Argenterius, facillima sunt, cùm expressè dicat Philosophus, somnum datum esse propter animalis salutem, & hanc esse vltimum finem, ob quem à natura intenditur, reliqua verò somnum concomitantia medium esse, quo finem illum consequitur, vt ipsa actionum quies, obstructio cerebri, reparatio vitalis caloris, & animalis spiritus, & ipsa alimenti maior concoctio, & partium nutritio, vnioque maior spirituum inter se : hæc omnia eueniunt in somno necessario, suntque media ad salutem conducentia, & durationem in statu salubri.

Rectè igitur potest sumi vt medium actionum cessatio, si ex ipsarum continuatione viuens periclitatur, & inducitur à natura talis dispositio in corpore quod cesset necessariò ab operibus, quibus consumitur, vt reparetur, & in statu salubri constituatur : neque respectu hominis potest esse dubium, quod cùm sentiat se lædi à continuis operibus, possit liberè cessare, vt illam læsionem non augeat, & sic se ad dormiendum recolligere: & idem in brutis spontaneè operantibus eueniet.

Ad secundum respondeo, quod de somno naturali loquendo, vt loquuntur Philosophi, & Medici, sæpè eueniet, quando finis instat. Ratio est, quia si datur in reparationem deperditi, tunc alimentum sumendum est, quando famescit animal, estque iam inanitum, & resolutum vigilia, & tunc iam adest finis somni, quod verò sumatur alimentum, quando illo opus non est, & somnus eueniat, est omnino per accidens, quia vt illud alimentum à natura non petebatur, sic nec somnus ille, nec erit in rigore naturalis in hac significatione, quod exigatur à natura, licet aliis modis naturalis dicatur, quia scilicet pendet à principio instituto à natura.

Ad tertium respondetur, quòd quies actionum liberè facta non est somnus, sed occasio, vt somnus eueniat; hic autem consistit in quiete orta ex naturali impedimento, ita vt dormiens non sit in potestate operandi, vt est in illa, quando cessat sponte : huius autem somni est finis sanitas, & vigor animalis : reliqua se habent vt medium, quo consequitur finem vltimum, aut si mauis, omnia constituunt vnum finem adæquatum ex pluribus partialibus constantem : & sic nihil probat Argenterij ratio, & quæ in eius confirmationem adduxit, manent soluta. Sic etiam quod de materiæ necessitate proponit, nil probat : quia, vt dixi in solutione argumenti secundi, alimentum quod habet rationem materiæ, non debet sumi ab homine temperato, nisi quando à natura expetitur. Tunc autem adest finis somni : quia est iam consumptio orta ex vigilia, & est alimentum assumptum, quod eget coctione.

Quæ verò obiicit contra Galenum, ex dictis etiam manent perspicua : nam cessationi actionum consumentium animal dicatur finis, restauratio nempe deperditi, & vigor actionum, in quo consistit salus, aut per quæ demonstratur : quia verò multa sequuntur ex actionum cessatione, explicatur modò finis partialis per vnum, modò per aliud, & sic variè loquuntur auctores, conspirant tamen omnes in eundem adæquatum finem, salutem nempe.

Argumentum verò in principio quæstionis positum nullam vim habet : finis enim somni non sumitur ex intensione caloris eleuantis vapores, neque ex istis, vt obstruunt; sed ex naturæ instituto, quæ sic disposuit animalia, vt assumpto alimento, sine quo consistere nequeunt in occasione præfinita à natura, instet somni finis, & ad restaurationem spiritus deperditi, & ad alimenti coctionem, à quibus salus hominis pendet.

Sed inquiretis : si somnus causatur à vaporibus alimenti, cur non semper quod animal cibatur, soporatur etiam : nam si temperatum est, & alimentum commutat, est inexcusabilis eleuatio vaporum, & inde erit ineuitabilis somnus, cùm detur causa adæquata illius. Respondetur quòd quando sumitur alimentum sine necessitate restaurationis, estque animal spiritibus plenum, non cessat à sensuum operatione; quia fatigatum non est, & sic semper solicitat sensum, & mentem, quia vigilat : huic solicitudini, & vigiliæ annexa est immoderata attractio spirituum omnium ad cerebrum; hi autem resoluunt magnam vaporum partem ascendentium, & vias, porosque recludunt, vt exspirent facillimè; & sic non manet copia, quæ animal soporet. Accidit etiam, quod per vigiliam mittitur sæpè magna pars eorum ad extra, & corporis ambitum : est enim vigilans, vt docuit Hippocrates, calidior extrinsecus, & inde fit, quod totus corporis ambitus sit nimium perspirabilis : & quia interiùs est frigidior, dum vigilat, non ita confertim eleuat vapores, vt qui suspendit sensus; quia minus calent viscera vigilando, & sic remissior calor cùm sit, leuè vapores suscitat non potentes omnino obstruere, vt ad somnum requiritur : & hinc fit, quòd per seipsum anxiè solicitatus à cibi sumptione, quamuis sit inanitus, non dormiat. Ratio constat ex immediatè iam dictis.

Est rursus quod pulchrè inquiratis : videtur enim quòd sine somno possit homo reparari, sicut si dormiret. Probatur : quia tota ratio, & causa reparationis consistit in hoc, quod in somno otiantur sensus, & motus, & sic non consumuntur spiritus, & abundant interiùs, qui per exercitia & sensus dissipandi erant; sed si homo liberè cesset ab omni actione, & motu, vt potest, non consumentur spiritus : ergo sine somno reparabitur, sicut si dormiret. Et confirmatur : quia

vapor obſtruens cerebrum non conducit aliter ad reſtaurationem virturis, quàm auferendo influxum ad prædictas actiones requiſitum; non eſt verò principium reſtaurationis in quantum non influit; ſed quatenus ceſſant actiones per defectum influxus. Idemque probatur, quando ob ſolam retractionem, vt putabat opinio contraria, ſomnus cauſatur: in quo euentu potiùs infrigidatur cerebrum per defectum caloris, & reparatur nihilominus, quia animal ſenſu, & motu priuatur. Neque argumentum ſoluitur, ſi dicatis, quòd ſuſpendit liberè actiones, & motus non poteſt non operari per internas potentias, cùm ſit in ſtatu vigiliæ, & neceſſariò teneatur circa aliqua obiecta operari, & ita vigilabit, & diſſipabitur. Sed contrà: quia, vt inferiùs probabo, repugnat per internos ſenſus, quando operantur, poni diſpoſitionem incompoſſibilem cum ſpiritibus: ſunt enim eorum actiones immanentes, & perfectiuæ, quibus conditionibus nullam materiam poſſunt transmutare per actiones: ergo illorum nullum eueniet ſpirituum diſpendium. Reſpondetur, quòd qui liberè ſuſpendit actiones & motus, reparabitur non dubiè, ob quod patientibus peruigilium tutum conſilium eſt vt quieſcant, & in loco tenebroſo collocentur: eſt tamen hæc reparatio leuiſſima, ſi comparetur cum illa, quæ ex ſomno aduenit, vt dicas propriam debilitatem venturam ex vigilia & potiùs motu prohiberi, quàm quod reparetur perfectè per quietem illam. Ratio eſt, quia in ſomno naturali non ſolùm non diſſipantur ſpiritus, quia ceſſant ſenſus, & motus; ſed etiam impediuntur ad externa diſtribui, & ſic interiùs abundant, roborantur viſcera, alimentum coquitur perfectiſſimè, & ſpiritus ipſi inter ſeſe magis vniuntur: quod etiam ad nouum robur non leuiter confert, obſtaculum autem, ne foras exeant, ab ipſis vaporibus ponitur obſtruentibus cutem, & ambitum corporis, vt Galenus docuit *loco* iam *tradito*. Vnde qui liberè actiones ſuſpendit, cùm nollum impedimentum habeat, ne propria leuitate, & agitatione, motúque arteriarum huc, & illuc moueantur ſpiritus, non detinentur interiùs: neque benè coquitur alimentum, neque ſpiritus vniuntur, vt diximus, & ſic non roboratur, & paulatim virtus fatiſcit: quia repugnat præter dicta non reſolui ſpiritus plurimos per corporis ambitum, cùm ſint per ſpiracula libera, quæ obſtructa ſunt, & impedita in naturali ſomno.

Quæ doctrina, ſi benè perpendatur, non leue argumentum eſt contra opinantes ſomnum fieri poſſe per ſolam retractionem ſpirituum: nam cùm nullum impedimentum detur, ne foras euolent, qui generantur de nouo, non fiet reparatio notatu digna, vt per ſomnos naturales videmus. Præterquam quòd ſi Galeno credimus *lib. de rigore, & tremore*, quies eſt mors ſpiritibus. Conſtat autem, quòd ſi toto tempore, quo dormit animal, detinentur, à natura moueri non poſſunt, & ſic periclitari & corrumpi. Dixit enim Galenus loco allegato, ſubſtantiæ perpetuò mobili, qualis eſt calidum influens, quieſcere mors eſt, in ſomno verò à vaporibus orto, etſi foras non exeant, non detinentur tamen quieti violenter; ſed interiùs mouentur, & ventilantur, vt poſſunt.

CAPVT VIII.

Quomodo excitetur dormiens?

DVpliciter experimur excitari dormientes. Primo modo excitantur ſine aliquo irritamento extrinſeco: ſecundo per illud, vt quando vocatur dormiens, aut pungitur, aut aliud vehemens ſenſibile illum alterat: eſt enim certum, vt iam retulimus, non deficere

A omnino ſentiendi potentiam in ſomno naturali; vnde etſi dormiens non percipiat obiecta, quæ vigilans percipere poterat, percipit tamen vehementiùs immutantia, ad quorum perceptionem expergeſit, & interrumpitur ſomnus. Inquirimus ergo quomodo id fiat.

Quantum ad expergefactionem abſque vllo extrinſeco admoto, conſtat tunc ſomnum ceſſaturum, quando deficiat impediens; illud autem erat in noſtra opinione vapor cerebrum obſtruens: quando ergo alimentum concoctum iam eſt, & euaporatio ceſſauit, ceſſat & obſtructio, & accedentes ſpiritus ad ſenſoria diſtribuuntur per totum, ſicque percipiunt obiecta. Conſtat verò in hac ſomni interceptione operari primò ſenſus internos, quia priùs liberatur cerebrum:
B quod quia habet reſeruatas ſpecies obiectorum, ſtatim ac diſſoluitur, & liberum manet, incipit percipere obiecta, quorum habet fœcundiores ſpecies. Si autem infans ſit, & nullam habeat reſeruatam ſpeciem, vigilabit primò per ſenſus externos, deinde per communem ſenſum, & reliquos, ſi poteſt per illos operari. Eſt aſſertio hæc deſumpta ex mente Ariſtotelis *lib. proprio, capite citato*, dicendo: *Expergiſcitur animal quando abſoluta concoctio eſt, & calor, qui ambientis frigoris opera ex amplo in arctum coiuit, euicit, atque ſanguinem feculentum à ſyncero diſcreuit.* Sanctus Thomas *in commentario* tres adducit cauſas efficientes vigiliæ. Prima eſt digeſtionis completio: quando enim completa digeſtio eſt, ceſſat euaporatio, quæ cauſa erat ſomni. Secunda cauſa eſt, quando calor naturalis, qui expulſus
C eſt ad intra, & anguſtas venas à frigiditate ipſius vaporis circunſtantis obtinuerit contra frigus illud: tunc enim diſſoluit illum vaporem congeſtum in venis, & facit deſcendere deorſum, & aſcendit ſurſum ad ſenſum. Tertia cauſa eſt, quando facta iam eſt diuiſio ſanguinis puri ab impuro. Omnium Doctorum eſt ratio facilis, quia ſomnus cauſabatur à vaporibus obſtruentibus per coctionem eleuatis: ab iis occluduntur viæ, per quas ſpiritus diſſeminandus eſt, & diſtribuendus ad ſenſoria, & ſimul impediunt vapores illi influxum ſpirituum, quia ſunt vapores incapaces illius; & quia dum eleuatur tanta copia vaporum, ſanguis neceſſariò agitatur, & turbulentior redditur permixto craſſo cum tenui: finita coctione ceſſat hæc turbulentia, &
D craſſum deſcendit; eminet verò, quod ſubtilius eſt: finita ergo coctione ceſſat euaporatio, vincitur etiam, quæ anteà erat genita, calor diſſeminatur per totum corpus ablato iam diſtributionis obſtaculo, & craſſum ex feruore agitatum, & eminens ſubſidet ſedato feruore, ſicque vitale calidum, & reliqui ſpiritus ad ſenſoria diſtribuuntur, & expergiſcitur animal. Vbi notabitis quòd expergefactio eſt quid inferius ad vigiliam: nam omnis vigilia non dicitur expergefactio, ſed quæ immediatè poſt ſomnum fit, vt eodem *cap. 3. lib. proprij* docuit Philoſophus dicendo: *Quoniam autem ſanguis maximè poſt ingeſtos cibos indiſcretus fit, tunc ſomnus obrepit, & tamdiu durat, quoad ſanguis purus ad partes ſuperas, turbulentus ad inferiora ſequeſtratus, delegatuſque ſit: quo facto animal ab onere cibi abſolutum ex-*
E *citatur.* In huius loci expoſitione quædam dicuntur à Diuo Thoma veritati anathomicæ aduerſa; ſicut & quod omnis ſanguinis generatio fiat à corde, & quod cor tres ventriculos habeat: quod etiam docuit Philoſophos, in quibus ſequendi non ſunt.

Quando verò aliquis excitatur à cauſa externa, videtur res difficilior. Ratio dubirandi eſt, quia nihil per contactum extrinſecum, aut ſenſationem, aut ſpecies intentionales producitur, quod poſſit reſoluere vapores obſtruentes, & cauſantes ſomnum: & inde non apparet, quomodo ceſſet obſtructio, & ſomnus interrumpatur. Reſpondet Magiſter noſter *diſp. 4. cap. 4.* nullo alio modo fieri, niſi ſentiendo priùs obiecta illa, ſonum, aut clamorem per auditum, aut tangibile per

tactum:

tactum: quia in somno, inquit, non priuantur partes omnino virtute sentiendi; & sic sentire possunt aliqua obiecta, sicque natura conatur maturem quantitatem spirituum adducere, & pelluntur tunc vapores, si aliqui dantur in via, vt quando aliquis excitatur à somno ante coctionem finitam alimenti.

Hæc doctrina Magistri mihi non satisfacit. Primò quia si priùs præsupponitur sensatio obiecti, vt expergefiat, ita vt necessariò antecedat sensatio illa expergefactionem, iam præsupponitur sensatio facta: erat ergo sufficiens influxus in ipso somno ad perceptionem illius obiecti: & inde non est, cur mittantur de nouo spiritus, vt sentiatur illud idem obiectum, quod dormienti applicatur. Secundò quia in vigilia si applicaretur illud idem obiectum, mitteret natura eodem modo spiritus ad illam partem, & huius transmissionis aliquod indicium daretur: nam necessariò de nouo calefiaret, & turgidior pars perciperetur, quod est contra experimentum. Tertiò vrgenter arguo: Quando obiectum applicatur parti, in qua abundat nimis spiritus, etiam dormiens suscitatur, & tamen non est finis, ob quem ad illam partem abundantem in somno spiritibus fiat transmissio eorum. Hoc manifestè constat, quia insomnia ipsa hominem expergefaciunt, vt experimento quotidiano probatur, & tamen fiunt sensationes, & insomnia in parte, in qua per somnum superfluunt spiritus, cùm maneant interius omnes ferè impediti, aut detenti, vt ipse Magister confitetur: vnde si pars somnians ita spiritibus abundat, non indiget spirituum transmissione. Quinimò in ipsa expergefactione separantur potiùs ab internis cerebri, in quibus insomnia fiunt, & mittuntur ad exteriora.

Mihi videtur probabilius, expergefactionem non pendere ex transmissione spirituum ad partem sentientem, vt putat Magister, sed suscitari dormientem: quia omnis sensatio inopinata timorem incutit, & sic natura perterrita agitationem illam spirituum & sanguinis causat, vt in quouis alio timore, sicque separat, & commouet impedimenta, & vigilat; & hanc esse causam frequentiorem: vnde quia omnis dormiens est ignorans, tangibilia & audibilia in somno percipit sufficienter; illa tamen percipit, vt ignoranter euenientia, & sic terretur. Quod probatur à simili efficaciter, quando inopinatè occurrunt vigilanti obiecta leuia; terretur enim, & concutitur subitò, quia ignorabat obiecti applicationem: quod si applicaretur non ignorando, contemneret illud, neque terreretur: sic quia dormiens ignorans est, terretur ab obiecto applicato, & sensu, & si sic non percipitur, non expergefit omnino, quamuis variè moueatur: & ita esse euidenter constat, quia si dormienti applicetur obiectum vehemens, ita perterritus expergefit, vt non sine angustia magna vigilare incipiat, ob retrocessum sanguinis, & spirituum ad cor.

Hinc non expergefaciunt insomnia quælibet, sed quæ terribilia, aut magnam voluptatem habent adiunctam: quia ea habent sanguinis & spirituum commotionem ob actum appetitus, qui necessariò sequitur: sic pueri difficiliùs à somno liberantur, quia minus concipiunt obiecta vt terribilia, & vt minus immutantia appetitum, nisi sint vehementissima: non itaque homo expergefit, quia ad partem sentientem mittat natura spiritus, vt putabat Magister; sed quia ex sensatione concepta sequitur actus aliquis appetitus, cui debetur commotio spirituum, & sanguinis, & sic concutiuntur, separanturque obstruentes vapores vnà cum sanguine, quod & ipse vulgus agnouit: & cùm quis expergefacit, si semel tentat terrere, maiori clamore, & efficaciori tangibili id præstat; infantes verò lentè à somno liberat, ne ob timorem, si subitò expergefiant, epilepsiam incurrant.

Minus mihi placet Magister, dum reddit rationem

A ob quam minus excitantur à somno per visum, quàm per auditum, aut tactum: dicit enim rationem esse, quia in quibusdam oculi sunt palpebris clausi, tum quia non immutantur realiter, nisi à lumine, à quo sæpè excitantur. Sed contra est, quia saltem dormientes oculis apertis excitarentur faciliùs per lumen, quàm per sonum, aut tangibile aliquod, quod non est verum: tum quia lumen non excitat, nisi vt visibile, & non quia lumen; & inde parum obstat, quod oculi immutentur realiter à lumine: id autem ita esse constat, quia multi dormiunt in loco satis lucido, in quo si fit sonus, aut applicatio continua alicuius tangibilis, destruit somnum omninò. Ratio ergo petita ex palpebris claudentibus oculos verissima est; tamen respectu dormientium oculis apertis non est vera. Est ergo ratio

B nostra, quod visio ex propria natura requirit magnam spirituum copiam, vt fiat, & ideò nullus sensus plus impeditur per somnum; ideóque indiget efficacissimo obiecto, vt sentiatur: hoc autem ita esse indicat oculorum natura requirens neruos cauos ad visionem, vt per illam cauitatem accedat tam magna copia spirituum, vt ad videndum requiritur, quod in nullo alio sensu externo requiritur, quia minori vi agitur: & inde etiam prouenit quòd per visum plus debilitentur homines, quàm per alium sensum exterum respectu obiectorum immutantium naturali modo.

CAPVT IX.

C

Quomodo inducatur debilitas virium per vigiliam.

Vigilantes nimium debilitari, vel ipsa experientia testatur, ob quod *lib. proprio* Philosophus *cap. 1.* confessus est, nullum animal esse posse in perpetua vigilia. Quomodo autem virium destructio eueniat, satis controuersum est inter authores. Primus opinandi modus deduci potest ex doctrina Aristotelis *loco citato*, vbi insinuat, quodlibet operatiuum principium esse limitatæ naturæ, & sic perpetuò operari non posse; sed in ipso opere continuaro fatigari, tandémque & semianime quiescere: ita scripsit loco ci-

D tato. *Præterea quæcumque naturâ aliquod exercent opus, quod id tempus exercuerint, in quo quidpiam facere possunt, labascere illa, & ab opere cessare necesse est, vt oculus, pariquè modo manus, reliquaque omnia, qua aliquid operis habent: itaque si sentire rei cuispiam est opus, illudque planè omne exercens tempus, in quo continuè sentire potest, deficiet profectò, neque id ampliùs faciet.* Cuius doctrinam secutus Auicenna *fen. 2. lib. 5. doctrina 5. cap. 29.* inter causas debilitantes numerat multitudinem, & reiterationem earum. Et confirmatur hæc sententia, quia per omnem actionem nimis durantem fatigatur natura; sed quia actiones non producunt aliquid, cuius occasione deficiat requisitum ad operandum: ergo deficiunt, quia per immoderatam durationem debilitant principia. Maior

E experientiâ constat: minor probatur: quia per auditionem, aut visionem nihil producitur repugnans, & contrarium principio operanti, quia sunt actiones immanentes, & perfectiuæ, neque habent vim corrumpendi aliquid: ergo sola duratio actionis debilitat principium: quia cùm sit limitatæ virtutis, habet etiam in ordine ad tempus determinatam durationem; & ita, vt dicebat Philosophus, quando exercuerit tempus suæ virtuti proportionatum, laxatur principium, & collabitur virtus interna, incipitque diminui operatio illius.

Secundò deducitur ex fatigatione orta per motum

localem: brachium enim exempli gratiâ, si diu agitur, fatigatur; & tamen nil per motum localem corrumpitur, quod sit requisitum ad motum: ergo sola motio principium debilitat. Probatur minor, quia si aliquid deficeret, maximè animales spiritus; isti autem non sunt in brachio, aut digitis motis; sed in principio spinalis medullæ, ex qua influunt in reliquas partes, vt docuit Galenus *lib. 7. de placitis, cap. 1.* Constat verò per motum digitorum manus aut pedis nil produci in principio spinalis medullæ, quod possit esse corruptiuum spirituum: Et quia dici potest per motum localem produci calorem corrumpentem spiritus, aut rarefacientem neruos & musculos partiũ, quæ mouentur; hoc est argumentum efficax desumptum ex quiete tonica brachij, in qua etiamsi immotum maneat omnino, contrahit nihilominus debilitatem insignem, & maiorem multò, quàm si moueretur, vt Galenus docet, ob quod quietem tonicam appellauit motum duplicem: ergo debilitas operantis principij non pendet ab eo, quod motus produxit; sed solùm contrahitur collapsio virtutis ex præcisa actionis duratione.

Hic philosophandi modus improbabilis est: nam defectus, aut diminutio operis implicat, vt resultet, nisi in principio operante immutatio aliqua inueniatur, aut in aliquo requisito ad opus; at verò per durationem maiorem præcisè nil minuitur de principio operante, neque de aliquo ad opus requisito, vt argumentum primum adductum satis efficacitet probat: ergo non minuetur actio, aut cessabit per solam durationem maiorem fatigantem principium. Quod etiam confirmatur efficaciter exemplo naturalium agentium, quæ nullatenus defatigantur in operationibus, etiamsi sic in immensam durationem extendantur: vt ignis semper calefacit, & aqua infrigidat, ita vt propter nimiam durationem non minuatur operationum principium. Neque obstat, quòd hæc agentia operentur actione transeunte: animal autem, quando mouetur, aut sentit, recipit in se sensationes, & motum, & sic fatigatur. Sed contra est, quia receptio hæc non destruit principium operans: anima enim & potentiæ si dantur, non variantur ob talem receptionem in esse operatiuo, & si receptio aliquid afficeret ad debilitandum, id statim produceret: at verò non ita contingit; sed fatigatio succedit post longum tempus; deinde sequeretur quod per receptionem alicuius extrinseci similis contingeret debilitas, & per consequens ita fatigaretur homo dimotus ab alio ac si moueretur à se. Constat, quia similem receptionem suscipit, quod tamen non est verum: ergo si per actionem non debilitatetur, repugnat per receptionem effœminari & debilitari.

Neque Aristoteles intelligendus est, vt in argumento proponitur, vt malè sensit Gentilis exponendo Auicennam. Arguit ita Philosophus ab experimento, vt probet nullum animal esse posse in perpetua vigilia, & sic necessariò aliquando dormiturum. Id autem probat, quia experimento constat per motum & sensationes sic animal debilitari, vt incidat in extremum languorem, si nimis in opere duret. Habet ergo tempus finitum, intra quod validè operari potest: quod si excedat, incipit statim debilitari: dormit ergo, sin minus extremè debilitabitur, & tandem morietur. Quod autem collapsio illa virtutis præcisè veniat ob solam durationem actionis, non dixit Philosophus: sicut neque adduxit rationem, ob quam nullum animal possit dormire perpetuò, sed ab experimento id supponit vt euidens; & eodem modo intelligendus est Auicenna enumerans inter debilitatis causas operationum multitudinem, & earum reiterationem: non quidem docet, quòd ipsæ actiones diminuant vim facultatum, sed quòd ex eis occasionetur virtutum debilitas; hæc

A autem eueniet ex alio immediatiori principio. Neque obstat quòd contrarium videatur insinuare litera textus, quæ sic habet: *Et illud, quod est virtutis proprium, est operationum multitudo, & ipsarum iteratio, quoniam virtutem debilitat, licet spiritus resolutio cum eo associetur, quemadmodum associatur cum vnaquaque causa.* Quibus verbis clarè distinguit principij debilitatem contractam per ipsas actiones ab ea, quæ contrahitur per spirituum resolutionem. Respondetur enim facilè, quòd hoc loco solum tradit occasiones primas, ex quibus membrum debilitatur. Sunt autem plurimæ, vt ibi docet, & inter illas recenset operationum multitudinem tanquam causam occasionalem, & mediatam; immediata verò erit alia, vt à nobis dicetur.

Ad primam rationem eodem modo respondetur, B fatigari nempe vim operandi, si diutiùs detineatur in opere: id autem non contingere immediatè propter ipsam operationem, sed ex alio principio immediato. Ad secundum respondetur quòd per motum localem debilitatur facultas, & quia pars aut totum incalescit præter naturam, & calore aucto resoluuntur spiritus: & quamvis concedamus, quod animalis spiritus non detur necessariò in partibus quæ mouentur, quia ex cetebro, & principio spinæ sufficienter influit, si nerui cauitates non habeant; negari tamen non potest, quod dentur vitales spiritus intra quamlibet particulam corporis, & sic posse resolui. Neque obstat, quod si nerui caui non sunt, implicabit distribui per illos calidum influens, & vitale, vt non distribuitur animalis spiritus. Tum etiam dices, quod si nerui, & musculi vim C sentientem accipiunt ab animali spiritu ita distanti, sic accipient à vitali spiritu influxum requisitum ad sensationes, & motum: quia non constat, quòd sit minus actiuus, quàm animalis spiritus. Respondeo quòd non potest esse dubium accedere posse animales spiritus per poros, vt alimentum distribuitur, & applicari omnibus; sed quod dicimus, est, non esse necessariam tantam approximationem animalis spiritus; sed ex principio spinalis medullæ sufficienter influere, & hoc contingere non potest respectu vitalis spiritus. Ratio discriminis est, quod vitalis spiritus non tantum præbet qualitatem illam occultam, sine qua nulla operatio perficitur, sed etiam calorem, quo D indigent membra omnia, & quia calor producitur à vitali spiritu cum resistentia frigiditatis, non potest ex tanta distantia calefacere partes omnes: & inde eget intima applicatione, & à partibus trahitur vt trahitur alimentum. Qualitas verò producta ab animali spiritu ad motum, sensumque, caret contrario; & sic potest ex magna distantia produci, vt producitur lumen. Idemque dico de qualitate occulta producenda à vitali spiritu, qui etsi calor non sit, appellatur communiter calor vitalis: quia omnes potentias fœcundat, vt possint operari; calor tamen, qui prima qualitas est, indiget intima spirituum applicatione: quia vt diximus, cùm resistat frigiditas illius introductioni, repugnat sufficientem intensionem producere in partibus E distantibus.

Difficilius videtur, quod de quiete tonica vltimò proponebatur: quia nullum datur principium debilitans, nisi ipsa duratio operis: nam cùm sola positio partis in certo loco, & vbi locale, si datur, nihil producat corruptiuum temperiei, aut spirituum, videtur quòd sola operis duratio maior sit debilitatis contractæ immediatum principium. Sed respondetur, quod si in quiete detinetur membrum nimis extensum, seu distentum, est positio illa nimis dolorosa: nam immodica contractio vnius musculi causat in opposito musculo nimiam distensionem, & sic soluitur continuitas in partibus nimiè distensis. Dolorem autem vires debilitare experimento constat. Quomodo autem per dolorem virtus destruatur, huius loci non est: est

enim

enim satis non ignorate in omni dolore esse appetitus passiuam, & animi affectionem, ratione cuius cor læditur, & debilitatur, vt in omni alia tristitia simul etiam pars dolens infestatur fluxione, quam semper ferè dolor mouet, & ita auget molestiam, & partes cruciat: & de hac positione, quæ vehemens est, quantum ad opus ob nimiam contractionem musculorum, & distensionem violentam oppositorum, sub quibus quies tonica datur, controuersia non est, cùm sit positio dolens nimium, & sic facillimè debilitat. Est autem magna controuersia, quod membrum in media figura, seu cōtractione moderata detinetur in quiete, in qua positione nullus inuenitur dolor, aliquave molestia, ratione positionis. Sed respondeo facile, quòd aut brachium, exempli gratia detinetur suspensum in aere, aut reclinatur supra corpus solidum: & hoc secundo modo non fatigat membrum, vt dicemus inferiùs, quando autem in aëre suspensum detinetur, tandem lassatur, & fatigatur facultas: quia pugnat contra membri grauitatem, & pondus. Si autem dicas quòd hæc pugna fit per actionem motiuam, quæ nihil producit contra principium motiuum, à quo pendet, & inde non est vnde debilitetur. Posset primò responderi, quòd cùm illa detentio fiat attenta vigilia, quia detinere membrum ponderans, & grauitate interna semper inclinante deorsum in eadem positione & loco, per vim motiuam attentionem magnam in æstimatiua requirit etiam in appetitus imperio; quæ magna attentio, & contemplatio est solicitudo magna & intensa vigilia, & propterea hominem dissipari, vt verè dissipatur in omni alio vehementi actu imaginationis, & sensuum internorum, & appetitus, & inde non cunctat facultas. Sed contra solutionem est, quia similis solicitudo & attentio necessaria est ad quietem, & motum per interualla facta sine discontinuatione, & tamen non laxatur brachium, si partim moueatur, partim quiescat, sicut si quiescat perpetuò. Præterea causa alia, quæ ex solicitudine traditur, est communis, & ita sequeretur non minus fatigari, & laxari reliqua membra quàm brachium in aëre detentum, etiamsi sit contractum medioeriter, quod aperte est contra experimentum.

Mihi videtur dicendum brachium suspensum in aëre fatigationem contrahere ob dolorem, quod experimentum docet clarissime: non aliter enim cessat à quiete illa, nisi quia molestia, & dolore affligitur, quam vt remittat, illam positionem amittit; vnde vt in omni alia molestia labitur virtus, sic in illa quiete: quia tandem ob durationem dolor causatur.

Et si dicatis qua ratione dolor eueniat, si positio musculorum indolens est, & constat, quia dolor non datur statim, sed multò post. Respondeo in ea positione à proprio pondere aliquarum partium aliàs disrumpi, & dilatari, sicque dolorem causari: sunt enim partes quædam grauiores & duriores, quæ partes constitutas supra se detrahunt & inferiores opprimunt. Id autem præcipuè præstant ossa, & reliquæ partes, quibus virtus motiua non inest, & ita cùm non subleuentur ab impetu sibi intrinseco, sed per vim musculorum, repugnat non detrahere alias, & quasdam comprimere, vt implicat à lapide supra manum constituto manum non detrahi, aut deorsum impelli: quia lapis non habet internum principium, à quo subleuetur, & sic comprimit, aut detrahit, quod impedit, ne feratur deorsum. Idem contingit in brachio suspenso, & ita maximus dolor excitatur, præcipuè in humeri dearticulatione, quòd ibi fiat dilaceratio maior à tota brachij grauitate. Id autem ita esse constat: quia tantò citiùs dolor excitatur, quantò maior fuerit pars in aëre suspensa: citius enim fatigatur homo, si brachium totum suspendat, quàm si manum extremam, & minus adhuc, si solum digitum. Ex quo constat clarè propter pondus euenire partis molestiam,

A quando quieta in aëre detinetur. Si autem dicatis, cur in principio dolor non sit, detur tamen posteà? Respondeo id euenire duplici de causa: Prima est, quia cùm dolor non fiat sine solutione continui interim ac partes cedunt, & non disrumpuntur, non causatur dolor. quando verò iam aliquæ partes tenduntur, vt nequeant sine ruptione nouam distensionem pati, tunc dolor causatur. Deinde quia, cum per vigiliam, vt diximus, dissipentur spiritus, & facultas subleuans membrum debilior reddatur ad proportionem, qua debilior redditur, ponderat magis pars subleuata, & efficacius dilacerat partes resistentes grauitati, & impedientes, ne pars moueatur deorsum.

His suppositis sententia nostra est, debilitatem contrahi ex defectu spirituum vitalium, & animalium, B qui per vigiliam necessariò consumuntur; molestia verò magna orta ex dolore est, quæ hominem fatigat, vt sic cupiat partem suspensam reclinare, aut in alia positione constituere, sub qua dolor ille sedetur; & ex his pendere totam molestiam, & fatigationem, & virtutis destructionem, estque iam receptissimum in schola nostra per vigiliam spiritus omnes dissipari. Quomodo autem id contingat, est satis difficile; ad cuius explicationem sequens proponitur quæstio.

CAPVT X.

C *Qua ratione spiritus per vigiliam consumantur.*

COncesso iam quòd vigilans nequeat vigilare, quin incidat in extremum virtutis languorem, & tandem pereat resolutus ob defectum spirituum, qui per vigilias, & opera consumuntur; inquirit quæstio, qui spiritus consumantur, & à qua causa immediata. Prioris dubij est solutio facillima, absumi nimirum spiritus animales, & vitales, quia non est ratio maior vnius, quàm alterius: resolui autem vitales ex eo vel facile deducitur, quia non solum per vigiliam superfluam languent facultates motiuæ, & sentientes, sed etiam facultates naturales: quod constat, quia coctiones debilissimè fiunt in superflua vigilia, & cùm ad illas non D concurrat, nisi vitalis spiritus, necesse est asserere, quod euanescant vitales non minùs, quàm animales; imò in vehementi exercitio resoluuntur vitales potiùs: quia si isti sunt disseminati per omnes particulas corporis, non autem animales, quia isti qui influunt ex cerebro, & principio spinalis medullæ, non alterantur per partium motiones, & incendium ab eis causatum, sicut alterantur vitales: nam calor crurum, & articulorum non ita alterat cerebri spiritus, sicut vitales, quos pars ipsa imbibit in se.

Quomodo autem in vigilia causetur hæc spirituum consumptio, est satis difficile. Est autem in primis excludenda consumptio ex superfluis motionibus emanans: hæc enim constat quod causetur ab incendio, & E calore motionum, & à confricatione partium, à quibus causis calefiunt spiritus, attenuantur, & resoluuntur, & pori etiam redduntur apertiores: & sic fit insignis consumptio per immoderatum exercitium. Est ergo solùm controuersia, quando absque vlla motione spiritus resoluente per hoc solum, quod animal non dormiat, sic virtus labatur, vt deinceps operari non possit. Ratio dubitandi posita est in præcedenti quæstione: quia per priuationem somni nihil ponitur facultates debilitans, neque corrumpens spiritus, neque per sensationes, cùm sint actiones immanentes, & perfectiuæ. Non ergo videtur possibile, quod per solam vigiliam exclusis motibus languidum animal reddatur.

Magister noster *lib. de locis affectis disp.4. cap.9.* istas causas adducit, nempe quod per vehementem conatum imaginationis reddatur cerebrum calidius: id enim experimento dicit constare: calor autem ille maior corrumpit spiritus, quia est cum forma eorum incompossibilis dispositio. Si autem ab eo inquiratis à quo efficiente calor ille maior resultet: respondet, simul cum spiritibus moueri sanguinem, & fuligines, & cùm fuligo sit calidior vitali spiritu, ab illo corpore fuliginoso alteratur spiritus, & corrumpuntur: mouentur autem, inquit, substantiæ illæ non à facultate aliqua, quæ imaginationi de se subordinetur; sed alia est huius motus principium; quæ autem illa sit, explicabitur, inquit, dum fuerit sermo de causa motus spirituum in passionibus animæ.

Dicit secundò Magister, aliquando corrumpi spiritus à cerebri frigiditate, quæ est dispositio opposita valdè temperamento conseruatiuo spirituum; ad continuandum verò imaginationis actiones est opus nouo accessu spirituum; idemque putant contingere aliquando propter aliarum partium intemperiem corrumpentem spiritus, & ita totum corpus debilitari ob defectum eorum: quia loco eorum, qui deperduntur, non semper resarcitur tanta copia, quanta ad robustas actiones requiritur.

Hæc doctrina Magistri mihi non probatur: & in primis secunda causa ab eo adducta est omnino impertinens ad soluendum problema propositum. Constat clarè: quia etsi homo sit ad iustitiam temperatus, redditur debilis ob superfluam vigiliam: non ergo pendet debilitas ex partium distemperie spiritus corrumpente, quod mihi videtur euidens. Neque argumentum, quod contra se adducit, soluitur benè à Magistro: est autem hoc: Cerebrum generat animales spiritus interno temperamento: ergo non corrumpit illos, esset enim absurdum asserere in philosophia, quod eodem naturali principio producente opus aliquod externum, corrumpatur id quod genitum est. Respondet id nullom esse inconueniens, & argumentum soluit dicendo rectè probare quod eadem indiuisibili actione, & dispositione, qua producitur aliquis effectus, nequeat corrumpi; benè tamen id efficiet intensiori dispositione. Itaque remissior dispositio disponit materiam ad formam spirituum; intensior verò ab eodem agente producta eandem formam corrumpit: in qua solutione dicit nihil contineri veræ Philosophiæ aduersum.

Mihi autem videtur aduersissimum esse respectu formarum, quæ intenduntur per se, & in quarum generatione sistitur agentis actiuitas: quod dico ad excludendas formas medias, quæ per se non intenduntur ab agente vltimatè, sed quasi per accidens resultant: hæ enim ab eodem agente à quo materia ad illas disponitur, corrumpuntur vlteriori actione. Ratio discriminis est, quia virtus agentis non tendit in illas terminatiuè, & vltimatè; imò fortassis illas non intendit per se. Constat verò spirituum generationem vltimatè à cerebro intendi, & ibi sistitur opus eius, & inde in mea doctrina repugnat manere idem agens dispositiuum vltimatè ad generandum effectum intentum per se, & habere simul dispositionem eundem effectum destruentem. Est itaque sententia nostra, quòd si frigus distemperans cerebrum tam intensum sit, vt ab eo corrumpantur spiritus geniti, non manebit calor sufficiens ad eorum generationem, & si manet calor requisitus, non potest esse frigus tam intensum vt corrumpat spiritus: quia cum dispositione corrumpente effectum vltimatè intensum implicat dispositio illum effectum generans respectu eiusdem materiæ.

Dices id non repugnare: quia si vitalis spiritus est materia animalium, vt putat Galenus, necessariò infrigidatur vitalis, vt in animalem mutetur: ergo cùm

A sit necessarium produci prius frigus remissum debitum formæ animalis spiritus, quàm intensum, à quo corrumpatur, producetur necessariò, & corrumpetur postea ab eodem principio habente frigus remissum & intensum eidem formæ repugnans: quia vbi datur hoc corrumpens, non potest non esse remissum, à quo priùs disponitur. Sed si hoc aliquid probaret, etiam vitalis spiritus aquæ applicatus fieret animalis, quia vtrumque principium, remissum scilicet frigus & intensum participat, & sic priùs generabit, deinde corrumpet, quod quàm ridiculum sit, probatione non eget: & hoc præcipuè habet vim contra opinantes quod animales spiritus fiant: quod probabile putat Magister *in parte naturali disput. 40. cap. 13.* Et

B mirandum certè est, quod cùm argumentum adductum babeat facillimam solutionem, non adduxerit eam, cùm esset facilius dicere corrumpi vitales spiritus delatos ad cerebrum ab eius frigore, quàm quod spiritus animales semel iam ex vitalibus geniti corrumpantur deinceps.

Sed adhuc contra Magistrum insurgo: quia non probat, neque potest, requiri minus tempus ad corruptionem spirituum iam genitorum, quàm ad productionem aliorum de nouo, & ita dum corrumpuntur geniti, alios generari de nouo, & sic non incidere ob hanc causam in debilitatem. Præterea argumentor: quia hic homo ob frigiditatem cerebri spiritus genitos corrumpens, non fiet robustior post somnum, sed debilior quantum ad sensum & motum. Probatur, quia

C inter dormiendum applicantur magis animales spiritus ipsi cerebro habenti vim corrumpendi illos, & manent quieti iuxta agens corrumpens: ergo post somnum non est, cur fiant robustiores actiones prædictæ, si ab eodem agente, à quo generantur, corrumpuntur etiam. Sicut ergo seruantur inter dormiendum iam geniti, & ita redditur dormiens robustior, quia magis abundans spiritus, ita non constat corrumpi postea in vigilia: quia in illa distant magis ab agente corrumpente, cùm distribuantur ad exteriora organa.

Sed & prima ratio multis modis videtur improbabilis, tum quia supponit duo non omnino certa. Primum quòd fuligines sint calidiores vitali spiritu: nam hic est, qui mouetur ad cerebrum in vehementi actu

D imaginationis. Secundum est, quod iam sint calidiores, & habeant tam grandem excessum caloris, quòd sit incompossibilis cum forma spirituum; & foret ab eo tradenda ratio aut signum, ex quo deduceremur tantum esse excessum, vt corrumpat spiritus: hæc contra Magistrum est; quod si spiritus durant in eius opinione sub propria forma cum calore facto producente diariam febrem, qui maior est sine dubio, quàm qui conuenit fuliginibus, secundum naturam non resoluentur à minori calore, neque corrumpentur: esset enim omnino irrationabile dicere in fuliginibus hominis temperati esse naturaliter tam intensum calorem, vt est, qui constituit diariam febrem continentem, & tamen sub illo calore durat spiritus sub propria forma in opinione Magistri: ergo non corrum-

E pentur à calore fuliginum. Neque erit facile in eius opinione adducere causam suffocantem spiritus per abundantiam fuliginum, vt ipse putat: nam cùm suffocatio à calore resoluente non fiat, & ad illam requiratur magna copia fuliginum, sistæ corrumpunt spiritus media alteratione extenuante, & resoluente, nunquam manebunt ab iis suffocati; sed corrupti prius & resoluti ab interno calore fuliginum.

Et argumentum antea adductum habet eandem vim respectu hominis dormientis: quia cum in somno naturali sint interius detenti eum fuliginibus, non erit in somno vberior spirituum generatio: cum etiam in somno naturali abundent intrò fuligines magis, quàm in vigilia, si verum est per eoctionem eleuari, & istam fieri

fieri perfectiorem in somno, quod expressit Galenus *lib. de caus. puls. cap. de pulsibus somni*, dicendo: *Etenim excrementum fuliginosum, quod tunc ex confectis succis copiosius colligitur, arteria excernere vehementius desiderat.* Vlteriùs, si fuligines habent vim corrumpendi spiritus suo intenso calore, non esset necessaria vigilia ad hanc corruptionem: quia per vigiliam, neque fit maior fuliginum copia, neque manent spiritus plus replicati fuliginibus: sed multò minus quàm per somnum, & inde minùs vigilia requireretur ad hanc corruptionem, sed plus conduceret somnus. Neque obstat, quod insinuabat Magister, videlicet quòd per vigiliam applicantur in ipso cerebro, & sic corrumpuntur. Sed contrà est primò: quia etiam in somno applicantur intrò spiritus cum fuliginibus, & manent agens & passum quieta magis, & magis applicata: ergo cum conditionibus aptioribus ad agendum, & patiendum magis, quàm in vigilia. Peccat etiam doctrina Magistri, quia etsi homo non cogitet aliquid intensè; imò etsi suspendat omnem imaginationem, si non dormiat, debilitatur nihilominus: non ergo pendet spirituum consumptio ex attenta contemplatione, neque explicatur adeò probabiliter, cur moueantur fuligines in obiectorum contemplatione necessariò cum spiritibus: nam si pars contemplans trahit spiritus ad proprium opus, non trahet fuligines, cùm traheret id quod opus destrueret. Si autem natura mittit spiritus in partis contemplantis subsidium, ad quid mittet fuligines, quibus corrumpendi sunt spiritus necessarij, vt pars operetur. Multa itaque dicuntur in hac opinione Magistri non consentanea rationi, & includentia petitionem principij.

Sententia nostra est, esse impertinentem actionem fuliginum, vt vigilans debilitetur: vnde etsi Deus auferret omnem fuliginem, non posset homo absque insigni labore virtutis vigilare diu: debilitatur ergo, quia vigilans ea propria natura vigiliæ semper est calidior extrinsecus, vt docuit Hippocrates *lib. 6. Epid. sect. 4. text. 11.* est autem calidior, quia semper in vigilia mittuntur ad extra spiritus, vt sensus operentur, & inde per vigiliam infrigidantur interna, & coctiones debiliter fiunt respectu somni; motis verò spiritibus, aut transmissis ad ambitum corporis per poros exhalantur: quia & motione ipsorum, & sanguinis, rarefit corporis ambitus, & mutuo impulsu se extra pellunt: sunt enim spiritus tenuissimi, & facilè exhalabiles, & vt dicebat Hippocrates, *impetum facientes*: inter sensus verò externos est potentissimus visus ad inducendam ingentem debilitatem, quia mouentur ad illum in magna copia per neruos opticos: quia magna quantitate indiget ille sensus, vt requirat intensiorem influxum ad operandum, quàm potentia motiua; qui sensus cum sit in corporis externa regione velut extrà collocatus, ingentem dissipationem spiritus causat; reliqui autem sensus resoluunt minus; localis autem motus, nisi sit moderatus, valenter dissipat: quia totum corpus calefacit, ambitum corporis laxat, & mutuo, incessantèrque articulorum attritu extenuat spiritus, cogitatio intensa multum spiritum conuocat, & mutua expulsione, vt in omni alio motu, incenduntur spiritus, attenuantur ac resoluuntur, motuóque se impellunt leuitate, & resolui agitati, & impulsu. Itaque vigilia eo ipso quod mouet ad extra, & spiritus derelinquunt viscera, efficit per poros magnam spirituum resolutionem; vt etiam efficitur vaporum sanguinis immoderata resolutio, vt passim Galenus docet: quia in vigilia mouentur ad exteriora, vnde quamvis nulla sit cogitatio in vigilantibus (si potest in eis omnis cogitatio deficere) erit sine dubio dissipatio spirituum, & virtutis defectus: quod attentè contemplatus Auicenna, vt diuersas occasiones diariæ febris enumerat vigiliam, & cogitationem, vt constet Magistrum recurrere ad solam cogitationem, eámque intensam: nam quamvis

A non detur cogitatio aliqua, nedum intensa, dissipabitur vigilans, quia in vigilia non solùm ad cerebrum, sed ad totum corporis ambitum & omnia sensoria mittuntur spiritus: quod indicat clarè frigus intensum afficiens totum corporis ambitum inter dormiendum: ex quo constat ad easdem partes distribui calorem per vigiliam, in quibus per somnum deficit; propterea summa ratione vigilia comparatur æstati, & somnus hyemi: vt enim æstas calefaciendo corporis ambitum virtutem exsoluit, spiritus resoluendo, & extra conuocando: eodem modo vigilia, quia extra mouet spiritum, & vaporem sanguinis, eundem ac æstas præstat effectum: somnus vt hyems econtrà: cutem enim infrigidando eam condensat, & occludit, & sic spiritus, vt & vaporem sanguinis intrò reuocat, ac detinet, &
B sic corpus replet, vt tandem nimium dormiens pereat suffocatus, sicut nimiè vigilans resolutus.

Si autem inquiraris, à quo principio moueantur spiritus ad extra, & corporis ambitum in vigilia: respondeo quòd traduntur ab auctoribus plurimæ causæ huius motionis. Galenus *lib. 3. de caus. puls. cap. 9.* insinuat vigiliam post somnum excitatam semper fieri subitò; somnum autem post vigiliam paulatim; & ideò docet expergiscentium pulsus esse statim magnos, vehementes, celeres & crebros cum quadam vibratione: quia impetu magno mittitur extra calidum influens: spiritus etiam ipsi mutuò se impellunt: quod clarè Galenus docuit loco immediatè citato, dicendo: *Cui somno scilicet opposita est phrenitidum, & vigilantium præter*
C *naturam vigilantia: vbi desiccatus natiuus calor est, & quasi inflammatus, atque idcirco foras quoque mouetur immodicè.* Quibus verbis satis perspicuè docet vigilam contra naturam euenire, quia spiritus calefactus, & exsiccatus foras efficaciùs mouetur: quia agilior, & tenuior, magisque impellens propterea redditur. Deinde partes sentientes, & organa omnia eosdem spiritus trahunt ad extra ad percipiendum obiecta, & vt dissipantur perpetuò, trahuntur etiam continuò, & à partibus ipsis, & gratiâ replendi vacuum. Iam verò documus potentiam visiuam, & locales motiones, attentamque contemplationem ingentem dissipationem efficere; animi autem passiones vario modo spiritus destruunt, vt timor & tristitia suffocatione: gaudium, quia potenter mittit ad extra: ira feruore, & incendio:
D verecundia & intro, & extra quadam inquietudine moti. Constat verò hæc omnia per vigiliam intelligi, & si quæ sunt alia, & vt in his passionibus appetitus fiunt spirituum diuersæ motiones à facultate trahente, aut expellente cordis: sic in vigilia existimant multi, quod natura mittat in externa sensoria, vt vigilent, & percipiant obiecta. Vnde, etsi aliquis sit in loco tenebroso, neque per aliquem sensum aliquod obiectum concipiat, & sit omnino quietus, fatigabitur, & debilis fiet: quia semper natura, dum non impeditur, mittit in statu vigiliæ ad corporis ambitum vitalem calorem, vt sentiat, & operetur: & vt est incessabilis fluor per occultam transpirationem, sic spirituum resolutio est per vigilias ineuitabilis: tot sunt probabiles
E causæ ad spirituum resolutionem conducentes, & inde implicat, vt dicebat Philosophus, dari animal, quod possit perpetuò vigilare; sed indigere somno, vt fiat primò instauratio spirituum, virium deinde.

CAPVT XI.

De causis Vigiliæ contra naturam.

EST accidens malignum vigilia præter naturam: vires enim extremè debilitat, & semper delirium præsagit; ob quod altiùs sunt exponendæ eius causæ, vt benè perspectis eisdem celeriter Medicus occurrat:

in hoc antem video omnes conuenire, oriri nempe à calore, & siccitate; & calorem esse efficacissimam causam, & potentiorem, constat ex doctrina Galeni *loco citato ex 3. lib. de caus. puls. cap. 9.* docentis: *Phrenitidem, & vigiliarum præter naturam vigilantiam oriri, quia desiccatus natiuus calor est, & quasi inflammatus, & propterea foras quoque mouetur immodicè.* Et *lib. 2. de loc. affect. cap. vlt.* dixit: *Causa calida ad motum excitat; atque idcirco vigilias affert.* Quam doctrinam sine controuersia sequuntur omnes. De siccitate verò dixit Galenus *lib. 4. de præsag. ex puls.* quod sit proprium ei ia symptoma vigilia: quem Authorem sequutus noster Princeps *fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 1.* dixit: *Et eius quidem causa complexionalis est caliditas, & siccitas, propter igneitatem spirituum: & mouet semper ad exteriora, & caliditas vehementiùs est faciens sahara, & anteriùs faciens.*

Sic experimur, tatò febriẽtes non esse peruigiles propter incendiũ contra naturam. Sic melãcholici propter siccitatem insomnes fiunt: quod *proprio lib.* notauit Philosophus *cap. 9.* hócque indicat extrema senectus, quæ etsi copia humidorum excrementorum obruatur, insomnis ætas est ob siccitatis immoderationem: & ex curatione vigiliæ contra naturãm validum sumitur argumentum: non enim aliis auxiliis, quàm humidis & frigidis somnus conciliatur, & intemperies vigilare cogens aufertur. Hinc hyeme, & vere sunt somni longissimi, vt docuit Hipp. 1. *Aph.* quia humiditas & frigus in hyeme, & in vere humiditas abundat; in æstate autem, & autumno difficiliùs, & minus dormimus ob calorem, & siccitatem æstatis, & nimiam siccitatem autumni: in hoc ita, vt dixi, controuersia non est.

Quomodo autem ab his qualitatibus causetur vigilia contra naturam, satis dubium est. Galenus dicit, quòd calor motum affert, ideò & vigilias: constat ex *2. lib. de loc. cap. vlt.* & *lib. 3. de caus. puls. cap. 9.* iam *citato*: *Quia calor*, inquit, *exsiccatus, & quasi iam ignitus est, idcirco foras quoque mouetur, & vigiliam inducit.* Et Auicen. *cit. loco*: *Quia caliditas, & siccitas mouent ad exteriora, vigilare faciunt.* Est autem intelligendum de motu facto in spiritibus: quia enim calore, & siccitate contra naturam alterantur foras, & ad organa exteriora mouentur, sic inducunt immoderatam vigiliam.

Verùm qua ratione motus iste ad exteriora organa ab iis qualitatibus causetur, difficile est. Respondet Magister *disp. 4. de locis affect. c. 9.* per calorem, & siccitatem reddi mordaces spiritus, & sic cerebrum irritare, & eos expellere, & sic mouere illos motu expulsionis, sicut contingit in aliis rebus irritantibus naturam: *Mouet autem*, inquit, *illos versus instrumenta sensuum, & sic vigilant.* Quòd autem calor & siccitas non sufficiant sine acrimonia spirituum, probat, quia in febribus diariis, & putridis datur maior calor, & nihilominus dormiunt sæpe laborantes tempore consueto. Constat autem quòd quamuis pellantur spiritus ad organa externa, non propterea cessaturum cerebrum ab operibus sensuum internorum: quia non est necessarium reiici omnes spiritus, etsi habeant irritantem qualitatem, cùm omnes fiot immediatè applicati substantiæ cerebri, sine qua applicatione mordacitas spirituum nequit sentiri. Præterquam quod neque omnes spiritus participant eandem mordacitatem, cùm non sint omnes æquè applicati agenti introducenti acrimoniam.

Hæc doctrina videtur improbabilis: quia supponit multa, quorum ratio probabililis nequit adduci. Primum est, quòd ea, quæ expelluntur irritatâ naturâ symptomaticè, debeant semper expelli per eandem partem, & ad eandem regionem: quod non experimur in aliis causis irritantibus ratione morbi. Constat, quia humor irritans quandoque pellitur per secessum, interdum per vomitum, aut sanguinis fluxum, sudorem, aut vrinam, sæpè in cute reponitur, aut in partibus

A adenosis, & non tarò in aliqua interna parte, quam contingit debilem esse. Ergo eodem modo si spiritus irritantes pelluntur, cur semper debent expelli ad organa exteriora, & non in alias partes, aut per aliam regionem. Secundò, quia si pelluntur spiritus, quia mordaces facti sunt naturæ inimici, cur non mittuntur extra corpus, vt mittit natura frequentissimè: & inde sequeretur non vigiliam, sed somnum contra naturam sæpè fieri à calore, & siccitate, quia expulsis spiritibus extra corpus cessabunt sensus ab opere. Tertiò; Partes externæ, & externa sensoria participant sensum tactus multò perfectiorem, quàm cerebrum, cum sit constitutum in controuersia, num cerebrum sentiat. Ergo si pellantur spiritus ob acrimoniam à cerebro efficaciùs pellentur, & meliùs ab ipsis sensoriis externis, quia plus irritabuntur: non ergo manebunt in eis, vt B celebrentur actiones eorum tam longo tempore. Quartò, quia si sensatio molesta, ratione cuius aliquid pellitur symptomaticè, nequit occultari à patiente, cum sit ipse qui patitur, & conditio expellendi sit cognitio obiecti mordacis, omnes vigilantes contra naturam essent in perpetua sensatione molesta, si ob acrimoniam molestantem partes sentientes pellerentur spiritus; cuius oppositum manifesta experientia monstrat. Et confirmatur vrgenter: quia si molesta sensatio ad perpetuam vigiliam requireretur, nulli magis dormirent, quàm phrenitici, & delirantes. Patet, quia nulli magis priuantur molestis sensationibus, quàm phrenetici, & amentes, ob aduertentiæ defectum iuxta doctrinam Hippocratis *2. lib. aphor. text. 6.* dicentis: *Quicumque aliqua parte corporis dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Ergo si nulli minus sentiunt dolorem, C quàm phrenetici, & nulli vigilant magis, constat esse impertinentem irritationem illam ad vigiliam contra naturam; sed ex alio principio prouenire. Et ad hominem est argumentum: putauit enim Magister *disput. 5. de locis affectis, cap. 4.* phreniticos non dolere capite: quia etsi sit magna dolendi causa, intemperies scilicet calida, & sicca cum affluxo mordacis humoris, & vsti; impeditur tamen sensatio molesta ob delirium mentem distrahens. Si ergo delirium tollit tam mordacis causæ sensationem, quis negare audebit non impedire sensationem spirituum, qui & minus quieti, tam tenues, & rari, & nullo modo putridi necessariò alterant multò miniùs quam humor exustus, aut putridus; imò proba-D biliter mordacitatem humoris causantis phrenitidem ab ipsis spiritibus demulceri. Putauit etiam Magister super Auicennam spiritus putridos, aut vstos diariam febrem causantes non inferre rigorem: quia cùm sint, inquit, humidi, & tenues, acrimoniam nullam ex putredine concipiunt, & inde non molestare partes sentientes, vt ad rigorem concutiantur. Eodem modo putandum est, nunquam adquirere acrimoniam spiritus, vt partem ferè insensilem molestent, & irritent. Improbabile igitur videtur placitum Magistri soli acrimoniæ spirituum innixum.

Sed vt nostrum placitum adducamus, notabitis duo maximè requiri, vt aliquid inducat vigiliam. Primum est, quod ex se potentias sentientes ad operandum determinet: secundum quòd auferat causam somni inductiuam, etsi verum sit, quod id, quod tollit causam E somni, eo ipso vigiliam inferat: quia somnus & vigilia, vt anteà diximus, immediate se opponunt. Quo supposito calor & siccitas vigiliam præter naturam causant; & quia ex propria natura potentias determinant ad operandum, & dissipant etiam causam inducentem somnum, eamque resoluunt. Quòd autem potentiam ad operandum instigent, fatentur omnes cum Galeno: quia experimento constat ad delirandum conducere, vt proprio tractatu docuimus. Secundum autem constat, quia si somnus causatur à vaporibus humidis alimenti obstruentibus cerebrum, & hos resoluunt, &

exsiccant

exsiccant calor & siccitas, auferunt necessariò causam naturalis somni, illa verò ablata necessariò vigilat animal, & vt animal vigilat semel iam ablata causa naturalis somni, absque eo quòd spiritus existentes in naturali dispositione irritent cerebrum: ita eodem modo ablata causa naturalis somni ab aliquo contra naturam absque aliqua mordacitate inducta vigilabit homo perpetuò: quia, vt euidenter patet, in naturali vigilia nil aliud requiritur, quàm defectus causæ inducentis somnum: ergo si causa morbi, aut morbus habeant vim auferendi causam conciliantem somnum, veniet necessariò vigilia contra naturam, quamuis nulla sit in spiritu mordacitas: quia, vt distribuuntur naturaliter spiritus & disseminantur per sensoria absque vllo irritamento; sic distribuentur semel destructâ causâ inferente somnum, à quacumque causa destruatur. Quæ ratio, si bene perpendatur, magnam vim habet meo videri contra Magistrum, ne dicam euidentem: calor ergo & siccitas, quia habent vim resoluendi, & exsiccandi suaues, & halituosos vapores somnum conciliantes, causant vigiliam absque vlla alia mordacitate in spiritibus inducta: & quia rursus mouent vehementer potentias ad operandum, & species etiam excitant, conferunt nimis ad perpetuam vigiliam.

Contra quam veritatem pulchrè obiicietis: videtur enim siccitatem nullatenus posse ad vigilandum conducere. Patet, quia cum Aristotele confitentur omnes densare corpus, quod afficit, & inde illud reddere corpulentius, & crassius: ergo & occludet etiam poros cerebri; si verò densat, reddet similiter spiritus inhabiles, vt resoluantur. Patet: quia nil magis resolutioni opponitur, quam densitas, & crassities: si ergo has causat in spiritu, detinebitur magis in cerebro, præsertim si occludat cerebri poros, vt facit reuerà, & constat in luto indurato, quod crassius & corpulentius, plusque compactum redditur, quò plus humiditas absumitur, & exsiccatur. Constat autem omnem resolutionem non aliter fieri, quàm inducta priùs tenuitate, & raritate, in eo quod debet resolui: has autem qualitates, aut partium positiones non causat siccitas, sed potiùs contrarium omnino: ergo conducet ad somnum, & non ad vigiliam præternaturalem. Et probatur efficacitèr à simili, quia in omnium opinione frigus non aliter somnum inducit, quàm densando, occludendoque poros, & vias, & ita detinendo spiritus interiùs: quia extra exire non possunt, vt posteà videbimus; si eosdem effectus siccitas præstat, causabit somnum, vt frigus, & non vigiliam.

Est difficile dubium adductum, ad quod soluendum primò mihi occurrit, quòd vapores, & cerebrum etiam, vt somnus concilietur, requirunt certum lentorem, & velut pinguedinem, quibus cerebro hæreant: oportet enim non resilire vapores sua leuitate cerebrum ascendentes, sed in eo firmari, & velut agglutinari, vt impediant motionem, & distributionem spirituum ad organa externa, & ne facilè discutiantur à fuliginibus naturalibus, & spirituum agitatione, & calore, impulsúque facilè dimoueantur: hanc conditionem tollit siccitas, & ideò non dormiunt: sunt enim sicci vapores ad resolutum aptissimi, & cerebrum exsiccatum similiter: quia ergo minus hærent sicci vapores, non detinentur firmiter in cerebro, vt somnum efficiant; sed tumultuosè agitantur, & commotione spirituum causant vigiliam: debent itaque vapores sic agglutinari, vt motioni fuliginum, & spirituum resistant, quod sine certo lentore, & humiditate non faciunt: prætetquam quòd cerebrum exsiccatum generat necessariò aeriores fuligines, quæ more medicamenti resoluentis proprio calore, & siccitate absumunt vapores, & extenuant, vt per poros euolent: sunt enim medicamenta attenuantia & xarefacientia calida & sicca, vt testatur Galenus *lib. simpl.* quas conditiones subeunt fuligines ex partibus siccis eleuatæ, & sic poros magis aperiunt, & vapores extenuant, resoluúntque ac destruunt eorum lentorem, & ita non conciliatur somnus.

Aliter potest solui hæc difficultas ex doctrina Philosophi 2. *lib. de gener. c.* 2. vbi docuit esse proprium humidi, quòd sit repletiuum alterius: quia cùm non retinnetur bene termino proprio, sed alieno, necesse est quòd humidum sit etiam flexile, seu quod habeat partes non constantes, neque stabiles: cùm enim omne repletiuum debeat se accommodare cauitatibus, & formationi corporis replendi, non potest esse constantis naturæ, sed mutabilis, quantum ad partium positionem: vnde exsiccati vapores consistentiam certam contrahunt impedientem illam positionem instabilem, cuius defectu non benè se accommodant formationi cauitatum cerebri, vt eas omnino repleant, & sic non obstruunt perfectè, neque somnum conciliant. & hac ratione existimo siccam constitutionem conferre ad resolutionem excrementorum, vt Galenus docet *lib. 3. aphorismorum, comment.* 15. & quia lentorem, quo hærent excrementa, tollit, & quia non sunt repletiua, si exsiccentur, melius per poros exhalantur, & resoluuntur.

Quòd autem calor vapores resoluat, & eos per accidens exsiccet, & extenuet, omnes publicè confitentur, sicut & quod vias, & poros dilatet, rarefaciatque corpus; & propterea vigiliam inducat; reddit etiam leuiora corpora in calefactionis principio, & ita minùs quieta reddit, quò enim aliquid leuius est, magis resilit, quia impetu maiore mouetur: nil autem plus somno obstat, quàm inquietudo, & vaporum mobilitas: quia mutuò se impellunt, & spiritus mouent ad extra, vt anteà diximus.

Hactenus dicta intelligenda sunt, quatenus ad propriam naturam istarum qualitatum pertinet; ex accidenti verò aliquando contingit calorem somnum profundum causare: quia non semper humida excrementa resoluit: quin potiùs magnam vaporum copiam ex eis eleuando cerebrum onerat, grauat, & obstruit, vt expressè testatur Galenus *lib. .. epid. sect. 3. comment.* 61. etiamsi fateatur ardente febre ægrotum molestari: *Febris*, inquit, *calor prauos humores, qui tunc crudi, & frigidi abundabant, ad caput subuehit.* Sic siccitas firmat & stabiles reddendo cerebri partes, si nimium eas condenset, somnum efficiet contra naturam, vt densando tollit motum, & sensum à quali bet parte impediendo influxum spirituum, & cerebri, quamuis videatur probabilius, non posse cerebrum ad tantam siccitatem peruenire viuo homine; si autem eueniat, dormiet non dubiè, sicut dormit à frigore.

CAPVT XII.

De causis somni præter naturam.

NOn loquitur de causis somni præternaturalis, quatenus obstruendo propria corporatura somnum efficere possunt: hac enim ratione nullus est humor, qui talis somni author esse non possit, cùm quilibet & corporatura & multitudine possit substantiam cerebri obstruere. Solùm ergo controuertitur de primis qualitatibus, quænam earum somnum contra naturam inducant: & ex dictis in præcedenti quæstione satis conspicua est resolutio præsentis, posse scilicet fieri somnum præter naturam à frigore, humiditate: constat lege contrariorum participantium sæpè naturam oppositam: si ergo rectè dictum est anteà cum Galeno, calorem & siccitatem vigiliæ contra naturam authores esse, erunt per consequens frigus & humiditas causæ somni contra naturam.

Anteà

Anteà verò, quàm vobis exponam, qua ratione à dictis qualitatibus somnus causetur, notabitis dupliciter dici posse somnum contranaturalem: nam vt haberduo naturalis somnus, ita præternaturalis bifariam dicitur. Est autem duplex ratio somno naturali conueniens, & quod duret determinato tempore, & quod non sit profundissimus; sed à leuioribus obiectis impediatur, aut quòd ex ipso dormiens expergefiat. Vnde somnus contra naturam præterquam quòd generaliter pendet à causa morbosa, dicitur talis, quia in quantitate, aut qualitate peccat, hoc est quia dormiat æger profundiùs, quam secundum naturam, etsi tempus dormiendi sit breuius, quàm naturale: aut è contra, quia dormiat tempore longiori, etsi non dormiat profundius quàm per naturam: spatium somni naturalis certum non est, quia variat, vt sunt diuersæ naturæ indiuiduales omnium. Communiter autem definitur per spatium octo horarum intra diem naturalem: docuit autem Galenus *lib. 3. de caus. puls. cap. proprio*, immoderatum esse somnum durantem post alimenti confectionem. Peccare igitur potest somnus, aut quia sit profundior, aut quia longior, aut quia vtrumque participet, quod est frequentissimum; quomodo autem possit dari somnus longior naturali, qui non sit profundior, dicetur inferiùs.

His suppositis somnum contra naturam à frigore fieri confitentur omnes: est autem duplex ratio. Prima quia ex se imbecillitat instrumentum commune omnibus actionibus, calorem scilicet vitalis spiritus, & natiui: propter quam rationem putant auctores actionem deprauatam fieri primò à frigore; sed semper incipere læsionem inductam à frigore cum diminutione operum, & tandem auferre: quia ergo omnis somnus incipit per diminutionem actionum, ideò frigiditas quia diminuit vtrumque calorem, somnifera est. Alia ratio sumitur à secundariis effectibus frigoris: densando enim vias, per quas communicantur spiritus, impedit illorum distributionem, & ipsos spiritus densando etiam reddit immobiles, vt ad sensoria distribui benè non possint: concrescunt enim omnia alterata à frigore violenter, & crassiora redduntur, & sic efficiuntur immobilia.

Neque obstat quod si corpus spirituum densatur à frigore, reddatur eo ipso aptius, vt per poros penetret. Patet: quia dum densatur, minorem locum, quàm anteà occupat, & per consequens faciliùs ingredietur, & mouebitur, & per poros, & cauitates alias. Sed contrà est: quia si à frigore viæ occluduntur, non habet vim argumentum, etiamsi ad locum minorem reducantur spiritus densati: deinde non valet: fit densior spiritus, ergo commodius distribuitur per poros: nam etsi hoc posset esse probabile durante semper virtute motiua proportionata cuicumque dispositioni mobilis, tamen quando densantur, & crescunt spiritus, non manet virtus motiua ita proportionata, vt illos tam commodè, vt antea distribuat: quia vt redduntur densiores, redduntur etiam grauiores, & sic minus benè impelluntur sursum, & extra, & tam facile, vt ad sensationes requiritur.

Dixit autem Galenus, quod ad inducendum somnum contra naturam primum locum obtinet frigiditas, secundum humiditas, ad somnum verò naturalem è contra. Ratio est, quia frigus nullam iuuat operationem sentientem, aut motiuam, imò omnibus aduersatur; estque aliàs efficacissimum ad operandum, & propterea altum, profundúmque somnum, & quasi congelationem efficit, ob quod Galenus dixit *lib. 1. de caus. sympt. cap. vltimo*: *Quæ solum humectant, vocantur somnifera; quæ autem perfrigerant, neque somnum, neque indolentiam afferre rectè dicuntur; sed pro somno coma & carum.* Ratio est, quia somnus ordinatur, vt diximus, in animalis salutem, & vt reparentur deperditi spiritus, & coctiones perfectiores fiant: hæc autem commoda non euenirent, si frigiditate causaretur somnus naturalis, cùm necessariò calor remitteretur, qui est author prædictarum vtilitatum: fit ergo ab humiditate moderata madefaciente cerebrum, quæ coctionem non tollit; sed iuuat potiùs, vt constat in pueris: & cùm humiditas putetur ab omnibus minùs actiua, quàm frigus, nunquam cerebrum sic alterat, vt coma, altosque sopores inuehit; sed solùm longiores magis quàm profundiores.

Qua verò ratione ab humiditate somnus causetur contra naturam, iam constat ex dictis: nam & potest esse pertinax in duratione, quia causa illius durat nimis, & sic somno longiores efficit, & si intensior sit humiditas, quam naturali somno inducendo conueniat, dormiet æger profundiùs semel & longiùs: non enim dubitari potest intensius humectari cerebrum à pituita, quàm à vaporibus alimenti, & sic ab ea dormire profundius: fit ergo somnus ab humiditate, vt docet Princeps *fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 1.* dicendo: *Et quandoque accidit propter causam humectantem instrumenta, & perturbantem substantiam spiritus, & oppilantem viam eius, & laxantem substantiam neruorum, & lacertorum, & mollificatio, quam sequitur oppilatio, & cooperimentum, quæ prohibent spiritum penetrare: quoniam spiritus istius substantia iam est ingrossata, & perturbata.* Quibus verbis, vt putat Gentilis, traduntur tres causæ inductiuæ somni. Prima est quòd substantia spiritus sit turbida, & redditur propterea spiritus ineptus ad sensum & motum. Secunda, quia incrassatur spiritus, & ideò non potest penetrare, aut distribui per poros. Tertia, quia laxando neruos, partes omnes deperdunt firmitudinem, qua vias & poros seruabant rectè conformata, & reclusa: vnde partes iam madidæ, & laxatæ concidentes in sese propter defectum firmitudinis occluduntur omnino, aut redduntur minores cauitates naturales, & ita non distribuuntur spiritus ad sensoria, & somnus causatur.

Duo primi effectus, inquit Magister noster non possunt attribui humiditati, quatenus qualitati: quia hæc nequit reddere spiritum turbidum: aer enim, inquit, etsi nimiè humectetur, non redditur turbidus. Est ergo intelligendus Auicenna de permissione humidæ substantiæ cum spiritibus, vt quando cum aere permiscentur vapores, & nubes: tunc enim redditur crassior impropriè & turbidus, vt quando aqua cum terra miscetur: repugnat etiam, inquit, quod per solam humiditatem crassior spiritus reddatur: nam teste Aristotele *lib. 2. de generat. cap. 2.* Tenuitas ad humiditatem, crassities verò ad siccitatem reducitur: fit ergo crassior spiritus, quia permiscetur cum substantia crassiori humida; & ideò non penetrat, neque per poros distribuitur: quia impeditur à corpore crasso permixto: hoc enim corporatura propria, & crassitie replet vias ipsas, & inde spiritus non transeunt.

Hæc doctrina est altiùs inuestiganda, & videndum, num humiditas, vt qualitas est, possit turbidum reddere spiritum, vt docet Gentilis. Pendet verò id ex eo, quod possit eundem reddere crassum: nam semel densatus, & incrassatus spiritus proprium splendorem amittet, redderúrque incapax influendi in neruos, & partes ad sensum & motum. Et contra Magistrum stat argumentum efficax: quia si corporatura sola humidæ substantiæ tales euenient effectus, impertinens esset omnino, quòd esset humida substantia: nam quodlibet corpus permixtum eundem effectum præstaret: cùm ergo somni conciliatio tribuatur solùm humidæ substantiæ, intelligendum est vt est humida, & non vt est corpus. Præterquam quòd si humiditas conferat ad tenuitatem, minus quàm corpori humido incrassatio spiritus dicaretur. Nec obstat, si dicas conferre humiditatem, vt fiat substantia apta, vt in vapores mutetur.

Sed

Sed contra est, quia nullus est humor naturalis, qui in vapores permutati repugnet; ita hac ratione omnes conciliarent somnum. Accedit etiam Auicennæ verba dicentis: *Quoniam substantia ipsius spiritus iam est ingressata.* Quæ verba de propria substantia ingrossata intelligi est necessarium: & quòd humiditas ad incrassationem conducat, constat, quia si decidentiam partium efficit, efficiet etiam densitatem, & crassitiem: quia applicantur partes magis sibi inuicem, & minusem sic locum occupant, quod est densari. Accedit rursus authoritas Galeni *lib. 5. simplu. cap. 9.* dicentis: *Medicamenta indurantia esse frigida, & humida*: ergo humiditas indurat, & incrassat per consequens: quia nil redditur durius, quod non reddatur simul crassius, & densum.

Mihi videtur probabilissimum, humiditatem superfluam reddere crassiores spiritus, & minùs aptos, vt moueantur ad extra. Ratio ab igne desumpta id confirmat: quia cùm sit tenuissimus, & leuissimus, rarissimúsque, non participat has qualitates secundas, nisi quia calidissimus, & siccissimus omnium: & aër, qui summè humidus putatur, cum calor propè summum sit densior, & crassior igne elementali in opinione Aristotalis: si verò humiditas ad densitatem conduceret, & non ad crassitiem, nec esset igne crassior aër, saltem constat ad crassitudinem conferre. Et ratio efficax sumitur à lege contrariorum: nam si siccitas, vt qualitas est, ad vigiliam conducit per effectus, quos causat, necesse est ad somnum humiditatem conferre per effectus sibi conuenientes. Mihi verò videtur humectata corpora esse minùs mobilia, siue ab interno principio, quia redduntur grauiora, siue ab extrinseco, ob eandem rationem: loquor de mobilitate requisita in spiritu ad causandam vigiliam, quæ cùm non sit ad deorsum, sed sursum & extra, necessum est impediri à grauitate maiori, vt per se constat: tum etiam quia vt partes neruosæ ab humiditate emollitæ clauduntur, quia ponderè proprio decidunt quædam super alias, quod non fit sine noua grauitate inducta, aut noua dispositione, qua vniuntur in se magis: sic in spiritu putandum est euenire, & per consequens densitatem contrahere, siue propriam, siue impropriam: nam vbi experimur partium vnionem maiorem, fateri cogimur nouam densitatem, & minorem agilitatem per consequens. Accedit quod siccitas causat vigiliam: quia ad resultum confert, & tollit simul requisitum lentorem, vt docuimus. Sic humiditas lentum magis reddens spiritum, ad profundiorem & longiorem somnum conducere negari non potest: quia difficilius ad exteriora organa impellitur, & hætens partibus immobilis fit.

Dices: Si lege contrariorum argumentum adductum valet, sequitur contra nos quod humiditas nunquam incrassat; sed semper extanuet. Patet quia siccitatem densare consitentur omnes: ergo lege contrariorum attennabit humiditas. Respondetur satis dubium esse, quòd siccitas semper incrasset, vt patet in igne; neque quod humiditas extenuet, vt in rebus emollitis experimur, quæ super aliis partibus cadentibus densantur, & vniuntur, & glutinantur. Est itaque mira variatio in productione modorum substantiæ, vt nullam certam regulam inueniatis: nam sæpè exsiccatum corpus redditur porosius & leuius, aliquando densatur, nimis induratur, & crassescit. Illud tamen experimento constat, nullum corpus humidiori applicatum fieri leuius, nec rarius in se, nisi accedente calore rarefiat, aut in vapores mutetur, existimoque humiditatem extenuatoriam ex accidenti esse, quatenus ad vaporem conducit generandum per caloris accessum: nam ex se potiùs facit, vt dixi, corpus magis lentum, & minùs mobile, seu agile, & grauius, plusque alieno corpori hærens: qua ratione somnum causare potest. Sic probabiliter defendi potest Auicennæ sententia de humiditate solùm intel-

A lecta absque interuentu corporis: quia ad crassitiem conducit.

Quæ doctrina constat ex eodem authore *fen. 3. lib. 3. tract. 4. cap. 5.* in quo nyctalopiam reducit in humiditatem, & crassitiem spiritus visibilis, vbi tradidit vt causam crassitiei spiritus humidam distemperiem eorum, & in vitio opposito nyctalopiæ orto ex subtilitate spirituum consulit humectantia auxilia, vt illa subtilitas auferatur. Confert ergo humectatio ad quietem spirituum, & per consequens ad somni conciliationem: quia eos incrassat, & stabiles reddit: & quod agilitas spirituum, seu subtilitas oriatur à siccitate, clarè docuit Auicenna *loco* immediatè *citato, cap. 1.* dicendo: *Et subtilitas quidem plurimum accidit ex siccitate.* Ergo crassities à superflua humiditate orietur in eodem subiecto,
B quod siccitas subtiliat: rectè ergo dixit, quod substantia spiritus iam est ingrossata ab humiditate superflua, & inde minus mobilis, & per consequens ad somnum conducens. Sic Galenus *1. lib. de caus. sympt. cap. 2.* inter causas impedientes visionem numerat humiditatem tunicæ corneæ, qua laxata partes vniuntur magis, & quædam supra alias cadentes ob defectum firmitudinis visui efficiunt densatæ. Quod etiam admittit Magister *disp. 23. de locis affectis, in fine interius.* Densat ergo humiditas, & grauiorem reddit spiritum, minusque agilem & mobilem. Sic Auicenna *fen. 2. lib. 1. sum. 1. doctrina 2. cap. 11.* humidæ pauitationis tradens effectum dicit *quod hyems non infrigidatur valde.* Rationem reddit Gentilis: quia frigiditas aeris iuncta humiditati
C reddit aërem grossum, & laxum non facilè penetrationem in humana corpora, & sic minùs infrigidat: quia non penetrat ob crassitiem.

Dubitabitis tamen num à frigore possit aliquandò fieri vigilia morbosa: videtur dubitatio ridicula, cùm hactenus somniatum à medicis non sit vigiliam ortum duxisse à frigore: nos autem id non repugnare sæpè experti sumus, tam in ventriculo frigido, qui ob nimiam distemperiem & coquebat pessimè & tardissimè, & vapores non eleuabat sufficientes ad somnum. Sic cùm mulier asset hydropica ferè, quia ob inconcoctionem magnam crudorum copiam accumulauerat, neque ex alimento crassiori vapores ad somnum eleuaret, calefacto & roborato ventriculo, & dato lacte pro cibo, & iuribus optimis cum generoso vino, velut miraculo
D sè fuit liberata: non enim alimenta crassiora sufficienter alterabat, exhibitis verò tenuibus, & vaporosis commutare cœpit, & somnum conciliare citra aliud auxilium somniferum, & tandem impinguata hydropem etiam reiecit. Sic cùm esset magna dubitatio cuiusdam medici, cur fœmina distillationem pituitosam patiens nullo modo conciliaret somnum, etiamsi plures noctes sine tussi aliqua transigeret, cùm videretur rationi consentaneum cerebrum generans tantam copiam crudorum somnolentum fore. Solutio nostra fuit, adeò esse frigidum cerebrum, quod vapores ex alimento eleuatos statim mutarit in aquam, & succum crudum crassiorem, & sic in cerebro non detineri; sed ponderè grauare expultricem: & cadere etiam deorsum, &
E propterea non dormire, quamuis in ventriculo nulla manifesta distemperies perciperetur. Et contra doctrinam putantium somnum naturalem fieri posse sola retractione spirituum, habet vim magnam argumentum adductum, videlicet quòd per distemperiem frigidam debilitari potest attractrix cerebri, & sic vigiliam contra naturam à frigore dari, quòd interiùs non retrahantur spiritus: tenetur ergo medicus circa omnia diligenter discurrendo philosophari, vt omnium symptomatum eorum, quæ per se, & per accidens euenire possunt, rationes inueniat, & sic eisdem summa admiratione occurat.

Dubitabitur similiter, qua ratione à rebus calidis somnus profundus concilietur, si frigidæ cum efficiunt,

ciunt. Respondetur quòd possunt esse humidæ, & sic somnum creabunt. Sed vrget magis dubitatio de aloe, & myrrha, quæ simplicia sunt calida, & sicca, & tamen somnum vehementem conciliant. Idem de iride docuit Dioscorides cap. proprio. Respondetur quòd aloes & myrrha, etsi sint temperiei calidæ & siccæ, habent tamen partes quasdam pingues, quæ & crassitie, & lentore cerebrum obstruunt. Sunt autem partes illæ humidæ & calidæ, & sic calore ventriculi attenuantur, & in halitus corpulentos conuersæ cerebrum petunt, & somnum conciliant, ob quod vituperant Medici in soporosis passionibus expergefactionem factam per hieram simplicem: quia ob aloës copiam soporifera est, & imbrem auget. De iride verò videtur res difficilior, cùm sit medicamentum siccum, & attenuatorium; sed nihil mirum: est enim radix aromatica, & partes vaporosas exhalant suauiter, & cerebrum obstruit & sensus suauitate suspendit: omnia enim emollientia, & aromatica partes habent pingues & vaporosas, quibus exspiratis somnus conciliatur.

CAPVT XIII.

De effectibus somni.

NIl magis medicum decet, quàm effectus à somno orientes callere, vt inde sciat, quando dormire, quando verò vigilare conueniat. Quam doctrinam doctissimè retulit Princeps *fen. 2. lib. 1. sum. 1. doctr. 2. cap. 13.* dicendo: *Somnus omnes operationes naturales fortes efficit: propterea quod calorem continet innatum, & virtutem laxat animalem, ideo quod cordis vias humectat, & eas laxat, & quia spiritus substantiam turbidam facit, & prohibet illud quod resoluitur, laxituainis verò modos omnes remouet, & fortes retinet euacuationes.*

Cur omnes naturales operationes fortes efficiat, explicuit dicendo, quia continet calorem innatum, ■e est, impedit, ne resoluantur vitales spiritus, sine quorum auxilio omnis operatio perit; & quia naturales actiones non solum efficiuntur calore vitali; sed calore elementali etiam, & vtrumque calorem ab spiritu facultates animales accipiunt; ideò fiunt per somnum fortiores, quia somni occasione plus abundant spiritus.

Contra quam doctrinam multa inculcat Gentilis. Primum quod attractio naturalis, quæ requirit, vt fiat, motum voluntarium antecedentem, cessat in somno, vt cessat voluntarius motus. Constat in deglutione per somnum cessante. Secundò, quia si somnus retinet fortes euacuationes, vt docet Princeps, moderatur illas, & minuit per consequens vim, & fortitudinem expellentis: non ergo reddet illam fortiorem. Et constat clarè de omni expulsione sensum molestiæ requirente: nam cùm sensum minuat somnus, minuet non dubiè actum expulsiuæ virtutis. Tertiò: quia cerebrum infrigidatur per somnum, cùm à vaporibus crudis obstruatur, & si causetur, vt putat Auicenna, retractione spirituum, certior erit cerebri infrigidatio: & de frigore ambitus corporis, & partium extremarum dubitari non potest: quia experimento constat in somno infrigidari, & ideò tegumentis egere dormientes: repugnat ergo naturales actiones fortiores esse in dictis partibus. Solutiones Gentilis sunt, quod somnus reddit fortiores operationes naturales collectiuè, ita quod comparando totum genus operationum naturalium simul in somno ad totum genus earumdem in vigilia, perfectius fit in somno. Contra quam solutionem pugnat argumentum vltimum de partibus exterioribus & extremis, quæ videntur pati defectu vitalis caloris, & per consequens debilitantur omnes

A actiones, & in plurimis partibus. Deinde negari non potest, quòd in somno fiat resolutio exigua excrementorum, & partium, ob quod dormientes nimium onerantur, & in somno longiori tandem calor vitalis suffocatur ob excrementorum detentionem. si ergo resolutio est minor, erunt per consequens attractio, & concoctio minores: quia non trahitur alimentum nisi ad proportionem resolutionis, cùm trahatur in reparationem deperditi: ergo & attractio & coctio & expulsio debiliter fient, quia hæ duæ vltimæ pendent ex prima, & tractio pendet ex resolutione.

Videtur mihi probabilior secunda solutio, nempe quòd omnes operationes fiant fortiores in somno velut in radice, seu radicaliter, eo quòd angeatur, & detineatur simul vitalis calor ad eas requisitus, & commune instrumentum. Nec obstat quod hoc modo

B etiam somnus redderet fortiores animales actiones. Sed contra est: quia somnus directè tollit omnes istas, quia est earum cessatio; naturalis verò non sic: quia saltem coctio alimenti assumpti, & omnium partium internarum augetur in somno, & sic opus est tractione in eisdem partibus, & expulsione, quæ sensum non requirit: fiunt etiam in somno perfectiores, & ita meritò dixit Princeps, quòd reddit fortiores omnes operationes naturales.

Subdit Auicenna quòd somnus lassat animalem virtutem, hoc est efficit cessationem facultatis animalis: reddit rationem, quia cordis vias humectat, & eas laxat, & substantiam spiritus turbidam facit, & prohibet illud quod resoluitur: quia humectantur viæ cordis, & redduntur laxiores, si de vera humiditate intelligatur: quia partes emollitæ concidunt supra se, & ita

C occluduntur viæ, per quas communicatur vitalis spiritus cerebro, & sic non sentit, qui dormit, neque operantur internæ potentiæ: etiam dicitur humectari impropriè, quia humidis vaporibus arteriæ repletæ, per quas communicatur vitalis spiritus, impeditur transitus eius ad cerebrum; & hic modus est medio quo propriùs causatur somnus: nam humectatio à vaporibus orta non potest esse tanta, quòd præmollitæ concidant quædam partes arteriæ supra alias: nam tanta mollities in corpore tam solido naturalis esse non potest, sed morbosa; ab ista verò somnus naturalis non fit; loquitur autem Philosophus iuxta proprium placitum: putauit enim in corde primum sensorium residere.

D Addit Auicenna, quod substantia spiritus turbida redditur in somno: hoc autem, inquit Gentilis, contingit propter vapores in cerebro retentos, & inspissatos, immixtósque spiritui animali, vnde ineptus redditur animalibus operationibus: debet enim esse spiritus subtilis, luminosus, & peruius: Quæ verba non explicant directè, qua ratione ob permixtionem vaporum reddatur ineptus animalis spiritus sensationibus & motioni; est tamen putandum euenire multiplici ratione: nam à frigore, & humiditate vaporum densatur necessariò, & sic crassescit, redditúrque opacus, vnde neque est lucidus, vt debet, neque influit in partes sua illustratione: densatus enim spiritus redditur incapax illius, deinde vapores permixti influxum eorum impediunt: quia non sunt me-

E dium aptum, in quo recipi possit qualitas spirituum, & ita interpositi vapores inter partes & spiritum, tollunt influxum eius in partes, vt nubes cum aere permixta impedit illuminationem à sole: permixti etiam vapores cum spiritibus istos diuidunt in partes minimas, & sic commodè non influunt propter defectum conuenientis quantitatis ad agendum in tanta intensione, quantam partes requirunt, vt moueantur, & sentiant.

Addit Auicenna, quod somnus tollit sensum, & motum: quia prohibet illud quod resoluitur, hoc est

detinet

detinet in cerebro, aut in corde, quod ex coctione à calore eleuatur, & unde viæ, per quas spiritus communicantur, obstructæ occluduntur, & somnus excusatur profundior, ligantur que sensus de nouo, & magis.

Alium effectum somni tradit Auicenna dicendo, quod modos omnes lassitudinis remouet. Quæ doctrina si de formali ratione lassitudinis intelligatur, indubitata est: quia si somnus tollit sensum, aufert necessariò omnem condolentiam, & sensationem molestam, in qua consistit formalitas lassitudinis cuiuscumque: nam lassitudo vlcerosa & tensiua molestiam vlceris & distensionis, seu ruptionis efficiunt; lassitudo autem phlegmonodes vtramque molestiam includit, quia ex duabus prioribus constat, & componitur, de quarum natura doctissimè egit Galenus *lib. 3. de tuenda sanitate*: si autem loquamur de lassitudinibus, quatenus pendent à propriis causis, eas aufert, inquit Gentilis, quia copia excitationis cuiusque lassitudinis causa resoluitur: somnus verò calorem auget. Quæ doctrina mihi non probatur, si semper existimet ita euenire: constat enim experimento plurimos post somnum grauiores, & plus lassatos manere: & indicat ratio, quia si somnus excrementorum resolutionem prohibet, eteat necessariò abundantiam interius, & sic replentur magis corpora onusta, & redduntur grauiora: nemo quidem negabit vigiliam magis resoluere, ob quod illam edacem appellauit Hippocrates *lib. de vulgar. morb. sect. 4.* ergo qui per vigilias ob copiam excrementorum lassitudine premitur, non suscipiet auxilium per somnum necessariò in ordine ad copiam: solùm ergo melior reddetur, quia debilitas contracta ex fatigatione, & dolore lassitudinis dum vigilabat, resarcitur in somno: quia somnus est indolens, eo quòd aufarat sensum, & hoc est quod habet somnus perpetuum in omni lassitudine: causam autem eius semper minuere falsum est, cùm sæpè repleatur corpus magis in somno; nullam tamen lassitudinem proprius & certius destruit, quam prouenientem à labore, & immoderato exercitio: quia spiritus consumptos reparat, & siccitatem membrorum ex labore contractam certissimè emendat, & incendium mitigat: nam si hæc bona præstat quies, melius eadem somnus præstabit, cùm includat quietem: dixit enim Hippocrates *lib. 2. aphorism. text. 28. in omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.*

Alius effectus, inquit Auicenna, est quod somnus fortes retineat euacuationes: id autem non dicit, quia debiles non retineat, cùm retineat omnes absque dubio: & si fortes cohibet, non est cur debiles non impediat. Ratio pendet ex eo, quòd sensum tollit; putant enim auctores omnem expulsionem fieri præcedente irritatione; & quia hanc impedit, tollit per consequens euacuationes: ob quod vbi in euacuationibus magnis irrita sunt medicamenta fluxiones moderantia, ad narcotica, & somnum conciliantia confugiunt Medici, & interim quòd somnus celebratur, cessent euacuationes, & virtus restauretur, & propterea in omni euacuatione superflua summum auxilium putatur somnus adueniens: sudorem excipit Auicenna, quem somnus non moderatur, sed auget potius, & interdum de nouo excitat, de quo dicemus inferiùs.

Sed dices: si somnus obstat euacuationibus, quia sensum tollit, cum non auferat sensum totum, non tollet per consequens euacuationes omnino, sed in ipso somno fieri possunt, quia in illo adhuc sensus durat, & dicitur esse, & idem experimur, & adhuc inter dormiendum sanguinem emanare per vterum, & alui excrementa sæpè deponi. Neque contrarium docuit Princeps; sed solùm dixit, quod omnem euacuationem somnus moderetur, & sic semper tollat aliquid de euacuationis fortitudine. Ratio est, quia in parte, quæ irritata in vigilijs pellebat, requirit cumulatio maior excrementorum

A in somno, vt sentiat eorum molestiam; nam quod somnus tollit de sensu, tenetur crescere magis ex parte obiecti, vt sentiatur: vnde toto illo tempore requisito ad maiorem excrementorum accumulationem cessat expulsio, & æger quiescit, & inde virtus collapsa restauratur: quia per interualla maiora molestatur, & excrementa tardiùs deponit: & hac ratione est verum, quòd somnus tollat aliquid de fortitudine euacuationis: vnde si moderata sit euacuatio, & irritatio succorum non nimia, nihil mirum quòd toto tempore somni cesset omnino; vbi autem celeriter copia excrementorum congeritur, aut succorum mordacitas nimiè viget, ipse sensus molestiæ expergefacit, & ad reiiciendum cogit: vnde rectè infertur, quòd respectu efficiendæ expulsionis à facultate naturali, quæ sine sensu molestiæ excrementa pellit, nullam moderationem somnus

B efficiet; quinimò internarum partium sic expulsio augeri poterit, quia retentione calidi influentis roboratur expultrix, licet aliàs somnus, vt repler internæ, possit retardare expulsionem: quia vias obturat, per quas mittenda sunt excrementa, sicque in somno sanguis intrò fugit, vt dicebat Hippocrates, & contemperando acria excrementa expulsionem eorum remoratur.

Quòd autem doctrina Auicennæ solùm sit vera respectu expulsionis efficiendæ, si non dormiret æger, constat, quia sæpè post somnum reiiciuntur excrementa tam copiosè, ac si fuissent expulsa eo modo, quo ante somnum pellebantur. Somnus rursus coquendo excrementa, & corrigendo aliquod vitium eorum minuit aliquando euacuationem superfluam; sed vt illa emendare potest, potest non minus eorum vitium intendere.

C Quod respiciens Hippocrates 1. *lib. Aphorism. t. 1.* scripsit, in quo morbo somnus laborem facit, mortale. Galenus *in commentario* damna ex somno referens dicit, quod febres non dissoluuntur, aut exacerbantur, & quòd dolores intenduntur, & fluxiones multiplicantur, & crescunt inflammationes: quæ omnia eueniunt propter humorum prauitatem, quòd vbi calor innatus fortior extitit, per somnos concoquit; quando verò debilior, succumbit, & ab illis viscera grauantur, & dictis affectibus homo corripitur.

Subdit Auicenna: *Motus namque omnis, quod ad currendum ap um est, currendi auget virtutem, nisi sint materia quæ ad partes cutis existant.* Quibus verbis docet Auctor, quod corporis motio confert, vt fluxiones & fortes euacuationes fiant maiores: quia commouentur facillus humores ab impetu communicato ex motionibus

D corporis, & quia exercitio corpus calefacit, & viæ omnes, per quas deriuantur humores, aperiuntur magis calore exercitij, & retentrix facultas minus retinet humores commotos per corporis motiones: ita motus localis omni humori, qui ad currendum aptus est, currendi, id est, vt moueatur celerius & impetuosius, adauget virtutem.

Excepit tamen Princeps materias iuxta cutem existentes: has enim non commouet, vt impetuosius fluant; sed conducit potiùs localis motio, vt resoluantur per poros cutaneos. Ratio est, quia tales materiæ, aut humiditates iam sunt impactæ extremitatibus cuti proximis, & ita non fluunt, sed resoluuntur potiùs: quia localis motus sit vigilando, & sic mouetur calidum

E influens cum sanguine ad cutem, & resoluuntur humiditates cuti inhærentes, & quia calidum viget exterius, à quo resoluuntur, & poti redduntur potentiores, impetusque sanguinis spirituúmque ad extra factus pellit excrementa cuti hærentia, quorum contraria efficit somnus, & inde non resoluit excrementa in corporis ambitu imbibita: infligidatur enim retrocessu sanguinis, & spirituum ad intra, aut eorundem detentione. Quo fundamento probat Argenterius, coctionem partium externarum minui per somnos, & ita euenire experimentum docet: omnes enim re-

e enter expergefacti faciem tumidiorem ostentant, & velut inflatam, & pandiculatione molestantur statim à somno ob flatus imbibitos in partibus musculosis, qui statim à somno vigilando resoluuntur.

Addit Auicenna vnum difficile, nempe quòd somnus iuuat ad expellendum materias iuxta cutem manentes, propterea quod calorem interius continet, & nutrimentum in corpore patitur, & expellit illud, quod est iuxta cutem: propterea quod illud quod est longè, constringitur. Quæ verba satis obscura sic explicanda sunt: somnus confert aliquando ad euacuandas materias iuxta cutem existentes: quia interiùs detinet calorem, vt alimenta coquat, & postquam ciborum coctionem finiuit, distribuit alimentum per corpus, & versus ambitum eius; & alimentum sic distributum impetu suo pellit excrementa iuxta cutem manentia, & foras reiiciuntur: & quia per impulsum communicatum comprimitur etiam, vt per vias tam constrictas deferatur, ideò dicit, quòd propterea expellitur, quod est iuxta cutem: quia illud, quod est longè, constringitur: id est, quia sanguis qui in internis continebatur, dum alimentum in illam mutabatur, constringitur, id est pellitur ad corporis extima.

Notat tamen Auicenna, quod quamuis somnus confectat suo modo iam dicto ad euacuandam materiam iuxta cutem detentam; confert tamen sine dubio multo magis vigilia ad prædictam euacuationem, quamuis somnus plus efficiat sudore, quàm vigilia. Ratio primi est facilis: quia si somnus confert aliquando ad euacuanda excrementa in ambitu corporis existentia, eo quod post alimenti coctionem illud distribuit per totum, constat quòd vigilia multò meliùs eandem euacuationem efficiet: quia efficaciùs mittit sanguinem, & spiritum, & fuligines ad corporis ambitum.

CAPVT XIV.

Vtrùm somnus plus moueat sudorem, quàm vigilia.

FVit celebris quæstio proposita inter medicos nostri temporis, quam insinuauit Princeps in capite iam citato, ex cuius doctrina tanquam certum supponendum est, plus conferre somnum ad mouendum sudorem, quàm vigiliam: docet enim experimentum multos non sudantes vigilando si dormiant, statim inundari sudore, nulla facta mutatione in corporis dispositione præterquam in somno, aut vigilia. Quod notauit Hippocrates *lib. 4. aphorism. text. 41.* dicendo: *Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta corpus vti pluri cibo significat; si verò cibum non accipienti hoc accidat, quòd indiget euacuatione.* Dixit quidem quòd sudor fiat in somno, quia somnus est, qui magis detegit dispositionem ad eliciendum sudorem, & ita ostendit in somno maximè euenire, vt homines sudent: quia confert plusquam vigilia. Vnde rectè infertur, quod si sudor in somno significat corpus multo cibo vsum fuisse, melius id in vigilia significabit sudor, quia difficiliùs vigilando excitatur: quia maior corporis dispositio arguitur. Et ex hoc, quod ex Auicenna tanquam certum accipiunt omnes, suscitatum fuit axioma commune, quòd somnus omnes euacuationes prohibeat præter sudorem; hunc enim auget potiùs, si fiat inter vigilandum. Est autem tota difficultas, vnde id proueniat? Ratio dubitandi est, quia materia sudoris non minus pellitur irritata natura, quàm quæ per aliam euacuationem reiicitur. Ergo si somnus alias euacuationes moderatur, quia sensum molestiæ diminuit, sic etiam reprimet sudorem: quia media molestia, & irritata expultrice expellitur.

A Ante verò quàm discutiam adductum problema, notabitis quòd sudor nihil est aliud, quàm sensibilis euacuatio aquosæ humiditatis per cutem integram, in quo differt ab euacuatione per occultam transpirationem facta, cum qua conuenit in hoc quòd per cutem fiat; differt tamen in materiæ euacuatæ sensibilitate. Definitio constat ex communi hominum acceptione: omnes enim tunc dicunt aliquem sudare, quando in eius cute apparet sensibilis humiditas, aut in naturam crassi vaporis conuersa, seu in forma tenuis humiditatis; in quo etiam differt ab expulsionibus reliquis sensibilibus, etiamsi per cutem fiant, vt quando cutis fœdatur furfuribus, aut alio fœditatis genere, in quo non reiiciuntur excrementa sub forma humiditatis aquosæ; sed sub crassiori, & sicciore temperatura, & forma.

B Dicitur in definitione, quod fiat integra manente cute: nam si serum humorum, aut quæuis alia humiditas per cutem vlceratam, aut alio modo præternaturali diuisam emanaverit, non diceretur sudor propriè, sed emanatio. Sudor ergo, vt ab omni alia euacuatione differt, est, vt dixi, sensibilis euacuatio aquosæ humiditatis per cutem integram, seu per poros eius naturales. Ponitur euacuatio loco generis; reliquæ particulæ loco differentiæ, vt dictum est; quæ definitio certa cum sit, & ad exponendam naturam sudoris aptissima, vt inutilem reiicit definitionem sudoris hactenus ab auctoribus traditam, & relatam etiam à Ludouico Mercato *tom. 4. disp. 3.*

Sudoris itaque forma & natura dicta iam est; materia verò erit quidquid in forma humiditatis tenuis

C per poros naturalis cutis potest expelli. Vnde humores quatuor, serum eorum, & omnis alia extranea humiditas, si detur, erunt non dubiè materia sudoris: omnes enim attenuari possunt à calore, & in vapores conuersi concrescunt in cute, & in forma sudoris apparebunt. Nec minus per febres colliquantes contingit carnes & pinguedinem colliquari, & in vaporem crassum conuersas exsudari: quod clarè indicat lentor sudoris, & glutinositas, & guttæ etiam crassiores, quasi consistentes in se, quas vituperauit Hippocrates *in prognost.* & dixit esse similes millio, ob idque internam syncopen, & mortem præsagiunt, cum iam depopulentur substantiam nostram, & in sudores abeat extenuata. De quibus mentionem etiam fecit Galenus *libro 3. de causis symptomat. cap. 2.* dicendo: *Fit igitur*

D *quædam veluti colliquatio, siue resolutio aliquando totius corporis, aliquando humorum, qui in venis sunt duntaxat.* *Quod autem ex ea colliquatione prouenit, aliàs ad ventrem confert, aliàs ad vrinas, aliàs ad sudores pellitur.* Et inferiùs sic loquitur: *Carnoso verò genere ita colliquato tum venter fluxionem illius recipit, vbi scilicet ea est crassior; tum sudores multi superueniunt, vbi in halitus est resoluta.* Quo loco totum corpus posse colliquari fatetur, & ex colliquatione per sudores expelli quidquid in halitus fuit permutatum. Est ergo, vt dixi, sudoris remota materia quidquid à calore ita extenuari potest, vt permutetur in humidos vapores. Vnde etiam constat, causam efficientem sudoris primariò esse calorem humidam substantiam attenuantem, & vertentem

E in halitus: quod indicat sudor tempore æstiuo manans, & ab exercitio, aut arte causatus: semper enim calorificis promouetur, & materia etiam, quæ attenuata calore facilè in vapores vertatur.

His breuiter dictis, quo ad quæstionem, non pertinent omnia ad naturam sudoris; sunt enim difficillima, & longiorem tractationem petentia. Prima sententia opinantium ideò somnum non impedire sudorem, alias verò euacuationes maximè: quia sudor non pellitur irritata natura, sed calefactis humiditatibus, & attenuatis calore, qui cùm in somno crescat, interiùs calefacit, & extenuat plus, & inde confert magis quàm vigilia ad promotionem sudoris, qui cùm non exeat sensu molestiæ præcedente, non impeditur in somno;

reliquæ

reliquæ autem euacuationes, cùm fiant irritata naturâ, & hæc molestia aut minuitur, aut tollitur omnino per somnum, ideò cessant, aut minuuntur eo modo quo diximus in præcedenti quæstione.

Si autem à sic opinantibus petatis: Quo principio motiuo foras expellatur sudor, aut eius materia, respondent à leuitate vaporum fieri: conantur enim vapores leuitate commoti foras exire, & sic penetrantes per poros ob impulsum leuitatis sudor apparet. Si autem rursus obiiciatis: Leuitas illa solùm mouet sursum; at sudor diffunditur per totam regionem corporis, quia partim deorsum esse est necessarium: ergo repugnat à sola leuitate cieri; sed opus est impulsu facultatis pellentis per quamcumque positionem, seu regionem. Respondent suo videri facilè, quòd motus deorsum & ad latera non fit, neque potest à leuitate, vt argumentum probat: fit ergo, dicunt, ab impulsu communicato à fuliginibus, & aere per arteriarum compressionem reiectis, quæ cùm per quamlibet regionem corporis pellantur, deferunt secum sudoris materiam, quæ leuissima est, & facilè mobilis. Et putant hanc doctrinam esse consonam Hippocrati sic scribenti *lib.1. de morbis*, & *libello de flatibus*; nam primo loco de criticis sudoribus loquens sic scripsit: *Sudor verò fit, hac de causa quicumque morbi in iudicatorius diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in iis de pituita & bile quod tenuissimum est, eliquatur & secernitur, & secedit partim extra corpus, partim intus, & istic in corpore relinquitur, partim pra caliditate attenuatur, & vaporatur, & spiritu permixtum procedit, atque ab iis sudor generatur.* Vbi in fine sententiæ dicit quod conuersum in vapores foras expellitur permixtum cum spiritu, & per spiritum intelligere aerem, communissima locutio est in Hippocrate.

Hæc sententia ab omnibus vt improbabilis reiicitur. Primò quia tollit omnem rationem præsagiendi ex sudoribus: nam si fit extenuatio à calore, & expulsio efficitur absque aliquo opere naturæ, nunquam liceret præsagire ex sudoribus, quòd sint signum malum, siue in hoc, siue in illo tempore morbi fiant, siue in die critica, siue non. Vnde non minus salutares essent sudores euenientes in principio vniuersali, quàm in alio quolibet tempore: quia in quolibet pendent à similibus principiis nullam significationem maiorem in hoc, quàm in alio tempore dantibus, cùm in omni tempore morbi sit auctor sudoris calor extenuans, & leuitas impellens. Rursus non magis conferret sudare in die legitima, seu decretoria, quàm in aliis diebus: quod quàm alienum sit à communi Medicorum doctrina sine numero testimonia Hippocratis & Galeni testantur.

Secundò contra prædictum placitum efficax conficio argumentum. Id quod mouetur ad motum alterius, nequit moueri impetuosius, quàm primus motor expellat: ergo si sudor pellitur motu arteriarum, non exibit velociùs, aut impetuosiùs quàm moueantur arteriæ & corpora ab eis expulsa; sed contrarium quotidie experimur in sudoribus, esse nimirum copiosissimum instante iam morte, quando aut debilissimus, aut nullus percipitur arteriarum motus: repugnat ergo sudorem tam copiosum expelli, quando tardissimè, & paruissimè mouentur arteriæ. Et confirmatur: sudores augentur crescente solo calore; sed tunc non crescit arteriarum compressio, sed dilatatio sola, quæ potius impedit expulsionem ad extra: ergo non pellitur sudor abundantior, quod crescat compressio, aut reddatur, sed ob aliud principium.

Tertiò, sudores apparent sæpè in declinationibus accessionum, quando calor remissior multò est, quàm in augmento, & vigore: ergo si attenuatione sola & leuitate excitaretur sudor, nunquam remisso iam calore, sed quando viget, & crescit, emanaret. Constat:

A quia nunquam erit tenuior & leuior materia, quàm in vigore, & inde non in declinatione accessionis, sed in in vigore æger sudaret. Et confirmatur vrgentius, quia sæpè finita accessione, si æger dormiat, inundatur sudore, cùm tamen per totam accessionem sudaret nihil: ergo non pellitur per materia illa, quia leuis sit facta, & attenuata, cùm leuior multò esset, & tenuior in accessione progressa, cùm esset calidior.

Quartò in prædicta opinione nunquam forent damnandi sudores circa ceruicem, caput, & faciem. Patet quoniam nulli magis conformes causis naturalibus sudoris, si leuitate sursum mouentur: hos verò velut stragem minantes damnat Hippocrates *1. progn.* dicendo: *Pessimi autem frigidi, & solùm circa caput facti, &*
B *faciem, & collum.* Et inferiùs: *Qui verò sunt milliæ similes, & solùm circa ceruicem fiunt, praui.* Quibus locis ex loco superno, in quo apparent sudores, perniciem præsagit Hippocrates: quod esset figmentum, si leuitate sola extrà protruderentur: cùm nihil esset naturæ eorum magis conforme quam sursum moueri, & inde ex loco illo nullum mortale præsagium posset desumi.

Quintò. Ignorantia mera est negare in materia sudoris vim irritandi expultricem, vt nunquam sudor fiat operante natura. Quid enim absurdius sustineri potest in medica facultate? Debebat enim auctor sententiæ probare sudoris materiam nunquam posse irritare naturam, vt contra illam insurgat ad confirmandam suam hæresim, quod nec fecit, nec somniauit:
C nam si humor malignus in forma humoris per sudorem expellitur, vnde impeditur irritatio? sed si dicat non pelli sub forma humoris, sed in flatus mutatum, & ob tenuitatem, & raritatem irritare non posse, absurda loquitur, cùm oscitatio, & pandiculatio, quæ oriuntur à flatibus, & minimè malignis, tam validè irritent partes, vt ad tam magnam compressionem musculos incitent irritatos à flatibus, qui non dubiè sunt tenuiores sudorali materia, & nullam malignam, nec putredinalem inducunt naturam. Idem constat per flatus per secessum emissos summo dolore, & irritamento, vt probatur etiam in rigoribus præ dolore prouenientibus.

Sextò. Esset impossibile in relata doctrina præsagire sudorem per morbos, si solo calore attenuante sine ope naturæ excitarentur sudores: nam ex nullo prin-
D cipio colligeret Medicus, quando attenuabit materiam, & leuem redderet, quod necessariò exsudetur. Rursus, si die quarta sudor leuis appareat in morbo salubri, cum signis manifestæ coctionis, & in die septima perfecta iam sit, appareatque pulsus vndosus & altus cum signis aliis criticis, & difficili nocte, summo artificio præsagiet sudorem; quod esset impossibile, si sola leuitate & actione fusius caloris foret venturus.

Supponit rursus hic auctor totam fuliginum molem pelli ab arteriis, quod falsum est, cùm quæ eleuantur in tertia regione, & extra corpus arteriarum, pelli repugnent per compressionem earum; quinimò potiùs periclitantur trahi, si rectè consideretur tractionis arteriarum principium, ne scilicet detur vacuum: quin-
E imò repugnat arterias in profundo corporis existentes sua compressione extra corpus fuligines pellere; & sic nec reiicere poterunt sudoris materiam ad cutem. Præterquam quod nullus dixit venarum fuligines expelli per motum arteriarum: est verò sudor sæpè excrementum venarum, & tertiæ regionis. Deficerem priùs, quam argumenta contra dogma tam falsum. Legatur Galenus per totam tractationem *de crisibus*, & *4. aphorism. comment. 38.* & *lib. 3. de causis sympt. cap. 2.* & mille in locis, quibus docuit sudores fieri benè, aut malè operante natura, & quosdam fieri ob retentricis debilitatem, aut expulsricis prauitatem: quæ absurda essent, si sola leuitate in partibus superioribus foret sudor abundantior, quod est contra experimentum. Quinimò

X 2 supinè

supinè iacentibus plus dorsum sudat, quàm venter: primis econtrà; & pedes sæpè magis quàm facies, & thorax inundantur sudore, quia expultrix partium oppressatum excrementis illa ientat expellere, & sic plus sudant, quæ plus sunt grauatæ, etsi sint frigidiores: quod non eueniret, si calore solùm, & leuitate sudor fieret, cùm attenuarent minus & pauciorem materiam frigidæ partes, etsi esset copia maior materiæ.

Alius modus philosophandi fuit alterius Medici, qui etsi negaret esse necessariam vim expellentem media irritatione, aut sine illa, vt negauit primus opinaos; inuenit nihilominus viam, qua sudores per totum emanent absque ope excretricis virtutis: dicit enim quod dum calor attenuat, & in vaporem vertit substantiam crassiorem, necessariò illam extendit à centro ad circumferentiam, & sic adquirens nouum locum mouet illam vsque ad cutem: exempla tradit ad id confirmandum in puluere tormentario incluso intra instrumentum bellicum *arcabuz* appellatum, qui attenuatus ab igne & nimiè distentus pilam violenter proiicit. Idem manifestiùs, & ad intentum magis probat in ouo, quando sub cineribus assatur: inundatur enim sudore, quia calor rarefaciens internum humorem seipsum impellit, & extra mouetur, & propriissimè sudat: sic inquit in euaporatione sudorifica adest calor attenuans, & in vaporem vertens densiorem substantiam, quam rarefaciendo, & extenuando intra corpus mouet ad cutem: neque aliud principium efficacius excogitari potest, quàm calor attenuans & dilatans humores in vapores conuersos, ne tamen cadat in inconuenientia à nobis adducta de expultrice facultate, dicit esse intelligendum eius placitum de sudure arte excitato, & exercitio, aut labore: nam sudores critici à facultate excretice fieri fatetur, & in excitatis ab arte aut labore posse etiam concurrere vim expellentem, esse tamen eius actionem frustraneam, quia à solo calore non minùs benè mouerentur sudores, etsi expultrix nullatenus operaretur.

Hæc doctrina minus mihi probatur: non quidem quia existimen non posse calorem attenuare materiam humidam, & distensione pelli per poros alicuius corporis, vt in exemplo oui adducto satis constat; sed quod in corpore nostro sic eueniant sudores, si ex profundo moueatur sudoris materia, videtur mihi improbabile; nam summus dolor concitaretur antequam sudores protumperent. Constat quia vapor mouetur contra internam inclinationem per latera, & ad partes inferiores, & non per viam capacem, & continuam: nulla enim datur cauitas communis, & tecta à partibus internis in corporis ambitum, per quam moueatur directè humiditas à vapore distenta, vnde necessariò rumperetur continuitas partium, si nulla facultas directè mouetet sudoralem materiam, & per cæcas vias dirigeret: quod perspicuè ostendit exemplum eius de castaneis expositis igni, quæ rumpuntur violentissimè, nisi priùs scindantur, eo quòd vapor eleuatus caret directa via, per quam liberè exeat, & sic in distensione disrumpit castaneam impetu magno: & idem experimur in ouo. Ergo simili modo si in corporis profundo inciperet humor à calore dilatari, cùm non sit expedita via, & directa, per quam moueatur humor distentus, romperet partes, & intolerabilem dolorem causaret, nec per cæcos poros exiret. Nec est quod afferas exemplum de ouo, in quo sudor exit per poros tam minimos: nam est magnum discrimen ob tenuitatem putaminis oui: esset enim tam parua distantia inter internam, & externam superficiem, quod impulsu possit attenuatus liquor exire. Præterquam quod sæpè, vt dixi, disrumpitur ob dictam rationem: vnde ex adducto exemplo solum inferri potest, quòd aliquando in nobis attenuatus iuxta cutem exeat per poros absque operatione expultrice; tamen ex partibus internis sola

A distensione distribui negandum est: quod & cadauera monstrant, in quibus, dum putrent, etsi calore extenuentur succi, inflammantur nimiè: quia ab internis partibus ad extimas non datur exitus liber, & sic tantum locum occupant distenta à tumentibus flatibus ob defectum viæ directæ, & expeditæ, per quam euolent; & hoc probatur in diaphoreticis, in quibus sudor frigidos manat, etiamsi cutis, & habitus corporis sint præ frigore occlusa. Et exemplum de puluere tormentario confirmat potiùs nostram sententiam, cùm tam violenter impellat ob distensionem solam mouentem, quia liberum exitum non habet. Idémque probatur in terræ motu. Idem confirmat dolor colicus ex flato, qui non pellitur ob aliquod impedimentum, qui etsi extenuatus sit, non exit per poros, quia facultas pellere B nequit, habétque non dubiè maiorem corporaturam sudor, aut materia, ex qua fit, & impetu maiore eleuatur violento calore per auxilia medica excitato, & nihilominus partes non cruciantur dolore, etsi tam confestim, & tanta copia eleuentur; non alia de causa, nisi quia expulsiua operatur diuidens in minimas partes humores à calore fusos, & extenuatos, & sic pellit per poros; esset verò impossibile non excitari dolores immanes, si sola dilatatione foras pelleretur tanta materia, & tam celeriter extenuata, & à tam distanti loco, vt ab internis ad extima corporis: nam vt continuitate impulsionis moueretur extra, requireretur dilatatio, seu distensio summa in corporis profundo, quæ sine dolore crudeli nequiret fieri, & nil commonius, C quàm distensionem flatuum sibi ipsis occludere vias & poros, vt non posset exire, nisi dilaceretur pars, aut expulsiua operetur.

Censeo igitur omnem sudorem ex internis ad externa promotum non apparere, nec posse sine opere expulsiuæ virtutis: exclusis duobus modis non est principium aliud motiuum sudoralis materiæ ad corporis ambitũ, nobisque sic opinantibus labor est in explicando qua ratione per somnum sudor augeatur, si virtute expulsiua irritata emanet, cùm aliæ euacuationes moueantur in somno, quia sensum irritationis diminuit.

D

CAPVT XV.

Punctum difficultatis exponens.

VT verò intelligatur decisio nostra, notabitis somnum interiùs detinere calorem vitalem, vt ex Hippocrate retulimus, & inde habitum corporis, & extimam regionem infrigidari, quod in capite, quod ex Auicenna interpretamur, constat: dicit enim, *Quod autem ex dispositione somni est superans, est quod in ipso calore occultatur, & frigiditas manifestatur, & propterea omnibus membris tanta necessaria operimenta, quanta in vigiliis non sunt necessaria*: dicebat enim Hippocrates 6. *Epid. sect.* 5. *tex.* 26. *Sanguis in somno intro magis* E *fugit, vigilia contrarium efficit: nam extra mouentur sanguis & spiritus, & sic corporis ambitus, & externa regio calidior multò est in vigilia, quàm in somno*: ob quod dixit Hippocrates 6. *Epid. sect.* 4. *text.* 11. *Manifestè qui vigilat calidior est exteriùs, interiùs verò frigidior; qui dormit, contrà*: ex dicta mutatione, & variatione pendet quod vigilia ad resolutionem conducat nimis, ob quod vigilantes nimium tam validè extenuantur, vt vel facillimè faciem Hippocraticam contrahant: comparatur enim æstati vigilia, vt somnus hyemi: aut, vt dicit Auicenna in hoc capite, vigiliæ sunt valde similes motui; somnus verò est valde similis quieti: vt ergo æstas & motio localis corpus absumunt, & contabefaciunt, sic vigilia: & vt hyems, & quies replent corpora, sic somnus, ob quam diuersitatem somnus satiat, vigilia

vigilia verò famem causat. Quod ita dixit Hippocrates *6. Epid. sect. 4. text. 7. Aqua edax, vigilia edax*: est enim vigilia famelica, quia nimis resoluit, & corpus inanit: ob quod vigilantes difficilè ferunt ieiunium, dormientes verò facilè, etsi huius tolerantiæ præter dicta sit alia ratio: habet ergo somnus calefacere magis interna, quàm vigilia: & quia externa infrigidat, retinet plus intro excrementa, quia redditur corpus per somnum minus perspirabile; in vigilia econtrà euenit: quia corporis externa regio calidior redditur, & sic ad insensibilem resolutionem conducit nimis.

Est deinde notandum, quòd ad sudoris commotionem duo conducunt maxime, & quod fueri vertantur in halitus, & quod isti concrescant rursus, & corpulentiorem formam acquirant, seu, quod idem est, mutentur in aquam; alioquin insensibiliter pellerentur à corpore, quantum ad visum pertinet: in hocenim dixtimus differre sudorem ab occulta transpiratione; ad permutationem verò flatus in aquam habet cutis externa duo conferentia, & quod frigidior sit in somno, & quod densior: densitas conducit, vt insensibiliter non euolent halitus & vapores ad eutem transmissi; imò iuxta ipsam detentis plus durat applicatio, vt in aquam possint permutari. Hanc permutationem efficit frigiditas cutis & externæ regionis, non quia calorem vincat frigiditatis; sed quia est frigidior vaporibus, & si fit à prædominio calida, & in somno vigeat calor internè, attenuat plus succos, & maiorem copiam vaporum creat, quàm in vigilia.

Ex iis ergo pendet ratio problematis propositi, cur scilicet somnus plus ad sudorem conferat, quam vigilia: detinet enim intrò calorem, à quo calefiunt humores, attenuantur, vertunturque in vapores, & rursum cutis densatur, & tepidior redditur quàm in vigilia; & ita concrescunt copiosè, & magis halitus à calore eleuati, mutanturque in aquam, quarum magna portio insensibiliter per cutem in vigilia euanesceret: quia cutis calidior & rarior id permittit: vigilia ergo confert magis ad resolutionem occultam; somnus verò non resoluit plus, verùm plus facit sudare. Quod his dixit verbis Auicenna loc citato: vigiliæ verò hoc plus faciunt (resoluere scilicet, quæ sunt iuxta cutem, licèt somnus plus efficiat sudorem, quàm vigilia: sudor namque, inquit, quem efficit somnus, est secundum modum exuberandi materiam, & secundum modum resolutionis continui subtilis: hoc est somnus non facit plus sudare, quia plusquam vigilia resoluat; imò è contra, quia minùs resoluit insensibiliter, facit sudare plus: quia detinetur interius per somnum, quod per vigiliam insensibiliter pelleretur; & id, quod detinet, in sudorem mutatur: quia cutis frigidior, & densior hoc facit: vnde quamuis sudor copiosior sit in somno, non rectè dices quòd eo ipso erit abundantior euacuatio per cutem: est enim potiùs minor, sed magis sensibilis: quia in forma essiluri ob dicta, licèt in copia minori.

Sed dices: si sensibiliter euacuatur in somno, quod calor interius attenuat, & hic attenuat plus in somno, quàm in vigilia. Patet: quia euacuatur, quod calor resoluit, licet euacuetur sensibiliter, & resoluit, & attenuat plus, dum dormimus, quàm dum vigilamus. Respondetur esse argumentum fallacissimum: nam si calor per somnum interiùs colligitur, & deserit corporis ambitum, non extenuat in tot partibus in somno, vt in vigilia, & per consequens minus eleuat: solum enim ex dictis colligitur, quod in internis sit intensior attenuatio, non tamen quòd sit abundantior, quia non extenuat corporis ambitum, sed in profundo solùm; per vigiliam verò extenuat totum, & ambitum magis. Nec rectè dices, vt in somno ambitum, deserit etiam interna in vigilia: ergo par ratio videtur: non ergo sic per vigiliam interna deserit, vt deserit externa per som-

A num. Ratio est, quia cùm interiùs generetur calor vitalis, non est in externis, quin priùs in internis abundet, cùm distributionis, & generationis initium sit in internis. Vnde dictum Hippocr. *Manifestè qui vigilat, est exterius calidior, intus frigidior: qui dormit, contrà*: non est intelligendum quòd qui vigilat sit exterius calidior, quàm in internis: nunquam enim credam per vigilias naturales plus calere corporis ambitum, quàm cor, pulmones, & viscera; sed sensus dicti est, quòd vigilans est calidior extrinsecus, quàm si dormiret, & dormiens calidior internè, quàm si vigilaret. Ratio constat ex dictis: nam si vitale calidum generatur semper interius, nunquam erit in externis, quin priùs in internis steterit: vnde cùm totum quod externa petit vigilando, genitum fuerit interius, sitque perennis eius

B creatio, nunquam in naturali vigilia ambitus plus incalescet, quàm viscera, in quibus velut in fontibus vitæ calor detinetur auidissimè, vt vita feruetur, fiatque assidua caloris generatio: quod indicat clarè pulsus, & respirationis incessantes motiones ad attemperationem incendij causati à fuliginibus, quorum est generatio perpetua, & ad trahendum materiam pro generatione spirituum.

Dices rursus nondum constare, cur non cessent sudores in somno, vt cessant euacuationes reliquæ: non enim est satis quòd abundet materia sudoris, & calor extenuet, vt sudor abundet, si deficit expellendi conditio, irritatio scilicet. Si ergo fit in nostra opinione media expultrice virtute, cessabit sudor non minus quàm

C reliquæ euacuationes: nam pro his non minus abundat materia in somno, quàm in vigilia, & nihilominus non fiunt, quia deficit sensus. Respondeo dupliciter. Primò quòd in somno non cessat omnino sensus, vt fatentur omnes cum Galeno: vnde satis esse potest, vt sudoralis materia sentiatur molestè: & cum aliàs augeatur occasio sudandi, quia plus calor attenuat interiùs, & plus cutis detinet, & infrigidat, vt conuertat in aquam, ideò crescit sudor, quando reliquæ euacuationes minuuntur: quia adhuc non augetur materia, & tollitur conditio expellendi. Dico secundò, quod si crescit materia sudoris in somno, crescit etiam quantum ex se irritandi principium, quia maior agens operatur intensius, & inde quod de sensu minuitur in somno, suppletur ab efficacia obiecti irritantis. Crescere

D verò irritandi occasionem, ex triplici capite potest accidere: & quia sudoralis materia augetur, vt dixi; & quia si distensione partes lacessit, & molestat, crescit distensio, quia calor augetur in somno, qui & rarefacit, & distendit; & si acrimonia pellitur, crescit similiter: quia in somno viscera ardent magis, ob quod dixit Hippocrates *5. Epidem. sect. 4. text. 13. somnus in frigore cooperiri*: hoc est, somnus conciliatur in aëre frigido, vt remittatur cordis, & viscerum incendium ortum ex retrocessu caloris ad intra. Verùm quia per hunc retrocessum algent externa, cooperiatur dormiens, ne lædatur à frigore; quinimò, vt aër frigidus

E pugnat per somnum contra cordis incendium, sic pugnat calor operimentorum: quia cutis, & ambitus calefacta teuocant ad se calorem internum, & sic separant à corde, & visceribus, quod vrit ipsa: frigus etiam partium extimarum repellit intrò efficacissimè calorem, & sic vrunt internè: cessat verò repulsio, si careant externa cooperimentis: est etiam probabilissimum, naturam expellentem non indigere sensu molestiæ, vt pellat; sed sola antipathia & naturali dissimilitudine pellit, vt sine sensu pellunt ossa, ligamenta, caro omnium viscerum, & pinguedo. Nec obstat quod hac ratione non cessarent aliæ euacuationes: nam reuera quæ sola repugnantia fiunt, non cessant, si per somnum non separantur excrementa à parte, quæ in vigilia pellebat, aut occluditur via, per quam reijciuntur. Quod vt intelligatis.

Notate expulsiones esse variæ naturæ: quædam enim non fiunt sine magno sensu molestiæ, & vt fiant, requirunt etiam concursum animalis facultatis, vt expulsio excrementorum, alui, & vrinæ, & thoracis: singultus etiam & vomitus magnum irritamentum requirunt, vt experimento constat, & oscitatio, & pandiculatio, & sternutamentum: euacuationes ergo vim animalem requirentes vt viam, moderantur, aut cohibentur omnino per somnum, nisi sit profundissimus: quia cum requiratur voluntatis imperium, & hoc sine magno irritamento nunquam ponatur, rarò non expergefit homo, & sic fere nunquam vacuatio per aluum, aut vesicam, aut vomitum in dormientibus fit: idem contingit in singultu, pandiculatione, & oscitatione, & sternutamento: quia non fiunt sine magna molestia, aut voluntatis imperio. Aliæ sunt euacuationes, quæ sine molestia magna, & absque operatione animalis substantiæ celebrantur, vt sanguinis emanatio per vterum, & vrinæ incontinentia, quia musculus claudens orificium vesicæ paralyticus est: & hæ euacuationes parum cessant in somno, quia aut nullum sensum requirunt, aut leuissimum. Quod constat: quia sæpè nescientibus fœminis menstrua eueniunt, etsi in vigilia incipiant, quod non contingeret, si sensus molestiæ requireretur. Idem sæpè in sudoribus experimur absque vlla molestia emanantibus: vt absque illa pelluntur excrementa tertiæ regionis, aut antipathia potiùs, quàm inferendo dolorem, eorum reiectio contingit.

Sed vrget nimis, quod in fluxu sanguinis ex naribus experimur, qui etsi absque molestia vlla expellatur, cessat tamen in somno: vnde videtur esse alia ratio cohibendi euacuationes præter defectum sensationis, alioqui non cessaret fluxus ex naribus. Quod verò non sentiatur molestia aliqua in prædicto fluxu, vel ipso experimento constat: nullus enim queritur de dolore, aut molestia aliqua antecedenti; imò inscio ipso ægroto effluit, vt non assequatur priùs aliquo signo emanaturum sanguinem, quàm ipsum excretum videre. Respondetur primò non esse perpetuum, quod argumentum proponit: non enim cessat semper sanguinis fluxus in somno, quia sæpè tanta est in illum auersio naturæ, quod adhuc in somno pellat, id prouenit ob malignam acrimoniam, aut prauitatem sanguinis, quam vt venenum fugit natura, aut quia oscula vasorum detineant debilissimè: tunc enim fluit sanguis vt in vena secta, & vt hæc etiam in somno sanguinem non detinet, sic nec oscula, dum debilia nimis, & claudi non possunt à retinente potentia. Vnde quando cessat sanguinis fluxus in somno, putandum est deficere aliquam conditionem ad fluxum: potest verò esse, quod cum vigilia moueat, & agitet perpetuò calorem & sanguinem, humorésque omnes: irritetur natura cum vigilia sufficienter, aut commotio illa sit necessaria, vt expultrix pellere possit: commota enim irritant sine dubio magis quàm quieta expultricem, & ab ea pellentur faciliùs. Vnde cùm in somno hæc duo deficiant, poterit minui, aut cessare fluxus è naribus, & nihilominus non cessabit sudor: quia commotio ad sudandum fit maior in somno, cùm pendeat ex attenuatione, & rarefactione materiæ, quæ maior in somno fit, & sine motu fieri nequit. Rursus pars, quæ sanguinem pellit, potest esse determinata, à qua separari potest sanguis in somno, & inde grauari, & irritari minus: nam si in eo sanguis intrò fugit, vt dicebat Hippocrates, potest deserere partem molestatam ab eo, & inde non pellere; accedet verò in vigilia, & pellet per consequens; sudor verò ferè semper emanat ex internis visceribus ex vasis maioribus, in quibus calor viget per somnum: & sic attenuatur materia, & exagitatur, vt sudor fiat copiosior, cutis manet frigidior, vt diximus, vt sudor elicitatur commodius: nam sententia Auicennæ de vniuersalibus sudoribus intelligenda est: particularis enim rectè potest in vigilia fieri, & in somno cessare, vt si manus extrema laboraret humiditate superflua, posset sudare in vigilia, & non in somno: quia in hoc retrahitur calor, & extremæ partes manent frigidiores; calefiunt verò in vigilia.

Quòd si rursus dicatis: cucurbitulæ, frictiones, & alia auxilia aduocantia ad cutem humores sistunt fluxiones efficaciter non alia ratione nisi quia ad diuersum trahunt: ergo cùm vigilia moueat ad cutem, vt auxilia relata, reuellet non minus, & sistet fluxum sanguinis, diarrhæas, & vomitus; somnus verò, quia intrò reuocat, augebit, concitabitque potiùs quàm sistet. Respondetur, si solum attendamus ad motum contrarium, ita esse; tamen quia in vigilia sentitur succorum molestia, & diuersimodè exagitat sanguinem, confert plus ad motiones, & fluxum, etsi moueat ad ambitum, quàm somnus, qui per quietem, & indolentiam fluxionibus obstat nimis, etsi reuocet intrò.

Restat adhuc explicandus difficilis textus: diximus enim ex doctrina Auicennæ, vigiliam resoluere magis, quàm somnum, & ex Hippocrate confirmauimus eam edacem appellante, quod admittit etiam Galenus in expositione Hippocratis 6. *Epid. comment.* 4. *text.* 14. At contrarium colligitur ex eodem Galeno *lib.* 4. *de tuenda sanitate*; in quo dum medetur lassitudini vlcerosæ complicatæ cum crudis humoribus intra vasa post vnctionem, & frictionem, & balneum præcipit, vt ita affectos in otio, & abstinentia contineamus, & somnos conciliemus minimè ignorantibus, nihil esse quod æquè concoquat ea, quæ concoqui possunt, & malos succos per habitum digerat, vt somnus à balneo. Ex qua doctrina colligitur, quod si vigilia resolueret plus, quàm somnus, non liceret dormire post balneum, sed vigilare, vbi intenditur resolutio succorum. Rursus videtur implicare concoquere magis, & magis simul resoluere, cùm quæ coquuntur, coquantur vt maneant, non vt repellantur. Respondeo dupliciter. Primò quod si calor viget interiùs magis per somnum, videtur rationi consentaneum, quòd ex internis magis resoluat: quia verò id, quod extenuat, non ita intra corpus reiicit, vt vigilia, sed detinet intus, ideò replet ex accidenti, quia cutem adstringit: & arteriæ grauatæ minùs impetuosè mouentur, vt pellant. Dico secundò, quòd doctrina Galeni potest intelligi collectiuè; ita vt somnus à balneo concoquat, & resoluat simul magis quàm vigilia, aut aliud quidvis: nam etsi sit quod magis resoluat, non tamen quod magis concoquat, & resoluat simul, & præcipuè id facit, quando post balneum dormitur: nam & emollitum corpus per balneum resoluitur magis, & cutis non ita per somnum astringitur, aut densatur; quia emollitio, & humectatio obstant densitati inducendæ à frigore; & quamvis densaretur, vt solet, sine balneo, esset perspirabilior, quia laxatio, & emollitio facit, quod minus resistat impulsui fuliginum, & excrementorum: Et cùm Galenus dicat esse dormiendum à balneo sine aliqua cibi sumptione, putandum est, quod dissipatio, quæ sic dormiendo agitur, non sit multò minor, quàm in vigilia: tolluntur enim concoctiones, quia alimentum non est, & ita tota actio caloris in resolutione occupata se soluit nimis.

TRACTA

TRACTATVS
DE NATVRA DELIRII, ET EIVS CAVSIS.

DELIRIVM est pernitiosum accidens, & caitialibus morbis capitis socium: sic vrget ex conditione naturæ, vt non ratò cooueftat ad se curationem, quia & vires citò destruit continua vigilia, & motione, & nunquam satiatur sola conditione symptomatis: semper sibi associat causæ naturam, alioa morbos, & symptomata de nouo inserens: hsbet sbditissimsm causam, arduas difficultates continentem. Et quia pro aertio principio disputatio eius celebris est, & quia creberrimè non sine pernicie ægrotantiom molestat per capitis morbos, aut primaria passione, vel consensu infestantes, placuit in vestrum commodum anno præsenti hanc arduam tractationem suscipere, vt nil intactum relinqustur ad morbos acutos pertinens, de quibus noster Princeps, vt de delirio, doctissimè egit per tres libros.

CAPVT I.

Quid sit Delirium?

SVpponit quæstio delirium dari, vtinam tam cetrum non esset: quid autem sit, breuissimis, & doctissimis verbis explicuit Galenus *lib. 2. de causis symptomat. cap. vlt. Iam deliria omnia praui motus sunt facultatis regentis.* In qua definitione *motus prauus* ponitur loco generis, & idem significat, quod actio deprauata: quia verò non quælibet actio deprauata facultatis delirium esse potest, ponitur loco differentiæ, quod sit actio deprauata facultatis determinatæ, regentis scilicet: sic enim intelligo adductam definitionem; ni velitis actionem sumi pro genere, deprauatam verò regentis facultatis, differentiam esse.

Quæ definitio vt intelligatur, notabitis in actione læsa iuxta doctrinam Galeni triplex symptoma actionis dari: ablatæ scilicet, diminutæ, & deprauatæ. Constat verò delirium non esse actionem ablatam, nec diminutam: nam diminui dicitur in ordine ad intensionem, vel extensionem debitam statui naturali; in nulla verò est naturale delirium. Ablata non est, cùm fiat, & propter adductam rationem etiam; quia ablatio dicitur respectu alicuius entitatis conuenientis naturæ aliquo modo; in nullo verò est naturale delirare. Superest ergo quòd sit actio deprauata, & ideò ponitur in definitione, quòd sit prauus motus.

Ea dictis constat, quemcumque motum, vel actionem prauam facultatis regentis esse verum delirium: vnde tot modis aliquis delirabit, quot valet deprauatè moueri à facultate regente. Sunt autem tres modi principalissimi. Primò quando falsò componit, vt quando æger dicit se esse Regem, & vt talis aliis imperat: vel quando indicat se esse Deum, vel iam esse mortuum, & infert non teneri sumere alimentum, quia nec Deus, nec mortui alimentum sumunt: hic autem prauus motus est propriissimè erroneus, quia falsò indicat, quod

A non est. Secundus modus est, quando etsi æger vera dicat; errat tamen in modo dispositionis rerum, vt potest delirans propriissimè, & verissimè loqui; quia verò extra tempus idoneum tale argumentum proponit, verè delirat: quia non seruat rectam occasionem disputandi de rebus, vt si peccatorum confessionem efficiendo ineptè ad iocosa transiret, vel de venatione loqueretur: circa quas materias subiectas potest non errare, imò loqui perfectissimè; delirabit tamen non dubiè, quia quando peccata confitetur, permiscet cum illis iocosa. Est enim error in tempore, quia delirium illud aliter non detegetur: nam cùm dicat consentanea circa materias propositas, nullus error committitur in obiecto, ac per consequens errat solùm in tempore, proponendo simul iocosa, & peccatorum confessionem.

B Tertiò est in modo; vt si aliquis rogatus de aliqua re, ferocius semper, quàm per naturam, responsum præberet, vel submissa nimis voce, vel alio modo insueto: hic enim, etsi consentanea diceret, quando quæsitis respondet, moueretur prauè: & delirium non aliter detegitur, quàm non assueto modo respondendi, in quo planè errat, aut peccat: qui error etiam apparet, quando gesticulationibus insuetis loqueretur, quamuis verissima diceret. Hos modos, & si qui sunt alij, intelligit Galenus dum dicit delirium esse prauum motum facultatis regentis: & constat, quia quocumque modo ex adductis prauè à ratione regitur homo, cùm planè peccet in eis, cùm teneatur vt rationalis, dum pœnitentiam proponit, non miscere iocosa, nec

C in vnica apprehensione, etsi vera dictaret, vt semper agat de illa, nec maiori voce, aut submissa, vel gesticulationibus respondere quæsitis, etiamsi visum aliquibus difficile, quòd concedatur a nobis delirium in tempore, & in modo: rationem à priori reddunt, quia in potentiis internis cognoscitiuis non est modus aliquis naturalis seruatus in benè operando, ex cuius variatione oriri possit modus præter naturam. Antecedens patet, quia talis modus naturalis non est assignabilis, in quo consistat: quod verò non detur in tempore delirium, sic probant, quia non est tempus determinatum, quo potentiæ vti debeant his speciebus, aut illis, vel rem hanc, vel illam apprehendere: sed potest quispiam per naturam res diuersas & sine connexione percipere, dummodò percipiat vt sunt in se: non ergò

D datur peculiaris deprauatio in peculiari apprehensione huius rei hoc tempore, vel alio.

Certè hæc argumenta contra delirium brutorum, si in eis concederentur in modo, vel in tempore, apparentiam præ se ferrent; verùm in hominis tam improbabilia sunt, vt asserere hominem rationalem non esse: homo igitur, vt rationalis, & benè operans, non debet, quando desiderat confiteri peccata, & ad hoc se disponit, de venatione, vel de iocosis tractare: nam vt rationalis tenetur rem quamlibet in propria temporis occasione, tali tractatui dicata proponere, & de illa tunc agere; & constat euidenter: quia homo sanus, & compos rationis non miscebit, dum confitetur peccata, sermonem iocosum, vel de aliis à proposito instituto

tuſo alienis omninò : ergo quando vi morbi profana cum diuinis aſſertiuè miſcet, nec ſe continet, verè mente captus conſtat, quia ſanus abſtineret ſe ab eis. Errat ergo in tempore propoſitionis rerum, quia eligit non bene diſcurrens circa tempus idoneum, & cuiuis ſermoni dicatum miſcere cum iocoſis diuina. Idem dico circa modum loquendi : nam etſi ſeoſitiuæ potentiæ non habeant certum modum operandi ex ſe, ſed vt per ſpecies proponuntur, percipiuntur obiecta in hac vel illa intenſione; tamen rationalis homo tenetur hoc, vel illo modo debito reſpondere quæſitis, quia ita expoſcunt, temperando, & moderando potentias; v. g. ſi aſſiſtens infirmo rogaret humiliter, vt alimentum aſſumeret, quia ad ſalutem confert; & obediens reſponderet iracundè, quòd ſibi alimentum afferatur, & comedet : & ſic reſponderet propoſitis omnibus, etſi non peccaret, nec errorem committeret in his, quæ reſpondet; erraret non dubiè in modo loquendi, atque verè delirans, quia prauè moueretur, male circa modum loquendi diſcurrens, cùm deberet reſpondere non ita ferociter. conſtatque, quòd ſi eſſet ſanus, non reſponderet cum tali modo quæſitis : ergo verè delirat eligendo illum modum, & ſic errat in modo, & in illo delirat.

Et mirandum certè eſt quod dum noſtrum fundamentum conantur deſtruere, incidant incautè in noſtram ſententiam : reſpondent enim : quòd quando delirans de cibis tractans dicit Solem eſſe maiorem terra, non peccat vel errat in conceptione, & aſſenſu, quia rem concipit, vt eſt in ſe, & in optimo tempore : quia, inquiunt, ad apprehenſionem, & conceptionem non eſt tempus determinatum : errat ergo ſolùm in pronuntiando eo tempore, ac per conſequens errat in obiecto : quia iudicat pro conuenienti tunc pronuntiare propoſitionem illam, quod tunc conueniens non eſt.

Egregia certè ſolutio, quæ & repugnantiam clariſſimè tradit, & noſtram tuetur ſententiam : repugnantiam adducit dicendo, tempus eſt optimum, quia ad apprehenſionem & conceptionem non eſt tempus determinatum : errat ergo ſolùm in pronuntiando eo tempore, ac per conſequens errat in obiecto, quia iudicat pro conuenienti tunc pronuntiare propoſitionem illam, quod tamen conueniens non eſt. Expendo verba illa : errat ergo ſolùm in pronuntiando eo tempore, ac per conſequens errat in obiecto, quia iudicat pro conuenienti, tunc pronuntiare illam propoſitionem, quod tunc conueniens non eſt. An his verbis aliquid aliud monſtratur, quàm meam ſententiam, licèt inuitos, ipſos fateri apertè : nam ſi ſolùm errat in pronuntiando eo tempore, ſolùm ergo delirat in tempore : quia tempus non conueniens aſſumit ad tractandum de illo argumento : ſi ergo errat, quia neſcit diſtinguere tempus in quo hoc, vel illud tractandum ſit, errat ſolùm, quia tempus diuinis dicatum, profanis, vel iocoſis accommodat : non ergo tempus illud conueniens eſt ad tractandum profana : nam ſcilicet, cùm dicat vera, nullus error committetur : patet quia non errat in obiecto, quia dicit ſolem eſſe maiorem terra, quod eſt veriſſimum : ſi ergo errat, eſt quia propoſitionem Aſtrologiæ miſcet tractationi de cibis : ſolùm ergo delirat, & errat in tempore. Sic propriis verbis irretitur, quia veriſſima reprobare contendit; eſtque iuſta pœna veritatis calumniatori continuis ferè verbis repugnantia dicere, vt hæc : Tempus eſt optimum, quia ad apprehenſionem non eſt tempus determinatum : ergo errat ſolùm in pronuntiando eo tempore, quia iudicat pro conuenienti tunc pronuntiare propoſitionem illam; quod tamen conueniens non eſt. Si ergo tunc non eſt conueniens, errat in tunc, ac per conſequens errat in tempore : quia tunc tempus eſt, & aduerbium illius : non ergo quodlibet

A tempus eſt idoneum homini ratione conſtanti, vt indifferenter de quolibet diſputet : quod ſi faciat, delirabit abſque dubio, neque in alio quàm in tempore : & ſi aliquis vellet ſe fingere amentem, nullum inuentum maius aſſumere poſſet vt iudicaretur delirans, quàm diſputando de rebus magni momenti ſubito tranſire ad iocoſa, & triuialia miſcere, vel modo inſueto reſpondere quæſitis. Sic Galenus *lib. 5. de locis, cap. 3.* ſcripſit ſigna phrenetica numerando; *interdum maiori cum tumultu vel temeritate reſpondent, præſertim vbi aliquis antea fuerit manſuetus.* En delirium in ſolo modo loquendi, quamuis rectè reſpondeat quæſitis.

Dixit deinde Galenus, quòd delirium ſit prauus motus facultatis regentis : eſt autem ſatis difficile quid per facultatem regentem intelligendum ſit; & videtur B eſſe intelligendum actum imaginationis, vel æſtimatiuæ, nomine cuius etiam cogitatiuam intelligimus : nam ſemper quando Galenus aliquod delirium explicuit, exemplum poſuit in imaginatione, vel cogitatiua, & nullius alterius recordatur. Sic Theophilus, qui putabat audire tibicines pulſantes in angulo domus, delirabat in imaginatione, quia ſimpliciſſima obiecta percipiebat, vbi non erant : in eo tamen non erat læſa cogitatiua, quia imperabat expulſionem eorum, & ſic benè diſcurrebat, & valebat optimè cogitatiua. Alter verò delirans, qui vaſa per feneſtram reiecit, delirabat in cogitatiua, & non in imaginatione, quia rectè vaſa noſcebat, ignorabat tamen fractionis periculum, ſi ab eo deiicerentur, & inde deprauata ratione, & diſcurſu C vtebatur : quæ duo exempla Galenus retulit *lib. de differentiis ſymptomatum, c. 3.*

Ego verò intelligo nomine facultatis regentis potentiam principem, quæ reliquas regit, & gubernat, & huius eſſe deprauatam actionem delirium, reliquarum verò minimè. Voco regentem eam, quæ imperat velut iudicium de rebus ferendo, aſſentiendo rebus propoſitis, & inde in homine eſſe facultatem regentem intellectum, in brutis verò eſſe æſtimatiuam, quæ ſuum materiale iudicium eliciens aſſentitur rebus propoſitis, & fugam, vel proſecutionem earum per aſſenſum, vel diſſenſum proponit, vt homo per intellectum : vnde nec ſenſus externi, nec interni verè delirare poſſunt, etſi poſſint deprauari, vt putant aliqui. Huc clarè Galenus docet in adducta definitione dicendo, delirium eſſe prauum motum facultatis regentis; D regens verò non eſt in rigore, niſi potentia, quæ de rebus conceptis iudicium eliciendo fugam, vel proſecutionem proponit, vel diuerſa prædicat affirmando, vel negando : hæc enim eſt, quæ propriiſſimè regit, & huius tantummodò eſt delirium actio deprauata : quod clarè attendit Copij verſio, quæ ſic legit : *Porrò omne delirium deprauatus eſt principis facultatis motus.* Conſtat verò non omnes potentias internas principes eſſe poſſe : tum quia in perfectione multùm differunt inter ſe, & malè dicuntur principes, quæ ſunt aliis inferiores : tum etiam quia in omni verſione in numero ſingulari ponitur regens, vel princeps facultas : & ſic nequeunt intelligi omnes : quia verò in intelligentia huius rei conſiſtit ferè tota delirij natura, clariùs explicabitur ſequenti quæſtione, in qua difficilia ab aliis E excogitata contra noſtrum opinandi modum præcipuè exponemus.

CAPVT II.

An intellectus verè deliret, & cur ille ſolus, & in brutis æſtimatiua.

DVo inquirit quæſtio. Primum, an intellectus verè deliret? Secundum, cur ille ſolus, & non reliquæ

quæ potentiæ internæ in homine? Et quod intellectus non erret, & per consequens nunquam deliret, sic probatur. Intellectus pro hoc statu intelligit, quæ à sensibus internis proponuntur benè, vel malè percepta: ergo nunquam errat. Patet consequentia, quia aliter intelligere non potest quod per sensus proponitur: ergo tota ratio erroris est formalissimè in sensibus: constat sequela, quia si percipit naturaliter id, quod sibi modo naturali proponitur per sensus, nullum admittit errorem, neque deprauationem, & per consequens nunquam delirat. Et ex hoc argumento, quod est Achilles contrariæ opinionis, inferunt quòd quando Theophilus imperauit, quòd tibicines expellerentur, non habuit læsam cogitatiuam, seu rationem, quia imperare expulsionem rei molestantis est benè discurrere; sic verò percipiebat tibicines Theophilus, quia nunquam pulsare cessabant, & propterea erant molesti: quod expresè docet Magister noster *disp. 6. cap. 4. de locis affectis* 20. quia Galenus nunquam intellectum delirare dixit; sed semper, vt vidimus, deliriorum exempla retulit in imaginatione, vel cogitatiua, quam ipse passim appellat rationem: sentit ergo delirium intellectus non esse, sed sensuum internorum tantummodò.

Mihi autem videtur intellectum verè delirare, ita vt in solo illo detur delirium in homine. Hanc conclusionem probare cœpi quæstione præcedenti, sumpto argumento ex ipsa delirij definitione, quòd sit nempe delirium prauus motus facultaris regentis; vel, vt vertit Copius, principis: constat autem solum intellectum in homine principem esse, vel regentem, quia est principalior, nobiliorque reliquis potentiis, quas ipse regit, supposita cognitione, & voluntate. Sic intelligo Hippocrat. & Galen. 2. *aphor. text. 6. Quicunque*, inquit Hippocrates, *dolentes parte aliqua corporis non sentiunt dolorem, his mens ægrotat*: in commentatio Galenus dicit: *siue mentem, siue animum dixerit, nihil ad præsentia refert.* Ecce quòd quando ob delirium, & mentis distractionem non sentitur affectio dolorifica, colligunt authores adducti mentem ægrotare: est ergo delirium intellectus passio, vt est potentia intellectiua, & à corpore pendet: quid enim aliud significare voluit Galenus, per mentem animum intelligendo, etiam cùm nihil referat, siue mentem, siue animum intelligas.

Secundò probatur efficaciter in vertiginosis, in quibus imaginatio læditur percipiendo ratione morbi moueri obiecta, quæ sunt immota, & quieta; in quo affectu nullus sanæ mentis dixit dari verum delirium: quod autem non detur delirium, non potest pendere ex alio principio, nisi quia intellectus in consensum non trahitur; imò quia verè iudicat, ita non esse reuera, vt per imaginationem apparet, non dicitur vertiginosus delirans, etiamsi actum imaginationis erroneum morbus efficiat percipiendo vt mota, quæ reuerà quiescunt: ergo si per regentem facultatem Galenus intelligeret, vt putat contraria opinio, imaginationem, cùm detur in vertigine prauus motus illius, erit necessariò delirium: vnde malè Magister noster *in parte natur. disp. 48. fol.* 1324. existimat in vertigine lædi facultatem regentem depratuatè, & nihilominus non dari delirium: est enim contra illum demonstratio à definitione, delirium est prauus motus regentis facultatis: sed in vertigine datur prauus motus facultatis regentis: ergo verè datur delirium. Tertiò, quia hæc propositio: Ego sum Deus, est erronea, & delirium verum, quia nulla maior amentia, quàm vero sensu iudicare, quòd æger sit Deus: sed hæc est actio sola solius intellectus: ergo verè delirat. Omnia sunt manifesta, neque egent probatione: nam ex tali assertione manifestè cognoscitur quòd deliret, & vt talis curetur: esse autem solius intellectus constat, quia prædicare vnum de

A alio per veram copulam extremorum, nulli nisi intellectui competere potest; ergo ille verè errat, & deprauatur. est autem intellectus facultas princeps, & regens, quod negari nequit: ergo actus illius erroneus erit motus prauus regentis facultatis, ac per consequens delirium.

Respondent ad hoc aduersarij, quòd si hoc esset delirium, iam deliria omnia intellectui attribuerentur; quia in omnibus est attribuitio; hæc verò fit mediâ copulâ, & hæc à solo intellectu: sed est planè falsum, quòd omne delirium sit attributio erronea: patet, quia qui errat in solo tempore, vel in solo modo loquendi, nihil malè attribuit, & tamen verè delirat: vnde aliter respondent dicendo quòd quamvis copula formalis attributionis in solo intellectu sit, tamen de- B lirium non consistit in formali attributione, sed in fundamentali: est verò fundamentum copulæ, & attributionis connexio illa specierum, per quam obiecta disparata percipiuntur ratione morbi per modum vnius; & ita intellectus copulat illa, & dicit æger quòd sit Deus: sicut etiam per salutem est fundamentum copulæ ea connexio, quæ species facit connectere, vt possit aliquid fingi, vt quando componimus montem aureum copulando species montis, & auri.

Sed quia in hac solutione contrariorum stat tota ferè ratio delirij, notandum est omnia, quæ sunt in solutione, esse falsa: nam quod delirium non consistat in illa formali copula, vel attributione, non potest defendi: probatur efficaciter: illa copula est deceptio C maior, quàm fundamentalis, quia est formaliter erronea propositio, & falsus assensus: ergo est verum delirium. Patet consequentia, quia vt fundamentalis attributio putatur delirium à contrariis, quia fit ratione morbi, ita attributio formalis erit delirium, quia non minùs quàm fundamentalis originatur ex morbo. Prætérea nunquam agnoscimus hunc hominem delirare, nisi quando assentiendo rebus propositis negat quod est: vel quod non est, affirmat: ergo tota ratio, & formalitas delirij statim illo assensu, qui detegitur, quando dicit, Ego sum Deus: sed assensus ille est actua intellectus; quia compositio vera, vel fundamentalis: ergo in illo consistit tota delirij formalitas. Explicatur hæc doctrina: attributio fundamentalis in hoc solùm consistit, quòd potentia aliqua habeat species rerum D diuersarum, & habeat vim simul coniungendi per modum vnius, quæ sunt diuersa; vel separandi, quæ sunt vnita: diuersa coniungit quando dicit. Ego sum Deus: nam ex speciebus diuersis Dei, & sui ipsius copulam fundamentalem facit, & vtrumque obiectum per modum vnius concipiendo decipitur, & tandem affirmat se Deum esse: sed hanc fundamentalem copulam nulla potentia materialis participat, sed solus intellectus: ergo in illo & fundamentum, & formalitas delirij consistit. Minor in qua vis tota consistit, probatur: separata vnire nullus sensus facere potest ex se: ergo illud facit solus intellectus. Constat à simili: separare vnita solus intellectus facit: ergo & vnire separata. Constat sequela, quia contraria eiusdem sunt potentiæ; sed separare vnita non potest sensus materia- E lis, quia diuersa prædicata agnoscere repugnat, quæ sunt identificata sub eadem realitate, imò multa, quæ sunt diuersa realiter, vt talia cognoscere nequit: ergo ex nullo actu brutorum agnoscimus componere vnum ex duobus, vel vnum diuidere in plura: ergo totum fundamentale deliriorum ad intellectum pertinet, & non ad sensus materiales.

Secundò probo efficaciter: intellectus habet species reseruatas omnium, quæ concipit, vt habet memoria sensitiua: & habet vim concipiendi vt diuersa, quæ sunt vnum realiter, & vniendi in vnum, quæ ex se sunt diuersa omnino: ergo habet in se intellectus to-

tum

tum fundamentum delirandi. Quæ proponit argumenta, sunt perspicua, & negari nequeunt: ergo verè delirat, quando dicit: Animal non est sensibile, vel homo non est rationalis. Vim huius argumenti viderunt auctores contrarij: & respondent totum esse verum; sed quia priùs proponitur per sensus materiales intellectui illa species ratione morbi, ideò intellectus non errat, sed solùm sensitiuæ potentiæ. Sed hæc solutio impugnata est, si verè probauimus sensus neque vnita separare posse, neque separata vnire: estque expressa sententia S. Thomæ, vt *inferius* tradetur. Et contra solutionem argumentor sic: vel intellectus non potest elicere aliquem actum, qui in sensibus priùs non præcesserit, vel potest: si non potest, sequitur elarè quod compositio, diuisio, & discursus sunt priùs in parta materiali, quàm in intellectu, quod est absurdum, & contra veram philosophiam: si potest, ergo non semper præcedit actum intellectus similis actus in sensu: vnde sicut intellectus habet species reseruatas, & potest obiecta separata illarum vnire, & vnita separare, & sic prædicare diuersa, potest ex se delirare ratione morbi, & sine dubio tota fallacia opinionis contrariæ in duobus consistit, & quia existimat intellectum per morbos lædi non posse, quòd sit immaterialis omninò, & quia iudicat nihil intellectum posse concipere, quod priùs in sensu non fuerit. Primum, scilicet quòd intellectus sit immaterialis, est verum quantum ad propriam entitatem; est tamen materialis suo modo in dependentia: nam eo ipso quod in opere pendet à sensibus, patitur similia symptomata, ac sensus patiuntur: nam id quod in omni opere subordinatur necessariò operi alieno, similia damna pati potest in se, ac patitur potentia, cui necessariò subordinatur; imò ex hac dependentia sumitur ratio efficax ad stabiliendum nostram doctrinam; nam ideò docet opinio contraria lædi sensus internos, & non intellectum, quia sensus sunt materiales potentiæ, & sic pendent eorum opera ab organi dispositione; intellectus autem, quia incorporeus, non pendet, nec potest ab organo materiali, & sic per morbos non læditur.

Huic occurrens ego dico, quòd eodem modo læditur intellectus, ac læduntur sensus: quia quamvis sit immaterialis, pendet nihilominus in sua operatione à consortio sensuum, quia tenetur necessariò, quando intelligit, speculari: vnde æquali modo, & simili modo patitur proprios errores cum sensibus; quinimò error in intellectu datur, quando nullum errorem sensus patiuntur: quia in mea opinione neque illum pati, neque falli falsum est, vt probabo quæstione sequenti.

Secundum, quod malè docet contraria opinio, est quòd speculari phantasmata sit, quòd nihil intellectus concipiat, quod priùs non fuerit in sensu, quod quidem falsissimum est: nam iudicium, vt dixi, de rebus syllogizare, componere, & diuidere ita sunt actus solius intellectus, quòd nulli potentiæ materiali possint competere: & intelligentem speculari phantasmata non est quòd quilibet actus intellectus præcesserit priùs in sensu; sed vt omnes intelligunt, & quòd intellectus nil naturale percipiat sine eo quòd sensus internus concurrat simul cum intellectu circa illud obiectum, aut aliquid cum illo coniunctum eo modo quo potest: operatio itaque phantasiæ necessariò comitatur intellectum operantem, & hoc est quod dixit S. Thomas, potentiam sensitiuam dici cogitatiuam, quia comitatur intellectum eo modo, quo potest, quando discurrit intellectus: vnde quia intellectui coniungitur in hoc opere discursiuo, dicitur ratio sensitiua à Galeno: hoc autem habet per coniunctionem cum intellectu, & non ex se, & ita in rigore physico potiùs trahuntur potentiæ internæ ab intellectu in delirio, quàm econtrà: nam hæc copula: Ego sum Deus, sulius intellectus est, & ex eo quòd sit Deus, infertè

A quòd non egeat alimento, quis ignorer esse intellectus operationem, & sensus internos illum comitari quasi violentia attractos per ipsius intellectus imperium, vel quia intelligendo ad modum rei materialis rapit secum sensum internum, vel alio quovis modo possibili: vnde cùm tota ratio delirij sit falsa affirmatio, vel negatio, vel imperium circa potentias, quòd modò operentur circa hæc obiecta, aut eum hoc, vel illo naturali modo, quæ diximus causare delirium, aut erronea in assensu, aut in tempore, aut in modo, & ea omnia pendent ab intellectu, ideò hic solùm propriè delirat.

Sententia ergo nostra est, quòd si intellectus non dependeret à sensibus, non deliraret, & eo ipso deli-

B rat, quòd sensus non benè ministrant, vt sit occasio tota delirandi vitium organorum, & sensuum, à quibus quia intellectus pendet, deprauatur, & errat; nullum tamen vitium sensuum internorum hominis appellatur delirium propriè: quod vel ipsa nominis significatio apertè probat, cùm non sit delirium aliud, quàm rectæ rationis defectus, &, vt dicebat Galenus, prauus motus facultatis regentis. Ratio à priori est, quia omne delirium, vel est deceptio, vel defectus in recta dispositione rerum; & inde competit solùm potentiæ, quæ iudicat affirmando, vel negando, aut imperat aliis, ponitque ordinem in tempore, & modo; & in summa omnia disponit consentanea rationi: est autem hoc munus solius intellectus, vt euidenter patet;

C & sicut ratione illius homo dicitur rationalis ab affectu, ita ratione eiusdem appellatur delirans: quia ratio perfecta, & defectus à recta ratione eiusdem potentiæ debent esse vt habitus, & priuatio: eiusdem enim est intelligere, & intelligere prauè, vt iudicare, & iudicare prauè, & imperare benè, vel malè in ordine, aut modo, vel occasione debitis rebus: non itaque datur delirium, vbi ratio non est: quia non delirat, nisi qui malè iudicat, vel imperat prauè, regitque internas potentias modo rationi non debito: quod sic efficacia ter confirmatur: si æger per febrium incrementa diceret, sibi proponi tibicines sonantes per imaginationem, & huic propositioni intellectus non consentiret, quia si per actum contrarium iudicabat non esse reuerà tibicines ab imaginatione propositos, nullo modo di-

D ceretur delirans, sed potiùs ratione constaret: quia per intellectum corrigebat phantasma falsò propositum: ergo nunquam datur delirium, nisi quando intellectus consentit imaginationi affirmando, Tibicines sunt pulsantes: solus ergo intellectus delirat. Et confirmatur, quia aut delirium conuertitur cum deprauata cognitione, & hac ratione sensus communis, & quilibet sensus exterior delirium paterentur, quod est ridiculum: ergo ad delirium non sufficit, quòd sit deprauata cognitio; aliquid ergo aliud requiritur: id autem aliud esse non potest, nisi quod sit, vt dicebat Galenus, actio deprauata facultatis regentis, seu principis.

Secundò: Percipere obiecta per species reseruatas eorum, est naturale cuicumque potentiæ, & ex illis

E componere, vel fingere aliud tertium, est non minus naturale. Constat elarè: quia omnes istos actus elicit homo, quando benè valet: non ergo pendent à morbo: ergo cùm per morbum non varietur specierum repræsentatio, neque fiet actus, qui per bonam valetudinem fieri nequit, non errant potentiæ, quia componant, vel diuidant, quando morbo laborant; hoc enim habent ex se naturaliter. Ratio ergo delitij stat solùm in assensu intellectus, qui non discernens fictum à vero iudicat quod proponitur præsens per phantasiam solùm, esse præsens reuerà. Explicatur hæc ratio: Imaginatio seruat speciem tauri inuadentis: ergo proponere per morbum taurum inuadentem non est læsio in imaginatione, sed naturalissimum: ergo in hac nulla

lus datur error, neque deceptio in illa: ergo delirium tantùm eft, quando intellectus non affequitur tauri præfentiam effe folùm per imaginationem propofitam, & proptereà quòd imaginatio, præfens agnofcit vt cognitum, putat intellectus per falfum iudicium, effe reuera, & fic fugam intendit. Vnde conftat, quòd ficut eft intellectus officium difcernere obiecta, vt cognita folùm ab eis, quæ cognofcuntur vt reueta exiftentia, & quia nefcit diftinguere vnum ab alio, id, quod cognitum eft tantum, & imaginatum, iudicat effe præfens reuera, & inde nafcitur delirium affirmando, Taurus me inuadit, & imperat fugam illius: vnde tota delirandi formalitas in intellectu vertitur: quia illud iudicium, & prauus affenfus illius folùm eft, quia tenetur diftinguere modum, quo obiectum ponitur; an, inquam, per imaginationem folùm in abfentia obiecti; an verò quia obiectum propofitum fit exiftens reuera.

Ex dictis conftat facilè folutio argumentorum. Primum enim iam eft fatis folutum. Secundum verò ex authoritate Galeni defumptum vim non habet: nam cùm intellectus cognofcat obiecta eodem modo ac cognofcuntur à fenfibus, vt in fenfibus datur actus determinatus, qui imaginationi foli tribuitur, & alius æftimatiuæ, aut memoriæ, fic dantur fimiles actus in intellectu, & error circa illos, & in eis explicatur per actus fenfuum internorum: vt enim datur memoria intellectiua, ita imaginatio intellectualis & æftimatio, &c.

Illud autem, quod dicebat Magifter, & eft commune in noftra fchola de optima ratiocinatione Theophili, fcilicet quòd quando iubebat, vt pellerent tibicines, non erat delirium æftimatiuæ, mihi non probatur; imò exiftimo tam delirium effe quod foras reiicerentur, imperare, ficut erat delirium iudicare quod effent præfentes: eft enim delirium illud per confenfum primi, & ficut in naturalibus actionibus, quando propter debilem retentricem fanguis expellitur, vel alia fubftantia conueniens, fatentur omnes cum Galeno deprauari expultricem, quia expellit rem conuenientem, etfi in eius intrinfeca ratione à temperamento læfio non fit; fed totum vitium fit in retentrice primariò; ita eodem modo delirabat Theophilus in ratione, ficut delirabat in apprehenfione moleftantium tibicinum. Ratio eft efficax: ideò delirabat in imaginatione, quia percipiebat effe tibicines, vbi reuerà non erant: fed ratio, aut æftimatiua peccat eodem modo: ergo eodem modo delirat. Probatur minor: imperat expulfionem rei, quæ reuerà non moleftat, fed vt moleftans falsò percipitur: ergo errat eodem peccato ac errabat imaginatio: ergo verè delirat. Patet confequentia, quia imperat reiici, quod nullo modo moleftat, neque poteft; & ita per confenfum cum primo errore delirat; & conftat, quia naturaliter non imperatur expelli, quòd folum per imaginationem vt moleftum percipitur: fed hic percipitur obiectum moleftans folùm per imaginationem, & nihilominus imperatur expelli, vt verè contriftans. Ergo eft actus erroneus intellectus, vel æftimatiuæ iudicantis vt moleftum, quod effe non poteft.

Et ad hominem eft argumentum contra Magiftrum: ipfe enim putauit *difp. 42. de locis, cap. 1.* in fame canina lædi appetitum fenfitiuum, veréque fymptoma pati in actione aucta, quod in fua doctrina non erat admittendum: patet, quia fi æftimatiua iudicat vt conueniens tantam alimenti copiam effe affumendam, non læditur appetitus, fi illud, quod conueniens æftimatur, ille profequatur, cùm fit munus appetitus profequi id quod putatur conueniens: & nihilominus docet effe illius profecutionem fymptomaticam, quia læditur per fubordinationem cum æftimatiua ratione morbi: ergo eodem modo læditur ratio, quando indi-

A cat conueniens expelli tibicines; & fi ratio non poteft lædi, nec poterit appetitus ob eandem rationem. Eft itaque verum delirium æftimatiuæ, quia vt moleftum iudicat, quod reuera tale non eft, & omnes actus hanc æftimationem fecuti fymptomatici etiam funt propter eandem rationem: & conftat, quia per illos omnes clarè demonftratur ftatus morbofus; funt ergo fymptomatici.

Sit ergo certum quòd intellectus omnem radicem delirandi à fenfibus acquirit; quomodo autem id eueniat, quæftione fequenti tradetur, fed nihilominus verum delirium in homine neque datur, nec poteft, nifi in intellectu: quia cùm fit fuperior potentia, & debeat corrigere quodcumque vitium per fenfus in-
B ternos propofitum, nunquam dicitur homo delirans, quoufque intellectus decipitur aliquo modo ex affignatis.

CAPVT III.

De modo, quo caufatur delirium.

VT hæc ardua difficultas difcutiatur, fupponendum eft, ad omnem cognitionem concurrere animam cum potentia & fpecie: eft enim omnis cognitio actio vitalis, & inde fine actuali concurfu animæ fieri repugnat, & cum omnis fenfatio fit materialis, & de-
C pendens ab organo corporeo rectè difpofito, requiritur etiam temperamentum debitum, vt fiat naturali modo: & quamuis certum fit quamlibet potentiam effe determinatam ad percipiendum obiectum fuum formale, fub quo errare non poteft, quia vifus non poteft percipere nifi colorem, vel lumen, nec poteft aliquid cognofcere, quod non fit fub ratione vifibilis; tamen vt determinatur ad videndum hoc, aut illud obiectum, requirit etiam certum determinans: non enim videtur color in communi, fed determinatus per imaginationem determinantem potentiam indifferentem ex fe ad percipiendum hoc, vel illud obiectum vifibile, & eodem modo philofophandum eft in omni alia cognitione.

D Secundò notandum eft, quod fpecies obiectorum funt naturales imagines repræfentantes obiecta, à quibus dimanarunt, & eo ipfo quod funt naturales imagines, repugnat fpeciem albi repræfentare nigredinem, neque pallidi viridem. Ratio eft perfpicua: quia totum effe reale fpecierum non eft, nifi effe vt diximus, naturales imagines rerum, à quibus producuntur: & cùm entitas fpeciei albedinis in aliam entitatem mutari non poffit, quia vnum accidens in alium non migrat, ideò fpecies albi femper quòd eft in natura rerum, repræfentat albedinem, & columbæ columbam, & fic de reliquis: non enim fpecies funt fubiecta tranfmutationis, neque poffunt produci primariò nifi à fuis obiectis, & cùm quodlibet obiectum habeat naturaliter vim producendi naturalem imaginem fui ex nullo
E fubiecto, hinc eft quòd non permutetur fpeciem albi in fpeciem nigri: & cùm omnes Philofophi benè fentientes publicè fateantur, fpecies fenfibiles inter fe non opponi, etiamfi fint obiectorum contrariorum; hinc procedit non corrumpi fpeciem albedinis ab fpecie nigredinis, neque vnam in aliam permutari poffe, quod ratione efficaci fuadetur: fequeretur enim poft varia delitia, etiamfi morbus ceffaret, totam cognitionem rerum in illo homine fuiffe variatam, vt oblitus iam antiquorum obiectorum, quorum habebat refer uatas fpecies, nouam fcientiam haberet ratione morbi: patet fequela: quia fi mutantur quædam fpecies ratione morbi in alias, manebunt poft morbum nouæ fpecies acquifitæ, & fic noua obiectorum cognitio.

Et

Ex quibus fit perspicuum, quòd quamvis temperamentum sit requisitum ad operandum, nunquam eius variatio faciet quòd species albedinis possit repræsentare nigredinem, etsi verum sit temperamenti variationem conducere nimis ad percipiendum magis hoc, quàm illud obiectum: quia est magis proportionatum ad hunc actum, quàm ad illum: loquor in sensationibus internis, in quibus fatentur Philosophi requiri certam temperiem ad benè memorandum, aliam ad benè discurrendum, aliam ad benè apprehendendum, & facilè, & aliam ad phantasiandum: quin & morum diuersitatem in nullam aliam causam reduxit Galenus *libro Quod anim. mores corporis temperaturam sequantur.* Vnde rectè fieri potest, quòd sint in potentiis internis species reseruatæ rerum infinitarum, & non esse accommodatam temperiem, vt omnibus vtatur homo ad libitum; ex quibus infertur aliud nimis notandum, quòd temperies, quæ est accommodata actibus huius potentiæ, imaginationis scilicet, & non alterius, dicitur excitare species illius ad opus imaginationis, quæ excitatio non est aliquid distinctum ab ipsa temperie; sed dicitur excitare certas species: quia talis temperies est accommodata ad eliciendos actus memoriæ: nam species sensibilis est, quæ fœcundat ex propria natura potentiam, & illam ad opus determinat, si detur temperies accommodata in organo, vt actus memorandi eliciatur: & quando talis datur, dicitur quòd species determinat, impropriè tamen dicitur: nam sicut repugnans temperies ad imaginandum aufert actum imaginationis, quia non est idonea ad vsum; ita quando est idonea iam potentia propriis speciebus fœcundata, in actus prorumpit, ad quos non concurrit temperies vt agens, sed vt dispositio ex parte organi, & agentis vt determinatio: ergo non est aliud, quam promptitudo huius temperiei ad actus memoriæ vel imaginationis, vel alterius cuiusuis potentiæ.

His suppositis, in præsenti quæstione inuestigamus rationem vnde proueniat, quod aucto calore in cerebro ob solam temperiei mutationem tam potenter intellectus deprauetur? Ratio dubitandi sumitur ex dictis: nam si species sensibiles nequeunt variari in repræsentatione, quomodocunque alteretur organum, & ex alia parte facultates determinantur ad opus certum per species, quibus fœcundantur, & non possunt potentiæ concipere aliud obiectum, nisi quod per species repræsentatur, sequitur sensus internos errare non posse, & per consequens neque intellectum. Patet discursus: quia si temperamenti mutatio non permutat repræsentationem specierum, neque potentiæ aliud à repræsentato percipere possunt, non est aliqua occasio erroris in potentiis internis respectu obiectorum, quæ percipiuntur. Notanter dixi, respectu obiectorum, quæ percipiuntur: quia non potest negari ob intemperiem aliquam elici actiones sensuum remissas, aut non fieri, eo quòd sit improportionatum temperamentum; tamen quòd species columbæ taurum repræsentet, repugnat, vt dixi, & inde non videtur per mutationem temperiei possibilis error, quamuis videatur possibilis diminutio, aut cessatio alicuius actionis.

Et hoc videtur difficilius adhuc in nostra opinione, cùm delirium constituat solùm in actu erroneo intellectus: nam quomodolibet sensus percipiant obiecta, aut imaginatio componat, si intellectus non peccat aut in assensu falsæ propositionis, aut in modo, vel occasione, nunquam dicitur homo delirus: intellectus verò non est, vnde cadat in assensum falsum, si species non repræsentant, nisi obiecta, quæ verè fuerunt percepta; & cùm id, quod proponitur per solos sensus internos, verè intellectus distinguat ab eis quæ per externos proponuntur, & isti non proponant nisi quæ sunt reuera; interni verò quæ solum sunt absentia,

A quando morbus adest, & præsentia non fuere, non videtur, cur percipiat intellectus, quæ proponuntur vt cognita, veluti si essent verissimè, & à parte rei, vt inde cogatur dicere: ibi sunt tibicines. Et quod magis vrget est respectu deliriorum tam efficaciter repugnantium habitui contrario, quem habet intellectus: nil enim magis amplectitur intellectus, quàm Petrum non esse Deum, neque esse posse; morbi tamen malignitate seipsum iudicat Deum, & vt talis alia imperat: quomodo namque proponitur imperium aliorum, quia habet scientiam quod Deus imperat, & non proponitur actus contrarius, nimirum quod Deus esse non possit? cùm non minus habeat habitum contrarium huius veritatis, quàm alterius.

B Omissis plurimis opinionibus, quas fastidiosum foret refellere, & ex notatis in hac prima parte quæstionis facilè impugnabit quilibet. Sententia nostra est in tam difficili quæstione totam radicem delirandi præter cerebri intemperiem, esse in his constituendam, id est, quòd distemperies illa sit accommodata & efficacissima ad certos actus eliciendos, eo quod determinatorum obiectorum species excitet ad operandum; vel, vt antea dixi, species in potentiis reseruatæ ipsas potentias instigent, & ad operandum determineat, & quòd temperies illa sit accommodatissima ad illos actus, vel certos discursus eliciendos, & inde anima instigatur ad incessantem operationem circa illa obiecta.

C Secundum est, quòd eo ipso quod illa intemperies est accommodata ad actus certos, necessariò repugnat actibus contrariis, & inde intellectus non potest per habitum contrarium corrigere, quod falsò proponitur; sed illi assentitur, & sic prauè iudicat, & in innumera deliria incidit, quæ ex primo falso assensu inferuntur, & hoc tantò efficaciùs contingere, quantò propter iamdicta reddatur virtus sensitiua debilior ob intemperiem, & hoc vltimum est à vobis maximè notandum.

Vt explicetur, & probetur assertio nostra, suppono tanquam certum sensus internos esse ministros intellectus, & hoc fieri dupliciter. Primò quia omnia, quæ sensus percipiunt, necessariò etiam percipiat intellectus eo modo, quo ab eis percipiuntur: nam si obiectum intellectus se extendit ad plura, quæ sensus

D concipere nequeunt, ob maiorem percipiendi perfectionem, necessariò percipiet quidquid sensus assequantur, & eo modo quo ab eis. Verùm quia intellectus vt docent omnes cum S. Thoma, altiori modo percipit res; ideo multa, quæ sensus nostros effugiunt ob eorum materialitatem, agnoscuntur ab intellectu, & ex rebus perceptis variis species deducit abstrahendo, & componendo: & inferendo multa quæ sensus eliceie nequeunt.

Suppono secundò esse indubitatam sententiam Philosophi *lib. 3. de Anima*, omnem intelligentem speculari phantasmata: quod, vt dixi, non est, quòd in sensu interno antecedenter non fuerit; sed quod nunquam intellectionem eliciat, nec possit absque concomitantia

E sensus interni operantis, & inde respectu obiectorum, circa quæ non possunt operari sensus interni, nulla datur actualis intellectio, quamuis certum dentur species in intellectu reseruatæ efficacia possibili repræsentantes obiecta. In his duobus video conuenire omnes philosophos benè sentientes.

His suppositis sic explicatur assertio. Semper quòd à sensibus proponitur intellectui obiectum aliquod, percipitur ab illo necessariò, vt ab eis proponitur: quia omnium phantasmatum, vel specierum expressatum producitur statim ab intellectu agente species impressa in intellectu passibili; & quia sensus internus non solùm percipit albedinem, sed ipsam etiam visionem,

nem, semper imaginatio, vel phantasia proponit obiectum cum ipsa visione; & quia non potest proponere obiectum nisi vt præsens, hinc est quod semper phantasia, etsi percipiat obiecta in eorum absentia, semper tamen illa vt præsentia proponit, & tandem omnia, quasi viderentur intuitiuè, quia & præsentia, & cum ipsa visione intellectui repræsentat. Vt autem fallatur intellectus, necesse est, vt per actum secundum aduertat obiecta, quæ actu visa proponuntur, non esse tunc visa per visum, sed imaginatione, aut phantasia, vt actu visa proponi: quia imaginatio albedinem, & ipsam visionem repræsentat actuales: quando ergo intellectus ratione distemperiei morbosæ non potest attendere illud obiectum, vt actu visum propositum, non videri per oculos, sed imaginatione sic concipi, facilè illuditur, & dicit: ibi sunt tibicines, ipsosque video & sentio; quia ipsi ratione distemperiei efficaciter repræsentantur vt visi. Vbi diligenter notabitis, quod vt hoc delirium potest à phantasia incipere, potest etiam non incipere, sed ab intellectu, eum tamen phantasia comitabitur, si detur temperies accommodata, vt concipiendo phantasia idem obiectum operetur simul cum intellectu: nam cùm iste habeat species reseruatas tibicinum, non indiget primatia propositione phantasiæ; sed per species reseruatas potest voluntariè se ipsum mouere ad opus: frequentius tamen est oppositum contingere, nempe quod incipiat phantasia, & illudatur intellectus eo modo quo diai.

Hinc intelligetis qua ratione ex actu non læso phantasiæ sequatur error in intellectu, quod summè notabitis contra opinantes omne delirium in sensu esse. Probatur efficaciter, ne dicam euidenter: phantasiam percipere taurum, vel tibicines per species restauratas tanquam visas, est naturalissimum phantasiæ: quia habet species eorum obiectorum receptas à naturali visione, vel aliis sensationibus externis factis modo naturali: percipere autem ea, quorum habet species reseruatas, & verè fuerunt percepta, & vt fuerunt, tam naturale est, quod esset potius contra naturam, & symptomaticum non percipere illa eo modo, quo percepta fuerunt: ergo si propter hanc propositionem ab imaginatione, quæ verissima est, intellectus decipitur, & indicat esse taurum reuera, & illum clamando fugit, vel tibicines continuò sonantes, & ob id esse molestos, & propterea iubet expelli, delirat planè intellectus, quando sensus nullus positiuam actionem deprauatam elicit nam quis error excogitabilis erit in repræsentatione, & cognitione obiecti, eo modo quo naturaliter fuit perceptum: & constat, qoia per bonam valetudinem eam actionem elicit phantasia: ergo non proponitur ratione morbi; quinimò tota ratio delirandi intellectus non pendet ex positiua propositione phantasiæ, sed potiùs ex eius ablatione in ordine ad actum contrarium, vel quia cum ea temperie, cum qua percipitur taurus inuadens, non potest phantasia comitari intellectum, vt eliciat actum secundum, per quem tenetur intellectus agnoscere proponi solum taurum vt visum, & non esse visum reuera, neque existere tunc à parte rei; & ita actio oblata phantasiæ est potius tota occasio erroris in intellectu.

Hanc illationem, vel falsum iudicium intellectus iuuat nimis debilitas sensuum internorum, quod anteà vobis proposui notandum esse nimis: nam actus primus, ad quem efficaciter mouet distemperies, rapit secum totam animæ efficaciam, quando debilis est sentiens facultas: nam cùm non possit nisi conatum vt vnum applicare, & hunc imbibat in se actus primus, non relinquit vim cogitationis capacem, vt cum intellectu discurrente percipiat obiectum illud imaginatione solùm proponi, & non esse à parte rei. Vnde quia ad illum assensum requiritur minor concursus animæ,

A & internus sensus, quàm ad discurrendum per actum contrarium, quòd obiectum illud sit solùm imaginatum, semper enim debilis facultas trahitur faciliùs ab illo obiecto percepto in aliud, quod est illi communius, & conformius: nam præterquam quod per memoriam coniunctorum caecitatur faciliùs, quod cum primo obiecto habet affinitatem magnam, quàm quando ei disparatè opponitur, vel nouum discursum requirit, ad quem non inclinat actus primus: constat minorem vim, & concursum animæ requiri ad id, quod simpliciter infertur, & veluti naturali sequela, quam ad actum requirentem nouum discursum, & non habentem cum primo conneæionem, sed oppositionem potius, vel est diuersissimum.

B Hæc est causa, propter quam ex rebus externis conceptis aliquo sensu falli solent ægroti, per memoriam scilicet coniunctorum, ad quæ concipienda velut naturali sequela, vt dixi, cognitur per primum actum. Adduxit exemplum elegans Aristoteles *lib. de som. nis, cap. 2.* dicendo, ob quam rem febre laborantibus ex modica interdum similitudine lineatum compositarum animalia in parietibus apparent, huiusmodique res interdum ita cum morbis intenduntur, vt nisi valdè à morbo fuerint oppressi, illos non lateat, quod falsum est quod cernunt: quod si valentior fuerit morbus, ad illa etiam mouentur. Reddens verò rationem correctionis, quando malum non ita intenditur, dicit: *Causa verò vt hæc accidant, hæc est, quia non secundum eandem potentiam iudicat, quæ princeps est, & in qua phantasmata fiunt.* Ex qua doctrina Aristotelis duo colligo: primum quod correctionis defectus nascitur ex mali

C grauitate, ratione cuius non potest potentia cogitatiua intellectum sequi ad contrarium discursum, vt cognoscat ex lineis in pariete efformantibus aliquod animal formari, & inde ex illa visiona excitatur imaginatio animalis præsentis in phantasia, & quia virtus non constat ad percipiendum quòd sit illud animal imaginatum solùm, & non esse reuera, illuditur intellectus, & dicit ibi esse animal, quod per lineas signatur. Secundum est, non dari delirium, quousque intellectus assentiatur imaginationi propositæ tunc: quia dixit Aristoteles, quod si morbi apprehensio magna non sit, seipsos corrigunt, & in falsum assensum non incidunt: si vero apprehensio sit magna, mouentur ad

D apparitionem illam, & iudicant esse reuera, quod per imaginationem solùm proponitur; constatque ex adducta deceptionis causa clariùs placitum nostrum: nam vt decipiantur, vel non, causa (inquit) est, quia non secundum eandem potentiam iudicant, quæ princeps est, & in qua phantasmata fiunt, S. Thomas *in commentario* ita dicit: *Causam dat, quare anima non decipitur, & dicit quod non est eadem virtus iudicandi intra, & apprehendens phantasmata extra, & ideo iudicium est contrarium illi, quod apparet: sicut Sol apparet visui bipedalis; tamen ratio iudicat ipsum esse multò maiorem.* Augustinus Nimphus super eundem locum dixit: *Iudicat, qua principio est* (id est) secundum intellectum, &c. vnde constat delirium non dari, quousque intellectus assentia-

E tur propositæ imaginationi; semel verò delusus in certo obiecto, necesse est in varia deliramenta incidere per memoriam coniunctorum, vt dixi, & naturali sequela, & ordine, & connexione specierum: sic per memoriam Dei, & sui ipsius vniuntur materialiter obiecta illa duo: & quia ratio non potest rectè distinguere Petrum à Deo, quia velut vnum proponuntur, cadit in tam absurdam propositionem: Ego sum Deus: hinc infert delirij ratione in cœlo esse, non egere alimento, aliquibus posse imperare, & sibi adorationem deberi, & cultum: sic enim vna species falsi iudicij semel concepta alias vocat & excitat.

Ex eodem principio nascitur delirare faciliùs insipientes: quia non habent contrarios habitus, quibus se corrigant,

corrigant, eo quod ignorent rerum naturas; sapientes verò semel decepti indicibilia deliria proferunt: quia ex falso conceptu statim innumera inferunt, nunquam in conceptione rerum quiescentes.

Sed dices: Intellectus non tantùm cognoscit obiectum, quod proponitur, sed etiam cognoscit quod per imaginationem proponatur: nam & actus imaginationis est ab eo cognoscibilis: ergo repugnat quod quando propositus obiectum, non cognoscat esse per imaginationem propositum, & per consequens non mouebitur ad iudicandum quòd sit reuera; sed solum quòd sibi proponatur. Respondeo primò efficacius mouere intellectum quod per imaginationem vt visum proponitur: quia est naturalius, & magis commune obiecta cognosci vt visa, quàm quod sint per imaginationem proposita; & ideò efficaciùs fertur intellectus in illud.

Dico secundò, quod aliud est concipere obiectum propositum ab imaginatione, vt ab ea proponitur; aliud verò concipere, quòd id, quod proponitur, sit propositum per imaginationem: illud enim primum trahit ad se statim intellectum, quia proponitur phantasma rei existentis visæ: agnoscere verò quòd id, quod vt præsens proponitur, non sit in rerum natura tunc, sed solùm imaginatum, est cognitio altioris naturæ, & inde maiorem animæ attentionem requirit, quàm primum: hanc verò perfectionem maiorem non habet intellectus ob vitiosam temperiem, quia cum illa nequeunt illum comitari phantasia, aut cogitatiua, & sic cessat ab hoc secundo discursu, & assentitur primo iudicando rem imaginatam esse reuera.

Notabitis tamen in calce quæstionis, quòd Aristoteles vtitur nomine facultatis principis loco citato de insomniis, ad significandum intellectum, & eodem nomine vsus fuit Galenus, vt constat ex translatione Copij: neque minus propriè dicitur intellectus regens facultas, cùm ille sit qui omnia tenetur regere, & corrigere, & iuxta leges rationis operari, & per consequens summa ratione in errorem illius transfunduntur deliria, etsi negari non possit errorem nasci, quia in modo operandi sic est alligatus sensibus, vt sine comitatu eorum nequeat operari.

CAPVT IV.

De actibus sensuum internorum, & num quilibet possit esse occasio delirij.

HÆc præsens quæstio proponitur, vt cum proprietate loquatur Medicus circa læsionem potentiarum, quando æger delirat: quoniam deliria quædam soli imaginationi dicauit Galenus, vt fuit delirium Theophili; alia verò cogitatiuæ, quam Galenus appellat rationem, vt fuit delirium Lanifici.

Est autem ex Philosophia accipiendum, sensum internum non dici, quia sit intus: tum quia sensus tactus intus existit, & internus non est: tum quia Aristoteles docuit tactum esse fundamentum omnium sensuum, ita vt nullus esse possit, vbi tactus non est, & per consequens non sunt sensus interni in alio subiecto vel organo, in quo tactus non sit. Appellatur ergo sensus internus, quia immediatè non concipit, nec potest, obiecta externa, sed præsupposita semper cognitione externorum; est enim iam receptissima opinio apud Philosophos, species impressas sensuum internorum produci ab expressis sensuum externorum, & inde necessariò præsupponitur externa sensatio, tanquam efficiens specierum impressarum sensuum internorum: & quia sine istis nequeunt concipere aliquod, ideò dicuntur interni.

His internis sensibus septem actus dicarunt Philosophi, vt tradit S. Thomas 1. *part. quæst.* 78. *articul.* 4. Primus actus est, quando homo agnoscit obiecta sensuum externorum, & inter illa distinguit, vt quando cognoscimus sonum & albedinem, aliquem saporem, vel odorem, vel tangibiles qualitates, & verè cognoscimus saporem non esse albedinem, neque frigus odorem: visus enim solos colores, & lumen agnoscit, & inde colorem à sapore distinguere non potest: sensus ergo hæc obiecta externa percipiens dicitur sensus communis, & actus eius est illa cognoscere, & distinguere, & præter hoc habet etiam vim percipiendi sensationes sensuum externorum: habet tamen hoc peculiare, quòd solùm possit percipere obiecta, quando actu immutant sensus externos: quia sensus communis non habet vim conseruandi species in absentia obiectorum, in quo conuenit cum sensibus externis: & propterea hic communis sensus non putatur auctor delirandi: quia cùm non seruet species sensibilium absentium, neque intellectum comitatus, neque instigat ad operandum erroneè, magis quàm externi sensus, quod nullus dixit esse posse causam delirij.

Secundus actus est, quo obiecta per sensus externos, & communem percepta cognoscuntur, quando non sunt, eo quòd manent species eorum reseruatæ in sensu interno, vt à prædictis sensibus fuerunt percepta: & sic per hunc actum solum percipiuntur tanquam præsentia, quamvis non sint: nam sicut sensus externi, & communis nequeunt percipere nisi obiecta actu existentia, & sicut præsentia necessariò: ita actus iste secundus excedit primum in hoc solùm quod agnoscat obiecta, quando non sunt; cognoscit tamen illa, quasi præsentia forent; & potentia sic cognoscens obiecta appellatur phantasia in hoc distincta à sensu communi, quia elicit actum proprium in absentia obiectorum, eo quod habet vim conseruandi eorum species.

Tertius actus est, quando ex rebus diuersis iam conceptis, quarum seruantur species, vnam componunt simul, velut materialiter vniendo obiecta disparata, vt in communi exemplo de monte aureo explicatur, vniendo simul montem & aurum: & potentia hoc efficiens dicitur imaginatio, in quo à phantasia distinguitur: hos verò duos actus putant authores esse eiusdem potentiæ, & appellari phantasiam, in quantum cognoscit sensibilia, vt sunt in se; imaginationem verò, in quantum componit chimæram, ex rebus diuersis vnam efficiendo, & concipiendo diuersas entitates quasi vnicam, ob quod passim à S. Thoma, & aliis authoribus hæc potentia modò appellatur phantasia, modò imaginatio: in quem sensum dixit Doctor Angelicus *lib. de Anima, lect. 4. text. 35. Passio phantasiæ est in nobis, cùm volumus; quia in potestate nostra est formare aliquid quasi apponens ante oculos nostros, vt montes aureos, vel quidquid volumus.*

Quartus actus est, medio quo obiecta per iamdictos sensus proposita iudicantur conuenientia, vel disconuenientia nostræ naturæ, ob quod iudicium fugimus quædam, & alia prosequimus; & ad hunc actum mouetur appetitus: hæc ergo potentia excedit antecedentes in hoc, quod ratio conuenientiæ, vel disconuenientiæ, quæ imperceptibilis erat ab antecedentibus potentiis, percipitur ab ea, & sic appellatur æstimatiua.

Quintus actus est, medio quo concipimus rem non absolutè, sed vt priùs cognitam, & vt docent authores, cum differentia temporis, loci, & præsentiæ: & est actus potentiæ, quæ appellatur memoria, & omnes istos quinque actus iam enumeratos dicunt Philosophi esse communes brutis nobiscum.

Sextus actus est cognitio plurium singularium per connexionem, vel similitudinem, quæ indagatione,

&

& dissensu quodam procedit, & ideò dicitur actus solius hominis, appellaturque ratio particularis, eo quod rationem vniuersalem, intellectum scilicet discurrentem comitatur operando circa eadem obiecta, circa quæ intellectus discurrit, eo modo quo potest discursu materiali illum comitari: nam cùm non semper possit concipere sensus omnia ea, quæ intellectus discurit, & sit necessarium aliquo modo illum comitari, si non discurrit sensus circa formalitates abstractas, discurrit saltem circa aliqua sensibilia, quæ cum eis rebus habent connexionem maiorem, & possunt à potentia sensitiua concipi, quæ appellatur cogitatiua, & ratio particularis: & ideò communiter dicunt philosophi sensum internum hominis cuiusdam rationis participem esse circa obiecta particularia per coniunctionem cum intellectu; & talis perfectio solùm dicitur æstimatiuæ humanæ.

Septimus actus est, quo sensus internus recordatur rerum præteritarum, non simplici cognitione, vt quando memoramur alicuius obiecti simpliciter; sed indagatione & discursu quodam contemplando præterita, vt inueniamus obiectum, cuius cupimus recordari: hic actus appellatur reminiscentia, vt nihil aliud sit, quàm memoria hominis intellectu discurrentis, & ratione quadam memorantis præteritorum, vt inueniat, quod requirit. In his duobus actibus vltimis differunt homines à reliquis animantibus: quia cùm sequantur intellectum discurrentem, & actum illius præsupponant, solùm possunt dari cogitatio, & reminiscentia in rationali natura.

His suppositis est nimis controuersum in nostra schola, vtrùm ex actu cuiuslibet potentiæ internæ possit intellectus in delirium incidere? Est autem supponendum dari solùm quatuor potentias internas, sensum scilicet communem; phantasiam, quam cum imaginatione identificant omnes; æstimatiuam, quæ cum cogitatiua identificatur etiam, & memoriam identificatam cum reminiscentia. Si verò aliquis opinetur dari solùm vnicum sensum internum, & diuersis nominibus iam dictis appellari propter actus inadæquatos, quos elicit, nihil interest ad propositam veritatem indagandam: nam similis controuersia est de actibus, ac de potentiis.

Est in nostra schola communis opinio, quod si detur delirium in intellectu, causetur solùm ex læsione imaginationis, prout distinguitur contra phantasiam; & causetur etiam per actum cogitatiuæ; per actus verò phantasiæ, & memoriæ nunquam deprauari intellectum, neque in errorem incidere. Ratio fundamentalis est, quia cùm potentiæ simpliciter apprehendentes nunquam componant, nec diuidant, & species earum semper repræsentent obiecta, à quibus emanarunt, vt sunt, vel fuerunt percepta, nequeunt occasionem errandi intellectui præbere: non quidem erroneè, quia nullo modo componunt, & sic nec possunt chimæram fingere: neque in simplici obiecto, quia nunquam variatur repræsentatio illius in speciebus reseruatis: non ergo datur modus possibilis, quo incitent intellectum ad errorem. Et propriam opinionem confirmant ab authoritate Galeni, qui nunquam mentionem fecit, nisi delirij imaginationis, vel cogitatiuæ.

Mihi videtur ex actibus omnium quatuor potentiarum posse delirare intellectum. Ratio in nostra opinione est clara. Primò: quia ad delirium non requiritur semper compositio vel error in eo quod concipitur; sed benè operando intellectus circa materiam subiectam delirat in tempore, & occasione disputandi de rebus. Tum vlterius: error quotidie contingit solùm circa simplicia, & per consequens circa actum solùm phantasiæ. Vlteriùs: delirium in modo ex nullo sensu in rigore dependet: nam iracundè respondere omni-

A bus quæsitis solius intellectus est: quia nec est actus imaginationis, nec phantasiæ, vel memoriæ, vel cogitatiuæ, cùm non sit error in praua conceptione alicuius obiecti; sed in solo actu appetitus, vel voluntatis ex conuenientia proposita respondendi iracundè, quamuis vera respondeat: quæ conuenientia solius intellectus est, & ad nullum sensum pertinet.

Et quantum ad actus phantasiæ, constat: quia vt antea diximus, non potest errare in obiecti propositione, quando taurum præsentem proponit, cùm habeat speciem illius reseruatam, & repræsentantem illum cum illius visione: si ergo hac ratione proposito tauro non possit intellectus assequi esse solùm imaginationem, & re vera non existere, decipietur facilè, & dicet: ibi est taurus, eritque iudicium erroneum circa

B simplex obiectum, vt per solam phantasiam proponitur: sic si species solis illuminantis mundum proponatur, & sic concipiatur efficaciter quod sol sit præsens, & per consequens quod sit dies, decipietur in nocte circa solis existentiam, & solùm erit delirium ad actum phantasiæ pertinens sine compositione aliqua, ad quam imaginatio requiratur. Quinimò censeo nullam potentiam esse efficaciorem ad decipiendum intellectum, quàm phantasiam. Ratio est: quia nulla potentia in absentia obiectorum proponit ipsa præsentia, nisi phantasia: ergo nulla est efficacior ad delirandum. Patet consequentia: quia adhuc in ipso naturali modo proponendi obiecta includitur certa deceptio: proponit enim vt præsentia, quæ verè non existunt, & per consequens statim ac per

C morbum non assequitur intellectus illam propositionem esse solum phantasticam, decipitur, quia iudicat esse re vera, quod per solam cognitionem proponitur præsens.

Sed de omnibus sensibus seruantibus species in absentia obiectorum probatur conducere ad deceptionem intellectus: solus intellectus potest ex duobus distinctis obiectis vnum concipere: ergo per species suppeditatas à quacumque potentia potest varia effingere; sed potentia quævis interna potest elicere actus, quibus intellectui obiecta repræsentet: ergo ex actibus cuiusque potentiæ potest varia componere, & diuersa iudicia, erroneaque elicere. Maior constat ex doctrina S. Thomæ 1. *p. quæst.* 78. *art.* 4. dicentis. *Auicenna verò posuit quintam potentiam mediam inter æstimatiuam, &*

D *imaginatiuam, quæ componit, & diuidit formas imaginatas, vt patet, cùm ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis componimus vnam formam montis aurei, quem nunquam vidimus; sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine, in quo ad hoc sufficit virtus imaginatiua.* Expendo verba illa; *sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine*: ergo hæc operatio non pendet primariò à sensu, sed ab intellectu vniente diuersa, & per actum chimæricum concipiente illa vt vnum: vnde infero, quòd sicut reminisci, & discurrere per singularia sunt actus intellectus, quos comitantur memoria, & cogitatiua: ita componere vnum ex duobus, vel diuidere vnum in plura, est actus solius intellectus, quem sequitur phantasia necessitate naturæ comprehendendo montem & aurum, & ideò per hunc

E actum appellatur imaginatio: quia chimæricum est, & per solam imaginationem est dabile illud obiectum: qua ratione omnia impossibilia, vt possibilia concepta vulgari sermone dicuntur imaginationes: nulla itaque datur potentia sensitiua, quæ propriis viribus vniat separata, sicut non datur, quæ vnita separet: est enim altior modus operandi, quàm sensui materiali competere possit: quid enim intellectui relinqueretur, si componere, & abstrahere posset sensus internos? Et ratio à priori est: quia sensus non habet aliud operandi principium nisi per reseruatas species, & cùm illæ sint naturales imagines, non repræsentant sua obiecta

aliter quàm sunt cognoscibilia à sensibus externis: suut autem cognoscibilia, vt sunt reuera: sunt autem diuersa, reuera distincta, & vt talia repræsentant species, quia sic fuerunt percepta: vnde nunquam sensus aliquis per modum vnius concipiet plura: nequa iodiuisum diuidet, sed hoc totum ab intellectu pendet, qui & componere, & abstrahere potest: & vt dicitur æstimatiua ratio patticularis, seu cogitatiua à S. Thoma, quando æstimatiua sequendo intellectum circa singularia discurrit, & mamotia dicitur remioiseentia, quando sequendo intellectum syllogisticè inquirit translata memotia de vno obiecto in aliud, vt sic taminiseatut obiecti inquisiti: sic phantasia bominis appellatut imaginatio, quando intellectum componentem, vel diuidentem comitatur, in quibus actibus trabuntur potiùs sensus ab intellectu, quàm econtrà. Ob quod dixit S. Thomas, quòd ratio vniuersalis, hoc est intellectus, dirigit cogitatinam, quando circa singularia discurrit, & eodem modo dirigit memoriam, quando teminiseitur, & phantasiam, quando intellectus componit, vel diuidit, & appellatur imaginatio: sic Philosophus doeuit *lib. de memoria*, esse contraria memorari, & teminisci. quia memorari est partis sensitiuæ, teminisei verò intellectiuæ. Et Diuus Thomas *in commentario* docet reminiscentiam in solis hominibus dari.

Et hinc ptobatum manet, nullum sensum alio modo ad delirandum conducere, quam propunendo phantasmata, vel obiecta, quorum habet reseruatas species: & vt non potest aliter proponera, quàm fuerunt cognita, neque species repræsentationem suorum obiectorum permutare possunt, nullus sensus errar, nec potest; sed, vt antea insinuaui, rota deceptio in iotellectu est, qui cum plura agnoscat in obiectis propositis, quàm sensus, facile decipitur, quando sensus ob malam temperiem non possunt intellectum cumitari, & proptereà à quolibet sensu interno proponente phantasmata illuditur: & similiter ex sensibus exterioribus accipit aliquando occasionem errandi, vt docuit Aristoteles *lib. de insomniis*, *loco citato*, quando ex similitudine linearum parietis animal, cuius imaginem æmulantur, putat æger esse reuera; sic ex sono in auribus percepto facilè decipitur quod sunt tibicines sonantes, & ex febris vstione iudicat instantem ignem in cubiculo esse & aduri, vt hinc etiam constet ad deceptionem non concurrere aliter sensus omnes, quàm percipiendo obiecta, quorum habent species, in quibus quantum ad repræsentationem, neque in sensibus aliqua deceptio esse potest, sed in intellectu solo non assequente illa obiecta esse per sensus proposita, & nihil existere tunc à parte rei eorum, quæ proponuntur, & sic decipitur, vel tentans discurrere circa propositas imagines, vt sunt, deprauatè discurrit; quia sine delectu infert, quæ non sunt consentanea, eo quod ex proposito obiecto excitantur species aliorum, vt est communissimum, & proptereà cognito vno erroneè loquitur mutato sermone de vno obiecto ad aliud: vel quia temperies morbosa non est conueniens ad proponenda phantasmata, circa quæ discurrere incipit, & sic relicto argumento, de quo dispotara cœpit, aut obiecto, circa quod loquabatur, permutatur subitò ad aliud irrationabiliter, & sic miro modo & vario decipitur.

Ex dictis constat, cur sensus communis ad delirandum non confert; nam si non reseruat species in absentia obiectorum, nequit in eorum absentia aliquid proponere, circa quod intellectus discurrat & decipiatur; quando verò actu est obiectum præsens, cùm similis sensatio fiat per sensus externos, & isti efficacissimè obiecta propria, vel communia percipiant, est impertinens actio communis sensus, ni existimes asse necessarium vt medium, à quo producantur species impressæ, in absentia tamen obiectorum certum est nullo modo ad delirium

A conferre; qoamvis negari non possit conducere posse aliquo modo, quando sunt obiecta præsentia, in quantum cognoscit obiecta non solùm exteriora, sed etiam sensationes sensuum externorum, quas putant Philosopbi à propriis sensibus externis asse imperceptibiles.

CAPVT V.

An eadem sit ratio deceptionis in delirantibus, & in dormientibus.

HVius dubij dilucidatio erit satis vtilis ad inueniendam rationem deceptionis in delirantibus:

B nam eodem modo decipi homines sanos in insomniis, ac vigilantes, quando delirant ratione morbi, ipsum experimentum præcipuè confirmat: neque egei probatione, & id docuit expresè Aristoteles *lib. de insomniis, cap. 1.* dicendo: *De omnibus autem his in tantum est manifestum, quod eadem res, qua in morbis vigilantes decipimur, somni tempore eandem efficit passionem*: quo loco clarè docet idem esse principium deceptionis in delirantibus, & dormientibus; quod facile verò decipiantur dormientes, & quanta varietate insomniorum, vnusquisque in se ipso expertus est: neque minorem fidem, & certitudinem præbet apparitionibus illis, quam si verè in vigilia similia obiecta conciperet, nec minùs fatigatur, tristatur, vel gaudet.

C Ex quibus mihi est euidens, ratione morbosæ distemperiei non mutari species in propria & naturali repræsantatione, vt anteà probaui, nec sensus proponere alia obiecta, quàm quæ per species reseruatas agnoscunt, & talem propositionem esse naturalissimam, vt est naturale cuicumque sensui percipere obiecta, quorum habet species: & constat, quia in somno naturali non est, à quo talis variatio contingat, & decipiuntur nihilominus dormientes, non minus quàm delirantes.

Quomodò autem deceptiones contingant in somno, iam ferè ex dictis constat, pro quo notabitis quòd insomnium teste Philosopho *libro de insomniis, cap. 1.* nihil aliud est, quàm phantasma, vel apparitio, quæ inter dormiendum fit, quando sensibilia sunt absentia: nam in significatione rigorosa non dicitur

D somniare, qui aco compunctus molestiam illam sentit dormiendo. Notabitis rursus somnum adæquatum debere esse vinculum omnium sensuum internorum, & per consequens qui dormit perfectè, nullo modo insomnio molestatur, quia ligati sunt omnes sensus; vnde qui somniat, secundum partem illam, vel potentiam, qua somniat, vigilat sine dubio: quia sentit, & concipit obiectum, & aliquando perfectiùs, quàm si vigilaret, vt docuit Philosophus. Est autem interdum tam liber sensus internus, dum dormit homo, quòd etsi proponantur obiecta, veluti si essent reuera, non decipitur; sed verè cognoscit somnium esse, & apparitionem tantummodò: quod expresè docuit Aristot. *c. 1. cit.* dicendo: *Quin etiam interdum opinio, quæ visa*

E *sunt, ea falsa esse, vt in vigilia, dicit; interdum obligatur, & spectra, quasi vera sint, prosequi solet.* Qood rursus repetit *cap. 3.* dicendo: *Non sæpè euenit, vt quis dormiendo in animo suo dicat, somnium esse, quod videt: quod si dormire se nesciat, nihil imaginationi contradicit*, &c. Vnde verò procedat ligari omnino sensus internos, vt nullum phantasma dormiendo appareat, aliquando verò non ligari omninò, ex duplici capite pendet. Primum est: quia cerebrum non obstruitur secundum omnes partes eius, & inde obiectum percipit per partem non obstructam, quia non est impedita. Secundum est, quod quamvis secundum omnes partes obstruatur, non manet impotens ratione obstructionis ad concipiendum quodlibet obiectum: sunt enim species quædam

tam

tam fortiter fœcundantes potentias internas, quòd non qualibet obstructio in somno naturali impediat perceptionem obiectorum, quorum sunt imagines reseruatæ; vt enim dormientes secundum omnes sensus perfectè, si altè vocentur, expergefiunt, vel leuiter tangantur, ob efficacitatem speciei impressæ de nouo: sic sæpè species reseruatæ tam efficaces sunt ob intensionem, quòd obstructio impediens, ne multæ earum moueant potentias, non obstat, quod moueantur ab efficacioribus speciebus. Sic multæ curæ patiunt insomnia, quia efficacissimè mouentur potentiæ ab speciebus obiectorum, circa quæ anxietas nimia, & circa præcessit, quòd sint intensissimæ, & alias conditiones sortiantur ad excitationem potentiarum: magis autem, vel minus ligari sensus internos pendet ex crassitie vaporum, & multitudine: sic enim docuit D. Thom. 1. p. q. 84. a. 8. quod quando nimius est motus vaporum ad cerebrum, nullum fit insomnium, quia non solùm ligatur sensus communis, sed etiam imaginatio: quando verò moderatus est motus vaporum, non solùm manet libera imaginatio, sed etiam sensus communis ex parte, ita vt dicat, vel indicet inter dormiendum insomnium esse, quod videt, vt antea ex Philosopho retulimus. Est autem difficultas, vnde proueniat, quod aliquando deceptio fiat in somno, aliquando minimè. Vt hinc deducamus rationem deceptionis in vigilantibus, quando opprimuntur delirio.

Aristoteles *libro de insomniis, cap. 2.* nullam aliam rationem adducit nisi ignorantiam, quòd dormiat, & quia ignorat se dormire, simulactum alicuius rei putat esse rem ipsam repræsentatam, & ita iudicat esse reuera quod solùm per phantasiam proponitur, verba sunt: *Ita & in somno si quis se dormire intelligat, & affectionem eam sentiat, cui sensus sensoriæ partis additus est, apparebit quidem ei, quod somniat; sed factum dicit, quamquam apparet hoc Coriscum esse, non tamen est Coriscus: nam sæpè euenit, vt quis dormiendo in animo suo dicat somnium esse, quod videt: quòd si dormire se nesciat, nihil imaginationi contradicit.* Adducit enim Philosophus ante relata verba aliud exemplum ad confirmandam causam deceptionis in somno: *Experimento*, inquit, *constat, quod si digito superposito oculis à sua sede oculus separetur, quodlibet obiectum apparet duplex: vnde si in hoc casu ignoraret, cui digitus superponitur, quod esset superpositus digitus, verè deciperetur: quia ignoraret ex tali occasione prouenire*: Si verò constet digitum esse superpositum, quamuis obiectum semper duplex appareat, corrigit ratio hanc visionem erroneam, dicendo: Quamuis duo appareat obiectum illud visibile singulare, non est duo reuera; sed vnum: quia causa falsæ apparitionis est superpositio digiti; sic si agnoscat, qui dormit, se dormire reuera, & in somno repræsentetur Coriscus vt præsens, & visus, dicet: Videtur quidem vt Coriscus, non est autem Coriscus, (hoc est) Coriscum concipio vt visum per suam imaginationem; non tamen illum video reuera; sed solùm per imaginationem proponitur. Si verò ignoret se in somno esse, vt præsentatur Coriscus vt præsens, sic ab intellectu percipitur, & nihil contradicit phantasiæ: & D. Thomas *in commento*, sic loquitur: *Quando anima simul in apprehensione simulachri perpendit se dormire, tunc indicatur non esse verum quod apparet; sed dicit esse somnium, & simulachrum rei, & non rem: si verò lateat se dormire, credit esse verum quod apparet.* Si ergo tota ratio deceptionis est non posse assequi intellectum, quod illud obiectum proponatur solùm per species reseruatas in absentia obiecti, & sic quamuis proponatur vt visum, non videri reuera: & eadem causa est, teste Aristotele, qua vigilantes decipiuntur per morbos, erit per consequens causa deceptionis in delirio, quod per morbum, & malam intemperiem non possit intellectus concipere obiectum propositum, esse tantummodò imaginatum;

& quia vt præsens proponitur, fertur statim ratio in communissimum, & naturalissimum modum, quo obiecta sentimus, nempe quòd moueant sua reali præsentia potentias externas, & sic quod repræsentatur vt visum, iudicat videre reuerà, & inde infert Coriscum esse præsentem, quo iudicio erroneo traditur per naturalem sequelam, quod cum eo loquatur, & loqui incipit, & alia varia delitamenta machinatur: constat verò aliquem non assequi se in somno esse, pendere ex multa obstructione cerebri, qua diminuitur influxus ad sentiendum, & ideò non potest intellectus discutere, quod sit in somno, verèque dormiat, & sic decipitur, eodémque modo ad delirandum non sufficit proponi phantasma, vel simulachrum alicuius rei, sed necesse est vt ita sit vitiatum temperamentum cerebri, vel alia sit occasio morbosa, quæ impediat intellectum discurrere, & cognoscere quod obiectum propositum proponatur morbi occasione, & non existere reuerà, nec videri, quamuis vt præsens, & visum ponatur. Et sicut ex ignorantia quòd per imaginationem, & morbi occasionem proponatur illud obiectum, sequitur falsus assensus, & erroneum iudicium; sic ex ignorantia, quòd in tali occasione & tempore sit dissimulandum, vel loquendum de certis rebus, & in alio tempore de aliis, neque esse permissum homini constanti ratione vbique, cum omnibus, & quolibet tempore cuiusque obiecti argumentum in medium proponere, delirat in tempore ex ignorantia temporis vel occasionis cuique disputando dicatæ: & eodem modo errabit in modo loquendi, qui semper iracundè cuicumque quæsito respondet, vel quod precibus, & submissè petere debet, petit superbè: quia omnes isti sunt praui motus facultatis regentis, & deliria per consequens.

Repetamus igitur per compendium hactenus dicta: nam quæ facilia non sunt, & totius doctrinæ argumentum continent, est permissum repetere. Deliria ergo ex sola distemperie originata sic explicantur. Est in primis supponendum, quòd intellectus de se nunquam cessat ab opere, quamdiu sensus vel ministrant illi phantasmata, vel illum possunt comitari, quando operatur, eo quòd varie circa obiecta proposita discurrit: quia plura, quàm sensus, in obiectis agnoscit, & variè de illis iudicat. Est rursus supponendum, quòd intemperies morbosa duo facit, & esse connenientem ad excitationem quarumdam specierum: quia vt diximus, est proportionata actibus imaginationis, vel cogitatiuæ, vel memoriæ, & propterea habet quòd ratione illius ita tollatur concursus intellectus, & potentiarum internarum ad cognoscendum, quòd obiecta proponantur ratione morbi, vt ignorent se in morbo esse, & non possit assequi solùm proponi obiectum per phantasma, vel aliam internam potentiam, & nullatenus existere à parte rei, quando per dictos sensus proponûtur obiecta velut actu visa, aut alio sensu percepta: & ita quia proponuntur, quasi actu perciperentur, indicat reuera videri, & inde infert multa tali visioni consentanea, & falso iudicio. Vbi notabitis diligenter, quòd ad delirandum absolutè non est necessarium quòd dissipeties excitet vehementer species: est enim satis quòd aufert discursum, quo intellectus distinguit, an quod proponitur, sit apparens solùm phantasma, vel obiectum verè existens: & hoc clarè colligitur ex ipsis insomniis: nam vapores obstruentes, si totum cerebrum non obstruant, etiamsi non excitent magis has species, quàm illas, causabunt insomnia, quia auferunt concursus requisitus ad percipiendum quòd dormiat, & quod id, quod apparet, est phantasma Corisci, & nō eius realitas; verùm si distemperies excitet vehementer species, tantò efficaciùs conduceret ad deceptionem: quia minus libertatis relinquit ad eliciendos actus contrarios, & per-

fectum iudicium quòd sit imaginatum obiectum, & non reuera.

Vnde infertur, quod non est necessarius aliquis error in sensibus antecedenter ad actum intellectus requisitus, vt neque in somno naturali datur vitium aliquod erroneum antecedenter, vt dormiens decipiatur; sed species naturales, & modo naturalissimo propria obiecta repræsentando id efficiunt, quia per obstructionem impeditur sensus internus, ne concurrat cum intellectu ad cognoscendum quod sit obiectum illud phantasticum, & ita necessitatur intellectus ad assensum illius: ob quod multa in insomniis conueniunt absque culpa aliqua, quæ in vigilia grauissima forent peccata: impedimentum igitur, quod somnus ponit obstruendo cerebrum, vt intellectus, seu ratio non constent, eo quòd tollit concursum phantasiæ, vt nequeat intellectus benè discurrere circa obiecta proposita: idem, inquam, impedimentum ponit morbosa temperies, vt non possit intellectus operari decenter circa obiecta, ad quæ phantasia inclinat: quia tollit dispositionem conuenientem ad actus contrarios, & simul vt cognoscat phantasiam in absentia obiectorum illa proponere, quasi perciperentur reuera per sensus externos: sic enim dixit Philosophus *lib. de insomniis, cap. vltimo*: *Dormiens per ea, quæ à visu deferuntur, & ab auditu, & ab aliis sensoriis, putat videre, & sentire*, &c. Sanctus Thomas *in commentario* sic scripsit: *Quando virtus superior, siue ratio non detinetur à phantasmate, sed mouetur motu proprio, tunc contradicit motui simulacri, & iudicat aliter esse quàm apparet; tamen si virtus illa non contradicat, semper iudicat omnia esse, sicut apparet.* Expendo verba illa: *Quando virtus superior, seu ratio non detinetur à phantasmate, sed mouetur motu proprio.* Quasi diceret: quando phantasia non detinet intellectum, vt non moueatur motu proprio; sed discursu agnoscit, quod id, quod visum proponitur, non videtur reuera; sed vt visum apparet, tunc homo, aut dormiens non assentitur imaginationi, sed verè agnoscit somnium esse, & apparitionem phantasticam, vt quamuis appareat videri, non tamen videatur reuera. Ergo è contra, vt ego opinor, deducendum est, quod quando virtus superior, seu ratio detinetur à phantasmate, vt non moueatur motu proprio, id est, quando intemperies per morbos, vel obstructio per naturalem somnum tollit, quòd phantasia intellectum discurrentem comitari non possit, coërcetur, vel detinetur intellectus, vt discurrere nequeat: & sic quia intellectus non contradicit phantasiæ primo proposito, iudicat anima necessariò quod sit, vt apparet, hoc est quod videatur reuera, quod repræsentatur solum vt visum.

Ex dictis colligitur, quòd ad deceptionem, & delirandum non sufficit proponi phantasmata, sed requiritur etiam actio diminuta, vel ablata in ordine ad certas actiones sensus interni, quibus egebat intellectus antecedenter, aut consequenter ad benè discurrendum, & ad cognoscendum, num quod proponitur, proponatur per solam phantasiam, vel verè percipiatur per sensus externos, ex cuius ignoratione pendet omnis deceptio, & delirium quodlibet: estque tam necessarium, quod ita impediatur phantasia, quod putem sine illa ablatione, vel diminutione errorem, vel delirium euenire non posse: non enim sufficit ad delirandum, quòd efficaciter proponantur phantasmata aliqua, ni tollatur simul concursus ad eliciendos actus contrarios, vel alios requisitos ad rectè operandum, & corrigendum, quod per sensus proponitur: quod indicat vigilia contra naturam, in qua sæpè cogitur æger multa efficaciter, & velut indefectibiliter concipere. Et quia non aufertur concursus phantasiæ requisitus ad comitandum intellectum percipientem verè omnia ea obiecta esse solum proposita per imaginationem, & non existere reuera, non delirat, nec decipitur, etiamsi cogatur ob specierum efficacitatem, vel aliam occasionem incessanter operari circa illa obiecta. Similiter qui affirmat se Deum esse, habet contrarium habitum, & efficacitatem, quod ipse Deus esse non possit, quia nihil magis intellectui humano repugnans, & nihilominus non contradicit tam falso, & erroneo assensui, etsi nil aliud per rationem & fidem firmius acceperit, quàm hominem Deum esse non posse: se verò non corrigere ex nullo alio capite prouenit, quàm quod phantasiæ organum sit taliter distemperatum, quod intellectum comitari non possit ad contrarium discursum; & inde velut cæcus intellectus assentitur prauæ compositioni, & iudicio tam erroneo.

CAPVT VI.

Vtrùm in brutis dentur deliria?

SI ratio inesset brutis, delirare etiam posse, non caderet sub dubio: est verò probabilissimum non carere omninò ratione: vnde fit quòd & posse delirare non sit minus probabile: de quo argumento legatur noster Vallesius *lib. de Sacra philosophia cap. 55.* & Plutarchus *lib. de animalium industria*: quod etiam tenet noster Galenus in principio libelli, cujus titulus est, Oratio exhortatoria ad bonas artes discendas: in quorum doctrina repugnat sensum dari absque aliqua mente: quia si qui sentiunt, vt homines non sentiunt, quando mens ægrotat, teste Hippocrate *2. Aphor. text. 6.* repugnabit multò magis sentire qui omni mente priuantur, ac proinde erit omnino frustra sentiendi potentia, vbi repugnat mens: quia sine mente & contemplatione aliqua, obiectorum sensatio, & perceptio nequit celebrari: quinimò tam admiranda & prudentissima opera experimur in brutis, vt in multis longè homines excedant, qui ex imitatione potiùs quorumdam operum brutorum laudantur, & dicuntur industrij, & sagaces. Sed & bruta posse delirare experimento probatur: quia per morbos & mutant mores, & fugiunt quæ sibi conueniunt. Constat in hydrophobia, quæ specialiter mentem eorum deprauari detegit: blanditur domino canis, quem hydrophobia detentus ignorat, & illum dilacerat dentibus, & velut inimicum persequitur: quo pernitioso morbo inextinguibili siti cruciatur, & nil magis quàm aquam præsentem abominatur, ita vt sit cani facilius vitam deperdere, quàm pertransire flumen ob aquæ timorem. Sic animantia, quibus inclinatio ad mordendum à natura non inest, hoc morbo semel oppressa tam deprauatè morsu dilacerant, vt non solùm feras à natura inimicas, sed etiam animalia, cum quibus erat summa naturalis societas, dilacerent, & perdant. Si itaque sic delirare percipiuntur, & est delirium læsio rationis, erit in brutis ratio aliqua, ob cuius deprauationem delirant. Indicare verò per insomnia, quòd sint præsentes res, quæ à phantasia sola proponuntur, ipse latratus canum, dum dormiunt, demonstrat, & alia multa inter dormiendum facta, quæ absque iudicio aliquo fieri nequeunt: quis enim credet bruta præcauere pericula imminentia, nisi futurorum certam cognitionem haberent, quorum cognitio, & dispositio mediorum, ad fugiendum pericula, & appetitorum assecutionem, rationem aliquam eis competere ostendunt perspicuè. Confugiunt ad instinctum Philosophi, quasi cæca natura, & absque vlla apprehensione, & iudicio fierent omnia dicta, vel instinctus naturalis aliud esset, quàm eorum, quæ fiunt, cognitio verissima & certa.

Ex dictis constat, per somnos non minus decipi bruta, quàm homines: iudicant enim tanquam verè existentia, quæ per phantasiam solam vt visa proponuntur:

&

& idem dicendum est per morbos cerebri euenire posse; nobis tamen occultari ob rationis defectum, neque nisi per aliquam depreuatam actionem manifestari eorum deliria, vt in hydrophobia constat, in qua & mores mutant, & aquam riment, liquidaque omnia, quæ sine iudicio & apprehensione erronea fieri non possunt.

Sit ergo conclusio, in æstimariua brutorum dari verum delirium: quæ conclusio ex iam suppositis, & experimento confirmatis manet satis probata: est enim error contra naturales mores, quòd canis qui antea domino blandiebatur hilarissime, velut inimicum persequetur, & dentibus dilaceret, & equam, quam siticulosus diligenter inquirebat, velut solatium sitis, sic pertimescat & illius præsentiam, vt nullum inimicum magis exhorrescat, sicut & præsentiam omnium liquidorum: in reliquis eutem potentiis brutorum delirium non conceditur, neque præcipitur: est eutem difficultas, cur in sole æstimatiue delirium concedatur, non verò in reliquis potentiis.

Sed hoc dubium iam manet solutum ex dictis: quia delirium est solum symptoma principis facultatis, vel regentis, ac per consequens eius solum, quæ iudicat, & retionem conuenientiæ, vel disconuenientiæ percipit: quæ rationes solum æstimatiuæ conueniunt: vnde quie error semper oritur ex prauo iudicio, ideò solùm delirat potentia, quæ iudicat: quia illa sola decipitur ratione præcisa intemperiei: sensus eutem reliqui recipiunt species ab obiectis, vt sunt, & vt talia semper percipiunt, & inde falli non possunt; æstimatiua verò, quia rationes insensatas agnoscit, quas nullus anterior sensus percipit, & secundum illas mouet appetitum, ideò potest rem conuenientem ex se, vt disconuenientem iudicare, & sic errare, imperando fugam obiecti conuenientis.

Sed tunc insurgit meius dubium, vnde nimirum oriatur quòd res familiaris, & animanti voluptuose agnoscatur per morbum tam dissona illius naturæ, vt fugiat illam, vt hydrophobicus, eo quod siri cruciatur, aquam absentem concupiscit ectu desiderij; visa tamen aque, sicut dixi, illam pertimescit, vt velut venenum mortale ipsam effugiat: est res bæc difficillime: accusant multi canis visionem in liquidis, aut in aqua, vt fecit Magister noster *lib. de locis affect. disp. 14. c. 3.* Eustachius verò accusat naturam veneni: est, inquit, venenum putrefaciens; vnde cum humidis antipathiam habet, quòd sint putrefactiue omnia humida, & inde eque etiam rimetur. Alij varie dicunt, vt est consuetum in omni difficili problemate, quorum placita neqoe referre, neque refellere fas est: habent enim proprium locum in *disputatione de hydrophobia.* Mihique videtur breuiter esse reducendam causam in actionem æstimatiuæ per species insensetas percipientis conuenientiam, vel disconuenientiam in rebus; percipitur verò vt disconueniens aqua, sicut & omnis alia res liquida à rabiente; resultat verò species illa ex aquæ, & liquidorum visione, tanquam ex conditione necessaria, vt resultet omnis elie disconuenientie, vel conuenientia rei, quæ primò per sensus percipitur. Quomodò eotem species insensata producatur, & à quo agente, magna est inter Philosophos controuersie; in mea autem opinione non producitur, sed virtus repræsentatiua obiecti cunuenientis, vel disconuenientis, venit cum ipse specie impressa quasi eminenter; quam rattonem non percipiunt sensus externi, neque interni præter æstimariuam, eo quòd non sunt tantæ virtutis, sicur ite; sed sicut intellectus acquirit, & assequitur plura in obiectis sensibilibus, quæ non conceperunt sensus externi, neque interni: sic internus sensus respectu externorum est potentior, & æstimatiua præ cæteris etiem eminet in cognitione, & inde per eandem speciem per quam ocu- A lus ouis, vel imaginatio non cognouerunt nisi colorem, figuram, magnitudinem, & motum lupi, cognoscit æstimatiua inimicitiam naturalem, & sic fugit ouis, vt viso alimento cognoscit etiam illius conuanientiam, & illud prosequitur.

Sed in nostro casu res videtur difficilior: nam etsi respectu naturalis conuenientiæ vel amicitiæ dici possit, quod in specie obiecti contineatur illa repræsentatio, & sic percipiatur ab æstimatiua, tamen in hydrophobico non videtur hæc ratio probabilis, quia aquam agnoscebat vt vtilem per bonam valetudinem, & illam ingerebat ad sedandam sitim: est autem per hydrophobiam & sitis maior, & in ipso obiecto non datur variatio aliqua, ob quam species emissa ab eo non repræsentat illud, vt quando homo erat sanus, ac per consequens vt conueniens: neque obstat quòd B retione motbi id fieri possit. Sed contra est ratio efficax: quia si species aquæ repræsentat illam vt amicam sitienti, nunquam variatur hæc repræsentatio ex parte obiecti, quia semper est idem immutatum: vnde, quamuis retione morbi impediri possit, quod non percipiatur secundum omnes rationes repræsentatas; non tamen potest fieri, quòd species repræsentet equam, vt inimicam: quia neque est talis naturaliter, neque respectu morbi, cum nullum remedium efficacius putetur, quàm aqua: & saltem negari non potest, quòd sit vtilissime: ob quod dixit Galenus *lib. de Theriaca ad Pisonem*, quod hydrophobi reformidant bibere: quia corrupto mentis iudicio, quid sibi prodesse possit, ignorant.

Mihi videtur dicendum, vt iam insinuaui, ad fugam aquæ satis esse, quòd visio illius sit molesta sine C noua apparitione canis; potest verò esse talis ob splendorem, lucem, fluxibilitatem, ratione quarum est infeste oculis, & cerebro tam debili: & cùm sit communis hæc fuga omnibus liquidis transparentibus, & capacibus magnæ lucis, putandum est corpore lucida, diaphana, & liquida molestè ferri à sensibus, & propterea fugi. Nec est alia ratio, cur melancholici percipiant obiecta delectantia velut tristissima, vnde musica repræsentator vt inimica, nec placet: sed quia non lætantur melancholici in præsentia musicæ, putat vulgus tristari delectabilibus, vel vt tristia percipi, quod non est necessarium: præterquam quod aliud est tristari de nouo, viso aliquo delectabili obiecto, D aliud verò percipi, quod est delectabile, vt triste: rectè enim potest quod est delectabile, vt tale considerari, & tamen non delectari bomo, qui percipit illud: nam delectari est actus appetitus, quo fruitur obiecto vt delectabili sibi percepto: hic autem actus potest suspendi ratione morbi, etiamsi obiectum vt delectabile egnoscatur: quia temperamentom omnino repognat internæ lætitiæ, certúmque est, melancholicos per ectum reflexum tristari posse de nouo, eo quòd videant se ipsos tam malè dispositos, vt nullum delectamentum, vel suæ tristitiæ solatium suscipiant à rebus iucundis, animalie alia lætantibus. Dicendum itaque est ex apprehensione liquidorum, & transparentium produci ab æstimatiua species insensatas inimicitiæ, ratione cuius aqua timetur: eo quod ratione temperementi sic deprauetur æstimatio, vt ex aquæ visione eli- E quid molestum concipiat, sicque indicet conuenientem fugam liquidorum practico iudicio; potest verò aliquid molestum concipere, quia magnam molestiam inferunt diaphana, transparantia, & lucida, vt priùs dicebamus: potest enim tam debilis esse potentia visiua, quando iam infestat aquæ timor, quòd omnia transparentia & diaphana fugit, velut nimis infesta propter splendorem. Quod si dicas, eedem ratione lucem fore abominabilem, quod non experimor: Respondeo aquam non tantùm esse lucidam, sed transparentem, & fluidam; quæ conditio non reperitur in-

flamma, & propterea potest non esse tam molesta luminis visio sicut liquidorum, aquæ præsertim; quæ ob lucem, transparentiam naturam, & fluxibilitatem potest esse molestissima hydrophobico: non enim potest tradi alia probabilis ratio: nam si rabie correptus, antequam aquam timeret, eam bibebat, & prosequebatur, quia sitim sedabat, & crescente intensiue veneni, hanc eandem pertimescit, aliquid de nouo est, ratione cuius eam fugiat: vnde, cùm sit idem venenum, si hoc disponeret æstimatiuam, vt eliceret insensatas species inimicitiæ, semper illas produceret. Et ratio viget: quia si aqua est remedium excedens contra hydrophobiam, non est ratio philosophica asserere, quòd per insensatas species percipiat æstimatiua inimicitiam aliquam, cùm nulla detur reuera; imò sit salubris, & propterea deberet potiùs per species insensatas aquam prosequi: est ergo in ipsa visione aliqua magna disconuenientia, ratione cuius statim ac illam videt, ac per sensus antecedentes concipit, pertimescat illam magnopere.

Sed dices: si præcedit molesta sensatio, non est opus, quòd eliceret æstimatiua: nam respectu molestæ sensationis non minus mouetur appetitus ab imaginatione, quam ab æstimatiua: probatur ex doctrina D. Thomæ 1. *p. quæst.* 78. *art.* 4. *&* 1. 2. *quæst.* 17. vbi dicit, sæpè contingere, quòd motus appetitus sensitiui concitetur subitò ad apprehensiones imaginationis, & sensus: & clariùs docuit 1. *p. q.* 81. *art.* 3. *ad* 2. natus est enim moueri appetitus sensitiuus & non solum ob æstimatiuam in aliis animalibus, & cogitatiuam in homine, quam dirigit vniuersalis ratio; sed etiam ab imaginatione, & sensu. & videtur expressa doctrina Philosophi *lib.* 3. *de Anima, cap.* 9. dicendo: At appetitiuum sine imaginatione non est; si autem requireretur ad mouendum appetitum actio æstimatiuæ, non poneret imaginationem: quod videtur colligi clariùs ex doctrina tradita ab eo *lib.* 3. *de historia animalium, cap.* 3. vbi negat imaginationem competere omnibus animalibus; dicit enim: *At imaginatio quibusdam belluis inest*: si quibusdam, ergo non omnibus: vnde infertur adhuc à sensu communi moueri posse appetitum: hic enim sensus nulli animali deficere potest.

Respondeo mihi videri probabilius, omnes sensus internos, seu omnes actus eius dari in quolibet sensitiuo, licet in perfectione cognitionis & actuum intensione detur magnum discrimen: vnde opinor nullum indicium conuenientiæ, vel disconuenientiæ dari, quod ab æstimatiua dicatur proprius, quando iudicat de insensatis obiectis per alios sensus antecedentes non perceptis: & hac ratione intelligo S. Thomam, dum dicit natum esse appetitum sensitiuum moueri non solùm ab æstimatiua in aliis animalibus, & cogitatiua in homine; sed etiam ab imaginatione, & sensu: hoc est, non solùm mouetur appetitus, quando concipiuntur insensatæ rationes ab æstimatiua; sed etiam quando imaginatur aliquod obiectum delectabile, vel tristabile secundum sensum: ex quibus perceptionibus eliciuntur species conuenientiæ ab æstimatiua; & sic appetitui imperat, aut proponit obiectum vt prosequendum, vel fugiendum: putauit enim S. Thomas, quòd quando ouis fugit lupum, non fugit ob talem colorem, vel figuram; sed quia cognoscit in illo inimicitiam naturalem, quam nullus externus sensus, vel internus agnoscit ante æstimatiuam, & sic proponit fugam: quia concipit insensatam illam inimicitiam naturalem, non quidem insensatam sibi, sed aliis sensibus antecedentibus: tunc autem non mouentur ab imaginatiua, sed sensu, vt constat: quia per nullum sensum fuit percepta inimicitia; at verò quando gustu, vel tactu, vel alio sensu externo percipitur obiectum naturæ delectabile, vel tristabile, tūc mouetur ab imaginatiua & sensu: quia præsupponitur notitia & sensatio obiecti cōuenientis, vel horribilis.

Quod verò non detur animal sine imaginatione, docuit expressè Aristoteles 1. *de Anima, cap.* 3. eo quòd omnia animalia habent sensum alimenti, qui esse non potest sine memoria suauitatis, vel conuenientiæ alimenti, ob quam illud inquirunt animalia omnia, & concupiscunt: in cuius loci expositione dicit S. Thomas: *Patet igitur, quòd omnia animalia habent sensum alimenti, inest fames, & si is, quorum vtrumque est concupiscentia alimenti*, &c. Qui locus maximè notandus est; quia ex illo benè deducitur, omne animal habere desiderium alimenti, ac memoriam rei voluptuosæ sensatæ, nullúmque animal dari, quod alimenti absentis species non habeat reseruatas, & illud inquirat ob suauitatem, & vt liberetur à molestia famis & sitis. Neque obstat quod dicat Philosophus *eodem cap.* 3. quod licet constet ex sensu famis esse dandum necessariò appetitum, quia tactus sine appetitu esse non potest; non tamen, inquit, idem constat de imaginatiua, an detur: hoc enim dixi solum dubitanter, quia nondum determinauerat, à quo principio moueatur immediatè appetitus; verùm ex Philosophi discursu clarè videtur colligi: dicit enim: *Cui sensus inest* (loquitur de tactu) *voluptas etiam, & dolor inest, & perceptio iucundi ac molesti: quibus autem hæc insunt, ea cupiditatem etiam habent: hæc enim est appetitio eius quod afficit voluptate.* Si ergo omnibus inest appetitio eius, quod afficit voluptate, & nihil potest appeti ignotum, datur cognitio in omnibus animalibus suauitatis & conuenientiæ alimenti & potus vt iam sensatæ, occasione cuius diliguntur, ac quæruntur & appetuntur. Quod si dicas, alimenti appetitionem ex suauitate eorum pendere non posse, nihil obstat, quia cùm animalia non semel solum, sed sæpè alimentum, & potum concupiscant, necessariò insequitur quod diximus, dari nempe memoriam omnibus animalibus: memoria autem à nullo conceditur sine imaginatione: vnde infertur omnes internos sensus cuicumque animali competere: verùm quia in perfectione, vt dixi, datur nimia varietas, & in animalibus terræ affixis non apparent actiones internorum sensuum, nisi quando punguntur, vel in alimenti sumptione, & sic non constant sensus, nisi quando actu molestantur dolore, vel voluptate afficiuntur: ideò dixit S. Thomas, quem sequuntur omnes, hæc animalia non habere, nisi phantasiam interminatam; id est, non phantasiam manifestè circa absentia sensibilia, ob quam imperfectionem eis denegauit Aristoteles imaginationem. Est autem intelligendus de imaginatione perfecta, & quæ à seipsa determinari potest: & propter eamdem rationem non dicuntur habere nisi sensum communem, quia non videntur moueri, nisi quando actu immotantur à tangibili aliquo. Sed ratio desumpta ex discursu Philosophi efficacissima est ad ostendendum omnes sensus internos omnibus animalibus inesse; quia vbi est tactus, est dolor, & voluptas: vbi hæc sunt, datur necessariò appetitus: hic autem moueri non potest nisi à potentia agnoscente iocundum, & molestum conueniens, vel disconueniens: istæ verò rationes conuenientiæ, vel disconuenientiæ à sola æstimatiua percipiuntur: hanc autem sine imaginatione dari repugnat, quia est perfectior molrò, quàm imaginatio: neque hæc datur sine sensu communi ob eamdem rationem; quinimò appetere alimentum nunquam sumptum, fortassis non est sine speciebus insensatis; appetere autem alimentum & potum ob suauitatem & conuenientiam perceptam, clarè monstrat memoriam conuenientiæ sensatæ: vnde infertur, nunquam dari animal sine æstimatiua, neque ab alia potentia posse appetitum determinari ad fugam, vel prosecutionem alicuius obiecti.

CAPVT

CAPVT VII.

An dentur deliria solius intellectus?

EST supponendum tanquam certum, quòd in intellectu conseruantur species in absentia obiectorum; nam si memoriæ sensitiuæ concaduntur, cur non intellectiuæ? Et in hoc video iam conuenire omnes philosophos: sunt enim species intelligibiles immateriales, & propterea non pendent in conseruari ab organi dispositione, neque recipiuntur in subiecto corruptibili, & ea alia parte carent contrario, & inde non est à quo semel productæ in intellectu corrumpantur: quo supposito videtur, quod dentur deliria propria intellectui, quin à sensibus accipiant originem. Probatur, quia vel intellectus læditur solùm per consensum cum sensuum læsione, vel læditur sine illis: si hoc secundum dicatur, habemus intentum; si autem primum, sequitur quod semper quòd læditur sensus internus, lædatur necessariò intellectus: patet sequela, quia non datur in intellectu in hac opinione alia læsio, nisi per consensum cum sensibus. Ergo semper quòd læduntur, læditur necessariò intellectus, cuius oppositum quotidie experimur; & in vertigine constat, in qua imaginatio læditur, & nihilominus intellectus non coesentit imaginationi proponenti quòd visibilia moueantur in gyrum. Datur ergo latitudo determinata, in qua solus sensus læditur, & alia maior intellectui debita, cum qua necessariò delirat. Quod etiam docuit Philosophus *l.b. de insomniis*, dicendo: *Et aliquando quidem opinio asserit, quod falsum est id, quod videtur; plerumque autem fallitur, & phantasmata consectatur:* in cuius loci expositione per opinionem intelleaxit D. Thomas ipsum intellectum. Datur ergo aliquando sola læsio in sensibus, & per consequens non semper læditur intellectus per consensum cum illis, sed dantur deliria ex ipso solo pendentia.

Sed dicendum est, omnia deliria suam originem accipere à sensibus, cum hoc tamen ea illis tanquam ea prima radice velut naturali sequela alia deliria manifestari, quæ soli intellectui competunt. Prima pars assertionis constat, quia si nulla læsio datur in sensibus, repugnat deprauari intellectum, vt impliceat deceptio animæ separatæ pat reseruatas species. Ratio est, quia cum sit spiritualis potentia, & vt sic independens ab organo corporeo, non habet aliquod immutationis principium, sed omnia percipit, vt per species repræsentantur: & vt sunt reuera, sic omnia intelligit: vnde si aliquando decipitur, est per accidens, quatenus scilicet in hac vita est intellectus alligatus sensibus; & ita occasione eorum verè decipitur eo modo iam tradito: & ita Galenus semper reduxit quodcumque delirium in læsionem sensuum internorum. Et S. Thomas 1. p. q. 85. art. 6. dixit per accidens euenire intellectus deceptionem, circa quod quid est in rebus compositis non ex parte organi, quia intellectus non est virtus organo vtens: quam doctrinam reperit *quæst.* 84. *artic.* 7.

Secundum verò, quòd scilicet dentur deliria quasi propria intellectus, constat, quando ex primo delirio aliud infertur, & ea vno errore per deductionem transit ad alium, vt qui semel conceapit falsò se Deum esse, infert non egere alimento, aut esse immutabilem in proprio esse: hoe enim est delirium proprium intellectus exercitatum ex primo, sicut vna species mouens potentias excitat sibi affines, & analogas. Ratio à priori est, quia ex doctrina D. Thomæ plura percipit intellectus, quæ sensus percipere nequit, & inde circa illa præsupponitur operatio intellectus antequam sensus aliquid primò proponat, cùm primò operati non

A possit circa ea, quæ sunt à sensu imperceptibilia: estque per consequens secundaria operatio sensus interni comitantis intellectum, sicut sequitur illum memoria in actu reminiscentiæ, & cogitatiua in particularium discursu, & imaginatio in compositione formali. Itaque intellectus non quiescit in obiectis primò propositis per sensus; sed ad alia propria discurrendo transcendit, quæ à sensibus sunt imperceptibilia, circa quæ errans videtur delitia pati propria intellectus; non est tamen dubium omnia deliria vt à prima radice à læsione sensuum pendere.

Neque ratio adducta in contrarium aliquid probat: nam etsi semper deliria à sensuum læsione oriantur vt à prima radice, & inde per consensum, vel per subordinationem perpetuò hanc, non rectè infertur, quòd B semper ac sensus deprauantur, deprauetur etiam intellectus. Ratio iam ex dictis est manifesta, quia ad deceptionem intellectus non sufficit obiecta proponi, sed simul requiritur oblatio concursus in ordine ad contraria phantasmata, vel quod æger non possit concipere se morbo laborare, & illius ratione sensus errare: & quia non semper tollitur concursus phantasmarum ad discernendum intellectum, quòd ratione morbi error ille oriatur: ideò non assentitur intellectus sensuum deceptioni, sed potiùs illam corrigit, & sic non delirat.

Ex dictis colligetis faciliùs aliquem deliraturum circa obiecta, quorum non habet contrarium habitum, medio quo emendet deceptionem à sensu propositam, C vt homo qui vertiginosus est, se corrigit per habitum contrarium, quo assequitur repugnare, quod caput proprium, vel domus moueatur in gyrum, & sic non delirat: hic deliraret in pueritia, quia non posset sensuum falsam repræsentationem corrigere: quia nondum obtinuit habitum, quo caput proprium, vel turrim moueri in gyrum repugnet. Et eodem modo in brutis philosophandum est, non enim se corrigunt, nec possunt, sed eo ipso quòd aliquis sensus erret, iudicabit ita esse, vt in puero vertiginoso diximus; aut si brutum humore bilioso linguam habeat imbutam, quodcumque alimentum ingratum, & amarum putabit intrinsecè; quia nescit distinguere, in quo contineatur amaror. Infertur tandem quod ad deceptionem D sensuum satis esse potest motus vaporis, aut spirituum; nunquam tamen talis motus erit sufficiens, vt intellectus erret. Ratio est efficax, quia ad læsionem intellectus non sufficit quòd obiecta varia proponantur; sed requiritur etiam quod iudicare non possit, ratione morbi proponi; & distinguere nesciat phantasmata rerum ab ipsis rebus: hæc autem nunquam fient, si non lædatur cerebrum per intemperiem subuertentem actum contrarium, medio quo se corrigit: illa verò subuersio nunquam resultat ex solo motu spirituum, & constat exemplo vertiginis, quæ si contingat ob solum motum spirituum, nunquam intellectum decipit: si autem eueniat, quia sine motu spirituum iudicat res externas in gyrum moueri, tunc decipitur intellectus. Et hoc doctè annotauit Eustachius, nec E nobis placet doctrina Magistri *lib. de locis, disp. 16. cap. 4.* contendit enim probare eodem modo intellectum lædi, si imaginatio lædatur per motum spirituum, ac si lædatur per vitiosam temperiem. Eius ratio est, quia si intellectus læditur læsione existente in actu phantasiæ, propter organi vitium videtur etiam lædi, quamuis vitium contingat propter motum spirituum, quia vt intellectio nostra, inquit, pendeat ab operatione sensitiuarum potentiarum, vt omnes fatentur, quomodocumque lædatur phantasia, lædetur & ratio. Sed hoc argumentum nil probat: aliud enim est, quòd intellectus percipiat obiectum certo modo à sensibus percipi, & hoc non est dubium; nam intellectus benè concipit obiecta in vertigine vt mota proponi ratione morbi; &

qu:a

quia id assequitur, non decipitur; aliud verò est, quòd lædatur intellectus, quantum ad hunc actum, vt læditur imaginatio. & hoc est quod negamus, & negabat Eustachius. Erat verò necessarium, vt erraret intellectus, quod iudicaret obiecta verè in gyrum moueri, vt vere iudicat, & percipit sensus: quod non facit; habet enim intellectus contrarium iudicium, & habitum, non posse scilicet totam dumum in gyrum moueri; percipit itaque intellectus quòd imaginatio concipiat res quietas moueri, non tamen percipit ille, quod moueantur reuerà, vt putat sensus internus, & ita intellectus non fallitur. Et ad hominem est argumentum: quia ipse Magister putauit in vertigine lædi imaginationem, & tamen eum hoc negat aliorum sensuum, & intellectus læsionem: non ergo in eius doctrina læsâ imaginatione læditur necessariò intellectus: aliquid ergo aliud requiritur; est verò quod dixi, distemperies scilicet organi auferens actum contrarium, quo tenetur se corrigere agnoscendo se laborare morbo, & ratione eius sic deprauari sensum.

CAPVT VIII.

Vtrùm læsa imaginatione lædatur necessariò aliquis sensus externus cum illa?

HAnc quæstionem doctissimè exponit Magister noster *lib. de locis, disp. 7. cap.*8. in quo pugnauit egregiè contra nostrum Vegam putantem nullum errorem imaginationi accidere posse, quin sensus externus simile obiectum percipiat. Est autem supponendum pro intelligentia quæstionis, prædictos Authores concessisse deliria in imaginatione, quæ à nobis negantur, solo intellectui illa concedentibus, & nos vocamus errores, non deliria: quia non dicitur ad conuertentiam error cum delirio, sed se habet error vt quid superius ad delirium: hoc enim solum est error facultatis elicientis iudicium, & propterea solius facultatis principis: error autem communis est cuicumque potentiæ, siue internæ, siue externæ, in quibus omnibus nullus concessit deliria. Habet quæstio duplicem sensum. Primus est, an vt erret imaginatio, necessarium sit quòd error antecedat in aliquo sensu externo. Secundus, an vt imaginatio erret, debeat communicari species eiusdem obiecti sensui externo? Et in vtroque sensu dicendum est, nullatenus esse necessarium quòd malum, vel læsio communicetur sensui externo, vt circa obiectum illius imaginatio deprauetur. Probatur primò efficaciter: Omnis imaginatio fit vi à causa adæquata, à potentia, specie, & temperamento. Sed hæc omnia habet imaginatio in se, quando iam reseruauit species obiectorum in eorum absentia. Ergo sine antecedente operatione sensus externi percipiet obiecta, quorum habet reseruatas species, & componet, aut diuidet sequendo intellectum fingentem erroneè, vel malè componentem: Nil in argumento continetur, quod egeat probatione. Secundò: imaginatio versatur circa ea, quæ sensus externi percipere nequeunt: repugnat ergo quod tunc antecedat imaginationem, vel subsequatur sensatio externæ potentiæ. Maior patet; quia omnes Philosophi docent visionem ipsam à visu non percipi, neque aliquam sensationem à proprio sensu externo, à quo elicitur, perceptibilem esse, quia est extra latitudinem sui obiecti: visus enim circa lumen, & colorem versatur, quia sunt visibilia, at visio non est visibilis, sed actualis obiectorum perceptio. Quando igitur errat imaginatio circa ipsam visionem, implicat lædi, aut illam percipere sensum exteriorem. Et confirmatur, quia cæcus aliquis, postquam obtinuit species visibiles reseruatas in imaginatione, circa visibilia potest errare: tunc autem erit impossibilis visio, cùm sit perfecta cæcitas.

Neque obstat quod dicerat *libello de insomniis*, phantasiam esse motum factum à sensu in actu: vbi docet imaginationem operari non posse, si sensus alius in actu non sit, idest, actualiter operans: non inquam obstat; quia adductum locum exposuit D. Thomas 1. *p. q.* 111. *art.* 3. *ad* 1. quantum ad primam cognitionem obiecti; quia repugnat imaginari obiectum aliquod, cuius non fuit cognitio prior secundùm totum, vel partem, per aliquem sensum externum: quia per actum illius recipit species primas imaginatio; postquam verò iam phantasia reseruauit imaginationem, non eget aliquo sensu externo actu operante, vt malè putauit Vega. Quòd autem neque ratione imaginationis per actum illius producatur aliquid in potentiis externis, vt inde necessariò sequatur læsio in illis, vt præfuit in imaginatione: constat primò: quia omnes Philosophi docent non esse necessariò coniunctam perceptionem obiecti: nam species sensuum externorum a nullo agente produci possunt, quod non sit obiectum proprium, vel commune sensus externi; at in actu imaginationis nil datur, quod visus sit, vel tactus obiectum, vel alterius sensus externi. Repugnat ergo per illum actum produci species in potentiis externis, & inde implicabit percipere aliquando: cùm nulla sensatio fieri possit absque specie impressa, neque Philosophus dixit quòd oporteat imaginationem videre realiter, vel audire, sicut dixit; *oportet intelligentem phantasmata speculari.*

Sed his non conuincitur Vega: restat enim quòd per actum imaginationis mouentur vapores, & spiritus ad organa sensuum externorum, & in illas deferri imagines rerum, quæ per imaginationem percipiuntur, & facultatem etiam sentiendi, & inde sentiri obiecta similia ab externis sensibus, à quibus rursus immutatur imaginatio, & sic delirans percipit vt præsentia obiecta omnia, circa quæ delirat, & vt actualiter visa, audita, aut gustata; & hoc quidem in insomniis contingere. Verba sunt: *Verùm in somno phantasia potest sensus externos mouere, cùm ad eas rerum sensibus ipsis perceptarum imagines mittit, quas rursus vt præsentes concipit tanquam externas, atque præsentes: idemque in phrenitide facit, atque in dormientibus per insomnia, & in aliis læsionibus*: & hoc firmissima ratione probare contendit; dicit enim: Nam in somno quæcumque concipiuntur tanquam præsentia, se offerunt imaginatiuæ facultati; & phrenetici, quorum imaginatio læsa est, singula vt præsentia fingunt, cùm tamen verè absentia sint. Cuius rei vnica tantum causa est, atque ipsa euidens; quoniam cùm ea imaginatur, obiecta à sensibus externis communicantur, & quæ ipsis offeruntur, vt præsentia sint, fit vt veluti præsentia sint, quæ somniamus, & ea circa quæ phrenetici læsa imaginatione delirant.

Sed totum quod solutio hæc & doctrina continet, est improbabile: nam quamuis concedamus species obiectorum conseruari in spiritibus in eorum absentia, hoc solùm conceditur de speciebus seruientibus potentiis interioribus; species tamen sensuum externorum, & sensus communis nullus dixit absentibus sensibilibus manere: vnde quando absunt, implicat dari species, mediis quibus percipiantur obiecta: quòd autem species, quibus operatur imaginatio, sint diuersæ naturæ ab eis, quibus externi sensus, fatentur omnes; vnde repugnat per species imaginationis sensum externum fœcundari, & ad actum reduci, quamuis per actum imaginationis dedocerentur species ad externa sensoria. Tum præterea illius motionis spirituum, vel vaporum ad sensus externos, quando imaginatio contemplatur obiecta, non adducitur à Vega probabilis ratio: quod enim principium dirigit, si

imaginamur

imaginamur gustabile obiectum, speciem illius ad organum gustus? & sic de reliquis. Non enim est assignabile principium motiuum, & contra quodliber est hæc ratio efficax, nempe quod in vigilia idem semper contingeret, quod esse contra experimentum non videt nemo.

Neque argumentum huius Authoris, quod vt euidens tradebat, aliquid probat: nam percipere obiecta vt præsentia non solùm conuenit sensibus externis, sed etiam imaginationi, & intellectui: estque discrimen inter imaginationem & sensus externos, quòd isti nequeunt percipere obiecta, nisi quando actualiter sunt, & per consequens semper vt præsentia concipiuntur; at imaginatio cùm reseruet easdem species in absentia obiectorum, percipit illa, vt si essent præsentia, quando non sunt: quia imaginatio non tantùm concipit visibile obiectum, sed etiam eius visionem; vnde repugnat illud percipere nisi cum sua visione per speciem modalem visionem ipsam cum obiecto repræsentantem: & inde nascitur fallacia in insomniis, & in delirantibus: nam cùm imaginatio non possit concipere obiectum nisi vt actualiter visum, vel alio sensu externo actu perceptum, quando mens non obstat, vel ratione somni, vel propter morbum iudicat verè videre, quod phantastice vt visum proponitur: quæ doctrina passim à Philosopho adducitur per librum de insomniis. Et contra Vegam stat sequens argumentum; quia si ad imaginationem obiecti visibilis sequeretur necessariò visio realis eiusdem obiecti, fieret quòd quo vehementior esset eius imago, videretur etiam perfectiùs; hoc verò est contra communem Philosophorum doctrinam dicentium per attentam contemplationem alicuius obiecti impediri sensationem illius per sensum externum, vt qui in lucta se ab inimico defendit, ne vulneretur, vulneratur sæpè sine sensatione aliqua: quia ob vehementem imaginationem distracta anima concipere nequit obiecta exteriora. Ergo simili modo imaginatio vehemens, qualis in delirantibus datur, obstat potiùs sensationi eiusdem obiecti per sensus externos.

Dico vltimò, quòd etsi verè dictum sit, non esse necessarium ad errorem imaginationis, quòd lædatur actio sensus externi; cum hoc tamen certum est, sæpè initium habere ex antecedenti læsione sensuum externorum; qua ratione imminente phrenitide, vel alia, in ipsa colligere festucas, vel muscas venari conari, originatur ex visione vaporum ante oculos obuersantium ex feruentibus humoribus intra cerebrum transmissorum ad extra. Sic qui à bile adusta aduritur, facilè delirat dicendo, igni vrenti, vel soli feruenti esse expositum, & sic alia multa deliria eueniunt, vt ex sibilo aurium facilè dicet esse tibicines pulsantes, aut amara bile imbuto organo gustus infert aliud amarum gustare: & eodem exemplo docuit Philosophus *lib. de insomniis*, ex modica similitudine linearum in parietibus existentium animalia concipere, quando mens deprauatur, de quibus læsionibus à sensibus externis incipientibus sæpè fit mentio à Galeno, præsertim *1. prorrhiticorum, comm.* 17. & *1. prognostic. comment.* 23. Quod autem perpetuum sit à læsione sensuum exteriorum incipere, vel semper cum læsione imaginationis copulatam esse læsionem alicuius sensus externi, vt Vega putauit, sustineri non potest: nec esset ratio, cur æstimatiua, vel memoria, quando læduntur, non lædatur simul cum illis aliquis sensus externus, vt in imaginatione concedit Vega. Obiterque vt falsa reiicienda est opinio Traliani *lib. 1. Art. Medic. text.* 26. sustinentis omnium obiectorum etiam absentium seruari species sensibus externis accommodatas ad motiones eorum, & inde in insomniis realem visionem, vel auditionem fieri; id verò in vigilia non contingere: quia distracta anima ab efficacia externorum sensibilium non senrit internorum motiones, quod placitum improbabile est, cùm doceat experimentum species externorum sensibilium immutantes sensus externos non conseruari in oculis, vel aliis sensibus in absentia obiectorum, etiamsi species illæ sint organo naturalissimæ. Nec me latet esse probabile tempore breuissimo seruari posse, per longum tamen tempus nullus docuit: nam si in organo, cui sunt naturalissimæ, diu seruari nequeunt, minus durabunt in aliis subiectis, vel in spiritibus, præterquam quod in loco tenebroso cum summo silentio fierent sensationes reales externæ in opinione Traliani: nam in eo casu, cùm non distrahatur anima ab aliquo externo sensibili, sentiet obiecta externa, quorum sunt species reseruatæ, quod est contra experimentum.

CAPVT IX.

Vtrùm læsa prima potentia, à qua reliquæ recipiunt species, lædantur omnes necessariò.

Est tanquam certa recipienda doctrina affirmantium, species impressas obiectorum externorum produci ab ipsis obiectis in organis sensuum, & ab specie expressa sensus externi produci impressam in sensu communi, & à sensus communis expressa produci impressam in imaginatione, & ab expressa imaginationis produci impressam in æstimatiua, & ab expressa huius produci impressam in memoria; in intellectu verò producitur impressa intelligibilis ab intellectu agente, medio phantasmate tanquam instrumento: quod cùm sit materiale, non potest nisi instrumentis rem spiritualem producere, quamuis sit satis probabile, ne dicamus verius, esse causam principalem phantasmatis illius realitatis, quæ phantasmati correspondet; esse scilicet illam speciem intelligibilem repræsentatiuam determinati obiecti, ad quam rationem non potest intellectus concurrere, quoniam est ex se indifferens omnino: determinatur verò à phantasmate: & vt determinatur ab eo tanquam à causa principali, & vt talis etiam concurrit phantasma ad illam realem repræsentationem obiecti determinati: nam respectu instrumenti nulla ratio est assignanda de effectu, quæ instrumento correspondeat: vt in substantiæ productione nihil correspondet accidentibus ipsis, sicut etiam & intellectus vt agens principale producit spiritualitatem.

Est autem supponendum, quòd sensus externi possunt errare, & quòd sunt plures internæ potentiæ, vt quæstio intelligatur perfectiùs: sed quia sensus externi error minus est nostri instituti, supponamus errorem esse in imaginatione, & hanc errantem percipere domum supra infirmum cadentem: an necessariò ex hoc errore sequetur error in æstimatiua, & appetitu, & tandem in memoria & intellectu?

Hanc dubitationem mouet Magister *lib. de locis, disput. 7. cap. 3. in fine*: & respondet, non lædi necessariò potentias subsequentes, quamuis imaginatio erret, vel deprauetur. Probat esse doctrinam Galeni dicentis pluries lædi solam imaginationem, vt in Theophilo: aliquando verò solam rationem, vt in Lanifico vasa per fenestram reiiciente. Quòd si obiicias: Æstimatiua recipit species impressas ab imaginatione: ergo si hæc deprauetur, necessariò producitur species impressa in æstimatiua eumdem errorem repræsentans, & per consequens repugnabit non sequi actum iudicii sensationi præcedenti conuenientis. Respondet Magister dupliciter. Primò, quod non sequitur necessariò actus in æstimatiua, iuxta opinantes quod non possint

possine recipi duæ species solo numero differentes in eadem potentia : vnde cum possit dari species producta in æstimatiua respectu obiecti, circa quod modò imaginatiu delirat, non sequitur actus de nouo in æstimatiua, & inde neque error : quia non producitur species de nouo, à qua eliciatur necessariò actus æstimatiuæ, verùm quia ipse putat recipi species plures solo numero differentes in eadem potentia, aliter respondet, & dicit quòd quamuis ex actu imaginationis erroneæ producatur species impressa in æstimatiua, non errabit : quia cùm istæ potentiæ sint diuersæ, vtuntur speciebus sub diuersis rationibus repræsentantibus obiecta : fieri ergo potest, vt sit benè dispositum organum æstimatiuæ ad operandum sub illa ratione sibi debita, etiamsi prior potentia, vel actus imaginationis fuerit erroneus, & exemplo Theophili facilè explicatur, qui etsi læderetur per actum imaginationis percipientis sonantes tibicines, non habuit rationem læsam ; sed optimè discurrebat imperando expulsionem eorum, quia erant illi molesti ob incessantem sonum.

Sed in hac quæstione dico primò, quòd si solùm attendamus vires sensitiuas, necessariò sequitur læsio in æstimatiua, quando imaginatio deprauatur circa obiectum, respectu cuius æstimatiua tenetur elicere actum inconuenientiæ, vel disconuenientiæ. Notanter dixi, circa obiectum conueniens, vel disconueniens : quia certum est non omnia obiecta percepta ab imaginatione mouere æstimatiuam necessariò ad operandum : quia non datur in quolibet obiecto, circa quod imaginatio errer, ratio conuenientis, vel disconuenientis, vt si erraret circa existentiam Petri, vel alterius rei, quæ nec fugienda, nec amanda foret : in C hoc enim casu non est dubium non fore lædendam æstimatiuam, quia nullum actum eliceret circa obiectum propositum.

Si verò obiectum deprauatè ab imaginatione conceptum necessariò includit ratione conuenientis, vel disconuenientis, necessariò etiam læditur æstimatiua per primum actum. Probatur efficaciter : Actiones sensitiuæ non sunt liberæ ex propria natura ; sed necessariò sequuntur posita specie determinante potentiam capacem sentiendi ; sed ex actu erroneo imaginationis sequitur necessariò productio speciei impressæ in æstimatiua : ergo operabitur necessariò, quia non poterit non determinari ad opus circa illud obiectum. Omnia huius rationis sunt perspicua, & confirmatur exemplo D cuiusque alterius sensus, in quo si dispositus sit, repugnat non percipere obiecta, vel circa illa operari semel informatum specie : quia est necessaria determinatio, & adæquata ad operandum : vt oculus nequit non videre semel fœcundatus specie, nec auditus non audire, vel non sentire tactus.

Nec ratio Magistri est ad rem : dicebat enim non sequi errorem in æstimatiua : quia fieri potest, vt organum eius sit benè dispositum ad operandum sub peculiari ratione æstimatiuæ, quamuis ad imaginandum malè se habeat. Sed contra est, quia potiùs sequitur contrarium : quia si organum æstimatiuæ est optimum, repugnat non elicere iudicium conforme sensationi imaginationis, vt in Theophilo, quia benè se habebat organum, iubebat pelli tibicines, quia continuo sono erant E molesti : idémque probatur in dormientibus, quibus si proponatur taurus eos inuadens, necessariò fugiunt : quia intellectus non assequitur esse propositum à sola imaginatione : & si in somno proponatur delectabile obiectum, eodem modo prosequitur illud appetitus actione præcedente æstimatiuæ, vnde in brutis repugnat esse propositum obiectum terribile, vel amabile, quin sequatur statim actio æstimatiuæ, & appetitus.

Dico secundò ; si attendamus vires intellectiuas, non sequitur læsio necessaria in æstimatiua, quamuis per imaginationem proponatur obiectum delectabile, vel

A terribile : constat ex doctrina Philosophi *loco iam adducto ex libro de insomniis*, & ostendit præcipuè vertigo, in qua etsi domus videatur in gyrum moueri, non timet æger : quia intellectus assequitur obiectum illud esse solum imaginatum, & sic nec timet domus ruinam, nec fugit ab illa : quia ab intellectu suspenditur actio æstimatiuæ iudicando domum apparere subuerti ; sed non subuerti reuera : vnde quando intellectus non corrigit prædictam apparitionem, statim deprauatur æstimatiua, & cum ea intellectus.

Neque recta inferes in homine etiam necessitandam esse æstimatiuam læsa semel imaginatione : quia quantum ad vires sensitiuas eadem ratio videtur in homine, & in brutis, sicut non potest non videre, vel audire, semel proposito, vt decet, obiecto aliquo ex dictis. Respondeo negando sequelam. Ratio est, quia fuga obie- B cti, vel prosecutio pendet ex apprehensione obiecti sub formali ratione delectabilis, vel terribilis : & quia obiectum terribile fictum nequit timeri, ideò neque æstimatiua læditur : non enim potest appetitus sensitiuus, vel æstimatiua imperare aliquem motum renuente voluntate & intellectu : sunt enim rationes superiores : éstque voluntas in homine mouens superius, vt intellectus superior ratio. Contra quæ renuentia repugnat appetitum & æstimatiuam aliquem motum prosecutionis, vel fugæ elicere. Ad authoritatem Galeni respondeo facile, quòd cùm imaginatio errans non semper versetur circa obiectum amandum, vel fugiendum, potest errare, quando æstimatiua nullum actum elicit circa illud obiectum, eo quòd non habeat bonitatem amandam, vel malitiam fugiendam respectu illius indiuidui. Iam verò diximus quòd quando Theophilus im- C perauit fugam tibicinum, errauit æstimatiua, & appetitus etiam, quia læsio est in eis imperare fugam obiecti, quod fictè solùm molestat.

Sed obiicies : saltem videtur quòd memoria semper lædatur, etiamsi organum illius benè se habeat. Probatur, quia non potest non recipere species ab actu imaginationis erroneo, neque intellectus potest impedire, ne remaneat memoria illius obiecti erronei. Respondetur in casu proposito nullatenus memoriam errare, quinimò operatur vt debet, quia obiectum naturale illius est præteritum, vt cognitum quomodolibet, vel à quauis occasione cognoscatur, essétque potius læsio in memoria non recordari illius, solumque pu- D tant Authores memoriam errare, quando attribuit Petro, quod videt in Paulo, vel errat in tempore, vel in loco : versatur enim memoria circa præteritum vt cognitum cum determinatione personæ, loci, & temporis : recordari verò obiecti quod vidit, semper alium sensum respicit, & etiamsi sit illa conceptio erronea, naturalis est operatio memoriæ, & nullo modo delirium, vel error.

CAPVT X.

Vtrùm mutatio temperamenti in solis primis qualitatibus ad delirium sufficiat ?

E

TEmperiem primarum qualitatum esse necessariam simpliciter ad operandum, probatione non eget ; imò omnes actionum variationes ex varietate temperamenti primarum qualitatum originari publicè fatentur omnes, & est ratio manifesta ; quia potentiæ sensitiuæ non suscipiunt magis, nec minus, & ideò sunt in se inuariabiles, & multò magis anima ipsa : sicque in phreneticis experimur, immutatis omnino speciebus, potentiis, & anima, tam miram varietatem symptomatum, & deliriorum à viciosa nasci temperie : supponimúsque in præsenti quæstione nullam mutationem

in

in speciebus, vel potentiis esse, sed solùm in temperamento; inquiritque, an sola variatio primarum qualitatum ad delirium sufficiat? An verò sit necessaria productio alicuius secundæ qualitatis, quæ sit origo immediata delitij?

In qua quæstione Magister *lib. de locis, disp.7.c.6.* existimat, nullatenus sufficere mutationem in primis qualitatibus; sed esse requisitum quod producatur aliqua secunda, vt delirium causetur, probat efficaciter suo videri sequenti argumento: A qualiber distemperie, vt febre eiusdem intensionis coeritur temperamentum primarum qualitatum eodem modo, cùm secundus gradus frigiditatis corrumpatur, & idem intendatur caloris; sed experimento constat istos cum magna febre in delirium non cadere; illos verò cum remissa febre statim mente deprauari, & delirare nimium. Ergo sola caloris mutatio non causat delirium, alioqui deliraret, qui maiori febre corripiebatur. Est ergo requisita mutatio in aliqua qualitate secunda: Galenus enim nomine temperamenti requisiti ad actiones, non solùm intellexit temperiem primarum qualitatum, sed secundarum etiam; sic enim in arte medicinali bonum ingenium in cerebri tenuitatem reduxit.

Hæc doctrina nunquam mihi placuit. Primò, quia multiplicat entia absque necessitate, & fugit difficultatem confugiendo ad id, quod nullo modo potest probari. Secundò, quia simili actione erronea, quam ratione morbi delirans elicit, potest homo sanus voluntate fingere: vnde si talis modus actionis exposceret certam mutationem in qualitatibus secundis, nullo modo posset homo sanus talem errorem fingere. Patet, quia nulla actio potest dari sine temperie ad illam requisita. Ergo si determinata apprehensio requirit talem mutationem in qualitatibus secundis, dari non poterit absque tali mutatione: hanc verò non dari in homine sano manifestum est. Ergo non requiritur, vt sit talis depravatio in actione. Tertiò, si esset necessaria talis mutatio, cùm sint innumera deliriorum genera, essent ponendæ tot mutationes in qualitatibus secundis, quot sunt deliriorum species, quod est omnino chimæricum. Quartò vrgetur: Non est in homine producenda à calore diuersa secunda qualitas ab eis, quas producit in rebus externis; in istis autem solum producit tenuitatem, & raritatem; nulla verò ex dictis ad delirandum conducit. Patet, quia Galenus *in arte Medic. iam cit.* inter optimas temperies ad bonum ingenium tenuitatem enumerat, quæ sine raritate etiam non fit: ergo ratione secundarum qualitatum à calore producibilium, non videtur probabile quod sequatur delirium, si ad bonum ingenium conducunt. Quintò: Temperies primarum qualitatum non minus requiritur ad actiones, & benè operandum, quàm qualitates secundæ: ergo sicut variatio in secundis depravat actiones, ita & variatio in primis. Neque potest adduci à Magistro probabilis ratio, cur in secundis solùm detur depravationis occasio, & non in mutatione primarum. Et patet à simili: ad ablationem, vel diminutionem actionum sufficit sola variatio in primis qualitatibus: ergo ad depravationem sufficit. Patet, quia non est ratio maior vnius læsionis, quàm alterius. Tandem est argumentum ad hominem, quia Magister putauit fieri aliquando delirium propter solum motum inordinatum spirituum, seclusa quauis alia intemperie. Et exemplo insomniorum probatur, eo quòd absque mutatione in aliqua secunda qualitate fiunt sæpè. Si ergo solus motus spirituum, vt adæquata & sola causa est occasio delirij sine vitiosa temperie, frustra constituitur mutatio in secundis. Et constat, quia calorem, & siccitatem tradunt Authores vt solas causas delirandi: constat verò in mutatione secundarum qualitatum contrariari: nam calor attenuat, & rarefacit, sicque effervescentiam in humoribus causat, siccitas econtrà densat, & incrassat: vnde videtur, quòd non conducat ad delirium per mutationem secundarum qualitatum; nam causæ contrariæ nequeunt ad eundem modum operandi disponere.

Dicendum ergo nobis est, quod sola variatio in qualitatibus primis sufficit ad delirium: quia temperies illa est simpliciter necessaria ad benè operandum, & magis necessaria agnoscitur, quàm secundarum temperies, & inde omne genus symptomatum in læsa actione ex variatione primarum potest, & debet oriri; & cùm variatio in secundis fieri repugnet, nisi propter variationem primarum, sitque eiusdeos in primis mutatio, ignora verò in secundis, sine ratione philosophica reducitur læsio in variationem solam secundarum qualitatum. Sic Galenus ad solum calorem deliria reducit, vt constat ex *lib. 2. de causis symptomatum, cap. vlt. & 4. lib. de præsag. ex pulsibus, cap.7.* ita docet exprèsè dicendo: Cerebrum ipsum, vbi incurrerit in morbosam intemperiem symptoma, quod necessariò intempe. iei familiare est, induitur in caloribus immodicis, si quando ij soli extiterint, delirium, &c. Vides quod dicit, quando soli extiterint, delirium causari: ergo sine consortio alicuius qualitatis secundæ cum est ratio insinuata: quia, vt temperies primarum est requisita ad actiones simpliciter, ita permutatio eius potest conducere ad male operandum quomodolibet, ablatè nimirum, diminutè, & depravatè.

Ad rationem, qua Magister conuincitur, respondetur facile: nam cùm ex doctrina Galeni 1. *lib. de sanitate tuenda,* latitudo sanitatis non consistat in indiuisibili, sed magnam latitudinem habeat: hinc est quòd non læduntur omnes æqualiter ab eodem gradu caloris, & ita vnus poterit delirare cum remisso calore, & alius non delirabit cum magno & intenso: quia in illo à minori calore inducitur maior læsio, quàm in illo ab intenso calore, eo quòd sanitas illius, vel eius latitudo minor multò est, quàm latitudo alterius, & ideo remissior calor est homini debili plus contra naturam, quàm magnus homini robusto cuius sanitatis latitudo latius patet, quàm in alio, & sic ab intensiori calore non offenditur sensibiliter; alter verò maximè, quia ei est magis contra naturam vnus gradus caloris, quàm alteri duo, vel tres. Et ratio, qua conuincitur Magister, præterquam quod iam est soluta, habet contra se hoc: cur, inquam magnus ille calor non produxit illam qualitatem secundam, & eam produxit calor remissus? si dicat passum resistere magis introductioni qualitatis secundæ in homine calidiori; idem ego dicam, quòd latitudo sanitatis in illo est maior, & inde requirere maximam intensionem, vt mens depraueiur.

CAPVT XI.

Vtrùm omnes primæ qualitates ad delirium conducant?

Est hæc quæstio difficillima: vt verò intelligatur eius decisio, notandum est quod diximus anteà, delirium scilicet duo requirere, vt fiat: primum est, quòd efficaciter moueant species aliquæ potentias rectrices ad opus. Secundum est, quod tollatur concursus phantasiæ, vt eum intellectu operetur ad actum, vel discursum contrarium, quod est suo modo diminuere vim sensuum internorum in ordine ad opera certa, vel omnino auferre. Non est ergo dubium, diminutionem

minutionem actionũ,aut ablationem à frigore,& humiditate fieri posse,& sic hanc conditionem participare propriùs, quàm habent calor,& siccitas, licet circa hoc sit notabilis differentia,quòd frigus , vel humiditas non tollunt concursus phantasiæ , vel sensus interni in ordine ad opus determinatum,sed vim sensus interni diminuunt , vel auferunt vniuersaliter, licet prius monstretur læsio sensus interni in vno actu, quàm in alio, aut in vna potentia, vt frigus,& humiditas prius inferunt læsionè in actu memorandi,quàm in imaginatione , vel cogitatiua virtute , vt post videbimus ; calor verò,& siccitas eo ipso quòd efficaciter solent excitare species determinatas, & non omnes ; sic non diminuunt virtutè sensus interni vniuersaliter, sed determinatè diminuunt ad actum contrarium ei, ad quem efficaciùs determinant, & inclinant, vt distemperies,quæ ad furorem inclinat vehementer, eo ipso diminuit eum ad timendum,& non necessariò ad alias passiones : frigus verò, & humiditas econtra faciunt diminuerò, scilicet indifferenter ad omnia phantasmata : cuius ratio tradetur a nobis inferiùs.

Videtur autem ex dictis, quamlibet qualitatem ex primis ad delirium conducere ; patet, quia non videtur esse repugnantia aliqua , vt frigus , & humiditas certas species determinent magis , quam alias , & sic potentiam vel vim efficaciter inclinari ad operandum per illas,& ex alia parte diminuent sine dubio vim ad contrarìa phantasmata:ergo ad delirandum conducet. Secundò id probatur efficaciter à simili,exemplo naturalium actionum : fiunt enim deprauatè per frigus in censum:constat in coctione ventriculi, per quam alimentum mutatur in acidam qualitatem,estque deprauata actio,quia terminatur in alienam qualitatem,Ergo similiter contingere potuit in actionibus sensuum. Idem probatur exemplo hydropis,in qua deprauatur iecur à frigore immodico generando aquam,vel crudum humorem,vel flatus loco sanguinis:estque argumentum efficacissimum,quod ex fame canina desumitur in ea enim infrigidato contra naturam ore ventriculi fit vehemens sensatio,& intensior,quàm secundum naturam , ob cuius molestiam tantam alimenti copiam appetunt , & ingerunt, & nunquam satiatur appetitus,quia semper adest intensa perceptio obiecti excitantis ad famem : ergo intendi potest obiecti sensibilis sensatio ab intemperie frigida.

Sententia tamen opposita communior est in nostra schola, vt consona magis doctrinæ Galeni, & aliorum docentium vnanimi consensu,solum calorem, & siccitatem inclinare ad delirium ; frigus autem , & humiditatem inter causas delirij nullatenus numerãt: quinimò semper disponere sẽsus internos ad nõ operandum,& quietem,neque in vniuersa doctrina Galeni legitur vbi frigus,& humiditatem tradat vt causas delirij. Sic *lib. 1. de locis,c.vlt.*dixit causam potestate calidam,vigilias,& delirium efficere ; *& 4. lib. de præsag. ex pulsibus,c.*8.etiam *lib. epidem.part.2.comment.5.* Siccitatem verò ad delirium conducere , ex melancholicis probatur,in quibus nulla distẽperies agnoscitur morbosa,nisi sicca,& tamen satis vehementer delirant,& ex curatione probatur,quæ & alimentis,& medicamẽtis humidis celebratur , & id clarè indicat vigilia superflua,quæ ab exsuperãte siccitate nascitur,& nullo modo à frigore.Idque doctrinà tuetur Princeps noster *fen.*1.*c.*5.dicendo: *Et fermo quidem vniuersalis in operationum significationibus est; quòd ipsarum diminutio , & destructio fiant propter frigus , & grossitiem spiritus ex humiditate , & non fiunt ex caliditate nisi magnificetur, & perueniat ad hoc , vt deiiciat virtutem ; permutatio autem, & qua motui comparantur,fiunt ex caliditate, & fiunt ex siccitate.* Et eodem *lib. & fen.* 4.*c.* 7.agendo de sensuum læsione dicit: *Et quodcumque horum est declinans ad diminutionem , tunc agritudo est ex frigore : &*

A *quodcumque est decline ad permutationem , & agitationem,est ex caliditate.* Quibus locis satis perspicuè tradidit doctrinam positam.

Est autem difficillimum assignare rationem,propter quam humiditas,& frigus ad delirandum non conducant.Et existimo,à priori non posse tradi:est probabilissima,quæ ex somni conciliatione desumitur : nam vt certum tenendum est,somnum,& vigiliam contrariari,& per consequens ex contrariis causis,& principiis oriri : vnde cùm delirare vigilare sit, & dormire cessare ab omni opere sẽsitiuo,videtur quòd id quod inclinat ex propria natura ad conciliandum somnum, nequeat conducere ad delirium , quia delirium in sua intrinseca ratione includit vigiliam : ergo vt calor,&

B siccitas ad vigiliam inclinant , ita necessariò conducunt ad delirandum , quia vigilia superflua via est ad delirium , & ex vigilia delirium venturum præsagit Hippocrates *1.prognost.* Meritò ergo calor,& siccitas excitant potentiam ad opus , quia sic vigilare contra naturam cogunt:quia vigilare sentire est,& percipere obiecta.Contraria igitur ratione frigus,& humiditas eo ipso quòd somnum conciliant,vt fatentur omnes,torpidas reddunt internas potentias,& nullo modo excitant species ad opus,sed adæquatè opponuntur causis, & principiis omnibus ad sentiendum conducentibus; ita vt non solum tollant ab spiritu,& cerebro dispositionẽ conuenientem,vt in partes sentientes influant, vt posteà videbimus,sed etiam per propriam informationem malè disponant organum ad benè sentiendum , & fœcundationem specierum destruunt, & sic

C semper minuunt ex propria natura sentiendi principia,nunquamque conducunt per consequens ad magis sentiendum,aut efficaciùs,sed semper ad minus:& hoc communi quadam ratione omnibus potentiis,& actibus earumnam si certos solum tollerent, eo ipso ad delirandum conducerent,quia non posset homo se corrigere deficiẽtibus certis actibus phãtasiæ, vt antè diximus.Quod autẽ calor,& siccitas superfluam vigiliã causent,publicè fatẽtur omnes,& proprio tractatu trademus huius rationẽ : vnde crassè errauit Massarias *c.*11.*suæ practicæ*, affirmando siccitatem inter qualitates diminuentes sensus esse connumerandam : hoc

D enim verum esse non potest, si ad vigiliam superfluã, & delirium disponit,quod ab eo negari non potest.

Ex dictis soluitur facilè primum argumentum:constat enim ratio,ob quam frigus, & humiditas ad operandum non excitent, si verè ex natiua conditione in somnum inclinant,& quamuis sensatio quælibet,quatenus est actio corporea,petat temperiem mixtam, vt fiat , & vt sic pendeat à primis quatuor qualitatibus absolutè;tamen vt actio aucta,& vt excitatur potentia efficaciter ad operandum , pendet solùm ab augmento caloris,& siccitatis,& coctio,etsi sit actio mixti, & vt sic præsupponat quatuor primarum qualitatum temperiem , tamen vt coctio in opinione Philosophi solùm à calore efficitur. Ad secundum respon-

E deo esse diuersam rationem : nos enim non negamus fieri posse ab intenso frigore aliquam deprauatam actionem,& sic acida cruditas ab eo causatur ; at verò sensus interni à frigore vel humiditate præternaturali nequeunt excitari efficaciùs ad operandum : quoniam semper inducunt dispositionem repugnantem sensationibus. Neque obstat quòd contrarium insinuat D. Thomas 2.2.q.95.art.6.q.154.art.5. dicendo,à frigidis humoribus excitari potentias ad insomnia determinata,vt quod sit dormiens immersus aqua,vel quòd pluoia cadat. Et confirmatur ex communi doctrina Medicorum dicentium,somnia esse contemplãda,quia ex illis dininare potest Medicus temperiem excedentem:ergo quælibet qualitas & temperies habet suas species proportionatas , quas excitare potest ad opus.Respondeo quòd frigidi humores superabundantes

dantes, nullo modo, vt probauimus, excitant potentias & species ad opus. Sed nihilominus alio modo possunt conferre ad certa insomnia, præsupposita scilicet sensatione frigoris, & humiditatis: nam qui, dum dormit, frigiditatem sentit, vt patet, nil mirum quòd per memoriam coniunctorum, vt docuit Fracastoreus, statim se offerat iudicium de pluuia, vel quòd sit in flumine: sicut qui sentit inter dormiendum flatus nimiam motiunem, iudicat statim à vento concuti.

Difficilius videtur, quod de fame canina tradebatur. Ad quod respondeo, quòd conditio, vt qualitas illa dolorifica oriatur ab interno principio, potest à frigore poni, quando non tollit virtutem ad sentiendum, neque partem mortificat: expressio enim succi alimentosi à minori frigore fit, quàm requiratur ad ablatiunem, vel diminutionem: cuius ratio est, quia expressio, & inanitio fit per solam vnionem cauitatum, intra quas alimentum continetur; conditio autem ad non sentiendum requirit densitatem in propria substantia, vt incapax reddatur ad recipiendum influxum; hæc autem densitas intensius frigus requirit, & sic antequam constituatur, excitatur fames intensa, quia fit inanitio, & expressio alimenti, ad cuius defectum oritur statim qualitas illa dolorifica. Quæ doctrina etiam est vera respectu cuiusque alterius modi opinandi circa naturam, vel modum, quo fames, & sitis excitantur, in quo philosophandum est eodem modo: nunquam itaque frigus contra naturam disponit organum tactus, vt meliùs, & efficaciùs percipiat obiecta. Neque obstat quòd frigus sit vlceribus mordax, vt docuit Hippocrates *lib. 5. aphor.* id enim non causat, quia organum meliùs disponat, sed quia soluit continuitatem, & inde dolor inducitur: soluit autem continuum antequam dispositionem ad sentiendum ineptam introducat, & partem incipiat mortificare; ad hoc requiritur frigus nimis intensum: frigus itaque est occasio, vt ponantur obiecta tangibilia, non tamen est dispositio, vt sentiantur meliùs.

Sed inquiret aliquis, an quando calor depravationem primò attulit, & postea crescens diminuit virtutem sentientem, vt dixit Auicenna, & etiam intellexit per hoc quod est calorem magnificari, tunc cesset delirium, quod priùs attulit, ita vt fiat sola diminutio in actibus sensuum internorum? Respondeo nullo modo cessare delirium; imò crescit quantum ad errorem, quamvis non crescat in intensione actionis. Ratio est clara: quia si calor excitat vim specierum, & potentiarum ad operandum, quò plus crescit, determinabit species efficacius, & ex alia parte, quò plus crescit, diminuitur magis phantasiæ opus ad actum contrarium: ergo non est vnde cesset delirium interim, ac vis sentiendi non ita destruitur, vt percipere non possit obiectum propositum: sentiet itaque remissius obiectum, sed deprauatè: quia actio erronea, vel falsus assensus non requirit actum intensum, cùm non sit actio aucta, sed solùm erroneum iudicium. Et hoc experimento confirmatur in delirantibus morti iam proximis, in quibus etiamsi virtus extinguatur; & potentiæ nimium labascant, delirant nihilominus, & magis hærent assensu falso: quia ob debilitatem minùs possunt emendare falsò proposita per actum contrarium.

Neque oppositum docuit Auicenna, quando *loco citato* in nostra conclusione dixit, quòd diminutio operationum non fit ex caliditate, nisi magnificetur, & perueniat ad hoc, quod deiiciat virtutem: nam diminus rectè intelligi potest simul cum errore, quia non sit tam intensa perceptio obiecti, quàm anteà: & potest etiam intelligi de diminutione aliorum actuum, circa quos non delirabat. Vnde Gentilis *in commentario* putauit, calorem per accidens diminuere actiones, in quantum scilicet resoluendo substantiam calidam resultat frigus contra naturam.

CAPVT XII.

Vtrùm distemperies lædens vnam potentiam lædat omnes necessariò?

Anteà docuimus, quòd quamvis imaginatio lædatur, non læduntur necessariò aliæ potentiæ: vnde videtur superflua quæstio proposita; est tamen vtilissima: ratio est, quia imaginatio potest lædi sine distemperie aliqua, quæ vt organi dispositio ipsum deprauet, vt constat in vertigine, in qua læditur imaginatio, non quia distemperies sufficiat ad talem læsionem; sed quia commouentur spiritus, & sic percipiuntur res circulariter moueri: quinimò aliquando vertigo causatur cum distemperie repugnante totaliter delirio: causatur enim frequentissimè à frigida intemperie, vt docuit Paulus *lib. 13. cap. 2.* in quo conueniunt omnes. Quæstio ergo inquirit, num calor contra naturam, qui vt dispositio organi deprauat actum imaginationis, necessariò simul deprauet æstimatiuam & memoriam?

Supponimus autem tanquam certum, potentias rectrices, vel internas in eodem loco subiectari: si enim in diuersis locis collocarentur, non caderet sub dubio, vnam absque alia lædi posse, ob loci distantiam, cum posset distemperari pars cerebri anterior sine posterioris læsione, & per consequens deprauaretur imaginatio residens in parte anteriori absque vllo nocumento in memoria, quæ in parte postica collocatur. Et eadem quæstio habet locum in opinione affirmantium solùm dari vnicum sensum internum actus imaginandi, memorandi, & æstimatiuæ, vt inadæquatos seorsim elicientem: inquirimus enim, vtrùm si lædatur actus inadæquatus imaginationis, lædatur necessariò æstimatiuæ, & memoriæ.

Conclusio ergo sit, quòd quamvis solum detur vnicus actus internus, vt iam communissimè in scholis defenditur, non lædantur omnes actus ab eodem gradu caloris, vel contrariæ qualitatis, & ita lædi potest imaginatio à calore, quin lædatur æstimatiua, vel memoria (si hæc deprauari potest) & idem dico de actuũ diminutione, scilicet quòd non omnes diminuantur simul in hac conclusione vnanimem video consensum: & constat ex Galeno *lib. 3. de locis, cap. 5.* sic scribente de memoriæ læsione: *Hac autem crebro nobis occurrit vitiatâ simul quodammodò ratione; sicut si ratio lædatur, memoriam quoque lædi contingit, vtrinsque noxâ ab eadem passione procedente, quæ vbi vehementius intenditur, simul cum memoria ratio quoque deperditur, quæ passio vocatur stultitia.* Idem docuit *de differentiis sympt. cap. 3.* & *lib. 4. de locis, cap. 2.* tradit delirium solius imaginationis, quin ratio vel memoria deprauetur; quam doctrinam sequitur Auicenna *fen. 1. 3. tit. 1. c. 6. & tit. 4. cap. 7.* & Paulus *lib. 3. cap. 11.* dicendo: *Memoria iactura partim per se, partim cum aliqua rationis offensa accidit: quemadmodum mentis, vel ratiocinandi facultatis noxa priuatim prius accidit, deinde memoriæ iactura sequitur.*

Sed dices, videri impossibile, quòd si sensus internus est tantum vnicus, lædatur in vnico actu inadæquato, & non in reliquis. Probatur exemplo læsionis sensuum externorum, in quibus experimur, quod si visus diminuitur circa visionem vnius obiecti, diminuitur necessariò circa omnia alia; & si deprauetur, idem contingat: nam si quis diminutè videt obiectum, diminutè etiam videt nigrum, & quemlibet alium colorem; & si deprauetur circa vnicum obiectum, etiam circa omnia deprauatur: quia vel omnes colores putat esse pallidos; vel omnia obiecta videt duplicata, vel

distorta: ergo similiter si imaginari, vel memorari, vel æstimationem de rebus elicere sunt actus inadæquati vnius solùm sensus interni, repugnabit lædi in vno absque aliorum læsione. Respondeo esse diuersam rationem: quia externi sensus feruntur eodem modo in obiecta sua: nec enim aliter fertur visus in album, quàm in nigrum, vel alium quemlibet colorem: & ideo temperies, quæ vitiat vnum actum partialem, vitiat reliquos eiusdem potentiæ: at sensus internus diuersissimè fertur in sua obiecta partialia, cùm sint tam diuersa simpliciter imaginari obiectum præsens, & discurrere circa illud, vel memorari, vel disconueniens, vel dissonum iudicare: vnde nihil mirum, quòd requiratur latitudo diuersa temperamenti ad eliciendos actos tam varios, & sic cum læsione vnius stare perfectionem alterius.

His suppositis doctrina communis est, quòd quamvis actus sensus interni requirant mixtam temperiem; non tamen requirunt eamdem: sed licèt imaginatio, æstimatiua, & memoria calorem excedentem exposcant, non tamen æqualem; sed imaginatio minorem, æstimatiua maiorem, memoria maiorem omnibus: vnde quando intenditur calor præter naturam in cerebro, læditur primò actus imaginationis, secundò æstimatiuæ, vltimò memoriæ. Ratio est, quia si remissiori calore compleatur perfectio imaginationis, & maiori æstimatiuæ, & memoriæ, quando incipit intensio contra naturam respecto imaginationis, incipit perfectio respectu æstimatiuæ, & memoriæ. & inde læditur prius imaginatio: quia quod est illi contra naturam, est naturale reliquis potentiis: & eadem ratione læditur æstimatiua, antequam memoria, quia læsio, vel deprauatio fit à calore; si verò diminutio fiat a frigore, priùs diminuitur actus memoriæ, deinde æstimatiuæ, & vltimò imaginationis. Ratio constat ex dictis; quia intensio caloris maioris debita memoriæ destruitur prius quàm quæ debetur reliquis potentiis, & ita prius aufertur temperies requisita ad bene memorandum, deinde ad æstimationem, & deinde vltimò ad imaginationem: quia prius auferuntur gradus intensi, quàm remissi: & similiter priùs deficit memoria à frigore, deinde æstimatio, deinde imaginatio. Doctrina adducta traditur ab Aëtio *tetrab. 2. serm. 2. cap. 2. Vbi memoria inquit, deperdita est in febrilibus morbis, simul perit omnino & ratio & imaginatio: quia implicat lædi à calore memoriam, quin lædatur priùs imaginatio & ratio.* Sic Galenus *lib. 3. de locu, cap. 4.* dixit: *Cum igitur periit, vel grauiter læsa est memoria, frigida est intemperies*: debet autem intelligi, quomodo sola memoria læditur, alioqui falsa esset doctrina, cum à calore possit lædi memoria, & à quavis alia qualitate.

Si verò inquiratis, vnde esse, constare quod imaginatio requirat minorem calorem, & æstimatiua, & memoria maiorem. Respondeo esse, quia sunt actus perfectiores: quia discurrere circa obiecta, & memorari eorum sub ratione cognitorum maiorem perfectionem arguit sine dubio, quàm simpliciter apprehendere illa; & ideò requirunt perfectiorem dispositionem, quæ ad motus, & agilitatem in calore consistit: nec inde benè infertur, esse necessarium intensiorem calorem pro æstimatiua: quia cùm operetur cum discursu circa singularia, participat perfectiorem modum operandi, connotatque discursus actionis celeritatem, quæ agilitatem, & calorem maiorem per consequens requirit. Sed contra est: quia memoria non est minus discursiua in homine per coniunctionem cum intellectu, inuestigando celerrimè vnum ex alio, ob quod cum S Thoma docent Philosophi reminiscentiam soli homini conuenire: quia est velut discursus particularium, vt ex Diuo Thoma retulimus.

Imaginatio itaque dicit solùm simplicem apprehen-

A sionem rei per modum quietis, ad quam non requiritur, nisi apprehensio sola, æstimatiua verò, & memoria discurrunt, & sic egent facilitate magna in operatione ac per consequens maiori calore, in quo omnis agilitas & promptitudo consistit: est enim ad discursum necessaria penetratio breuissima rerum, & prædicatorum earum, connexionisque, quam habent inter se, vt vnum inferatur ex alio: quod etiam in reminiscentia inuenitur, & sic intensiorem calorem, quàm imaginatio requirunt: estque reminiscentia, quæ cogitatiuæ deseruit, vt discurrere possit, & sic eget recordatione celeri rerum, vt circa illas cogitatiua discurrat.

Sed dices: memoria non solùm requirit calorem, sed etiam siccitatem, vt fatentur omnes: ergo lædi potest primò ab humiditate, & inde malè intulit Ga- B lenus, quod vbi grauiter offensa est memoria, indicat frigidam distemperiem: & curatio id manifestat, quæ eis sæpè agitur, vbi memoria minuitur. Respondeo ita esse; sed Galenus supponebat grauem offensionem, & subitò factam, in qua hypothesi rectissimè intulit, damnum à frigore oriri.

Si autem læsio interni sensus ab humiditate oriatur, læditur primò memoria: habet enim duos actus & vitalem actionem memoratiuam præteritorum, & rursus conseruare species in absentia sensibilium. Primus actus, vt fiat perfectè, requirit calorem, secundus siccitatem magnam: vnde sicut quando infrigidatur cerebrum præter naturam, læditur primò memoria, quantum ad actum vitalem, ita quando organum contra C naturam humidum redditur, læditur primò memoria quantum ad retentionem, & conseruationem specierum: inter quas læsiones hoc magnum discrimen inuenitur, quod quando præ nimio frigore non memoratur æger, non fit obliuio per defectum specierum, sed per defectum dispositionis requisitæ ad actum, quamvis maneant species; at quando memoria deperditur, vel minuitur præ nimia humiditate, deficit actua illius, quia deficiunt species. Ratio est, quia vt fatentur Philosophi, & docuit D. Thomas, si siccitatem requirit retentio formarum, & specierum, lædet humiditas memoriam: quia species, & imagines rerum lædentur, & euanescent: vnde qui per humiditatem memoriam deperdidit, etsi curationem suscipiat, non recordatur, nisi rerum acquisitam de nouo: quia præteritorum D ante morbum nullæ supersunt imagines: at verò qui propter frigus non memoratur, cum non deperdat imagines rerum, recordabitur rerum cognitarum ante morbum: quia durant species communes, & recuperant temperiem ad memorandum idoneam.

Quod si obiiciatis, & satis difficilè, scilicet non posse species simul seruatas deperdi: nam si carent contrario, à quo corrumpantur, & ex propria natura non dependent in conseruari ab obiecto, vel causa illas producente, quomodocunque varietur temperies primarum qualitatum manebunt: patet, quia temperies, cum qua recipiuntur, & durauit tempore aliquo, durabunt in perpetuum cum simili intemperie: quia semel impressæ in organo non est à quo corrumpantur. Respondeo E corrumpi ad desitionem subiecti: nam quia substantia humida nimis, est etiam nimium resolubilis, deperditur facilè, & simul cum illa deperduntur species: ita autem esse constat, quia si deficerent per solam dispositionem materialem, non minus deficerent per humiditatis excessum, quàm alterius cuiuslibet qualitatis, cùm per quamlibet distemperetur organum, & malè disponatur. Si ergo per siccitatis excessum non solùm non deperduntur, sed fiunt potius perseuerantissimæ, constat non destrui per excessum temperiei; sed quia siccitas stabilem & firmam reddit substantiam cerebri, cui inhærent, sic durant nimis, quia durat subiectum.

Sed dices: Imaginatio non minus conseruat species in absentia obiectorum, quam memoria: ergo non

læditur

læditur priùs memoria: conftat, quia læduntur in ordine ad eundem effectum formalem, & dependenter æqualiter ab ea difpofitione. Refpondeo, imaginationem effe ipfam memoriam in quantum fpecies conferuat, licèt in actu memorandi, & imaginationis fit magna diuerfitas: nec imaginatio dicitur talis in quantum conferuat fpecies, fed in quantum percipit obiectum in abfentia illius, licèt illud femper percipiat vt præfens, in quo differt à memoria. Sed inquireris: videtur enim quòd cogitatiua nunquam fola lædatur, quia fi à calore læditur priùs imaginatio, & a frigore, & humiditate memoria, non eft à quo primò lædatur cogitatiua; id autem videtur contra doctrinam Galeni tradentis læfionem folam rationis, vel cogitatiuæ: & probatur exemplo lanifici. Refpondeo lædi aliquo modo folam cogitatiuam, & ita fieri a ficcitate: requirit enim motus agilitas humiditatis excelfum, vt proprio lib. de memoria, docuit Ariftoteles: vnde intulit conftantes mentis agilitate non effe bene memorantes propter humiditatis excelfum. Verba funt: *Parique modo rationis agilitate vigent, & qui tardo funt ingenio, non bene memores effe apparent: illi enim humidiores, quam opus fit; ifti verò ficciores exiftunt*: ex quo loco conftat, humiditatem conducere ad mentis agilitatem.

Sed ftatim fe offert dubium contra dicta ex hoc Philofophi loco, quomodò qui cerebro ficciores funt, non fint bene memorantes, fi ficcitas ad permanentiam imaginum, & fpecierum tam valde confert: vnde videtur quod ficcitas eo ipfo quod male difponit, deftruit obiectorum imagines. Refpondeo, quòd non eft ita, fed ficciores dicuntur non benè memores; quia non imprimuntur fpecies in memoria eorum, quæ aliis fenfibus percepèrunt: & fic exponit hunc locum D. Thomas, & Auguftinus Nimphus, vt conftat ex propria litera textus: nam in quibufdam tranflationibus legitur, quòd qui tardi funt ingenio, non benè memorantur, quia non recipiunt fpecies: impedit enim ficcitas impreffionem imaginum, non quidem vt fimplex qualitas prima; fed quatenus denfat fubftantiam cerebri, & fuo modo reddit opacam: vt enim denfitas neruorum, vel cerebri tollit receptionem animalis influxus; ita confentaneum eft reddi ineaptum cerebrum recipiendi fpecies obiectorum, quando præter naturam denfatur fub quauis pofitione. Confert etiam ad male memorandum, quando remiffi fiunt actus potentiarum antecedentium ob debilem influxum, & remiffam fpeciem impreffam, quæ remiffa prodnctur ob eandem cerebri denfitatem, & opacam naturam.

CAPVT XIII.

Quomodo ab eadem temperie perficiantur omnes actus interni?

EX dictis in præcedenti quæftione remanet dubium hoc, qua nimirum ratione poffit idem homo optimam imaginationem, æftimatiuam, & memoriam habere. Ratio dubij eft, quia fi omnes actus dependent ab eadem potentia, & funt adæquati illius; & actus imaginationis expofcit minorem calorem, æftimatiuæ maiorem, & omnium adhuc maiorem memoriæ; videtur repugnare hos actus effe perfectos in eodem homine. Probatur: quia remiffum calorem, & intenfiorem terminatiuè repugnat dari in eodem numero fubiecto: ergo nequit bene difponi ad elicien-

A dos actus relatos, cum repugnet fimul habere remiffum, & intenfum calorem vt tantum, vel terminatiuè; nam gradus intenfior, quam requirit æftimatiua imaginationi comparata, non poteft non effe contra naturam imaginationis: & requifitus intenfior ad actum memoriæ non poteft effe accommodatus imaginationi & æftimatiuæ, cùm fit extra latitudinem fibi debitam: cùm autem exemplo conftet, dari homines optimæ imaginationis, æftimatiuæ, & memoriæ, non videtur requifitus diuerfus gradus caloris ad eliciendos actus prædictos; fed ab eodem calore indiuifibili, & vt tanto pendere: quod repugnat omnino dictis in præcedenti quæftione.

B Eft autem fupponendum pro intelligentia quæftionis, candem difficultatem habere, fiue omnes, ifti actus fint inadæquati eiufdem potentiæ, fiue fint adæquati diuerfarum potentiarum, dummodò refideant potentiæ diuerfæ fpecie in eadem cerebri parte; quod placitum iam eft commune in fcholis, & efficaciffimis rationibus probatur.

Sententia noftra eft, quòd fiue actus fint inadæquati vnius potentiæ, fiue dependeant à potentiis diuerfis, fint tamen potentiæ in eadem parte cerebri, poffunt dari omnes actus perfecti, quamvis diuerfam intenfionem caloris ad fuam perfectionem expofcant. Eft communis doctrina, & confona authoritati, & doctrinæ Galeni, qui per totum librum 1. *de fanitate tuenda*, efficaciter probat noftram fanita-

C tem non confiftere in indiuifibili, fed magnam latitudinem participare: non enim tollitur fanitas per quamlibet remiffionem, vel intenfionem temperamenti; fed durat actionum perfectio, etiamfi variè alterentur homines: rectè ergo contingere poteft quod latitudo fanitatis, intra quam poteft effe perfecta imaginatio, fit tanta, quòd non deftruatur cum calore maiore debito æftimatiuæ, & memoriæ; & inde dabitur memoria abfque vlla manifefta læfione imaginationis. Supponamus igitur imaginationem perfectam fieri cum calore vt vnum, memoriam & æftimatiuam cum calore vt duo: non repugnat quòd latitudo fanitatis imaginationis extendatur vfque ad calorem vt duo: quia quamvis rectè ope-

D retur imaginatio cum vnico gradu caloris, non tamen malè operabitur cum duobus gradibus, & ita fine læfione fenfibili fui accidet ad fanitatem, & perfectionem debitam æftimatiuæ, & memoriæ; eodemque modo, quamvis memoria operetur bene cum calore vt duo, non tamen fub quavis remiffione operatur malè: quia habet etiam fuam latitudinem; & inde cum remiffiori calore perfectionem fibi debitam obtinebit, cum quo ftat, vt differentia latitudinis in temperamento obferuetur, ita vt cum calore lædente memoriam lædatur neceffariò imaginatio, & æftimatiua, & cum frigore diminuente imaginationem non poffit non lædi æftimatiua, & memoria, & cum ficcitate lædente rationem, vel cogitatiuam, non lædatur neceffariò imaginatio. Ratio eft, quia

E fub latitudine minori, fub qua incipit imaginatio, non poteft incipere æftimatiua, neque fub minori latitudine, fub qua æftimatiua effet perfecta, daretur memoriæ perfectio, & fanitas; tamen vbi finitur latitudo imaginationis in ordine ad propriam perfectionem, poteft effe latitudo conueniens æftimatiuæ, & memoriæ, vt maximum imaginationis fit intra latitudinem minimi, fub quo operantur rectè, & naturaliter memoria, & æftimatiua. Vnde etiam infertur, quòd in maximo, fub quo memoria læditur, non poteft non effe læfa imaginatio, vel æftimatiua: quia fanitatis latitudo in memoria refpectu caloris ad

fectum iudicium quòd sit imaginatum obiectum, & non reuera.

Vnde infertur, quod non est necessarius aliquis error in sensibus antecedenter ad actum intellectus requisitus, vt neque in somno naturali datur vitium aliquod erroneum antecedenter, vt dormiens decipiatur; sed species naturales, & modo naturalissimo propria obiecta repræsentando id efficiunt, quia per obstructionem impeditur sensus internus, ne concurrat cum intellectu ad cognoscendum quod sit obiectum illud phantasticum, & ita necessitatur intellectus ad assensum illius: ob quod multa in insomniis conueniunt absque culpa aliqua, quæ in vigilia grauissima forent peccata: impedimentum igitur, quod somnus ponit obstruendo cerebrum, vt intellectus, seu ratio non constent, eo quòd tollit concursum phantasiæ, vt nequeat intellectus benè discurrere circa obiecta proposita: idem, inquam, impedimentum ponit morbosa tempeties, vt non possit intellectus operari decenter circa obiecta, ad quæ phantasia inclinat: quia tollit dispositionem conuenientem ad actus contrarios, & simul vt cognoscat phantasiam in absentia obiectorum illa proponere, quasi perciperentur reuera per sensus externos: sic enim dixit Philosophus *lib. de insomniis, cap. vltimo: Dormiens per ea, quæ à visu deferuntur, & ab auditu, & ab aliis sensoriis, putat videre, & sentire*, &c. Sanctus Thomas *in commentario* sic scripsit: *Quando virtus superior, siue ratio non detinetur à phantasmate, sed mouetur motu proprio, tunc contradicit motui simulacri, & indicat aliter esse quàm apparet; tamen si virtus illa non contradicat, semper indicat omnia esse, sicut apparet.* Expendo verba illa: *Quando virtus superior, seu ratio non detinetur à phantasmate, sed mouetur motu proprio.* Quasi diceret: quando phantasia non detinet intellectum, vt non moueatur motu proprio; sed discursu agnoscit, quod id, quod visum proponitur, non videtur reuera; sed vt visum apparet, tunc homo, aut dormiens non assentitur imaginationi, sed verè agnoscit somnium esse, & apparitionem phantasticam, vt quamuis appareat videri, non tamen videatur reuera. Ergo è contra, vt ego opinor, deducendum est, quod quando virtus superior, seu ratio detinetur à phantasmate, vt non moueatur motu proprio, id est, quando intemperies per morbos, vel obstructio per naturalem somnum tollit, quòd phantasia intellectum discurrentem comitari non possit, coërcetur, vel detinetur intellectus, vt discurrere nequeat: & sic quia intellectus non contradicit phantasiæ primo proposito, iudicat anima necessariò quod sit, vt apparet, hoc est quod videatur reuera, quod repræsentatur solum vt visum.

Ex dictis colligitur, quòd ad deceptionem, & delirandum non sufficit proponi phantasmata, sed requiritur etiam actio diminuta, vel ablata in ordine ad certas actiones sensus interni, quibus egebat intellectus antecedenter, aut consequenter ad benè discurrendum, & ad cognoscendum, num quod proponitur, propriatur per solam phantasiam, vel verè percipiatur per sensus externos, ex cuius ignoratione pendet omnis deceptio, & delirium quodlibet: estque tam necessarium, quod ita impediatur phantasia, quod putem sine illa ablatione, vel diminutione errorem, vel delirium euenire non posse: non enim sufficit ad delirandum, quòd efficaciter proponantur phantasmata aliqua, ni tollatur simul concursus ad eliciendos actus contrarios, vel alios requisitos ad rectè operandum, & corrigendum, quod per sensus proponitur: quod indicat vigilia contra naturam, in qua sæpè cogitat æger multa efficaciter, & velut indefectibiliter concipere. Et quia non aufertur concursus phantasiæ requisitus ad comitandum intellectum percipientem verè omnia ea obiecta esse solum proposita per imaginationem, & non existere reuera, non delirat, nec decipitur, etiamsi cogatur ob specierum efficacitatem, vel aliam occasionem incessanter operari circa illa obiecta. Similiter qui affirmat se Deum esse, haber contrarium habitum, & efficacitatem, quod ipse Deus esse non possit, quia nihil magis intellectui humano repugnans, & nihilominus non contradicit tam falso, & erroneo assensui, etsi nil aliud per rationem & fidem firmius acceperit, quàm hominem Deum esse non posse: se verò non corrigere ex nullo alio capite prouenit, quàm quod phantasiæ organum sit taliter distemperatum, quod intellectum comitari non possit ad contrarium discursum; & inde velut cæcus intellectus assentitur prauæ compositioni, & iudicio tam erroneo.

CAPVT VI.

Vtrùm in brutis dentur deliria?

Si ratio inesset brutis, delirare etiam posse, non caderet sub dubio: est verò probabilissimum non earere omninò ratione: vnde fit quòd & posse delirare non sit minus probabile: de quo argumento legatur noster Vallesius *lib. de Sacra philosophia cap. 55.* & Plutarchus *lib. de animalium industria*: quod etiam tenet noster Galenus in principio libelli, cuius titulus est, Oratio exhortatoria ad bonas artes discendas: in quorum doctrina repugnat sensum dari absque aliqua mente: quia si qui sentiunt, vt homines non sentiunt, quando mens ægrotat, teste Hippocrate 2. *Aphor. text. 6.* repugnabit multò magis sentire qui omni mente priuantur, ac proinde erit omnino frustra sentiendi potentia, vbi repugnat mens: quia sine mente & contemplatione aliqua, obiectorum sensatio, & perceptio nequit celebrari: quinimò tam admiranda & prudentissima opera experimur in brutis, vt in multis longè homines excedant, qui ex imitatione potiùs quorundam operum brutorum laudantur, & dicuntur industrij, & sagaces. Sed & bruta posse delirare experimento probatur: quia per morbos & mutant mores, & fugiunt quæ sibi conueniunt. Constat in hydrophobia, quæ specialiter mentem eorum deprauari detegit: blanditur domino canis, quem hydrophobia detentus ignotat, & illum dilacerat dentibus, & velut inimicum persequitur: quo pernitioso morbo inextinguibili siti cruciatur, & nil magis quàm aquam præsentem abominatur, ita vt sit eani facilius vitam deperdere, quàm pertransire flumen ob aquæ timorem. Sic animantia, quibus inclinatio ad mordendum à natura non inest, hoc morbo semel oppressa tam deprauatè morsu dilacerant, vt non solùm feras à natura inimicas, sed etiam animalia, cum quibus erat summa naturalis societas, dilacerent, & perdant. Si itaque sic delirare percipiuntur, & est delirium læsio rationis, erit in brutis ratio aliqua, ob cuius deprauationem delirant. Iudicare verò per insomnia, quòd sint præsentes res, quæ à phantasia sola proponuntur, ipse latratus canum, dum dormiunt, demonstrat, & alia multa inter dormiendum facta, quæ absque iudicio aliquo fieri nequeunt: quis enim credet bruta præcauere pericula imminentia, nisi futurorum certam cognitionem haberent, quorum cognitio, & dispositio mediorum, ad fugiendum pericula, & appetitorum assecutionem, rationem aliquam eis competere ostendunt perspicuè. Confugiunt ad instinctum Philosophi, quasi cæca natura, & absque vlla apprehensione, & iudicio fierent omnia dicta, vel instinctus naturalis aliud esset, quàm eorum, quæ fiunt, cognitio verissima & cætera.

Ex dictis constat, per somnos non minus decipi bruta, quàm homines: iudicant enim tanquam verè existentia, quæ per phantasiam solam vi visa proponuntur:

&

& idem dicendum est per morbos cerebri euenire posse; nobis tamen occultari ob rationis defectum, neque nisi per aliquam deprauatam actionem manifesta ri eorum deliria, vt in hydrophobia constat, in qua & mores mutant, & aquam timent, liquidaque omnia, quæ sine iudicio & apprehensione erronea fieri non possunt.

Sit ergo conclusio, in æstimatiua brutorum dari verum delirium: quæ conclusio ex iam suppositis, & experimento confirmatis manet satis probata: est enim error contra naturales mores, quòd canis qui antea domino blandiebatur hilarissime, velut inimicum persequatur, & dentibus dilaceret, & aquam, quam sitriculosus diligenter inquirebat, velut solatium sitis, sic pertimescat & illius præsentiam, vt nullum inimicum magis exhorrescat, sicut & præsentiam omnium liquidorum: in reliquis autem potentiis brutorum delirium non conceditur, neque præcipitur: est autem difficultas, cur in sola æstimatiua delirium concedatur, non verò in reliquis potentiis.

Sed hoc dubium iam manet solutum ex dictis: quia delirium est solum symptoma principis facultatis, vel regentis, ac per consequens eius solum, quæ iudicat, & rationem conuenientiæ, vel disconuenientiæ percipit: quæ rationes solum æstimatiuæ conueniunt: vnde quia error semper oritur ex prauo iudicio, ideò solùm delirat potentia, quæ iudicat: quia illa sola decipitur ratione præcisa intemperiei: sensus autem reliqui recipiunt species ab obiectis, vt sunt, & vt talia semper percipiunt, & inde falli non possunt; æstimatiua verò, quia rationes insensatas agnoscit, quas nullus anterior sensus percipit, & secundum illas mouet appetitum, ideò potest rem conuenientem ex se, vt disconuenientem iudicare, & sic errare, imperando fugam obiecti conuenientis.

Sed tunc insurgit maius dubium, vnde nimirum oriatur quòd res familiaris, & animanti voluptuosa agnoscatur per morbum tam dissona illius naturæ, vt fugiat illam, vt hydrophobicus, eo quod siti cruciatur, aquam absentem concupiscit actu desiderij; visa tamen aqua, sicut dixi, illam pertimescit, vt velut venenum mortale ipsam effugiat: est rea hæc difficillima: accusant multi canis visionem in liquidis, aut in aqua, vt fecit Magister noster *lib. de locis affect. disp. 14. c. 3.* Eustachius verò accusat naturam veneni: est, inquit, venenum putrefaciens; vnde cum humidis antipathiam habet, quòd sint putrefactiua omnia humida, & inde aqua etiam timetur. Alij varia dicunt, vt est consuetum in omni difficili problemate, quorum placita neque referre, neque refellere fas est: habent enim proprium locum in *disputatione de hydrophobia.* Mihique videtur breuiter esse reducendam causam in actionem æstimatiuæ per species insensatas percipientis conuenientiam, vel disconuenientiam in rebus; percipitur verò vt disconueniens aqua, sicut & omnis alia res liquida à rabiente; resultat verò species illa ex aquæ, & liquidorum visione, tanquam ex conditione necessaria, vt resultet omnis alia disconuenientia, vel conuenientia rei, quæ primò per sensus percipitur. Quomodò autem species insensata producatur, & à quo agente, magna est inter Philosophos controuersia; in mea autem opinione non producitur, sed virtus repræsentatiua obiecti conuenientis, vel disconuenientis, venit cum ipsa specie impressa quasi eminenter; quam rationem non percipiunt sensus externi, neque interni præter æstimatiuam, eo quòd non sunt tantæ virtutis, sicut ita; sed sicut intellectus acquirit, & assequitur plura in obiectis sensibilibus, quæ non conceperunt sensus externi, neque interni: sic internus sensus respectu externorum est potentior, & æstimatiua præ cæteria etiam eminet in cognitione, & inde per eandem speciem per quam oculis ouis, vel imaginatio non cognouerunt nisi colorem, figuram, magnitudinem, & motum lupi, cognoscit æstimatiua inimicitiam naturalem, & sic fugit ouis, vt viso alimento cognoscit etiam illius conuenientiam, & illud prosequitur.

Sed in nostro casu res videtur difficilior: nam etsi respectu naturalis conuenientiæ vel amicitiæ dici possit, quod in specie obiecti contineatur illa repræsentatio, & sic percipiatur ab æstimatiua, tamen in hydrophobico non videtur hæc ratio probabilis, quia aquam agnoscebat vt vtilem per bonam valetudinem, & illam ingerebat ad sedandam sitim: est autem per hydrophobiam & sitis maior, & in ipso obiecto non datur variatio aliqua, ob quam species emissa ab eo non repræsentat illud, vt quando homo erat sanus, ac per consequens vt conueniens: neque obstat quòd ratione morbi id fieri possit. Sed contra est ratio efficax: quia si species aquæ repræsentat illam vt amicam sitienti, nunquam variatur hæc repræsentatio ex parte obiecti, quia semper est idem immutatum: vnde, quamuis ratione morbi impediri possit, quod non percipiatur secundum omnes rationes repræsentatas; non tamen potest fieri, quòd species repræsentet aquam, vt inimicam: quia neque est talis naturaliter, neque respectu morbi, cum nullum remedium efficacius putetur, quàm aqua: & saltem negari non potest, quòd sit vtilissima: ob quod dixit Galenus *lib. de Theriaca ad Pisonem*, quod hydrophobi reformidant bibere: quia corrupto mentis iudicio, quid sibi prodesse possit, ignorant.

Mihi videtur dicendum, vt iam innuaui, ad fugam aquæ satis esse, quòd visio illius sit molesta sine noua apparitione canis; potest verò esse talis ob splendorem, lucem, fluxibilitatem, ratione quarum est infesta oculis, & cerebro tam debili: & cùm sit communis hæc fuga omnibus liquidis transparentibus, & capacibus magnæ lucis, putandum est corpora lucida, diaphana, & liquida molestè ferri à sensibus, & proptereà fugi. Nec est alia ratio, cur melancholici percipiant obiecta delectantia velut tristissima, vnde musica repræsentatur vt inimica, nec placet: sed quia non lætantur melancholici in præsentia soni, putat vulgus tristari delectabilibus, vel vt tristia percipi, quod non est necessarium: præterquam quod aliud est tristari de nouo, viso aliquo delectabili obiecto, aliud verò percipi, quod est delectabile, vt triste: rectè enim potest quod est delectabile, vt tale considerari, & tamen non delectari homo, qui percipit illud: nam delectari est actus appetitus, quo fruitur obiecto vt delectabili sibi percepto: hic autem actus potest suspendi ratione morbi, etiamsi obiectum vt delectabile agnoscatur: quia temperamentum omnino repugnat internæ lætitiæ, certùmque est, melancholicos pee actum reflexum tristari posse de nouo, eo quod videant se ipsos tam malè dispositos, vt nullum delectamentum, vel suæ tristitiæ solarium suscipiant à rebus iucundis, animalia alia lætantibus. Dicendum itaque est ex apprehensione liquidorum, & transparentium produci ab æstimatiua species insensatas inimicitiæ, ratione cuius aqua timetur: eo quod ratione temperamenti sic deprauetur æstimatio, vt ex aquæ visione aliquid molestum concipiat, sicque indicet conuenientem fugam liquidorum practico iudicio; potest verò aliquid molestum concipere, quia magnam molestiam inferunt diaphana, transparantia, & lucida, vt priùs dicebamus: potest enim tam debilis esse potentia visiua, quando iam infestat aquæ timor, quòd omnia transparentia & diaphana fugit, velut nimis infesta propter splendorem. Quod si dicas, eadem ratione lucem fore abominabilem, quod non experimur: Respondeo aquam non tantùm esse lucidam, sed transparentem, & fluidam; quæ conditio non reperitur in flamma

flamma, & propterea potest non esse tam molesta In- A imicis visio sicut liquidorum, aquæ præsertim, quæ ob lucem, transpatentem naturam, & fluxibilitatem potest esse molestissima hydrophobico: non enim potest tradi alia probabilis ratio: nam si rabia correptus, antequam aquam timeret, eam bibebat, & prosequebatur, quia sitim sedabat, & crescente intensione veneni, hanc eandem perimescit, aliquid de nouo est, ratione cuius eam fugiat: vnda, cùm sit idem venenum, si hoc disponeret æstimatiuam, vt eliceret insensatas species inimicitiæ, semper illas produceret. Et ratio vrget: quia si aqua est remedium excedens contra hydrophobiam, non est ratio philosophica asserere, quòd per insensatas species percipiat æstimatiua inimicitiam aliquam, cùm nulla detur reuera; imò sit salubris, & B propterea deberet potiùs per species insensatas aquam prosequi: est ergo in ipsa visione aliqua magna disconuenientia, ratione cuius statim ac illam videt, ac per sensus antecedentes concipit, pertimescat illam magnopere.

Sed dices: si præcedit molesta sensatio, non est opus, quòd erret æstimatiua: nam respectu molestæ sensationis non minus mouetur appetitus ab imaginatione, quam ab æstimatiua: probatur ex doctrina D. Thomæ *1. p. quæst.78. art. 4. & 1. 2. quæst. 17.* vbi dicit, sæpè contingere, quòd motus appetitus sensitiui concitetur subitò ad apprehensiones imaginationis, & sensus: & clarius docuit *1. p. q.81. art.3. ad 2.* natus est enim moueri appetitus sensitiuus & non solum ob æstimatiuam in aliis animalibus, & cogitatiuam in homine, quam C dirigit vniuersalis ratio; sed etiam ab imaginatione, & sensu. & videtur expressa doctrina Philosophi *lib. 3. de Anima, cap. 9.* dicendo: At appetitiuum sine imaginatione non est; si autem requireretur ad mouendum appetitum actio æstimatiuæ, non poneret imaginationem: quod videtur colligi clariùs ex doctrina tradita ab eo *lib.3. de historia animalium, cap.3.* vbi negat imaginationem competere omnibus animalibus; dicit enim: *At imaginatio quibusdam belluis inest*: si quibusdam, ergo non omnibus: vnde infertur adhuc à sensu communi moueri posse appetitum: hic enim sensus nulli animali deficere potest.

Respondeo mihi videri probabilius, omnes sensus internos, seu omnes actus eius dari in quolibet sensitiuo, licet in perfectione cognitionis & actuum intensione D detur magnum discrimen: vnde opinor nullum indicium conuenientiæ, vel disconuenientiæ dari, quod ab æstimatiua dicatur proprius, quando iudicat de insensatis obiectis per alios sensus antecedentes non perceptis: & hac ratione intelligo S.Thomam, dum dicit natum esse appetitum sensitiuum moueri non solùm ab æstimatiua in aliis animalibus, & cogitatiua in homine; sed etiam ab imaginatione, & sensu: hoc est, non solùm mouetur appetitus, quando concipiuntur insensatæ rationes ab æstimatiua; sed etiam quando imaginamur aliquod obiectum delectabile, vel tristabile secundum sensum: ex quibus perceptionibus eliciuntur species conuenientiæ ab æstimatiua; & sic appetitui imperat, aut proponit obiectum vt prosequendum, vel fu- E giendum: putauit enim S. Thomas, quòd quando ouis fugit lupum, non fugit ob talem colorem, vel figuram; sed quia cognoscit in illo inimicitiam naturalem, quam nullus externus sensus, vel internus agnoscit ante æstimatiuam, & sic proponit fugam: quia concipit insensatam illam inimicitiam naturalem, non quidem insensatam sibi, sed aliis sensibus antecedentibus: tunc autem non mouentur ab imaginatiua, sed sensu, vt constat: quia per nullum sensum fuit percepta inimicitia; at verò quando gustu, vel tactu, vel alio sensu externo percipitur obiectum naturæ delectabile, vel tristabile, tūc mouetur ab imaginatiua & sensu: quia præsupponitur notitia & sensatio obiecti cōuenientis, vel horribilis.

A Quod verò non detur animal sine imaginatione, docuit expressè Aristoteles *1. de Anima, cap.3.* eo quòd omnia animalia habent sensum alimenti, qui esse non potest sine memoria suauitatis, vel conuenientiæ alimenti, ob quam illud inquirunt animalia omnia, & concupiscunt: in cuius loci expositione dicit S. Thomas: *Patet igitur, quòd omnia animalia habent sensum alimenti, inest fames, & sitis, quorum vtrumque est concupiscentia alimenti, &c.* Qui locus maximè notandus est; quia ex illo benè deducitur, omne animal habere desiderium alimenti, ac memoriam rei voluptuosæ sensatæ, nullúmque animal dari, quod alimenti absentis species non habeat reseruatas, & illud inquirat ob suauitatem, & vt liberetur à molestia famis & sitis. Neque obstat quod dicat Philosophus *eodem cap.3.* quod licet constet B ex sensu famis esse dandum necessariò appetitum, quia tactus sine appetitu esse non potest; non tamen, inquit, idem constat de imaginatiua, an detur: hoc enim dixi solum dubitanter, quia nondum determinauerat, à quo principio moueatur immediatè appetitus; verùm ex Philosophi discursu clarè videtur colligi: dicit enim: *Cui sensus inest (* loquitur de tactu *) voluptas etiam, & dolor inest, & perceptio iucundi ac molesti: quibus autem hæc insunt, ea cupiditatem etiam habent: hæc enim est appetitio eius quod afficit voluptate.* Si ergo omnibus inest appetitio eius, quod afficit voluptate, & nihil potest appeti ignotum, datur cognitio in omnibus animalibus suauitatis & conuenientiæ alimenti & potus vt iam sensatæ, occasione cuius diliguntur, ac C quæruntur & appetuntur. Quod si dicas, alimenti appetitionem ex suauitate eorum pendere non posse, nihil obstat, quia cùm animalia non semel solum, sed sæpè alimentum, & potum concupiscant, necessariò infiquitur quod diximus, dari nempe memoriam omnibus animalibus: memoria autem à nullo conceditur sine imaginatione: vnde infertur omnes internos sensus cuicumque animali competere: verùm quia in perfectione, vt dixi, datur nimia varietas, & in animalibus terræ affixis non apparent actiones internorum sensuum, nisi quando punguntur, vel in alimenti sumptione, & sic non constant sensus, nisi quando actu molestantur dolore, vel voluptate afficiuntur: ideò dixit S.Thomas, quem sequuntur omnes, hæc animalia non habere, nisi phantasiam interminatam, id est, non D phantasiantur manifestè circa absentia sensibilia, ob quam imperfectionem eis denegauit Aristoteles imaginationem. Est autem intelligendus de imaginatiua perfecta, & quæ à seipsa determinari potest: & propter eamdem rationem non dicuntur habere nisi sensum communem, quia non videntur moueri, nisi quando actu immutantur à tangibili aliquo. Sed ratio desumpta ex discursu Philosophi efficacissima est ad ostendendum omnes sensus internos omnibus animalibus inesse; quia vbi est tactus, est dolor, & voluptas; vbi hæc sunt, datur necessariò appetitus: hic autem moueri non potest nisi à potentia agnoscente iucundum, & molestum conueniens, vel disconueniens: istæ verò rationes conuenientiæ, vel disconuenientiæ à sola E æstimatiua percipiuntur: hanc autem sine imaginatione dari repugnat, quia est perfectior multò, quàm imaginatio: neque hæc datur sine sensu communi ob eamdem rationem; quinimò appetere alimentum nunquam sumptum, fortassis non est sine speciebus insensatis; appetere autem alimentum & potum ob suauitatem & conuenientiam perceptam, clarè monstrat memoriam conuenientiæ sensatæ: vnde infertur, nunquam dari animal sine æstimatiua, neque ab alia potentia posse appetitum determinari ad fugam, vel prosecutionem alicuius obiecti.

CAPVT

CAPVT VII.

An dentur deliria solius intellectus?

Est supponendum tanquam certum, quòd in intellectu conseruantur species in absentia obiectorum: nam si memoriæ sensitiuæ conceduntur, cur non intellectiuæ? Et in hoc video iam conuenire omnes philosophos: sunt enim species intelligibiles immateriales, & propterea non pendent in conseruari ab organi dispositione, neque recipiuntur in subiecto corruptibili, & ex alia parte carent contrario, & inde non est à quo semel productæ in intellectu corrumpantur: quo supposito videtur, quod dentur deliria propria intellectui, quin à sensibus accipiant originem. Probatur, quia vel intellectus læditur solùm per consensum cum sensuum læsione, vel læditur sine illis: si hoc secundum dicatur, habemus intentum; si autem primum, sequitur quod semper quòd læditur sensus internus, lædatur necessariò intellectus: patet sequela, quia non datur in intellectu in hac opinione alia læsio, nisi per consensum cum sensibus. Ergo semper quod læduntur, læditur necessariò intellectus, cuius oppositum quotidie experimur; & in vertigine constat, in qua imaginatio læditur, & nihilominus intellectus non consentit imaginationi proponenti quòd visibilia moueantur in gyrum. Datur ergo latitudo determinata, in qua solus sensus læditur, & alia maior intellectui debita, cum qua necessariò delirat. Quod etiam docuit Philosophus *lib. de insomniis*, dicendo: *Et aliquando quidem opinio asserit, quòd falsum est id, quod videtur; plerumque autem fallitur, & phantasmata consectatur:* in cuius loci expositione per opinionem intellexit D. Thomas ipsum intellectum. Datur ergo aliquando sola læsio in sensibus, & per consequens non semper læditur intellectus per consensum cum illis, sed dantur deliria ex ipso solo pendentia.

Sed dicendum est, omnia deliria suam originem accipere à sensibus, cum hoc tamen ex illis tanquam ex prima radice velut naturali sequela alia deliria manifestari, quæ soli intellectui competunt. Prima pars assertionis constat, quia si nulla læsio datur in sensibus, repugnat deprauari intellectum, vt implicat deceptio animæ separatæ per conseruatas species. Ratio est, quia cum sit spiritualis potentia, & vt sic independens ab organo corporeo, non habet aliquod immutationis principium, sed omnia percipit, vt per species repræsentantur: & vt sunt reuera, sic omnia intelligit: vnde si aliquando decipitur, est per accidens, quatenus scilicet in hac vita est intellectus alligatus sensibus; & ita occasione eorum verè decipitur eo modo iam tradito: & ita Galenus semper reducit quodcumque delirium in læsionem sensuum internorum. Et S. Thomas 1. *p. q.* 85. *art.* 6. dixit per accidens euenire intellectus deceptionem, circa quod quid est in rebus compositis non ex parte organi, quia intellectus non est virtus organo vtens: quam doctrinam repetit *quæst.* 84. *artic.* 7.

Secundum verò, quòd scilicet dentur deliria quasi propria intellectus, constat, quando ex primo delirio aliud infertur, & ex vno errore per deductionem transit ad alium, vt qui semel concepit falsò se Deum esse, infert non egere alimento, aut esse immutabilem in proprio esse: hoc enim est delirium proprium intellectus excitatum ex primo, sicut vna species mouens potentias excitat sibi affines, & analogas. Ratio à priori est, quia ex doctrina D. Thomæ plura percipit intellectus, quæ sensus percipere nequit, & inde circa illa præsupponitur operatio intellectus antequam sensus aliquid primò proponat, cùm primò operari non possit circa ea, quæ sunt à sensu imperceptibilia: estque per consequens secundaria operatio sensus interni comitantis intellectum, sicut sequitur illum memoria in actu reminiscentiæ, & cogitatiua in particularium discursu, & imaginatio in compositione formali. Itaque intellectus non quiescit in obiectis primò propositis per sensus; sed ad alia propria discurrendo transcendit, quæ à sensibus sunt imperceptibilia, circa quæ errans videtur deliria pati propria intellectus; non est tamen dubium omnia deliria vt à prima radice à læsione sensuum pendere.

Neque ratio adducta in contrarium aliquid probat: nam etsi semper deliria à sensuum læsione oriantur vt à prima radice, & inde per consensum, vel per subordinationem perpetuò fiant, non rectè infertur, quòd semper ac sensus deprauantur, deprauetur etiam intellectus. Ratio iam ex dictis est manifesta, quia ad deceptionem intellectus non sufficit obiecta proponi, sed simul requiritur oblatio concursus in ordine ad contraria phantasmata, vel quod æger non possit concipere se morbo laborare, & illius ratione sensus errare: & quia non semper tollitur concursus phantasmatum ad discernendum intellectum, quòd ratione morbi error ille oriatur: ideò non assentitur intellectus sensuum deceptioni, sed potiùs illam corrigit, & sic non delirat.

Ex dictis colligetis faciliùs aliquem deliraturum circa obiecta, quorum non habet contrarium habitum, medio quo emendet deceptionem à sensu propositam, vt homo qui vertiginosus est, se corrigit per habitum contrarium, quo assequitur repugnare, quod caput proprium, vel domus moueatur in gyrum, & sic non delirat: hic deliraret in pueritia, quia non posset sensuum falsam repræsentationem corrigere: quia nondum obtinuit habitum, quo caput proprium, vel turrim moueri in gyrum repugnet. Et eodem modo in brutis philosophandum est, non enim se corrigunt, nec possunt, sed eo ipso quòd aliquis sensus erret, iudicabit ita esse, vt in puero vertiginoso dixi; aut si brutum humore bilioso linguam habeat imbutam, quodcumque alimentum ingratum, & amarum putabit intrinsecè; quia nescit distinguere, in quo contineatur amaror. Infertur tandem quod ad deceptionem sensuum satis esse potest motus vaporis, aut spirituum; nunquam tamen talis motus erit sufficiens, vt intellectus erret. Ratio est efficax, quia ad læsionem intellectus non sufficit quòd obiecta varia proponantur; sed requiritur etiam quod iudicare non possit, ratione morbi proponi; & distinguere nesciat phantasmata rerum ab ipsis rebus: hæc autem nunquam fient, si non lædatur cerebrum per intemperiem subuertentem actum contrarium, medio quo se corrigit: illa verò subuersio nunquam resultat ex solo motu spirituum, & constat exemplo vertiginis, quæ si contingat ob solum motum spirituum, nunquam intellectum decipit: si autem eueniat, quia sine motu spirituum iudicat res externas in gyrum moueri, tunc decipitur intellectus. Et hoc doctè annotauit Eustachius, nec nobis placet doctrina Magistri *lib. de locis, disp.* 16. *cap.* 4. contendit enim probare eodem modo intellectum lædi, si imaginatio lædatur per motum spirituum, ac si lædatur per vitiosam temperiem. Eius ratio est, quia si intellectus læditur læsione existente in actu phantasiæ, propter organi vitium videtur etiam lædi, quamuis vitium contingat propter motum spirituum, quia vt intellectio nostra, inquit, pendeat ab operatione sensitiuarum potentiarum, vt omnes fatentur, quomodocumque lædatur phantasia, lædetur & ratio. Sed hoc argumentum nil probat; aliud enim est, quòd intellectus percipiat obiectum certo modo à sensibus percipi, & hoc non est dubium; nam intellectus benè concipit obiecta in vertigine vt mota proponi ratione morbi: &

qua

imaginamur gustabile obiectum, speciem illius ad organum gustus? & sic de reliquis. Non enim est assignabile principium motiuum, & contra quodlibet est hæc ratio efficax, nempe quod in vigilia idem semper contingeret, quod esse contra experimentum non videt nemo.

Neque argumentum huius Authoris, qood vt euidens tradebat, aliquid probat: nam percipere obiecta vt præsentia non solùm conuenit sensibus externis, sed etiam imaginationi, & intellectui: estque diserimen inter imaginationem & sensus externos, quòd isti nequeunt percipere obiecta, nisi quando actualiter sunt, & per consequens semper vt præsentia concipiuntur; at imaginatio cùm reseruet easdem species in absentia obiectorum, percipit illa, vt si essent præsentia, quando non sunt: quia imaginatio non tantùm concipit visibile obiectum, sed etiam eius visionem; vnde repugnat illud percipere nisi cum sua visione per speciem modalem visionem ipsam cum obiecto repræsentantem: & inde nascitur fallacia in insomniis, & in delirantibus: nam cùm imaginatio non possit concipere obiectum nisi vt actualiter visum, vel alio sensu externo actu perceptum, quando mens non obstat, vel ratione somni, vel propter morbum iudicat verè videre, qnod phantastice vt visum proponitur: quæ doctrina passim à Philosopho adducitur per librum de insomniis. Et contra Vegam stat sequens argumentum; quia si ad imaginationem obiecti visibilis sequeretur necessariò visio realis eiusdem obiecti, fieret quòd quo vehementior esset eius imago, videretur etiam perfectiùs; hoc verò est contra communem Philosophorum doctrinam dicentium per attentam contemplationem alicuius obiecti impediri sensationem illius per sensum externum, vt qui in lucta se ab inimico defendit, ne vulneretur, vulneratur sæpè sine sensatione aliqua: quia ob vehementem imaginationem distracta anima concipere nequit obiecta exteriora. Ergo simili modo imaginatio vehemens, qualis in delirantibus datur, obstat potiùs sensationi eiusdem obiecti per sensus externos.

Dico vltimò, quòd etsi verè dictum sit, non esse necessarium ad errorem imaginationis, quòd lædatur actio sensus externi; cum hoc tamen certum est, sæpè initium habere ex antecedenti læsione sensuum externorum; qua ratione imminente phrenitide, vel alia, in ipsa colligere festucas, vel muscas venari conari, originatur ex visione vaporum ante oculos obuersantium ex feruentibus humoribus intra cerebrum transmissorum ad extra. Sic qui à bile adusta aduritur, facilè delirat dicendo, igni vrenti, vel soli feruenti esse expositum, & sic alia multa deliria eueniunt, vt ex sibilo aurium facilè dicet esse tibicines pulsantes, aut amara bile imbuto organo gustus infert aliud amarum gustare: & eodem exemplo docuit Philosophus *lib. de insomniis*, ex modica similitudine linearum in parietibus existentium animalia concipere, quando mens deprauatur, de quibus læsionibus à sensibus externis incipientibus sæpè fit mentio à Galeno, præsertim 1. *prorrhiticorum*, *comm.* 17. & 1. *prognostic. comment.* 23. Quod autem perpetuum sit à læsione sensuum externorum incipere, vel semper cum læsione imaginationis copulatam esse læsionem alicuius sensus externi, vt Vega putauit, sustineri non potest: nec esset ratio, cur æstimatiua, vel memoria, quando læduntur, non lædatur simul cum illis aliquis sensus externus, vt in imaginatione concedit Vega. Obiterque vt falsa reiicienda est opinio Traliani *lib.* 1. *Art. Medic. text.* 26. sustinentis omnium obiectorum etiam absentium seruari species sensibus externis accommodatas ad motionem eorum, & inde in insomniis realem visionem, vel auditionem fieri; id verò in vigilia non contingere: quia distracta anima ab efficacia externorum sensibilium non sentit internorum motiones, quod placitum improbabile est, cùm doceat experimentum species externorum sensibilium immutantes sensus externos non conseruari in oculis, vel aliis sensibus in absentia obiectorum, etiamsi species illæ sint organo naturalissimæ. Nec me latet esse probabile tempore breuissimo seruari posse, per longum tamen tempus nullus docuit: nam si in organo, cui sunt naturalissimæ, diu seruari nequeunt, minus durabunt in aliis subiectis, vel in spiritibus, præterquam quod in loco tenebroso cum summo silentio fierent sensationes reales externæ in opinione Traliani: nam in eo casu, cùm non distrahatur anima ab aliquo externo sensibili, sentiet obiecta externa, quorum sunt species reseruatæ, quod est contra experimentum.

CAPVT IX.

Vtrùm læsa prima potentia, à qua reliquæ recipiunt species, lædantur omnes necessariò.

EST tanquam certa recipienda doctrina affirmantium, species impressas obiectorum externorum produci ab ipsis obiectis in organis sensuum, & ab specie expressa sensus externi produci impressam in sensu communi, & à sensus communis expressa produci impressam in imaginatione, & ab expressa imaginationis produci impressam in æstimatiua, & ab expressa huius produci impressam in memoria; in intellectu verò producitur impressa intelligibilis ab intellectu agente, medio phantasmate tanquam instrumento: quod cùm sit materiale, non potest nisi instrumentis rem spiritualem producere, quamuis sit satis probabile, ne dicamus verius, esse causam principalem phantasma illius realitatis, quæ phantasmati correspondet; esto scilicet illam speciem intelligibilem repræsentatiuam determinati obiecti, ad quam rationem non potest intellectus concurrere, quoniam est ex se indifferens omnino: determinatur verò à phantasmate: & vt determinatur ab eo tanquam à causa principali, vt talis etiam concurrit phantasma ad illam realem repræsentationem obiecti determinati: nam respectu instrumenti nulla ratio est assignanda de effectu, quæ instrumento correspondeat: vt in substantiæ productione nihil correspondet accidentibus ipsis. sic etiam & intellectus vt agens principale producit spiritualitatem.

Est autem supponendum, quòd sensus externi possunt errare, & quòd sunt plures internæ potentiæ, vt quæstio intelligatur perfectius: sed quia sensus externi error minus est nostri instituti, supponamus errorem esse in imaginatione, & hanc errantem percipere domum supra infirmum cadentem: an necessariò ex hoc errore sequetur error in æstimatiua, & appetitu, & tandem in memoria & intellectu?

Hanc dubitationem mouet Magister *lib. de locis, disput.* 7. *cap.* 5. *in fine*: & respondet, non lædi necessariò potentias subsequentes, quamuis imaginatio erret, vel deprauetur. Probat esse doctrinam Galeni dicentis pluries lædi solam imaginationem, vt in Theophilo: aliquando verò solam rationem, vt in Lanifico vasa per fenestram reiiciente. Quòd si obiicias: Æstimatiua recipit species impressas ab imaginatione: ergo si hæc deprauetur, necessariò producitur species impressa in æstimatiua eumdem errorem repræsentans, & per consequens repugnabit non sequi actum iudicij sensationi præcedenti conuenientis. Respondet Magister dupliciter. Primò, quod non sequitur necessariò actus in æstimatiua, juxta opinantes quod non

possint

possint recipi duæ species solo numero differentes in eadem potentia : vnde cum possit dari species producta in æstimatiua respectu obiecti, circa quod modò imaginatio delirat, non sequitur actus de nouo in æstimatiua, & inde neque error : quia non producitur species de nouo, à qua eliciatur necessariò actus æstimatiuæ, verùm quia ipse putat recipi species plures solo numero differentes in eadem potentia, aliter respondet, & dicit quòd quamuis ex actu imaginationis erroneæ producatur species impressa in æstimatiua, non errabit : quia cùm istæ potentiæ sint diuersæ, vtuntur speciebus sub diuersis rationibus repræsentantibus obiecta : fieri ergo potest, vt sit benè dispositum organum æstimatiuæ ad operandum sub illa ratione sibi debita, etiamsi prior potentia, vel actus imaginationis fuerit erroneus, & exemplo Theophili facilè explicatur, qui etsi læderetur per actum imaginationis percipientis sonantes tibicines, non habuit rationem læsam ; sed optimè discurrebat imperando expulsionem eorum, quia erant illi molesti ob incessantem sonum.

Sed in hac quæstione dico primò, quòd si solùm attendamus vires sensitiuas, necessariò sequitur læsio in æstimatiua, quando imaginatio deprauatur circa obiectum, respectu cuius æstimatiua tenetur elicere actum inconuenientiæ, vel disconuenientiæ. Notanter dixi, circa obiectum conueniens, vel disconueniens : quia certum est non omnia obiecta percepta ab imaginatione mouere æstimatiuam necessariò ad operandum : quia non datur in quolibet obiecto, circa quod imaginatio erret, ratio conuenientis, vel disconuenientis, vt si erraret circa existentiam Petri, vel alterius rei, quæ nec fugienda, nec amanda foret : in hoc enim casu non est dubium non fore lædendam æstimatiuam, quia nullum actum eliceret circa obiectum propositum.

Si verò obiectum deprauatè ab imaginatione conceptum necessariò includit rationem conuenientis, vel disconuenientis, necessariò etiam læditur æstimatiua per primum actum. Probatur efficaciter : Actiones sensitiuæ non sunt liberæ ex propria natura ; sed necessariò sequuntur posita specie determinante potentiam capacem sentiendi ; sed ex actu erroneo imaginationis sequitur necessariò productio speciei impressæ in æstimatiua : ergo operabitur necessariò, quia non poterit non determinari ad opus circa illud obiectum. Omnia huius rationis sunt perspicua, & confirmatur exemplo cuiusque alterius sensus, in quo si dispositus sit, repugnat non percipere obiecta, vel circa illa operari semel informatum specie : quia est necessaria determinatio, & adæquata ad operandum : vt oculus nequit non videre semel fœcundatus specie, nec auditus non audire, vel non sentire tactus.

Nec ratio Magistri est ad rem : dicebat enim non sequi errorem in æstimatiua : quia fieri potest, vt organum eius sit benè dispositum ad operandum sub peculiari ratione æstimatiuæ, quamuis ad imaginandum malè se habeat. Sed contra est, quia potiùs sequitur contrarium : quia si organum æstimatiuæ est optimum, repugnat non elicere iudicium conforme sensationi imaginationis, vt in Theophilo, quia benè se habebat organum, iubebat pelli tibicines, quia continuo sono erant molesti : idémque probatur in dormientibus, quibus si proponatur taurus eos inuadens, necessariò fugiunt : quia intellectus non assequitur esse propositum à sola imaginatione : & si in somno proponatur delectabile obiectum, eodem modo prosequitur illud appetitus actione præcedente æstimatiuæ, vnde in brutis repugnat esse propositum obiectum terribile, vel amabile, quin sequatur statim actio æstimatiuæ, & appetitus.

Dico secundò ; si attendamus vires intellectiuas, non sequitur læsio necessaria in æstimatiua, quamuis per imaginationem proponatur obiectum delectabile, vel

A terribile : constat ex doctrina Philosophi *loco iam adducto ex libro de insomniis*, & ostendit præcipuè vertigo, in qua etsi domus videatur in gyrum moueri, non timet æger : quia intellectus assequitur obiectum illud esse solum imaginatum, & sic nec timet domus ruinam ; nec fugit ab illa : quia ab intellectu suspenditur actio æstimatiuæ iudicando domum apparere subuerti ; sed non subuerti reuera : vnde quando intellectus non corrigit prædictam apparitionem, statim deprauatur æstimatiua, & cum ea intellectus.

Neque rectà inferes in homine etiam necessitandam esse æstimatiuam læsa semel imaginatione : quia quantum ad vires sensitiuas eadem ratio videtur in homine, & in brutis, sicut non potest non videre, vel audire, semel proposito, vt decet, obiecto aliquo ex dictis. Respondeo negando sequelam. Ratio est, quia fuga obie-B cti, vel prosecutio pendet ex apprehensione obiecti sub formali ratione delectabilis, vel terribilis : & quia obiectum terribile fictum nequit timeri, ideò neque æstimatiua læditur : non enim potest appetitus sensitiuus, vel æstimatiua imperare aliquem motum renuente voluntate & intellectu : sunt enim rationes superiores : éstque voluntas in homine mouens superius, vt intellectus superior ratio. Contra quæ renuentia repugnat appetitum & æstimatiuam aliquem motum prosecutionis, vel fugæ elicere. Ad authoritatem Galeni respondeo facilè, quòd cùm imaginatio errans non semper versetur circa obiectum amandum, vel fugiendum, potest errare, quando æstimatiua nullum actum elicit circa illud obiectum, eo quòd non habeat bonitatem amandam, vel malitiam fugiendam respectu illius indiuidui. Iam verò diximus quòd quando Theophilus im-C perauit fugam tibicinum, errauit æstimatiua, & appetitus etiam, quia læsio est in eis imperare fugam obiecti, quod fictè solùm molestat.

Sed obiicies : saltem videtur quòd memoria semper lædatur, etiamsi organum illius benè se habeat. Probatur, quia non potest non recipere species ab actu imaginationis erroneo, neque intellectus potest impedire, ne remaneat memoria illius obiecti erronei. Respondetur in casu proposito nullatenus memoriam errare, quinimò operatur vt debet, quia obiectum naturale illius est præteritum, vt cognitum quomodolibet, vel à quauis occasione cognoscatur, essétque potius læsio in memoria non recordari illius, solumque pu-D tant Authores memoriam errare, quando attribuit Petro, quod videt in Paulo, vel errat in tempore, vel in loco : versatur enim memoria circa præteritum vt cognitum cum determinatione personæ, loci, & temporis : recordari verò obiecti quod vidit, semper alium sensum respicit, & etiamsi sit illa conceptio erronea, naturalis est operatio memoriæ, & nullo modo delirium, vel error.

CAPVT X.

Vtrùm mutatio temperamenti in solis primis qualitatibus ad delirium sufficiat ?

E

TEmperiem primarum qualitatum esse necessariam simpliciter ad operandum, probatione non eget ; imò omnes actionum variationes ex varietate temperamenti primarum qualitatum originari publicè fatentur omnes, & est ratio manifesta ; quia potentiæ sensitiuæ non suscipiunt magis, nec minus, & ideò sunt in se inuariabiles, & multò magis anima ipsa : sicque in phreneticis experimur, immutatis omnino speciebus, potentiis, & anima, tam miram varietatem symptomatum, & deliriorum à vitiosa nasci temperie : supponimúsque in præsenti quæstione nullam mutationem

in

in speciebus, vel potentiis esse, sed solùm in temperamento, inquiritque, an sola variatio primarum qualitatum ad delirium sufficiat? An verò sit necessaria productio alicuius secundæ qualitatis, quæ sit origo immediata delirij?

In qua quæstione Magister *lib. de locis, disp.7.c.6.* existimat, nullatenus sufficere mutationem in primis qualitatibus; sed esse requisitum quod producatur aliqua secunda, vt delirium causetur, probat efficaciter suo videri sequenti argumento: A qualibet distemperie, vel febre eiusdem intensionis euertitur temperamentum primarum qualitatum eodem modo, cùm secundus gradus frigiditatis corrumpatur, & idem inceodatur caloris; sed experimento constat istos enim magna febre in delirium non cadere; illos verò cum remissa febre statim mente deprauari, & delirare nimium. Ergo sola caloris mutatio non causat delirium, alioqui deliraret, qui maiori febre corripiebatur. Est ergo requisita mutatio in aliqua qualitate secunda: Galenus enim nomine temperamenti requisiti ad actiones, non solùm intellexit temperiem primarum qualitatum, sed secundarum etiam; sic enim in arte medicinali bonom ingenium in cerebri tanuitatem reduxit.

Hæc doctrina nuoquam mihi placuit. Primò, quia multiplicat entia absque necessitate, & fugit difficultatem confugiendo ad id, quod nullo modo potest probari. Secundò, quia simili actione erronea, quam ratione morbi delirans elicit, potest homo sanus voluntate fingere: vnde si talis modus actiuois expofceret certam mutationem in qualitatibus secundis, nullo modo posset homo sanus talem errorem fingere. Patet, quia nulla actio potest dari sine tem petie ad illam requisita. Ergo si determinata apprehensio requirit talem motationem in qualitatibus secundis, dari non poterit absque tali mutatione: hanc verò non dari in homine sano manifestum est. Ergo non requiritur, vt fit talis depranatio in actione. Tertiò, si esset necessaria talis mutatio, cùm sint innumera deliriorum genera, essent ponendæ tot mutationes in qualitatibus secundis, quot sunt deliriorum species, quod est omnino chimæricum. Quartò vrgetur: Non est in homine producenda à calore diuersa secunda qualitas ab eis, quas producit in rebus externis; in istis autem solum producit tenuitatem, & raritatem; nulla verò ex dictis ad delirandum conducit. Patet, quia Galenus *in arte Medic. iam cit.* inter optimas temperies ad bonum ingenium tenoitatem enumerat, quæ fine raritate erram non fit: ergo ratione secundarum qualitatum à calore prodocibilium, non videtur probabile quod sequatur delitium, si ad bonum ingenium conducunt. Quintò: Temperies primarum qualitatum non minus requiritur ad actiones, & benè operandum, quàm qualitates secundæ: ergo sicut variatio in secundis deprauat actiones, ita & variatio in primis. Neque potest adduci à Magistro probabilis ratio, cur in secundis solùm detur deprauationis occasio, & non in mutatione primarum. Et patet à simili: ad ablationem, vel diminutionem actionum sufficit sola variatio in primis qualitatibus: ergo ad deprauationem sufficit. Patet, quia non est ratio maior vnius læsionis, quàm alterius. Tandem est argumentum ad hominem, quia Magister putauit fieri aliquando delitia propter solum motum inordinatum spirituum, seclusa quauis alia intemperie. Et exemplo insomniorum probatur, eo quòd absque mutatione in aliqua secunda qualitate fiunt sæpè. Si ergo solus motus spirituum, vt adæquata & sola causa est occasio delirij fine vitiosa temperie, frustra constituitur motatio in secundis. Et constat, quia calorem, & siccitatem tradunt Authores vt solas causas delirandi: constat verò in mutatione secundarum qualitatum contrariari: nam calor attenuat, & rarefacit, sicque efferuescentiam in humoribus causat, siccitas econtrà densat, & incrassat: vnde videtur, quòd non conducat ad delirium per mutationem secundarum qualitatum; nam causæ contrariæ nequeunt ad eundem modum operandi disponere.

Dicendum ergo nobis est, quod sola variatio in qualitatibus primis sufficit ad delirium: quia temperies illa est simpliciter necessaria ad benè operandum, & magis necessaria agnoscitur, quam secundarum temperies, & inde omne genus symptomatum in læsa actione ex variatione primarum potest, & debet oriri; & cùm variatio in secundis fieri repugnet, nisi propter variationem primarum, sitque euidens in primis mutatio, igoota verò in secundis, sine ratione philosophica reducitur læsio in variationem solam secundarum qualitatum. Sic Galenus ad solum calorem deliria reducit, vt constat ex *lib. 2. de causis symptomatum, cap. vlt. & 4. lib. de præsag. ex pulsibus, cap.7.* ita docet expressè dicendo: Cerebrum ipsum, vbi incurrerit in morbosam intemperiem symptoma, quod necessariò intemperiei familiare est, inducitur in caloribus immodicis, si quando ij soli extiterint, delirium, &c. Vides quod dicit, quando soli extiterint, delirium causari: ergo sine consortio alicuius qualitatis secundæ, cuius est ratio infinuata: quia, vt temperies primarum est requisita ad actiones simpliciter, ita permutatio eius potest conducere ad male operandum quomodolibet, ablatè nimirum, diminutè, & deprauatè.

Ad rationem, qua Magister conuincitur, respondetur facile: nam cùm ex doctrina Galeni *1. lib. de sanitate tuenda*, latitudo sanitatis non consistat in indiuisibili, sed magnam latitudinem habeat: hinc est quòd non lædantur omnes æqualiter ab eodem gradu caloris, & ita vnus poterit delirare cum remisso calore, & alius non delirabit cum magno & intenso: quia in illo à minori calore inducitur maior læsio, quàm in illo ab intenso calore, eo quòd sanitas illius, vel eius latitudo minor multò est, quàm latitudo alterius, & ideo remissior calor est homini debili plus contra naturam, quàm magnus homini robusto cuius sanitatis latitudo latius patet, quàm in alio, & sic ab intensiori calore non offenditur sensibiliter; aliter verò maximè, quia ei est magis contra naturam vnus gradus caloris, quàm alteri duo, vel tres. Et ratio, qua conuincitur Magister, præterquam quod iam est soluta, habet contra se hoc: cur, inquam magnus ille calor non produxit illam qualitatem secundam, & eam produxit calor remissus? si dicat passum resistere magis introductioni qualitatis secundæ in homine calidiori; idem ego dicam, quòd latitudo sanitatis in illo est maior, & inde requirere maximam intensionem, vt mens deprauetur.

CAPVT XI.

Vtrùm omnes primæ qualitates ad delirium conducant?

Est hæc quæstio difficillima: vt verò intelligatur eius decisio, notandum est quod diximus anteà, delirium scilicet duo requirere, vt fiat: primum est, quòd efficaciter moueant species aliquæ potentias tractrices ad opus. Secundum est, quod tollatur concursus phantasiæ, vt cum intellectu operetur ad actum, vel discursum contrarium, quod est suo modo diminuere vim sensuum internorum in ordine ad opera certa, vel omnino auferre. Non est ergo dubium, di-

minutionem actionũ,aut ablationem à frigore,& hu-
miditate fieri posse,& sic hanc conditionem participa-
re propriùs, quam habent calor,& siccitas, licet cir-
ca hoc sit notabilis differentia,quòd frigus , vel hu-
miditas non tollunt concursus phantasiæ , vel sensus
interni in ordine ad opus determinatum,sed vim sen-
sus interni diminuunt , vel auferunt vniuersaliter, li-
cet priùs monstretur læsio sensus interni in vno actu,
quàm in alio, aut in vna potentia, vt frigus,& humi-
ditas priùs inferunt læsionẽ in actu memorandi,quàm
in imaginatione , vel cogitatiua virtute , vt post vi-
debimus ; calor verò,& siccitas eo ipso quòd efficaci-
ter solent excitare species determinatas, & non om-
nes ; sic non diminuunt virtutẽ sensus interni vniuer-
saliter, sed determinate diminuunt ad actum contra-
rium ei, ad quem efficaciùs determinant, & inclinant,
vt distemperies,quæ ad furorem inclinat vehementer,
eo ipsu diminuit eum ad timendum,& non necessariò
ad alias passiones : frigus verò, & humiditas econtra
faciunt diminuere , scilicet indifferenter ad omnia
phantasmata : cuius ratio tradetur a nobis inferiùs.

Videtur autem ex dictis, quamlibet qualitatem ex
primis ad delirium conducere : patet, quia non vide-
tur esse repugnantia aliqua , vt frigus , & humiditas
certas species determinent magis , quam alias , & sic
potentiam vel vim efficaciter inclinari ad operandum
per illas,& ex alia parte diminuent sine dubio vim ad
contrar a phantasmata:ergo ad delirandum conducũt.
Secundò id probatur efficaciter à simili,exemplo na-
turalium actionum : fiunt enim depravatè per frigus
in-ensum:constat in coctione ventriculi,per quam ali-
mentum mutatur in acidam qualitatem,estque depra-
uata actio,quia terminatur in alienam qualitatem.Er-
go similiter contingere potuit in actionibus sensuum.
Idem probatur exemplo hydropis,in qua deprauatur
iecur à frigore immodico generando aquam,vel cru-
dum humorem,vel flatus loco sanguinis:estque argu-
mentum efficacissimum,quod ex fame canina desumi-
tur : in ea enim infrigidato contra naturam ore ven-
triculi fit vehemens sensatio,& intensior,quàm secun-
dum naturam , ob cuius molestiam tantam alimenti
copiam appetunt , & ingerunt, & nunquam satiatur
appetitus,quia semper adest intensa perceptio obiecti
excitantis ad famem : ergo intendi potest obiecti sen-
sibilis sensatio ab intemperie frigida.

Sententia tamen opposita communior est in nostra
schola, vt consona magis doctrinæ Galeni, & autho-
rum docentium vnanimi consensu,solum calorem, &
siccitatem inclinare ad delirium ; frigus autem , &
humiditatem inter causas delirij nullatenus numerãt:
quinimò semper disponere sẽsus internos ad nõ ope-
randum,& quietem,neque in vniuersa doctrina Gale-
ni legitur vbi frigus,& humiditatem tradat vt causas
delirij.Sic *lib. 2.de locis,c.vlt.*dixit causam potestate ca-
lidam,vigilias,& delirium efficere ; & *4.lib.de præsag.
ex pulsibus,c.*8.etiam *lib.epidem.part.2.comment.5.*Sicci-
tatem verò ad delirium conducere , ex melancholicis
probatur,in quibus nulla distẽperies agnoscitur mor-
bosa,nisi sicca,& tamen satis vehementer delirant;&
ex curatione probatur,quæ & alimentis,& medicamẽ-
tis humidis celebratur , & id clarè indicat vigilia su-
perflua,quæ ab exsuperãte siccitate nascitur,& nullo
modo à frigore.Hãc doctrinã tuetur Princeps noster
*fen.1.c.5.*dicendo: *Et sermo quidem vniuersalis in opera-
tionum significationibus est; quòd ipsarum diminutio , &
destructio fiant propter frigus , & grossitiem spiritus ex
humiditate , & non fiunt ex caliditate nisi magnificetur,
& perueniat ad hoc , vt deiiciat virtutem ; permutatio
autem, & quæ motui comparantur,fiunt ex caliditate, &
fiunt ex siccitate. Et eodem lib. & fen. 4.c. 7.*agendo de
sensuum læsione dicit:*Et quodcunque horum est decli-
nans ad diminutionem , tunc ægritudo est ex frigore : &*
A *quodcunque est decline ad permutationem , & agitatio-
nem,est ex caliditate.* Quibus locis satis perspicuè tra-
didit doctrinam positam.

Est autem difficillimum assignare rationem,propter
quam humiditas,& frigus ad delirandum non condu-
cant.Et existimo,à priori non posse tradi est probabi-
lissima,quæ ex somni conciliatione desumitur : nam
vt certum tenendum est,somnum,& vigiliam contra-
riari,& per consequens ex contrariis causis,& princi-
piis oriri : vnde cùm delirare vigilare sit, & dormire
cessare ab omni opere sẽsitiuo,videtur quòd id quod
inclinat ex propria natura ad conciliandum somnum,
nequeat conducere ad delirium , quia delirium in sua
intrinseca ratione includit vigiliam : ergo vt calor,&
siccitas ad vigiliam inclinant , ita necessariò condu-
B cunt ad delirandum , quia vigilia superflua via est ad
delirium , & ex vigilia delirium venturum præsagit
Hippocrates 1.*prognost.* Meritò ergo calor,& siccitas
excitant potentiam ad opus , si vigilare contra natu-
ram cogunt:quia vigilare sentire est,& percipere ob-
iecta.Contraria igitur ratione frigus,& humiditas eo
ipso quòd somnum conciliant,vt sentiunt omnes,tor-
pidas reddunt internas potentias,& nullo modo exci-
tant species ad opus,sed adæquatè opponuntur causis,
& principiis omnibus ad sentiendum conducentibus;
ita vt non solum tollant ab spiritu,& cerebro dispo-
sitionẽ conuenientem,vt in partes sentientes influant,
vt posteà videbimus,sed etiam per propriam informa-
tionem malè disponant organum ad benè sentien-
dum , & fœcundationem specierum destruunt, & sic
C semper minuunt ex propria natura sentiendi princi-
pia,nunquamque conducunt per consequens ad ma-
gis sentiendum,aut efficaciùs,sed semper ad minus:&
hoc communi quadam ratione omnibus potentiis,&
actibus earum:nam si certos solum tollerent, eo ipso
ad delirandum conducerent,quia non posset homo se
corrigere deficiẽtibus certis actibus phãtasiæ,vt anteà
diximus.Quod autẽ calor,& siccitas superfluam vigi-
liã causent,publicè fatẽtur omnes,& proprio tractatu
trademus huius rationẽ : vnde crassè errauit Massarias
c.11.suæ practica, affirmando siccitatem inter qualita-
tes diminuentes sensus esse connumerandam : hoc
D enim verum esse non potest, si ad vigiliam superfluã,
& delirium disponit,quod ab eo negari non potest.

Ex dictis soluitur facilè primum argumentum:con-
stat enim ratio,ob quam frigus,& humiditas ad ope-
randum non excitent, si verè ex natiua conditione in
somnum inclinant,& quamuis sensatio quælibet,qua-
tenus est actio corporea,petat temperiem mixtam, vt
fiat , & vt sic pendeat à primis quatuor qualitatibus
absoluiè;tamen vt actio aucta,& vt excitatur poten-
tia efficaciter ad operandum , pendet solùm ab aug-
mento caloris,& siccitatis,& coctio,etsi sit actio mix-
ti, & vt sic præsupponat quatuor primarum qualita-
tum temperiem , tamen vt coctio in opinione Philo-
sophi solùm à calore efficitur. Ad secundum respon-
deo esse diuersam rationem : nos enim non negamus
E fieri posse ab intenso frigore aliquam deprauatam
actionem,& sic acida cruditas ab eo causatur ; at verò
sensus interni à frigore vel humiditate præternatura-
li nequeunt excitari efficaciùs ad operandum : quo-
niam semper inducunt dispositionem repugnantem
sensationibus. Neque obstat quòd contrarium insi-
nuat D. Thomas 2.2.*q.95.art.6.q.154.art.5.* dicendo,à
frigidis humoribus excitari potentias ad insomnia
determinata,vt quod sit dormiens immersus aqua,vel
quòd pluuia cadat. Et confirmatur ex communi do-
ctrina Medicorum dicentium,somnia esse contemplã-
da,quia ex illis diuinare potest Medicus temperiem
excedentem;ergo quælibet qualitas & temperies ha-
bet suas species proportionatas , quas excitare potest
ad opus.Respondeo quòd frigidi humores superabun-
dantes

dantes, nullo modo, vt probauimus, excitant potentias & species ad opus. Sed nihilominus alio modo possunt conferre ad certa insomnia, præsupposita scilicet sensatione frigoris, & humiditatis: nam qui, dum dormit, frigiditatem sentit, vt patet, nil mirum quòd per memoriam coniunctorum, vt docuit Fracastoreus, statim se offerat iudicium de pluuia, vel quòd sit in flumine: sicut qui sentit inter dormiendum flatus nimiam motionem, iudicat statim à vento concuti.

Difficilius videtur, quod de fame canina tradebatur. Ad quod respondeo, quòd conditio, vt qualitas illa dolorifica oriatur ab interno principio, potest à frigore poni, quando non tollit virtutem ad sentiendum, neque partem mortificat: expressio enim succi alimentosi à minori frigore fit, quàm requiratur ad ablationem, vel diminutionem: cuius ratio est, quia expressio, & inanitio fit per solam vnionem cauitatum, intra quas alimentum continetur; conditio autem ad non sentiendum requirit densitatem in propria substantia, vt incapax reddatur ad recipiendum influxum: hæc autem densitas intensius frigus requirit, & sic antequam constituatur, excitatur fames intensa, quia fit inanitio, & expressio alimenti, ad cuius defectum oritur statim qualitas illa dolorifica. Quæ doctrina etiam est vera respectu cuiusque alterius modi opinandi circa naturam, vel modum, quo fames, & sitis excitantur, in quo philosophandum est eodem modo: nunquam itaque frigus contra naturam disponit organum tactus, vt meliùs, & efficaciùs percipiat obiecta. Neque obstat quòd frigus sit vlceribus mordax, vt docuit Hippocrates *lib. 5. aphor.* id enim non causat, quia organum meliùs disponat, sed quia soluit continuitatem, & inde dolor inducitur: soluit autem continuum antequam dispositionem ad sentiendum ineptam introducat, & partem incipiat mortificare; ad hoc requiritur frigus nimis intensum: frigus itaque est occasio, vt ponantur obiecta tangibilia, non tamen est dispositio, vt sentiantur meliùs.

Sed inquiret aliquis, an quando calor deprauationem primò attulit, & postea crescens diminuit virtutem sentientem, vt dixit Auicenna, & etiam intellexit per hoc quod est calorem magnificari, tunc cesset delirium, quod priùs attulit, ita vt fiat sola diminutio in actibus sensuum internorum? Respondeo nullo modo cessare delirium; imò crescit quantum ad errorem, quamvis non crescat in intensione actionis. Ratio est clara: quia si calor excitat vim specierum, & potentiarum ad operandum, quò plus crescit, determinabit species efficacius, & ex alia parte, quò plus crescit, diminuitur magis phantasiæ opus ad actum contrarium: ergo non est vnde cesset delirium interim, ac vis sentiendi non ita destruitur, vt percipere non possit obiectum propositum: sentiet itaque remissius obiectum, sed deprauatè: quia actio erronea, vel falsus assensus non requirit actum intensum, cùm non sit actio aucta, sed solùm erroneum iudicium. Et hoc experimento confirmatur in delirantibus morti iam proximis, in quibus etiamsi virtus extinguatur; & potentiæ nimium labascant, delirant nihilominus, & magis hærent assensu falso: quia ob debilitatem minùs possunt emendare falsò proposita per actum contrarium.

Neque oppositum docuit Auicenna, quando *loco citato* in nostra conclusione dixit, quòd diminutio operationum non fit ex caliditate, nisi magnificetur, & perueniat ad hoc, quod deficiat virtutem: nam diminutus rectè intelligi potest simul cum errore, quia non fit tam intensa perceptio obiecti, quàm antea: & potest etiam intelligi de diminutione aliorum actuum, circa quos non delirabat. Vnde Gentilis *in commentario* putauit, calorem per accidens diminuere actiones, in quantum scilicet resoluendo substantiam calidam resultat frigus contra naturam.

A

CAPVT XII.

Vtrùm distemperies lædens vnam potentiam lædat omnes necessariò?

ANteà docuimus, quòd quamvis imaginatio lædatur, non læduntur necessariò aliæ potentiæ: vnde videtur superflua quæstio proposita; est tamen vtilissima: ratio est, quia imaginatio potest lædi sine distemperie aliqua, quæ vt organi dispositio ipsum deprauet, vt constat in vertigine, in qua læditur imaginatio, non quia distemperies sufficiat ad talem læsionem; sed quia commouentur spiritus, & sic percipiuntur res circulariter moueri: quinimò aliquando
B vertigo causatur cum distemperie repugnante totaliter delirio: causatur enim frequentissimè à frigida intemperie, vt docuit Paulus *lib. 3. cap. 2.* in quo conueniunt omnes. Quæstio ergo inquirit, num calor contra naturam, qui vt dispositio organi deprauat actum imaginationis, necessariò simul deprauet æstimatiuam & memoriam?

Supponimus autem tanquam certum, potentias rectrices, vel internas in eodem loco subiectari: si enim in diuersis locis collocarentur, non caderet sub dubio, vnam absque alia lædi posse, ob loci distantiam, cum posset distemperari pars cerebri anterior sine posterioris læsione; & per consequens deprauaretur imaginatio residens in parte anteriori absque vllo nocumento in memoria, quæ in parte postica colloca-
C tur. Et eadem quæstio habet locum in opinione affirmantium solùm dari vnicum sensum internum actus imaginandi, memorandi, & æstimatiuæ, vt inadæquatos seorsim elicientem: inquirimus enim, vtrùm si lædatur actus inadæquatus imaginationis, lædatur necessariò æstimatiuæ, & memoriæ.

Conclusio ergo sit, quòd quamvis solum detur vnicus actus internus, vt iam communissimè in scholis defenditur, non lædantur omnes actus ab eodem gradu caloris, vel contrariæ qualitatis, & ita lædi potest imaginatio à calore, quin lædatur æstimatiua, vel memoria (si hæc deprauari potest) & idem dico de actuũ diminutione, scilicet quòd non omnes diminuantur simul in hac conclusione vnanimem video consensum: & constat ex Galeno *lib. 3. de locis, cap. 5.* sic scri-
D bente de memoriæ læsione: *Hac autem crebro nobis occurrit vitiatâ simul quodammodò ratione; sicut si ratio lædatur, memoriam quoque lædi contingit, vtriusque noxâ ab eadem passione procedente, qua vbi vehementius intenditur, simul cum memoria ratio quoque deperditur, quæ passio vocatur stultitia.* Idem docuit *de differentiis sympt. cap. 3.* & *lib. 4. de locis, cap. 2.* tradit delirium solius imaginationis, quin ratio vel memoria deprauetur; quam doctrinam sequitur Auicenna *fen. 1. 3. tit. 2. c. 6. & tit. 4. cap. 7.* & Paulus *lib. 3. cap. 12.* dicendo: *Memoria iactura partim per se, partim cum aliqua rationis offensa accidit: quemadmodum mentis, vel ratiocinandi facultatis noxa primatim prius accidit, deinde memoriæ iactura sequitur.*

Sed dices, videri impossibile, quòd si sensus
E internus est tantum vnicus, lædatur in vnico actu inadæquato, & non in reliquis. Probatur exemplo læsionis sensuum externorum, in quibus experimur, quod si visus diminuitur circa visionem vnius obiecti, diminuitur necessariò circa omnia alia; & si deprauetur, idem contingat: nam si quis diminutè videt obiectum, diminutè etiam videt nigrum, & quemlibet alium colorem; & si deprauetur circa vnicum obiectum, etiam circa omnia deprauatur: quia vel omnes colores putat esse pallidos; vel omnia obiecta videt duplicata, vel

distorta : ergo similiter si imaginari, vel memorari, vel æstimationem de rebus eliccre sunt actus inadæquati vnius solùm sensus interni, repugnabit lædi io vno absque aliorum læsione. Respondeo esse diuersam rationem : quia externi sensus feruntur eodem modo in obiecta sua : nec enim aliter fertur visus in album, quàm in nigrum, vel alium quemlibet colorem : & ideo temperies, quæ vitiat vnum actum partialem, vitiat reliquos eiusdem potentiæ : at sensus internus diuersissimè fertur in sua obiecta partialia, cùm sint tam diuersa simpliciter imaginari obiectum præsens, & discurrere circa illud, vel memorari, vel disconueniens, vel dissonum iudicare : vnde nihil mirum, quòd requiratur latitudo diuersa temperamenti ad eliciendos actus tam varios, & sic cum læsione vnius stare perfectionem alterius.

His suppositis doctrina communis est, quòd quamvis actus sensus interni requirant mixtam temperiem; non tamen requirunt eamdem : sed licèt imaginatio, æstimatiua, & memoria calorem excedentem exposcant, non tamen æqualem; sed imaginatio minorem, æstimatiua maiorem, memoria maiorem omnibus : vnde quando intenditur calor præter naturam in cerebro, læditur primò actus imaginationis, secundò æstimatiuæ, vltimò memoriæ. Ratio est, quia si remissiori calore completur perfectio imaginatiuus, & maiori æstimatiuæ, & memoriæ, quando incipit intensio contra naturam respectu imaginationis, incipit perfectio respectu æstimatiuæ, & memoriæ, & inde læditur prius imaginatio : quia quod est illi contra naturam, est naturale reliquis potentiis : & eadem ratione læditur æstimatiua, antequam memoria, quia læsio, vel deprauatio fit à calore; si verò diminutio fiat a frigore, priùs diminuitur actus memoriæ, deinde æstimatiuæ, & vltimò imaginationis. Ratio constat ex dictis; quia intensio caloris maioris debita memoriæ destruitur prius quàm quæ debetur reliquis potentiis, & ita prius aufertur temperies requisita ad bene memorandum, deinde ad æstimationem, & deinde vltimò ad imaginationem : quia prius auferuntur gradus intensi, quàm remissi : & similiter priùs deficit memoria à frigore, deinde æstimatio, deinde imaginatio. Doctrina adducta traditur ab Aëtio *tetrab. 2. serm. 2. cap. 2. Vbi memoria inquit, deperdita est in febrilibus morbis, simul perit omnino & ratio & imaginatio : quia implicat lædi à calore memoriam, quin lædatur priùs imaginatio & ratio.* Sic Galenus *lib. 3. de locis, cap. 4.* dixit: *Cum igitur periit, vel grauiter læsa est memoria, frigida est intemperies* : debet autem intelligi, quomodo sola memoria læditur, alioqui falsa esset doctrina, cum à calore possit lædi memoria, & à quavis alia qualitate.

Si verò inquiratis, vnde esse, constare quod imaginatio requirat minorem calorem, & æstimatina, & memoria maiorem. Respondeo esse, quia sunt actus perfectiores : quia discurrere circa obiecta, & memorari eorum sub ratione cognitorum maiorem perfectionem arguit sine dubio, quàm simpliciter apprehendere illa; & ideò requirunt perfectiorem dispositionem, quæ ad motus, & agilitatem in calore consistit : nec inde benè infertur, esse necessarium intensiorem calorem pro æstimatiua : quia cùm operetur cum discursu circa singularia, participat perfectiorem modum operandi, connotatque discursus actionis celeritatem, quæ agilitatem, & calorem maiorem per consequens requirit. Sed contra est : quia memoria non est minus discursiua in homine per coniunctionem cum intellectu, inuestigando celerrimè vnum ex alio, ob quod cum S. Thoma docent Philosophi reminiscentiam soli homini conuenire : quia est velut discursus particularium, vt ex Diuo Thoma retulimus.

Imaginatio itaque dicit solùm simplicem apprehensionem rei per modum quietis, ad quam non requiritur, nisi apprehensio sola, æstimatiua verò, & memoria discurrunt, & sic egent facilitate magna in operatione ac per consequens maiori calore, in quo omnis agilitas & promptitudo consistit : est enim ad discursum necessaria penetratio breuissima rerum, & prædicatorum earum, connexionisque, quam habent inter se, vt vnum inferatur ex alio. quod etiam in reminiscentia inuenitur, & sic intensiorem calorem, quàm imaginatio requirunt : estque reminiscentia, quæ cogitatiuæ deseruit, vt discurrere possit, & sic eget recordatione celeri rerum, vt circa illas cogitatina discurrat.

Sed dices : memoria non solùm requirit calorem, sed etiam siccitatem, vt fatentur omnes : ergo lædi potest primò ab humiditate, & inde male intulit Galenus, quod vbi grauiter offensa est memoria, indicat frigidam distemperiem : & curatio id manifestat, quæ eis sæpè agitur, vbi memoria minuitur. Respondeo ita esse; sed Galenus supponebat grauem offensionem, & subitò factam, in qua hypothesi rectissimè intulit, damnum à frigore oriri.

Si autem læsio interni sensus ab humiditate oriatur, læditur primò memoria : habet enim duos actus & vitalem actionem memoratiuam præteritorum, & rursus conseruare species in absentia sensibilium. Primus actus, vt fiat perfectè, requirit calorem, secundus siccitatem magnam : vnde sicut quando infrigidatur cerebrum præter naturam, læditur primò memoria, quantum ad actum vitalem, ita quando organum contra naturam humidum redditur, læditur primò memoria quantum ad retentionem, & conseruationem specierum : inter quas læsiones hoc magnum discrimen inuenitur, quod quando præ nimio frigore non memoratur æger, non fit obliuio per defectum specierum, sed per defectum dispositionis requisitæ ad actum, quamvis maneant species; at quando memoria deperditur, vel minuitur præ nimia humiditate, deficit actus illius, quia deficiunt species. Ratio est, quia vt fatentur Philosophi, & docuit D. Thomas, si siccitatem requirit retentio formarum, & specierum, lædet humiditas memoriam : quia species, & imagines rerum læduntur, & euanescent : vnde qui per humiditatem memoriam deperdidit, etsi curationem suscipiat, non recordatur, nisi rerum acquisitarum de nouo : quia præteritorum ante morbum nullæ supersunt imagines : at verò qui propter frigus non memoratur, cum non deperdat imagines rerum, recordabitur rerum cognitarum ante morbum : quia durant species communes, & recuperant temperiem ad memorandum idoneam.

Quod si obiiciatis, & satis difficilè, scilicet non posse species simul seruatas deperdi : nam si carent contrario, à quo corrumpantur, & ex propria natura non dependent in conseruari ab obiecto, vel causa illas producente, quomodocunque varietur temperies primarum qualitatum manebunt : patet, quia temperies, cum qua recipiuntur, & durant tempore aliquo, durabunt in perpetuum cum simili intemperie : quia semel impressæ in organo non est à quo corrumpantur. Respondeo corrumpi ad desitionem subiecti : nam quia substantia humida nimis, est etiam nimium resolubilis, deperditur facilè, & simul cum illa deperduntur species : ita autem esse constat, quia si deficerent per solam dispositionem materialem, non minus deficerent per humiditatis excessum, quàm alterius cuiuslibet qualitatis, cum per quamlibet distemperetur organum, & malè disponatur. Si ergo per siccitatis excessum non solùm non deperduntur, sed fiunt potius perseuerantissimæ, constat non destrui per excessum temperiei; sed quia siccitas stabilem & firmam reddit substantiam cerebri, cui inhærent, sic durant nimis, quia durat subiectum.

Sed dices : Imaginatio non minus conseruat species in absentia obiectorum, quam memoria : ergo non

læditur

læditur priùs memoria: conftat, quia læduntur in ordine ad eundem effectum formalem, & dependentem æqualiter ab ea difpofitione. Refpondeo imaginationem effe ipfam memoriam in quantum fpecies conferuat, licèt in actu memorandi, & imaginationis fit magna diuerfitas: nec imaginatio dicitur talis in quantum conferuat fpecies, fed in quantum percipit obiectum in abfentia illius, licèt illud femper percipiat vt præfens, in quo differt à memoria. Sed inquietis: videtur enim quòd cogitatiua nunquam fola lædatur, quia fi à calore læditur priùs imaginatio, & à frigore, & humiditate memoria, non eft à quo primò lædatur cogitatiua; id autem videtur contra doctrinam Galeni tradentis læfionem folam rationis, vel cogitatiuæ: & probatur exemplo lanifici. Refpondeo lædi aliquo modo folam cogitatiuam, & ita fieri à ficcitate: requiritur enim mentis agilitas humiditatis exceffum, vt *proprio lib. de memoria*, docuit Ariftoteles: vbi de intulit conftantes mentis agilitate non effe bene memorantes propter humiditatis exceffum. Verba funt: *Parique modo rationis agilitate vigent, & qui tardo funt ingenio, non bene memores effe apparent: illi enim humidiores, quam opus fit; ifti verò ficciores exiftunt*: ex quo loco conftat, humiditatem conducere ad mentis agilitatem.

Sed ftatim fe offert dubium contra dicta ex hoc Philofophi loco, quomodò qui cerebro ficciorea funt, non fint bene memorantes, fi ficcitas ad permanentiam imaginum, & fpecierum tam valde confert: vnde videtur quod ficcitas eo ipfo quod male difponit, deftruit obiectorum imagines. Refpondeo, quòd non eft ita, fed ficciores dicuntur non benè memores; quia non imprimitur fpecies in memoria eorum, quæ aliis fenfibus percepetunt: & fic exponit hunc locum D. Thomas, & Auguftinus Nimphus, vt conftat ex propria litera textus: nam in quibufdam tranflationibus legitur, quòd qui tardi funt ingenio, non benè memorantur, quia non recipiunt fpecies: impedit enim ficcitas impreffionem imaginum, non quidem vt fimplex qualitas prima; fed quatenus denfat fubftantiam cerebri, & fuo modo reddit opacam: vt enim denfitas neruorum, vel cerebri tollit receptionem animalis influxus; ita confentaneum eft reddi ineapax cerebrum recipiendi fpecies obiectorum, quando præter naturam denfatur fub quauis pofitione. Confert etiam ad malè memorandum, quando remiffi fiunt actus potentiarum antecedentium ob debilem influxum, & remiffam fpeciem impreffam, quæ remiffa producitur ob eandem cerebri denfitatem, & opacam naturam.

CAPVT XIII.

Quomodo ab eadem temperie perficiantur omnes actus interni?

Ex dictis in præcedenti quæftione remanet dubium hoc, qua nimirum ratione poffit idem homo optimam imaginationem, æftimatiuam, & memoriam habere. Ratio dubij eft, quia fi omnes actus dependent ab eadem potentia, & funt adæquati illius; & actus imaginationis expofcit minorem calorem, æftimatiuæ maiorem, & omnium adhuc maiorem memoriæ; videtur repugnare hos actus effe perfectos in eodem homine. Probatur: quia remiffum calorem, & intenfiorem terminatiuè repugnat dari in eodem numero fubiecto: ergo nequit bene difponi ad eliciendos actus relatos, cum repugnet fimul habere remiffum, & intenfum calorem vt tantum, vel terminatiuè: nam gradus intenfior, quam requirit æftimatiua imaginationi comparata, non poteft non effe contra naturam imaginationis: & requifitus intenfior ad actum memoriæ non poteft effe accommodatus imaginationi & æftimatiuæ, cùm fit extra latitudinem fibi debitam: cùm autem exemplo conftet, dari homines optimæ imaginationis, æftimatiuæ, & memoriæ, non videtur requifitus diuerfus gradus caloris ad eliciendos actus prædictos; fed ab eodem calore indiuifibili, & vt tanto pendere: quod repugnat omnino dictis in præcedenti quæftione.

Eft autem fupponendum pro intelligentia quæftionis, eandem difficultatem habere, fiue omnes ifti actus fiot inadæquati eiufdem potentiæ, fiue fint adæquati diuerfarum potentiarum, dummodò refideant potentiæ diuerfæ fpecie in eadem cerebri parte: quod placitum iam eft commune in fcholis, & efficaciffimis rationibus probatur.

Sententia noftra aft, quòd fiue actus fint inadæquati vnius potentiæ, fiue dependeant à potentiis diuerfis, fint tamen potentiæ in eadem parte cerebri, poffunt dari omoes actus perfecti, quamvis diuerfam intenfionem caloris ad fuam perfectionem expofcant. Eft communis doctrina, & confona authoritati, & doctrinæ Galeni, qui per totum librum 1. *de fanitate tuenda*, efficaciter probat noftram fanitatem non confiftere in indiuifibili, fed magnam latitudinem participare: non enim tollitur fanitas per quamlibet remiffionem, vel intenfionem temperamenti; fed durat actionum perfectio, etiamfi variè alterentur homines: rectè ergo contingere poteft quod latitudo fanitatis, iuxta quam poteft effe perfecta imaginatio, fit tanta, quòd non deftruatur cum calore maiore debito æftimatiuæ, & memoriæ; & inde dabitur memoria abfque vlla manifefta læfione imaginationis. Supponamus igitur imaginationem perfectam fieri cum calore vt vnum, memoriam & æftimatiuam cum calore vt duo: non repugnat quòd latitudo fanitatis imaginationis extendatur vfque ad calorem vt duo; quia quamvis rectè operetur imaginatio cum vnico gradu caloris, non tamen malè operabitur cum duobus gradibus, & ita fine læfione fenfibili fibi accidet ad fanitatem, & perfectionem debitam æftimatiuæ, & memoriæ; eodemque modo, quamvis memoria operetur bene cum calore vt duo, non tamen fub quavis remiffione operatur malè: quia habet etiam fuam latitudinem; & inde cum remiffiori calore perfectionem fibi debitam obtinebit, cum quo ftat, vt differentia latitudinis in temperamento obferuetur, ita vt cum calore lædente memoriam lædatur neceffariò imaginatio, & æftimatiua, & cum frigore diminuente imaginationem non poffit non lædi æftimatiua, & memoria, & cum ficcitate lædente rationem, vel cogitatiuam, non lædatur neceffariò imaginatio. Ratio eft, quia fub latitudine minori, fub qua incipit imaginatio, non poteft incipere æftimatiua, neque fub minori latitudine, fub qua æftimatiua effet perfecta, daretur memoriæ perfectio, & fanitas; tamen vbi finitur latitudo imaginationis in ordine ad propriam perfectionem, poteft effe latitudo conueniens æftimatiuæ, & memoriæ, vt maximum imaginationis fit intra latitudinem minimi, fub quo operantur rectè, & naturaliter memoria, & æftimatiua. Vnde etiam infertur, quòd in maximo, fub quo memoria læditur, non poteft non effe læfa imaginatio, vel æftimatiua: quia fanitatis latitudo in memoria refpectu caloris ad

plua extenditur, quàm in aliis potentiis, cùm incipiat perfectio eius per minimum, & inde necessario læditur imaginatio, quando à calore, vel siccitate vitiatur memoria, ita vt termini, sub quibus incipit horum actuum perfectio, & sub quibus vltimatè finitur, incompatibiles sint: quia memoria non potest incipere eum minimo, in quo incipit imaginatio in esse perfecto, & terminus sub quo in ordine ad maximum clauditur, & finitur imaginationis perfectio, non potest finire maximum, sub quo durat perfectio, & sanitas memoriæ, vel æstimatiuæ; tamen vbi non finitur imaginationis perfectio, potest stare sanitas memoriæ: quia temperatutæ intensio, sub qua latitudinem naturalem habent, potest esse simul, quia inter primum gradum caloris, sub quo incipit imaginatio, vsque ad totum secundum, sub quo incipit aliarum potentiarum perfectio, & sanitas, potest non esse læsio sensibilis in imaginatione, vt diximus: & hoc ex parte finis etiam videtur conueniens, vt idem homo actuum diuersorum perfectionem possit obtinere. Probatúrque hæc doctrina efficaciter ex operatione potentiarum naturalium: in quauis enim parte viuentis dantur retentio, attractio, expulsio, & alimenti concoctio, qui actus diuersam requirunt dispositionem terminatiuè: nam coctio agitur melius calore, & humiditate, attractio calore intenso, retentio siccitate magna; & nihilominus fiunt omnes dictæ operationes eodem temperamento: quia, vt dixi, latitudo sanitatis ad vnicum actum requisita taliter extenditur, quod sine læsione illius accedit ad perfectionem requisitam pro aliis actionibus: & eodem modo philosophandum est in cerebro, vt inde constet esse inefficacem rationem affirmantium memoriam, & imaginationem in diuersis partibus cerebri collocandas esse: quia imaginatio requirit humiditatis excessum ad facilè suscipiendum; memoria verò siccitatis, vt obiectorum imagines seruet, diuque retineat: nam hoc quidem reperitur in coctione alimenti, in retentione, attractione, & expulsione, & fiunt nihilominus ab eadem parte perfectè, quando naturali temperie constat, cum quo stat imaginationem perfectiorem esse in parte anteriore cerebri, memoriam in postica, & cogitatiuam in media: quia pars posterior cerebri siccior existit, & anterior humidior: ob quod in memoriæ læsione consueuerunt Medici auxilia applicare parti posteriori cerebri, in imaginationis verò iactura parti anteriori.

Hæc est communis doctrina nostræ Scholæ; quæ non est ita intelligenda, vt sit verum posse esse in eodem homine tam perfectam imaginationem, æstimatiuam, & memoriam, quamuis sit temperatus ad iustitiam, vt in aliis hominibus non possint dari perfectiores: estque philosophandum in præsenti quæstione eodem modo ac de corpore temperato ad iustitiam ad intemperatum comparato: illud enim obtinebit collectiuè omnes actiones perfectiores; poterit tamen distributiuè superari ab intemperato. Itaque temperatum corpus, vel cerebrum non obtinebit aliquam potentiam læsam: quia, vt dixi, latitudo sanitatis vnius non repugnat cum temperie requisita ad actum naturalem alterius, vt fiat sine læsione aliqua: fiet nihilominus actus memorandi perfectior in cerebro distemperato ob calorem & siccitatem, & discursus in calido & humido, vt imaginatio etiam: vnde infero quod actus dicti non possunt esse summè perfecti in eodem homine, quantum

A ad id, quod ex propria natura, & absolutè habere possunt. Quam partem efficaciter probant omnes rationes suadentes, temperata corpora posse superari ab intemperatis in aliqua actione: & ratio à priori est: quia repugnat non fieri actum, quando temperies augetur intra latitudinem sibi debitam: vnde si primò læditur imaginatio à calore, à quo non læduntur æstimatiua & memoria, calor ille nondum est extra latitudinem æstimatiuæ, & memoriæ perfectioris: ac per consequens perficiuntur cum illo, cum quo imaginatio læditur: quia est intra latitudinem sanitatis earum, & per consequens quando imaginatio erat summè perfecta antequam læderetur, non erant aliæ duæ in summa perfectione: quia tota intensio caloris, à B qua incipit deprauari imaginatio, deficiebat de latitudine perfectionis debita æstimatiuæ, & memoriæ, & per consequens repugnat non perfici, quando illa debita intensio acquiritur. Et confirmatur efficaciter communi doctrina authorum, qui etsi opinentur omnes potentias esse in quauis parte cerebri, vel actus omnes esse inadæquatos vnius, fatentur nihilominus memoriam vigere magis in parte posteriori, imaginationem in anteriori: quod esset improbabile, si latitudo sanitatis foret in qualibet parte corporis temperati idonea ad summam actuum perfectionem. Si ergo siccitas maior partis posterioris cerebri confert ad augmentationem memoriæ, & non ad perfectionem imaginationis, constat cla- C rè, quod à calore, à quo incipit lædi imaginatio, perficiatur memoria, videturque impossibile quòd retentio specierum non fiat melius à cerebro sicco, quàm ab humido, vt docuit S. Thomas 1. *lib. de memoria*: *Videmus*, inquit, *in corporalibus, quod illa, quæ difficulter, & tardè accipiunt impressiones, benè eas retinent, sicut lapis; quæ verò facilè recipiunt, non benè retinent, sicut aqua: & quia memorari nihil aliud est, quam benè conseruare semel accepta, inde est, quòd illi qui sunt tardi ad recipiendum, retineant benè recepta, quod est bene memorari.* Et Philosophus *in exordio eiusdem libri* docuit, pollentes memoria esse tardos ingenio.

D

CAPVT XIV.

Vtrum species obiectorum conseruentur in spiritibus in obiectorum absentia, ita vt possit esse causa delirandi?

INquirit quæstio, an conseruentur species obiectorum in eorum absentia in spiritibus, sicut conseruantur in potentiis internis: quæstio quidem satis controuersa in nostra schola, & nimis conducens ad inueniendam rationem multorum deliriorum, quæ in reseruatas species in ipsis spiritibus reducuntur: à quo etiam principio pu- E tant authores emanare multiformem, & admirandam deceptionem, quam in insomniis experiuntur dormientes.

Est quidem quæstio difficilis, & duas partes continet. Prima est, si conseruentur species in ipsis spiritibus. Secunda est, an supposito quòd conseruentur in absentia obiectorum, possint spiritus cum speciebus esse causa adæquata delirandi, quando tumultuosè agitantur in cerebro, ita vt ex inæquali, & inordinato motu spirituum eueniant

niant deliria, quamuis nulla distemperies in cerebro detur.

Quantum ad primam partem quæstionis opinantur aliqui species obiectorum non conseruari in spiritibus, & docent absolutè, nunquam in spiritibus recipi, negantes simul esse spiritus medium per quod distribuantur species. Rationem adducunt: quia cùm possit per continui alterationem mediis partibus species produci, & sic ad organa ferri, impertinenter ponuntur spiritus vt medium productionis earum. Et hoc confirmant experimento: quia in eodem instanti, in quo sentitur calor in pede, operatur circa illum phantasia: si autem species producerentur in spiritibus velut in medio, implicaret tam subitam fieri imaginationem circa obiectum tangibile, cum corpus medium, vel spiritus nequeat esse continuum cum pede, in quo primum sentiebatur calor; & cum cerebro, in quo fit eiusdem caloris imaginatio: vnde potiùs esset requisitum tempus longum inter actum imaginationis, & sensus externi. Quod etiam confirmatur efficaciter in speciebus impressis sensuum internorum: nam cùm in æstimatiua producantur per actum imaginationis, & in memoria similiter, & in imaginatione per actum sensus communis, si omnes dicti actus sunt inadæquati eiusdem potentiæ, aut si sint diuersæ potentiæ, sunt tamen in eodem subiecto constat esse impertinentem spiritum tanquam medium, cùm medio opus non sit, si resideant potentiæ in eadem parte cerebri; nec si essent in diuersis, necessarius videtur spiritus, cùm sit cerebrum ipsum continuum, & capax specierum, & per consequens per illum tanquam per medium naturalissimum communicarentur species ab vna potentia in aliam.

Sed sententia nostra est, species obiectorum conseruari verè in spiritibus, vt conseruantur in potentiis internis. Sic tenet Fracastoreus *lib. 2. de intellectione, & anima*, quem sequitur Magister noster *lib. de locis affectis, disput. 6. cap. 6.* éstque expressa sententia Aristotelis *lib. de insomniis*, dicentis: *Cùm enim dormit, plurimo ad principium confluente sanguine, ij qui insunt, motus simul deuoluuntur, alij quidem actu*, &c. Vbi clarè docet simulacra rerum moueri simul cum sanguine ad primum sensitiuum, quod cor esse putauit, & inde causare insomnia: in cuius loci expositione Sanctus Thomas organa appellauit ipsos spiritus: nam aliter vera esse non potest eius doctrina, quæ sic habet: *In dormiendo descendit multus sanguis ad primum sensitiuum, & simulacra similiter in ipsis propriis organis descendunt ad primum sensitiuum, & mouent ipsum*: constat verò organa descendere non posse simul cum sanguine, nisi per illa significentur spiritus, qui organa dicuntur impropriè: quia sine spiritibus non fiunt sensationes, & conseruant species non minùs quàm organa ipsa. Hoc autem ita esse colligitur perspicuè ex eodem authore *1. p. q. 3. ar. 3.* in quo explicando, qua ratione Angelus possit immutare hominis imaginationem, dicit ita: *Manifestum est autem quod apparitiones imaginariæ causantur interdum in nobis ex locali mutatione corporalium spirituum, & humorum*: vnde Aristoteles *lib. de somno & vigilia*, assignans causam apparitionis somniorum dicit, *quòd cum animal dormit descendente plurimo sanguine ad primum sensitiuum, descendunt simul motus, id est, impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in spiritibus sensualibus conseruantur, & mouent principium sensitiuum.* Quam doctrinam rursum repetit *art. 4.* & eam sequitur noster Vega *lib. 3. de arte medendi cap. 3.* dum agit de generibus symptomatum, exponens doctrinam Philosophi adductam iam ex *libro de somniis*. Idem tradit Augustinus Nimphus: & ratio est, quia cùm spiritus sint corpora necessaria ad omnia opera sensibilia, & motiua: & sic intima corporis penetrent, & totum cerebrum multo abundet spiritu, non erat conueniens esse incapaces specierum, ne interpositi obstarent productioni earum à partibus internis, & externis sensoriis in cerebrum, & internos sensus. Et confirmatur efficaciter, quia si partes solidæ, & opacæ sunt capaces recipiendi species in contraria opinione, cur non erunt spiritus, cùm sint temperaturæ nostræ tam conformes, sintque minùs solidi, & opaci: scimus enim neruum densatum eo ipso reddi incapacem recipiendi influxum à cerebro, & animali spiritu, & tangibili specie, & inde constat corpora tenuiora, & diaphana esse capacia specierum; opaca verò nullo modo, vel multò minùs, ac per consequens cùm sint spiritus tenuissimi, splendentes, & inde diaphani, capaces magis sunt specierum, quàm quæuis alia corporis pars, & sic in eis tanquam in delatoribus specierum producuntur, semélque productæ necessariò conseruantur, quia species internæ nullo modo pendent in conseruari ab agente earum productiuo; sed solùm à subiecto, vt quodlibet aliud accidens absolutum efficientis præsentiam non requirit, vt duret.

Argumentum verò contra assertionem adductum inualidum est: nam nos non constituimus spiritum solum vt medium necessarium, per quod fieri possit, & debeat specierum delatio; sed illum cum partibus etiam vt medium assignamus, & sic per partes, & spiritus fit communicatio specierum.

Secundum, quod inquirit quæstio, est difficilius, an semel concesso, quòd in spiritibus conseruentur species, contingant deliria ex solo motu vario eorum, sine eo quod ex parte cerebri detur aliqua distemperies, quæ sit occasio delirandi? Et respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia ex motione tumultuosa spirituum potest impediri productio influxus requisiti ad rectum discursum, & inde in delirium incidere: sic explicatur doctrina, & conclusio ad percipiendum aliquod obiectum, & cognoscendum quod illud sit per imaginationem propositum, & non existere reuera, maior virtus requiritur in cerebro, quàm ad cognoscendum illud obiectum simpliciter, vt per primum actum proponitur: sed virtus maior requisita potest deficere durante minore: ergo assentietur illi, quia non potest discurrere, quòd solùm sit imaginatum obiectum: quod clarè constat, si semel fateamur posse cerebrum debilitari per motum solum spirituum, quod est probatione facillimum. In primis id continget, si per motum separentur à substantia cerebri, vt per distantiam influant remissè, & sic manebit influxus ad sensationem remissam, & non ad intensam, aut deficiet ad actum perfectiorem, & non ad minus perfectum. Neque ob aliam causam, qui linquuntur animo, decipiuntur sæpè in ipso deliquio, nisi quia ex agitatione spirituum separentur ab organis, vel quia resoluta magna eorum parte per motum non remanet, nisi quæ ad remissam & imperfectam actionem est satis, quæ causa deceptionis etiam in somno inuenitur: nam quia per obstructionem, vel per mixtionem vaporum cum spiritibus ipsis influunt minùs, quàm in vigilia, decipiuntur dormientes: quia non superest conueniens influxus, & requisitus ad perfectum discursum; & sic assentiuntur imaginationi propositæ: est enim multò faciliùs ferri in obiectum, vt tale perceptum, quàm iudicare quòd non existat, neque videatur præsens, quamuis vt tale proponatur à phantasia.

Alio modo contingit deceptio per motum inordinatum, quia simul proponuntur multa & varia obiecta, quæ trahant ad se totam virtutem animæ, & non relinquant sufficientem vim, vt actum contrarium eliciant, vt contingit à magno sono impediri perceptionem minoris, quia ad sui cognitionem magnam, & violentam tractionem animæ facit: & sic quando variè agitantur spiritus, cùm proponuntur plurima simulachra rerum; ita si minuitur virtus animæ ad actum oppositum, quòd erret facilè circa assensum alicuius obiecti propositi, vel machinetur diuersa, ex tam multiformi simulachrorum propositione: ad hunc enim actum minor virtus requiritur, quàm ad contrarium assensum.

Et si dicatis, vnde constet minorem virtutem requiri: respondeo ex eo constare, quòd vnus actus mouet ad alium, cum quo non habet connexionem maiorem: & sic faciliùs allicitur anima ad actum, ad quem inclinat, quàm ad contrarium: si enim per species phantasiæ proponitur Petrus vt visus, facilius est iudicare ita esse, quàm per actum contrarium assequi Petrum vt visum proponi, sed non videri reuerà, imò potiùs per species reseruatas Petri sic operari phantasiam; & obiectum præsens non esse realiter, sed imaginarium tantum.

Sed dices: species omnes reseruatæ in spiritibus etiam in potentiis seruantur: nihil ergo producitur ab spiritibus, quando variè mouentur, vt potentiæ excitentur ad opus. Respondeo dupliciter delirium contingere posse propter motum spirituum. Primò quia approximetur alicui parti cerebri, in qua nulla datur species, vel quia, etsi detur, est tamen remissior, & ita potentiam coget ad opus, vel quia producatur species de nouo, vel quia remissa intendatur: nam quando sensatio aliqua exterior fit, rectè contingere potest quòd sit indispositio in cerebro, & non recipiat speciem aliquam, vel quia respectu partis sentientis obiectum externum distat magis cerebrum, quàm spiritus, & ita in hos producatur, & non in cerebro: postea vero applicatus spiritus cerebro speciem de nouo in illo producet, & ob eandem distantiam maiorem cerebri, quàm spiritus, in hoc producetur intensior, & sic poterit intendere potentiarum internarum speciem.

Secundò eueniet delirium, quamvis nulla producatur species, eo quòd per motus separentur spiritus, ita vt influant remissè qualitatem ad sentiendum necessariam: tunc enim per species reseruatas in organo poterunt proponi obiecta determinata, circa quæ assensus aliquis detur, quia ob defectum influxus non constat virtus ad actum contrarium, & sic verè decipi; semper tamen diligenter notabitis, non esse satis ad delirandum, quòd proponantur obiecta, nisi simul ob aliquam occasionem diminuatur conatus animæ ad actum contrarium eliciendum: ob hoc enim in vigilia non decipiuntur sani, quamvis varia machinentur: quia constat virtus animæ ad cognoscendum quòd illa obiecta sunt solùm ficta; occasiones verò, ob quas virtus minuitur, est magna intemperies; vel non dari temperiem ad actum contrarium requisitam: sic multitudo phantasiam attrahentium, & cuocantium ad se totum animæ conatum nimiâ violentiâ est occasio delirandi, quæ in homine sano dari non potest, quia se ipsum liberè applicat ad perceptio-

A nem huius, vel alterius obiecti; sic etiam, etsi cerebrum distemperatum non sit, si spiritus non influant, cadit cerebrum in eandem debilitatem, ac si esset nimis distemperatum: quia vt eget temperie ad benè operandum, sic indiget influxu animalis spiritus.

Sed obiicies, ex hoc principio non dari delirium magis circa hoc, quàm circa illud obiectum, quod est contra experimentum. Probatur, quia defectus influxus requisiti est communis causa, & læsio omnibus sensibus internis. Respondeo, quòd quamvis defectus sit communis, obiectorum tamen propositio communis non est: quia in debilitate communi stat determinata inclinatio ad certa obiecta, ad ea scilicet, quorum B sunt viuaciores species; & plus fœcundantes potentiam internam, & sic circa illa euenient deliria, & non circa alia, eruntque talia deliria pertinacia satis, & firma: quia ex causa immutabili, ex speciebus scilicet intensioribus determinantibus semper ad certum opus, quandiu durat eadem debilitas; vnde fit vt varia, & tumultuosa deliria reducenda sint potiùs in agitationem spirituum, quàm in aliam causam, vel in indifferentem, vel varium modum applicationis causæ distemperantis cerebrum, ita vt temperies morbosa, ad delirandum inclinans, magnam mutationem secundùm magis & minus patiatur, & sic ad varia inclinet phantasmata.

C Obiicies secundò: Ex adducta doctrina infertur, vel omnem delirantem esse vertiginosum, vel econtrà omnem vertiginosum delirare. Probatur sequela in opinione affirmantium vertiginem causari propter motum varium spirituum, modificantem species obiectorum: quia si delirium potest causari ex solo motu spirituum, aut requiritur velocior motus ad delirium quàm ad vertiginem, aut econtrà? Quodcumque asseratur, sequitur quod diximus; est autem contra experimentum, cùm videamus quotidie vertiginosos non delirare necessariò, neque delirantes vertigine opprimi. Respondetur, quòd argumentum aliquam vim haberet, si omne delirium communicaretur ob varium motum spirituum, & cùm hoc perpetuum D non sit, sed delirium oriatur frequentius propter intemperiem à qua non causatur vertigo, potest dari vnum sine alio; petit tamen argumentum quòd doceamus, supposito quòd delirium & vertigo procedere possint à motu inordinato spirituum, possitne dari vnum symptoma sine alio? Et tanquam certum tenendum est, vnum sine alio dari posse: in primis symptoma, quod requirit minorem motum, quàm aliud, non est dubium posse sine alio dari vehementem agitationem requirente; est autem probabilius, ad vertiginem requiri commotionem minorem: nam experimento probatur quotidie dari vertiginosos, & nullo modo delirant; arguitque non dubiè delirium, & rationis priuatio maiorem præternaturalitatem in ce-E rebro, quàm vertigo, & ideò vehementiorem causam exposcit.

Dico vlteriùs, quòd cùm delirium non solùm requirat motum spirituum; sed talem, qui inducere possit debilitatem in interno sensu, rectè euenire potest delirium sine vertigine. Constat primò, quando propter multitudinem simulachrorum trahitur tota animæ virtus, vt contrarium assensum efficere nequeat: nam applicatio spirituum medio motu ad diuersas partes cerebri non requirit tam magnum motum, vt requiritur

tur ad vertiginem : nam motus ille sufficiens est, qui applicare possit ipsos spiritus partibus diuersis cerebri : vt autem causetur vertigo, magnus motus requiritur, cùm modificare species repræsentantes obiecta quieta taliter quòd illa repræsentent vt mota, impetuosum motum requirat, præcipuè in corpore tam tenui, qualis spiritus est, vt sit necessarium, quòd velocitas motus suppleat tenuitatem agentis : tum prætereà, quia cùm vertigo causetur ex modificatione specierum repræsentantium obiecta determinata (solum enim circa visibilia datur vertigo) contingere potest, quòd spiritus, qui agitantur, non habeant species reseruatas visibilium, aut non tam intensas sicut sunt in interno sensu; & inde, quamvis variè agitur, non superuenit vertigo, & dari poterit delirium.

Dico vlteriùs, quod etsi requiratur maior motus ad delirium, quàm ad vertiginem, potest tamen durare delirium, & non durare vertigo: quoniam inducta semel debilitate ad delirium requisita ratione motus, potest esse species alicuius obiecti efficacior, vt trahat ad se potentiam, quàm species obiecti modificati per motum; & sic obscurabit vertiginem, cum quo stat esse rarissimum, quòd deìnt delirans propter vehementiam motus spirituum, quin detur anteà vertigo : si autem supponatur aliunde orta debilitas, & non ratione motus spirituum, negati non potest, quod motus eorum possit esse occasio delirandi, sine eo quod inducatur vertigo. Ratio constat ex dictis : quia in hac hypothesi sufficit ad delirium applicatio spirituum, ratione cuius aut producatur de nouo, aut intendatur aliqua species; ad quod non requiritur motus velox, qui tamen ad vertiginem, & modificandum species satis non sit.

Ex dictis soluitur dubium inquirens, an ex sola debilitate cerebri causetur delirium? In cuius decisione magna datur Authorum discordia : & respondeo breuiter, quod debilitas potentiarum loquendo formaliter, solùm conducit ad non esse actionum, vel ad diminutionem earum. Constat, quia vt defectus virtutis est quid priuatinum, solùm inducit diminutionem, vel defectum in actionibus; delirium verò est quid positiuum, & sic repugnat efficienter pendere ab alio, quàm à principio positiuo operante, facultate scilicet, & specie, & non à defectu formaliter: si autem consideremus defectum assensus contrarij, quo corrigendus est actus erroneus propositus, & impediendum, ne fiat iudicium erroneum, pendet necessariò ex defectu : quia est quid priuatiuum, & ita debilitas sola potest esse occasio delirandi, quatenus tollit concursum animæ ad contrarium assensum. Est itaque sententia nostra, quòd quamvis intemperies debilitans cerebrum non determinet potentias ad opus, nec species viuificet, conducit ad delirium, quatenus iudicium erroneum fieri non potest, nisi præcedat debilitas diminuens vim animæ ad assensum contrarium, quo corrigendus ille, qui ratione specierum, vel occasionis alterius efficaciter proponitur. Ratio iam constat : nam si delirium requirit actum positiuum erroneum, & sic non insurgit, nisi auferatur conditio requisita ad contrarium iudicium, vt percipiat obiectum esse tantùm imaginarium, & non existere reuerà; & hic defectus nascitur ex debilitate concursus animæ, constat duo requiri ad delirium, & quod

A maneat virtus animæ cum specie excitante illam ad certum opus, vt operetur circa illud; & quòd tollatur actus contrarius, vt se corrigat, & non putet esse reuerà, quod solùm per sensus proponitur. Primum istorum nascitur semper ex positiua causa, secundum verò ex defectu : & sic suo modo concurrit defectus ad delirium, nec minus est necessarius quàm determinatio specierum, & concursus animæ.

Quo supposito peccant sine dubio putantes ex sola debilitate delirium fieri posse : nec minus peccant, qui eam excludunt : est enim necessarius actus positiuus & defectus virtutis simul ad iudicium erroneum; notabitis tamen diligenter, quòd sæpè solus defectus est contra naturam : &
B ideò vt prima radix delirij iudicatur, & illa sola accusatur, vt quando quis ex immodico sanguinis fluxu delirat, vt refert Hippocrates 7. *Aphor. text. 9.* Constat ex hac occasione cerebrum infrigidari, & ex vi huius distemperiei non inclinatur ad operandum; sed potiùs ad cessationem actionum : quia verò in hoc casu species efficaciores potentiarum sua obiecta proponunt, & animam mouent, & cogunt ad operandum circa illa, quòd sint efficaciores reliquis, reuocant & trahunt ad se totam vim animæ : quia debilis reddita fuit propter sanguinis euacuationem; & sic non eliciens præ debilitate actum contrarium, assentitur rebus propositis. Constat verò in hoc
C casu propositionem illam phantasmatum esse naturalissimam : quia naturale est, species reseruatas determinare potentias ad cognitionem suorum obiectorum, & potentias illa cognoscere; nam assensus pendet ex debilitate tanquam à prima radice : et, autem debilitas contra naturam; & in hoc sensu docuit Galenus 7. *Aphor. loco* iam *citato*, desipientiam fieri aliquando ex debilitate, vt fiunt manuum tremores; isti autem pendent absque dubio, & procedunt ex debilitate facultatis motiuæ, & naturali grauitate membrorum, & vt in tremore naturali grauitas membri mouet illud deorsum, quia animalis facultas ob debilitatem non potest contra grauitatem pugnare, vt efficiebat naturaliter, quando fortis erat : sic in debi-
D li cerebro efficaciores species rapiunt, trahúntque ad suorum obiectorum cognitionem totam vim remanentem in anima, & manent potentiæ incapaces, vt per contrarias species operari possint, sicque æger priuatus discursu obiectis assentitur, & circa illa multa fingit, & componit, vt sæpè diximus.

Ex dictis infero, non rectè accusari à Magistro meo *lib. de locis, disputatione 7. capite 7.* affirmantes dati deliria ex sola cerebri debilitate : loquuntur etiam rectè, quia sola debilitas præter naturam est occasio delirij, vt elatè probaui, & contra eum stat tota nostra doctrina, nunquam scilicet deliria fieri absque debilitate & impotentia ad
E actum, & discursum contrarium : neque enim in mentem eorum Authorum venire potuit, actum erroneum procedere à defectu virtutis formaliter; vel immediatè, sed solùm radicaliter : quia sola debilitas contra naturam potest esse occasio delirandi : quia sæpè non est aliud; quod contra naturam percipiatur, & delirij causa est in sola debilitate, vt doctè notarunt Argent. Fernel. Eustachius, & alij; & exemplo tremoris rectè explicatur, in quo solùm datur contra naturam debilitas facultatis motiuæ.

Sed obiicies vltimò : Si sola debilitas morbosa sufficit

sufficit ad delirium, cum nihil efficacius eam causet, quàm frigida, vel humida distemperies, vt docent omnes, & nos anteà docuimus, sequitur quòd ad delirandum conducant illæ distemperies, & multò efficaciùs quàm calor, & siccitas: quod est contra à nobis asserta. Respondetur esse magnum discrimen: quia humiditas & frigus non solùm debilitant, quatenus distemperant, vt primæ qualitates; sed etiam impediunt omnino virtutem sentientem, quia auferunt influxum animalem à partibus sine, quo sensus non agitur: hoc autem non datur in calore aut siccitate; & ideò dum debilitant conferunt, ad delirandum: quia influxum animalem non tollunt: calor enim potiùs rarefacit, & omnia aperta relinquit, & excremente absumit; siccitas autem etiam depurat cerebrum ab excrementis, & vias reddit patentiores, quovsque minus aucta densat, & cogit, & sic impedire potest conuenientem influxum.

CAPVT XV.

Vtrùm ex diuersa natura delirij diuersa causa agnoscatur à Medico?

EST quæstio præsens præ cæteris celebris, & necessaria: tendit enim directè in inquisitionem causæ efficientis delirium, vt inde sumatur indicatio ad euacuationem certi humoris, & corrigendam distemperiem ab eo productam. Habet quæstio duas partes: prima, vtrùm ex diuerse natura delirij certò cognoscat Medicus determinatam causam illius: Secunda, an quilibet humòr ex quatuor naturalibus, dum causat delirium, habeat sibi annexum delirium proprium, vt ad inuicem distinguantur per deliria determinata; & quamuis istæ duæ partes videantur quodammodò incidere in vnum, differunt nihilominus aliqua ex parte, vt ex dicendis constabit.

Est ergo communis doctrina Medicorum, quam sequitur latè Magister *lib. de locis, disputatione 7. capite 5.* rectè Medicum colligere posse peccantem humorem ex certo modo delirij, vt si quis deliret ridendo, causetur delirium à sanguine: si sit delirium cum furore, causetur ab atra bile, vel sanguinis nimie adustione: si timeat, & tristetur præter rationem, causa sit melancholicus humor: & quia tristitiæ, & timori annexum est necessariò silentium, ideò taciturnitas præter rationem melancholiæ tribuitur; & quòd delirium cum risu à sanguine pendeat, deducunt authores ex Hippocrate 6. *Aphor. text. 53.* dicente: *Desipientiæ, quæ fiunt cum risu, securiores; quæ verò cum studio, periculosissima.* Et primæ partis aphorismi nulla alia redditur ratio, nisi quòd delirium cum risu causetur à sanguine, & propterea securius esse: quia, vt est humor naturæ benignus, minorem molestiam illi infert: vt enim sanguinis abundantia cacochymiam non facit, quòd sit temperatissimus humor; sic quando distemperatur vstione, vel putredine, minus recedit à naturali statu, & vlteriùs coquitur, & corrigitur facilius æquale vitium contractum in sanguine, si cum aliis humoribus conferatur. Hinc Paulus *lib. 1. cap. 6.* dixit; *qui ob humorem sanguineum affecti sunt, cum risu delirant.* Et Auicenna reddendo rationem præsagij Hippocratis Idem sentit: & est concors Medicorum sententia, in cuius Aphorismi expositione sic loquitur Galenus. *Differunt autem inuicem* (desipientiæ scilicet) *per causas ipsas efficientes; quæcumque enim ex sola fiunt caliditate sine humore vitioso, similes quodammodo sunt iis, quæ ex ebrietate contingunt: quæcumque verò ex flaua bile, cum studio perficiuntur; ipsa verò multum exusta, vt magis iam ad atra bilis naturam accedit, sunt insania, multàm furiosa.* Est autem intelligendum per delirie cum studio, quæ fiunt cum solicitudine, & inquisitione nimia, vt de vno delirio facilè pertranseat ad aliud, & hæc causantur à bile flaue: hæc enim ob caloris vehementiam, quam facilè concipit, semper facit delirare; sed ob mobilitatem, quia facilè applicatur, vel discedit è cerebro, & propter facilem resolutionem, & naturam peratam, vt inflammetur facillimè, magnam variationem admittit in modo alterandi, & sic magnam varietatem in apprehensionibus causat, & variie imaginationibus ægrum sollicitat, eiúsque mentem perturbat: & sic ægroti, quasi inquirentes res varias propositas soliciti sunt, ad diuersas partes oculos dimouentes: in quem sensum dixit Hippocrates: *Si autem palsus sit in hypocondriis, tumultum significat, vel delirium; verùm oculos istorum contemplari oportet: nam si crebre moueantur, fore vt furant, expectandum est*: de quo symptomate, & imaginationum variatione contra Genilem egimus *tract. de phrenitide, cap. 4.* Si autem furibundus æger deliret, bilis flaua significatur nimis exusta, vt iam ad malignam naturam atræ bilis accedat; consummata verò exustione tam ferociter delirant, vt nequeant contineri, vt docuit Paulus loco iam citato. Sic Galenus 3. *Epidem. sect. 3. comment. 27.* exponendo historiam vxoris Dealcis, sic loquitur: *Sanè videtur hanc delirij speciem habuisse mixtam ex melancholia & phrenitide: nam vel multa loqui, vel tacere perpetuò, huiusmodi confusionem ostendit*: & in fine commenti rursus repetit dicendo: *Nam multum loqui phreneticorum est; tacere melancholicorum.*

Ex mente ergo Galeni deliria, quæ similia sunt delirantibus propter ebrietatem, ex sola caliditate sine humore vitioso fiunt; dicuntur verò talia, quia absque furore sunt, & quia interrogati solent respondere secundum rationem quæsitis, licet statim derelicti ad delirandum de nouo inclinentur, vt in ebriis experimur: loquuntur enim multa ex se rogati; tamen rectè solent respondere; hoc autem euenit, quia quando deliria leuia sunt, si tota mens applicetur attentè alicui obiecto, discurrunt benè circa illud: quia leuis illa caliditas non ita tollit contrarium assensum, vt interrogatis nequeat respondere: quia magnam læsionem non affert. Vnde quia quando interrogantur, vim totam quæsitis applicant, discurrunt benè circa illa: neque inde inferas contra Galenum, hoc idem contingere posse, etiamsi humor vitiosus delirium causet: quia si vitium illius sic leue, vt leuis putredo, vel vstio, erit etiam calor author delirij remissus. Sed contra est: quia si sic humor vitiosus in cerebro, proprie corporatura conducit efficaciter ad delirandum: quia vt obstruit, tollit vim ad contrarium assensum: quia diminuit virtutem sensitiuam, & sub densiori materia alteret necessariò intensiùs: vnde quando calor communicatur cerebro per continui alterationem, vel mediis spiritibus calefactis, fiunt

hæc

hæc deliria placida, qualia experimur in ebriis, qui calore potiùs in suaui euaporatione, quia ex re naturali eleuantur, ex vino scilicet, quàm obstructione, vel vitio delirant: nam vbi vapor multus ascendit, dormiunt potiùs, quàm loquantur delirare, & cum somno etiam delirium discutitur: deliria verò facta cum studio & solicitudine, moderatóque furore, ex bile flaua leuiter vsta, vel putrida fiunt; quæ autem cum furore, ex nimia sanguinis adustione, vel flauæ bilis: temeraria verò deliria, & velut feras reddentia homines, ex atræ bilis exquisitæ vstione, vel putredine originantur: quæ autem cum risu, vt diximus, ex sanguine leuiter putrido fiunt.

Est autem dubium, & satis difficile, cur non detur delirium, quod determinatè pituitam ostendat vt causam propriam illius: videtur enim ratio similis pituitæ, & cæterorum humorum, cùm quilibet delirare faciat per mutationem contra naturam, putredinem scilicet, vel vstionem; quas mutationes etiam patitur pituita contra naturam: ergo vt reliqui humores vsti, vel putrefacti se ipsos ostendunt per determinatum modum delirij, vt dictum iam est, eodem modo se ipsa ostendet pituita vsta, vel putrefacta.

Hanc dubitationem insolutam relinquit Magister loco citato, & propterea vt certum tenet, non dari peculiare delirium pro omnibus quatuor humoribus: quia ex nullo potest deduci, quod pituita sit author illius: nam lethargici, inquit, delirant à pituita putrescente, & non inducit delirium determinatum, quo possit agnosci pituitosus humor: nam remissio, inquit, delirij non est modus pituitæ solùm conueniens illi, quia alijs humoribus competere potest, efficereque delirium remissum, si leniter putrefiant, vel vrantur: delirare verò, inquit, simul cum somno, non est delirij species, vel modus; sed complicatio potius diuersorum symptomatum ex causis oppositis nascentium.

Cur autem pituita non efficiat modum, vel speciem determinatam delirij, per quam agnosci possit, videtur posse desumi ex doctrina Galeni, qui putauit expressè pituitam ad mores non facere, & inde non inclinat ad certum modum delirij, nam modus delirij ad mores videtur pertinere: est enim pituita humor frigidissimus, & humidissimus omnium, teste Galeno, & sic ex natura propria ad actionum cessationem, & somnolentiam inclinat, non autem ad operandum certo modo: hoc enim positiuum quid includit, ratione cuius actio determinata, vel modus eius fieri debet, & propterea pituita ad mores non facit. Vnde quando ratione caloris mentem deprauat, non ostendit certum modum delirandi, vel operandi: quia ex se ad nullum inclinat; sed ad cessationem omnium, vt dixi, ob frigus, & humiditatem. Vnde notabitis, delirare hoc vel illo modo originari potiùs ex naturali humorum conditione, quàm ex præternaturali mutatione per putredinem, vel vstionem introducta in humoribus. Sic sanguinei ex propria natura absque aliquo morbo facillimè rident, & temperamenti naturaliter biliosi promptè irascuntur, melancholici autem natura timent, tristantur, tacent, suntque cogitabundi, & diu in contemplatione eiusdem obiecti morantur, contemplanturque tristia ferè semper: vnde quando ratione caloris aliquis ex dictis humoribus causat delirium, sequitur delirium ipsum intensionem caloris contra naturam; modus autem, vel species delirij sequitur talem conditionem humoris, quia naturaliter, & absque vlla præternaturali mutatione ad certum modum operandi inclinat: vnde quando per morbos datur copia magna alicuius humoris, & non habet cum copia magnam permutationem in quolibet, vt ratione earum varia componat, vel malè discurrat, delirat in modo operandi loquendo temerè, quia multa bile abundat, quamuis aliena à ratione non dicat, & sic de cæteris philosophandum est.

Circa quod mihi non placet Magister *loco citato*: docet enim quòd furor non est species, vel modus alicuius delirij, sed solùm ostendit delirij magnitudinem: existimo enim quod loqui cum furore, vel aliquid agere ratione morbi, sit verè delirare: quia est motus prauus regentis facultatis iudicantis vt conueniens loqui, vel agere aliquid cum furore: vnde Galenus 7. *Aphorism. comment.* 14. sic loquitur in initio commenti: *Desipientia quidem agnoscitur loquentibus, agentibusve nihil consentaneum rationi.* Constat verò non esse rationi consonum cum furore loqui, aut membrum agitare, & mouere.

Posset etiam aliquis dicere, vim maiorem requiri ad delirandum cum modo deprauato, quàm ad delirandum absolutè: nam qui deprauato modo delirat, peccat in duobus, & in delirio, & in modo; hoc autem duplex peccatum requirit vitium intensius, magisque præternaturale, quod nunquam accipit pituita, quando putrescit, vel vritur: quia cùm habeat tam excessiuum frigus, quo reluctatur putredini, & humiditatem, & frigus, quibus obstat vstioni, nunquam permutatur tam validè, vt duplex illud peccatum possit committere; & sic tantùm causat simplex & leue delirium: quia semper participat satis remissè qualitates, quibus ad operandum determinantur potentiæ, calorem scilicet, & siccitatem, cùm sit tam humida, & frigida, & propterea non inflammabilis; alij verò humores, vel ratione siccitatis, aut caloris, aut vtriusque naturaliter eis competentium, dum vruntur, vel putrefiunt, deprauari possunt magnopere, sicque non solùm ad delirandum absolutè, sed cum certo modo deprauationis disponunt: quia, vt ex Galeno constat *libro Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur*, nullum aliud principium operandi diuerso modo datur, quàm temperies diuersa, cùm animæ sint eiusdem naturæ, & rationis. Verùm prima solutio est magis rationi consona, & hæc vltimò adducta non leues patitur difficultates.

Cùm verò determinati humores ad deliria determinata conferant, explicuit Magister loco citato: sunt enim actiones, & modi earum dependentes ex temperie certa, quæ cuilibet humori ex tribus naturaliter competit, ratione cuius ad certum modum operandi inclinat sibi debitum, vt probauit Galenus *libro citato*, & exemplo puerorum ostendit: *Sunt*, inquit, *alij timidissimi, alij audaces, alij inexplebiles, alij sobrij, alij verecundi, alij impudentes admodum, ex quo discrimine morum colligere licet non eandem omnibus animæ naturam, vel substantiam inesse: nam si substantia*, inquit, *anima esset eis per omnia similis, easdem vtique actiones agerent, eisdem ob similes causas afficerentur affectibus*, &c. intelligit autem Galenus nomine animæ temperiem: quam etiam doctrinam explicuit latè in arte medicinali, & noster Vega *in commentario Aphorismi* 53. *lib.* 4. sic scripsit: *Delirant ægri imaginationibus quibusdam*

internis

internis , facultatibus sentientibus ablatis , quarum gratiâ , quæ non sunt , esse putantur : has imagines mouent vapores humorum vnusquisque pro sua natura : sanguis enim grata repræsentat , ac inde commouet : melancholia rerum tristantium affert imagines : bilis flaua , & atra iram mouent , & furorem ; motio verò insinuata nulla alia esse potest , nisi determinatio specierum à certa temperie : quia ob conuenientiam cum illa , & appetitus dispositione excitantur ad certum opus, A & reliquis præualent speciebus : nam cùm omnes sint in potentia , vel in actu primo , resultat actus contrarius à certis speciebus , quia cum certa temperie habet conuenientiam : quia est accommodata ad actum earum , vt anteà diximus : quomodò autem affecta debeat esse anima , vt risum moueat , irascatur , aut timeat , nostri instituti non est : de quo argumento doctissimè egit Fracastoreus *lib. de sympathia, à cap.12. vsque ad 22.* Et huius tractatus hic est finis.





INDEX
RERVM, ET VERBORVM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

A.

Abſtinentia.

Castoreum.

D.

debilitas.

Diſtemperies

Inflammatio

Memoria.

Signa

Index Rerum, & Verborum.

F I N I S.

